Franz Gribler
1913.

DOCTORIS ECSTATICI
DIONYSII CARTUSIANI
OPERA OMNIA

IMPRIMI POTEST

Fr. Renatus-Maria, Prior Cartusiæ,

in Epiphania Domini, anno 1906.

IMPRIMATUR

Tornaci, 25ª Januarii 1906.

V. Cantineau, Canonicus, Censor librorum.

DOCTORIS ECSTATICI

D. DIONYSII

CARTUSIANI

OPERA OMNIA

IN UNUM CORPUS DIGESTA

AD FIDEM EDITIONUM COLONIENSIUM

CURA ET LABORE

MONACHORUM SACRI ORDINIS CARTUSIENSIS

FAVENTE PONT. MAX. LEONE XIII

SERMONES DE SANCTIS (Pars secunda)

TORNACI

TYPIS CARTUSIÆ S. M. DE PRATIS

MDCCCCVI

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/ddionysiicartusi0000vari

IN FESTO

S. GEORGII MILITIS ET MARTYRIS

ENARRATIO IN EPISTOLAM

NEMO MILITANS DEO IMPLICAT SE NEGOTIIS SÆCULARIBUS, ETC.
II Tim. II, 4-10.

POSTQUAM quæ boni sunt militis, apostolus Paulus mandaverat Timotheo, dicens, Labora sicut bonus miles Christi Jesu, spinas videlicet vitiorum et tribulos passionum e cordibus subditorum evellendo, vita et labiis prædicando, et officium tuum continuando, subjungit quod in epistola hodierna sequitur.

II *Tim.* II, 3.

Nemo militans Deo, id est ad Dei honorem et gloriam, adversariis veritatis repugnans, contra propria vitia luctans, et divinis exercitiis se immergens, *implicat,* id est involvit, *se negotiis sæcularibus,* id est causis et rebus divitiisque mundanis. Per hoc enim distraheretur mens ejus ab illo uno quod solum necessarium est. Ideo sollicitudo de crastino prohibetur a Christo. Nam etsi interim oporteat servum et militem Christi sæcularia tractare negotia, non tamen se implicat illis, sed moderate et interdum se applicat talibus, cupiens expediri et Deo uniri. *Ut ei,* videlicet Deo, *placeat cui se probavit,* id est, probabilem exhibuit seu devovit, dicens cum Psalmista : Mihi adhærere Deo bonum est; et, Unam petii a Domino, hanc requiram. Idcirco autem labora ut miles Christi : *Nam et qui certat in agone,* id est, cum alio contendit in hujuscemodi bellico exercitio : quod et agonizantes quandoque nudi exercuerunt; *non coronabitur* quasi victor, *nisi legitime,* id est efficaciter et sicut lex agonis requirit, *certaverit,* omnia impedimenta pugnandi abjiciendo, quemadmodum dictum est alio loco : Omnis qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet.

Luc. X, 42. *Matth.* VI, 34. *Ps.* LXXII, 28. *Ps.* XXVI, 4. I *Cor.* IX, 25.

Laborantem agricolam oportet primum de fructibus percipere : id est, quemadmodum agricola diligens primo fruges terræ degustat, et de eis necessaria sumit et edit; sic prædicator et pastor qui corda audientium vomere prædicationis aperit, vertit et excolit, semenque verbi cœlestis infundit, debet de sumptibus aliorum et gregis proprii sustentari. Dignus est enim operarius mercede sua. Hoc dicit Apostolus, quia superius dixit quod militans Deo non implicat se sæcularibus negotiis. Ut ergo ostendat unde prædicator et prælatus vivere debeat, adjecit similitudinem de agricola. *Intellige,* id est, discrete perpende, *quæ dico,* ne tibi videatur contrarietas in verbis et actibus meis : eo quod ego non accipiam sumptum ab aliis, cujus oppositum te doceo. Ego enim non accipio interdum propter rationabiles causas, ut amputem occasionem perversis. Te vero accipere volo propter rationabiles causas, quum sis infirmus, et ut Deo liberius vaces. *Dabit enim tibi Dominus in omnibus* quæ scribo

Luc. X, 7. II *Cor.* XI, 9,12; XII,13, 14; I *Thess.* II, 9; II *Thess.* III,8.

aut facio, *intellectum,* id est veram et circumspectam notitiam.

Porro, quatenus legitime certes consideratione futuræ coronationis, *memor esto* per actualem considerationem, *Dominum nostrum Jesum Christum resurrexisse a mortuis,* natum *ex semine David, secundum evangelium meum,* id est secundum evangelicam annuntiationem a me administratam ; *in quo,* id est in cujus evangelii prædicatione, *laboro usque ad vincula* inclusive, quibus jam vinctus in carcere jaceo, *quasi male operans,* id est tanquam falsa prædicans et homines fallens. *Sed verbum Dei non est alligatum,* id est, prædicatio mea seu doctrina non est impedita : nam verbo præsentes in carcere doceo ; scriptis vero et item per discipulos meos absentes informo. *Ideo omnia* adversa *sustineo* patienter *propter electos, ut et ipsi salutem consequantur,* non a me, sed per ministerium meum, videlicet ut cooperer eorum saluti, *quæ est in Christo Jesu* sicut in objecto, datore et causa meritoria : in ejus enim visione consistit, ab ipso donatur, ipse quoque pro nobis meruit eam ; *cum gloria cœlesti* salutem consequantur, id est cum omni beatitudine præmii accidentalis adjuncta præmio essentiali, quæ per salutem exprimitur. Vel, per salutem felicitas intelligitur viæ, per gloriam cœlestem, felicitas patriæ.

SERMO PRIMUS

QUÆ MILES DEBEAT REGI, ET QUOMODO S. GEORGIUS EADEM CHRISTO EXHIBUERIT.

DOMINUS tecum, virorum fortissime. Judic. VI, 12.

Hæc verba dixit angelus Dei ad Gedeonem, judicem filiorum Israel. Quæ de victoriosissimo atque præinclyto martyre ac milite Christi S. Georgio congruentissime exponuntur. Qui omnia ista exhibuit et exsolvit Christo regi cœlesti, quæ miles terrenus exhibere atque exsolvere debet regi suo terrestri. Miles namque terrenus regi suo in primis tenetur fidelitatem, ut ei sincere adhæreat, nec adversariis ejus concordet in contumeliam regis. Secundo tenetur obedientiam regi. Tertio tenetur pro regis honore et conservatione ac boni communis defensione vitam propriam exponere, adversariis regis ac boni communis strenue reluctando, et pugnatoribus regis opem pro posse ferendo. Omnia ista beatissimus Christi miles Georgius Regi cœlorum omnipotenti sublimiter solvit. Primo ergo fidelitatem integerrimam exhibuit Christo, immobiliter ei adhærens, nec adversariis ejus consentiens. Secundo obedivit Christi præceptis in omnibus. Tertio pro defensione fidei christianæ, pro Christi honore, pro Christianorum in pœnis martyrii deficientium confortatione vitam suam exposuit, crudelissima et immanissima tormenta sustinuit, atque martyrium promptissimo passus est animo. Insuper adversariis Christi et regni ipsius, puta Ecclesiæ, imperterritus miles Georgius fortissime restitit, hoc est dæmonibus et peccatis atque tyrannis.

De hoc glorioso Georgio magna et mira leguntur. Primum est, quod filiam regis cujusdam a draconis devoratione eripuit, et draconem qui a turbis infidelium superari nequibat, in Christi fide occidit. Quo facto, regem ac populum ejus convertit ad fidem. Secundum est, quod sub Daciano tyranno sævissimo videns multos Christianorum in tormentis deficere ac idolis sacrificare, prosilivit in medium, dicens : Omnes dii gentium dæmonia, Do- *Ps.* XCV, 5.

minus autem cœlos fecit. Quumque in fide constantissimus permaneret, fecit eum in equuleum Dacianus suspendi, corpusque ejus ungulis laniari, facibus inflammari, et patentibus martyris sancti visceribus, plagas ejus sale fricari, deinde in carcere claudi. In quo Christus ei apparuit, atque dulcissime eum consolabatur ac roboravit. Tertium est, quod venenum pessimum bis absque læsione potavit. Quo viso, magus qui ei propinavit venenum, conversus est, et pro fide mox decollatus. Quartum, quod ab aliis horrendis tormentis divina virtute est liberatus, videlicet a rota gladiis bis acutis circumsepta, atque a plumbo liquefacto ferventi in quod fuit projectus. Alia quoque mirabilia de ipso leguntur, et quod in ejus passione conversa sit uxor Daciani et mox occisa pro Christo. Quintum, quod tandem S. Georgius per totam civitatem atrociter tractus, capite sit truncatus, Dacianus vero, igne de cœlo cadente consumptus.

Itaque tam gloriosi militis exemplo armemur virtutibus, patientiam induamus, dæmonibus et peccatis jugiter reluctemur, atque pro nostris peccatis castigemus nos ipsos, et adversa occurrentia libenter sustineamus; non vincamur a propria animositate, a concupiscentiis carnis, ab ira, impatientia, avaritia aut rancore, sed humiles, timorati, constantes simus in omnibus, et in Dei obsequio semper ferventes. Postremo, proximos suos corporaliter aut spiritualiter indigentes, deficientes, infirmos, unusquisque in quantum valet consoletur, refoveat, instruat et confortet, juxta illud Apostoli : Alter alterius onera portate ; et rursus, Consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes. Itaque infernalem draconem, puta diabolum, quilibet Christianus superare conetur, atque ut possit hoc, S. Georgii patrocinia deprecetur.

Galat. VI, 2. *I Thess.* V, 14.

ENARRATIO IN EVANGELIUM

EGO SUM VITIS VERA, ET PATER MEUS AGRICOLA EST ; ETC. Joann. XV, 1-11.

HOC evangelium ex sermone illo suavissimo quem Dominus ad passionem iturus, discipulis suis post Cœnam prædicavit, assumptum est, et ostendere vult omnes electos sibi incorporandos, quemadmodum viti incorporantur palmites, qui si abscissi fuerint, carebunt vita et vitali nutrimento vitis, cujus facti sunt per abscissionem exsortes. Dicit ergo :

Ego sum vitis vera, et Pater meus agricola est. Christus se dicit vitem per similitudinem, propter multa. Primo, quoniam sicut vitis habet ramos seu palmites multos, sic Christus quum sit caput Ecclesiæ, habet membra quamplurima, puta fideles, quorum collectio est mysticum corpus Christi. Secundo, quoniam sicut vitis est arbor optimos fructus producens, sic Christus merito suæ conversationis et passionis, copiosissimum protulit fructum, innumerabiles salvans et convertens ad Deum, quemadmodum ad Hebræos dicit Apostolus, quod multos filios adduxit in gloriam ; et Psalmista, Benedicentur (inquit) in ipso omnes tribus terræ. Unde ad insinuandum innumerabilitatem eorum qui per Christum salvantur, qui sunt quasi botri et germina ejus, Deus Pater vel Trinitas ait ad eum per Isaiam : Parum est ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Jacob, et fæces Israel convertendas ; dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad ultimum terræ. Tertio, quoniam sicut lignum vitis est despectum, et tamen perutile, sic Christus despectus fuit, quum esset omnium salus. Et non solum Chri-

Ephes. I, 22 ; V, 23 ; *Coloss.* I, 18.

Hebr. II, 10. *Ps.* LXXI, 17. *Is.* XLIX, 6. *Ibid.* LIII, 3. *Act.* IV, 12.

stus, sed et ipsa Ecclesia dicitur vinea, quum sit fecunda in bonis, et multos continens filios; estque boni odoris atque saporis, laudabilem famam habendo, et divina gustando, ac filios suos spiritualibus poculis reficiendo. Unde Isaias dicit de
Is. v, 7. Synagoga : Vinea Domini Sabaoth domus Israel est, et vir Juda germen delectabile
Osee x, 1. ejus. Et in Osee : Vitis frondosa domus Israel. Unde apud Matthæum dicit Salvator:
Matth. xxi, 33. Homo erat paterfamilias qui plantavit vineam, etc.

Sed quum Christus non sit vitis nisi per similitudinem, quomodo loquitur, Ego sum vitis vera? Dicendum, quod dicitur vitis vera propter veram similitudinem, non propter veram naturæ communionem cum
Is. xl, 7. vite, sicut in Isaia inducitur : Vere fœnum est populus. Et item, ut se distinguat a prava ac sterili vinea, cui apud Jeremiam
Jer. ii, 21. Dominus protestatur : Ego te plantavi vineam electam, quomodo ergo conversa es in pravum, vinea aliena? Non enim est vitis vera, quæ talis est de qua per Isaiam
Is. v, 4. ait Dominus : Exspectavi ut faceret uvas, et fecit labruscas. Sic ergo Christus di-
Joann. i, 29; *Apoc.* v, 5; I *Cor.* x, 4. citur vitis, quomodo appellatur agnus, leo, petra.

Porro, quum vitis et palmites sint ejusdem naturæ, ipsaque vitis sit sub agricola, indigens ejus cultura vel influentia, constat quod Christus dicat se vitem secundum naturam assumptam, secundum quam ait:
Joann. xiv, 28. Pater major me est. Secundum divinitatem vero, et ipse agricola est, quemadmodum Pater : imo tota Trinitas superbenedicta et superdignissima, est unus agricola. Subdit ergo : *et Pater meus agricola est,* id est agricolæ similis. Primo, quoniam sicut agricola mittit semen in terram, et plantat arbusta; sic Deus infudit animæ Christi gratiam, quæ est quasi semen virtutum, plantavit quoque in ea omnem scientiam ac virtutem. Secundo, quoniam colit corda fidelium, ea a sentibus vitiorum purgando, per gratiam fecundando, semen verbi cœlestis in eis spargendo, et tandem in horreum patriæ introducendo. Hinc Corinthiis scribit Apostolus : Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis. I *Cor.* iii, 9.

Omnem palmitem in me non ferentem fructum, id est omnem infructuosum fidelem, qui fide informi, non caritate et bonis operibus, conjungitur mihi, unde non fert fructum in me, id est, opera bona et sancta desideria non producit in caritate et gratia mea; *tollet,* id est, a consortio electorum separabit *eum* Pater, nunc gratiam subtrahendo seu non influendo, et in futuro eum gloria privando. Huic simile est quod Joannes Baptista asserit : Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur. Quod si sola sterilitas condemnatur, ipsa iniquitatis exsecutio quantum torquebitur? Istud intelligendum est de his qui in negligentia finaliter perseverant. *Matth.* iii, 10.

Et omnem qui fert fructum, id est omnem fidelem qui habet fidem quæ per dilectionem operatur, et Deo obedit, ac profert fructus de quibus ad Galatas dicit Apostolus : Fructus Spiritus est, caritas (hoc est actus caritatis), gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, mansuetudo, etc.; *purgabit eum* Pater, saltem a venialibus et a reatu præteritorum mortalium, si habuit ea. In multis enim offendimus omnes; et justus septies cadit in die; omnes quoque justitiæ nostræ sunt quasi pannus menstruatæ. Purgat etiam Deus justos in via ab habitu dissimilitudinis et minoratione perfectionis, quemadmodum juxta Dionysium, angeli inferiores dicuntur purgari per hoc quod lumen intellectuale in eis augetur seu confortatur. Purgat autem Deus diversis modis fideles, videlicet : per pœnitentiam, per lacrimarum effusionem, per adversa, videlicet per tentationes, persecutiones, infirmitates. Nec dubium quin per caritatis fervorem, qui operit multitudinem peccatorum, continuamque in divinis diligentiam, maxime deleantur peccata quantum ad maculam et reatum. *Ut fructum plus afferat,* id est, in operibus bonis magis abundet. Nam in via Dei non proficere, est deficere.

Galat. v, 6.

Ibid. 22, 23.

Jacob. iii, 2.

Prov. xxiv, 16.

Is. lxiv, 6.

De Eccl. hier. c. vi.

I *Petr.* iv, 8.

Unde oportet incessanter agere bona, et de virtute in virtutem procedere. Sed si ita est, quid est quod multi quum cœperint agere bona, mox decidunt, et non solum non purgantur, sed pristinam gratiam perdunt? Dicendum, quod Christus loquitur de proficientibus et electis. Vel distributio præinducta intelligenda est pro generibus singulorum, non pro singulis generum, sicut et illa quæ est in Daniele : Omnes populi, tribus et linguæ servient ei.

Ps. LXXXIII, 8.

Dan. VII, 14.

Jam vos mundi estis a labe mortalium vitiorum, et ab incredulitatis errore, *propter sermonem,* id est audiendo et observando doctrinam evangelicam, *quem locutus sum vobis.* Beati enim qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud. Et verba Christi animam purgant, illustrant, perficiunt. Propter quod scriptum est : Beati sumus nos, quia quæ placita sunt Deo, manifesta sunt nobis.

Luc. XI, 28.

Baruch IV, 4.

Manete in me per fidem et caritatem, perseverando usque in finem : quod si feceritis, *et ego* manebo *in vobis* per gratiosam inhabitationem, benignam custodiam et singularem providentiam. Nunquam enim Deus recedit a nobis, nisi primo recesserimus ab ipso. Et quum aversi fuerimus, invitat ut redeamus; semperque paratus est pœnitentes suscipere. Idcirco impœnitentium pravitas nullum habet excusationis colorem.

Sicut palmes non potest ferre fructum, scilicet uvas, *a semetipso, nisi manserit in vite,* non præcisus, sed humorem atque pinguedinem a stipite vitis trahens; *sic nec vos* Apostoli, nec aliquis alius, potestis in bonis et meritoriis actibus fructificare, *nisi in me manseritis* per fidem et gratiam, non innitentes propriis viribus, sed pietati et gratiæ meæ, præsertim quum sitis membra mea. Quemadmodum ergo si palmes vel membrum abscindatur, statim arescit, putrescit, et pristina virtute, fecunditate et operatione privatur; sic fideles, nisi Christo per caritatem inhæserint, nil possunt meritorie operari, sed peccati vetustate corrumpuntur, vitiis implicantur, tentationibus superantur.

I *Cor.* VI, 15.

Quum enim beatitudo hominis sit omnino supernaturalis, videlicet visio Dei per speciem, non potest intellectualis creatura ex suis naturalibus aliquid agere quod sit meritorium beatitudinis hujus, sed indiget supernaturalibus mediis, quibus ad finem hunc perducatur. In quo damnatur hæresis Pelagii, asserentis hominem propriis viribus posse justificari ac promereri. Quocontra dicit Apostolus : Fiduciam talem habemus ad Deum, non quod simus sufficientes cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est; et iterum : Deus est qui operatur in vobis et velle et perficere, pro bona voluntate, hoc est ex sua voluntate benigna. Hinc apud Osee perhibet Dominus : Perditio tua, o Israel, ex te; in me tantummodo auxilium tuum. Nemo ergo præsumat, nullus se jactet vel alteri præferat, aliumve contemnat. Unde monet Apostolus : Itaque qui stat, videat ne cadat.

II *Cor.* III, 4, 5.

Philipp. II, 13.

Osee XIII, 9.

I *Cor.* X, 12.

Ego sum vitis, vos palmites, non per essentiam, sed per similitudinem, sicut ostensum est. Denique, sicut fidelis dicitur palmes et arbor, sic appellatur oliva, juxta illud Jeremiæ : Olivam uberem, pulchram, fructiferam, speciosam, vocavit Dominus nomen tuum; et in Psalmo, Ego quasi oliva fructifera in domo Dei. Hoc quoque sciendum, quod sicut palmes quamdiu manet in vite, pretiosus, speciosus ac nobilis est; si vero præcidatur, vilissimus est, ad nullum usum conveniens nisi ut comburatur, prout Dominus ait Ezechieli, Fili hominis, quid fiet de ligno vitis? etc.; sic Christianus quamdiu manet in Christo per caritatem et gratiam, cunctis rite gentibus præfertur dignitate et merito. Quid enim Christiano tali felicius, cui regna parata sunt cœlorum, qui Christo incorporatus est et deificatus in eo? Si vero se avertat a Christo, et evangelicæ legis obedientiam deserat, fit prorsus contemptibilis atque vilissimus. Hinc Christianorum dignitatem insinuans Petrus : Vos (inquit) genus ele-

Jer. XI, 16.

Ps. LI, 10.

Ezech. XV, 2 et seq.

I *Petr.* II, 9.

ctum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis. De aversis autem et recidivantibus ait, vilitatem eorum declarans : Contigit illis illud veri proverbii, Canis reversus ad vomitum, et sus lota in volutabro luti.

II *Petr.* II, 22 ; *Prov.* XXVI, 11.

Qui manet in me, modo jam dicto, cujus videlicet intellectus mihi unitur per fidem, voluntas per dilectionem, memoria per stabilitatem, *et ego in eo* permaneo, conservando dona gratiæ meæ in anima ejus ; *hic fert fructum multum,* id est, in operibus bonis abundat, et crescit in gratia. Quemadmodum enim caput influit membris vitam et motum, et sicut vitis suis palmitibus influit pinguedinem et humorem ; sic Christus fidelibus influit vitam gratiæ et motum actionum sanctarum, humorem recepta dona alentem, itemque charismatum divinorum pinguedinem. Unde orat Psalmista : Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea. *Quia sine me,* id est sine gratia mea gratum faciente, *nihil* meritorium *potestis facere.* Propter quod dicit Apostolus : Gratia Dei sum id quod sum ; et, Omnia possum in eo qui me confortat. Hinc apud Jeremiam legitur : Scio, Domine, quia non est hominis via ejus, nec viri est ut ambulet et dirigat gressus suos. Nemo ergo sibi ipsi blandiatur, vel in se ipso glorietur, quum nihil habeat boni a se, et hoc ipsum quod habet, nec ad momentum potest servare, nisi conservetur a Christo. Denique ipsa prima mentis ad Deum conversio, Dei donum est, et a Deo. Propter quod Jeremias precatur : Converte nos, Domine, ad te, et convertemur.

Ps. LXII, 6. I *Cor.* XV, 10. *Philipp.* IV, 13. *Jer.* X, 23. *Ibid.* IX, 23, 24. I *Cor.* IV, 7. *Thren.* V, 21.

Si quis in me, id est in fide, caritate et obedientia mea, *non manserit, mittetur foras,* id est, ab electorum grege separabitur, nunc, voto et merito, et in futuro, loco et præmio, atque in tenebras exteriores mittetur, quemadmodum scriptum est : Tollatur impius, ne videat gloriam Dei ; *sicut palmes* inutilis ; *et arescet* per sterilitatem ab opere bono, id est, humore gratiæ roreque gloriæ destituetur ; nec erit tanquam lignum quod plantatum est juxta decursus aquarum, sed sicut arbor quæ aruit, quoniam non habebat humorem. *Et colligent,* id est, reprobis adunabunt *eum* angeli sancti exsecutores divini judicii : de quibus scriptum est, In consummatione sæculi exibunt angeli, et separabunt malos de medio justorum, et mittent eos in caminum ignis. Ideo subditur : *et in ignem mittent,* id est, in ignem infernalem projicient eum, quum dixerit Judex : Ite, maledicti, in ignem æternum. Istud quoque particulariter adimpletur in morte singulorum. De quo igne ait Præcursor apud Lucam : Paleas comburet igni inexstinguibili. Isaias quoque ait : Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur. *Et ardet.* Cur non ait, Et ardebit ? Quod si dixisset, verum dixisset ; sed verbo præsentis temporis usus est, quoniam id quod fiet, Deo præsentialiter constat, et in ejus præscientia jam fit, quod in exsecutione futurum est. Ardebit ergo, et non consumetur ; optabit mortem, et æternaliter punietur, quemadmodum in Apocalypsi dicitur : Cruciabitur iniquus igne et sulfure in conspectu angelorum sanctorum et Agni, et fumus tormentorum ejus ascendet in sæcula sæculorum ; et Psalmista, Cadent super eos carbones, in ignem dejicies eos, et in miseriis non subsistent.

Matth. XIII, 49, 50. *Ibid.* XXV, 41. *Luc.* III, 17. *Is.* LXVI, 24. *Apoc.* XIV, 10. *Ps.* CXXXIX, 11.

Si manseritis in me, conformando voluntatem vestram voluntati meæ per caritatem et obedientiam veram, *et verba mea in vobis manserint* per jugem memoriam et stabilem verborum adimpletionem ; *quodcumque volueritis petetis,* id est, quidquid placuerit animæ vestræ postulabitis a Patre vel a me, *et fiet,* id est dabitur, *vobis,* dummodo orando maneatis in me, orando vere salubria, prout mihi est placitum, orando quoque instanter. Sed quoniam justi non exaudiuntur semper pro aliis, quamvis petant salubriter et instanter pro illis, ideo ait, « fiet vobis » : quia non semper fit aliis, eo quod ponant gratiæ obicem.

Matth. VIII, 12 ; XXII, 13 ; XXV, 30. *Is.* XXVI, 10, juxta LXX. *Ps.* I, 3 ; *Jer.* XVII, 8.

In hoc clarificatus est Pater meus, id

est, in hoc Patris cœlestis honor consistit et gloria, non ob suam indigentiam, sed ad vestram utilitatem, *ut fructum plurimum afferatis,* id est, multa opera meritoria perpetretis, aliosque convertatis ad Deum, ut sint filii vestri in Christo renati. In fructificatione ergo et optima conversatione fidelium glorificatur Deus, quoniam honoratur in eis, ejusque majestas et sanctitas in tali conversatione relucet: et tales Deus ad gloriam suam creavit, secundum
Is. XLIII, 7. quod ait apud Isaiam, Omnem qui invocat nomen meum, in gloriam meam creavi eum. *Et efficiamini mei discipuli,* credendo et obediendo, nec solum servando præcepta, sed etiam adimplendo consilia : et in hoc consistit glorificatio Patris.
Joann. V, 23. Qui enim honorificat Filium, honorificat Patrem.

Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi
Ibid. III, 35. *vos.* Pater diligit Filium secundum utramque ejus naturam : quia secundum naturam divinam, diligit eum tam perfecte et fervide sicut se ipsum, videlicet amore immenso; secundum naturam vero assumptam, diligit eum amore præcipuo, magis videlicet quam cuncta simul creata. Amare quippe est alicui bonum velle. Majus autem bonum voluit et dedit Deus Christo homini, quam toti universo, utpote personalem unionem cum Verbo. Christus quoque diligit nos secundum utramque suam naturam : quia ut Deus, diligit nos amore æterno, non tamen immenso, sed ampliori quam aliqua pura creatura diligit aliam; porro, ut homo, diligit nos amore creato, infuso, valde ardenti atque præcipuo, quo-
I *Joann.* III, 16. niam animam suam posuit pro nobis, et tantum nostram concupivit salutem, quod ad eam retulit quidquid fecit aut pertulit. Quemadmodum itaque Pater diligit Filium, sic Filius diligit nos : quoniam sicut amor Patris ad Filium est gratuitus, sic amor Filii ad nos gratuitus est. Rursus, quemadmodum Pater diligit Filium ut hominem, sic Filius diligit nos : sic enim Pater diligit Filium, volendo illi felicitatem æternam; Filius quoque nos amat ad idem. Iterum, sicut Pater diligit Filium, non tamen pe-
Rom. VIII, 32. percit ei, sed manibus impiorum tradidit eum; sic Filius diligit suos fideles, non tamen parcit eis, sed quanto sunt cariores, tanto pluribus tribulationibus illos exercet, prout Sapiens ait, Tanquam aurum
Sap. III, 6. in fornace probavit electos; et Judith, Om-
Judith VIII, 23. nes qui placuerunt Deo, per multas tribulationes transierunt fideles. Propterea non debemus in adversitatibus contristari, sed juxta Jacobi documentum, omne gaudium
Jacob. I, 2. æstimare, quum in diversas tentationes incidimus. Hinc nempe in Proverbiis Salomon loquitur : Disciplinam Domini, fili
Prov. III, 11, 12. mi, ne abjicias, et ne deficias quum ab eo corriperis : quem enim diligit Dominus, corripit, et quasi pater in filio complacet sibi.

Manete in dilectione mea, quæ est animæ vita : in qua perseverandum est jugiter, quoniam sola perseverantia corona-
Matth. X, 22; XXIV, 13. tur; nec aliquid præferendum aut comparandum est divino amori, sed Deus præ creaturis amandus est in infinitum. Idcirco, secundum doctores, potius deberet homo mortem corporalem subire, quam unum veniale committere. Quam autem beatum et sanctum sit in divina dilectione manere, patet ex verbo Joannis in sua Canonica : Deus caritas est, et qui manet
I *Joann.* IV, 16. in caritate, in Deo manet, et Deus in eo.

Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea : et tamdiu in dilectione manemus, quamdiu obedimus. Quemadmodum etiam observatio præceptorum procedit ex caritate, sic conservat eamdem, quoniam operatio perficit habitum, gratiamque meretur majorem, qua habitus caritatis confortatur. *Sicut et ego præcepta Patris mei servavi,* secundum quod homo sum. Nam quæ placita sunt illi, facio
Joann. VIII, 29. semper; et quidquid jussit mihi per inspirationem facere pro hominum salvatione, feci hucusque, eroque ei obediens usque
Philipp. II, 8. ad mortem. *Et maneo in ejus dilectione* plenissima, quia plus diligo eum quam omnes electi.

Hæc moralia documenta *locutus sum*

vobis, ut gaudium meum in vobis sit, id est, spiritualiter gaudeatis in Deo quemadmodum ego. Vel, « ut gaudium meum in vobis sit », id est, beatitudo et gloria mea vobis communicetur in patria : prout Apostolus dicit, Si compatimur, et conregnabimus. Vel, « ut gaudium meum in vobis sit », id est, ut ego de vobis quasi de bonis filiis glorier, quia beneplacitum est Domino in populo suo, et gaudium Domini est fortitudo vestra. Quod non est sic intelligendum, quasi gaudium Dei aut Christi ex nobis augeatur ; sed quod Deus vel Christus in se delectetur, propter se ipsum approbans bonum nostrum, et gaudendo in nobis, gaudium suum infundens ac tribuens nobis. *Et gaudium vestrum,* id est spiritualis consolatio quam habetis in via, *impleatur* in patria : juxta illud, Satiabor quum apparuerit gloria tua ; et, Adimplebis me lætitia cum vultu tuo. Nec enim aliud implet nostri intellectus capacitatem et sciendi aviditatem, nisi veritas prima immensa, per speciem cognita ; aliud quoque non implet nostræ voluntatis desiderium, nisi bonitas summa et infinita, per fruitionem possessa. Patet ergo quod finis nostræ creationis est gaudium plenum, tamque exuberans et perfectum, ut eo adepto, majus non cupiatur.

II *Tim.* II, 12 ; *Rom.* VIII, 17.

Ps CXLIX, 4.

II *Esdr.* VIII, 10.

Ps. XVI, 15.

Ps. XV, 11.

SERMO SECUNDUS

DE LUDORUM INNUMERIS MALIS ; ET QUI LUDI LICITI SINT HONESTIQUE, QUIQUE ILLICITI ET PROHIBITI.

EGO sum vitis vera, et Pater meus agricola est. Joann. XV, 1.

Nulli dubium esse debet, eum hic vocari agricolam, qui alibi paterfamilias dicitur qui conduxit operarios in vineam suam. Porro, quamvis hi qui in hac vita laborant verbo Dei, juxta Apostolum, magno sint honore habendi, nihilo minus tamen sunt venerandi etiam qui opere et passione gloriosa constantes, testimonium fidei et veritati etiam moriendo perhibuerunt. Hi fuerunt sancti martyres : inter quos gloriosissimus et victoriosissimus miles S. Georgius, nobilis secundum sæculum, non parum in vinea Domini laboravit. Tanto enim vineam Domini plus excoluit, quanto plures vites vineæ Domini adjunxit. Fuit autem piissimus miles S. Georgius, non ut hujus ætatis sunt nobiles, ludis, spectaculis, torneamentis, aliisque hujusmodi vanitatibus deditus ; nec militia ejus fuit ignava, sed nimium lucrativa, ut ex ejus Legenda manifestum est.

Matth. XX, 1.

I *Tim.* V, 17 ; I *Thess.* V, 12, 13.

Denique, quomodo aut quando peccatum sit ludis vacare, sciendum est quod nunquam ludere liceat ex cupiditate lucrandi : imo hoc diebus festis præcipue est illicitum ; et ita lucrata, sunt injuste adepta ac restituenda, seu in pios usus vertenda. Denique, in ludis potest esse excessus dupliciter. Primo, si quis in ludendo utitur turpibus verbis, aut factis nocivis, gestibusque lascivis aut scandalosis ; sicque excessus ludi est mortale peccatum ex genere. Secundo, quando in ludo debitæ circumstantiæ non servantur, ut quando non convenit loco, tempori, negotio aut personæ. Et hoc interdum mortale peccatum est, aut propter prohibitionem, aut propter vehementiam affectionis ad ludum, quando videlicet illa affectio tanta est, quod propter eam ageret aut agit contra Dei caritatem aut jussionem : alias esset veniale peccatum.

Proinde de hac materia plenissime describit frater Durandus in Summa sua ;

sed brevitati studens, non nisi pauca et huic proposito convenientiora inde accipiam. Itaque, inter cetera scribit : Quidam est ludus probationis et experientiæ, sicut tirones vires suas exercent ac probant luctando, saltando, currendo, equitando, lapides jaciendo, atque in torneamentis ac hastiludiis se viriliter exercendo. Sed quia in torneamentis ac hastiludiis fiunt frequenter fraudes, injuriæ, violentiæ, ostentationes, pompæ et expensæ notabiliter excessivæ, multaque alia quæ ludum de se licitum inhonestant, idcirco sunt modo prohibita. De tali ludo dixit Abner ad
II *Reg.* II, 14. Joab : Surgant pueri, et ludant coram nobis. Est item ludus insolentiæ, sicut sunt ludi chorearum et monstra larvarum. Un-
Exod. XXXII, 6. de in Exodo legitur : Sedit populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere. Sub hoc ludo continentur derisiones et illusiones quæ irrogantur viris devotis ac sanctis : quemadmodum Philistæi illuse-
Judic. XVI, 25. runt Samsoni, quem eductum de carcere, fecerunt adduci ut luderet coram eis, ut in libro Judicum narratur. Alius est ludus vanitatis et evagationis, ut in venationibus atque aucupiis. De quibus Baruch
Baruch III, 16, 17. ait : Ubi sunt principes gentium, et qui dominantur super bestias, qui in avibus
Ibid. 19. ludunt ? De quibus subditur ibi : Exterminati sunt, et ad inferos descenderunt. Insuper alius est ludus confusionis, sicut est ludus taxillorum et aleæ : qui merito dicitur ludus confusionis, quia in ipso bona omnia confunduntur, videlicet bona naturæ, gratiæ ac fortunæ, redditque hominem dignum confusione. De hoc ludo nunc specialiter est tractandum.

De quo quæritur primo, quid sit ludus aleæ. Respondetur : Ludus aleæ appellatur omnis ludus qui viribus fortunæ innititur. Ludus autem qui innititur viribus naturæ, fieri potest in pecunia, dummodo fiat sine periculo : nam ludus noxius est in culpa. Quis enim eos ludos appellet, ex quibus crimina oriuntur ? Item, si fiat sine dolo. Ludus autem qui innititur viribus fortunæ, non potest fieri in pecunia, nisi sex concurrant. Primum est congruitas personæ. Clericis namque in alea ludere non licet. Secundum est congruitas materiæ, ut scilicet fiat pro esculento aut poculento. Tertium est finis, ut scilicet fiat non propter avaritiam seu lucrum, sed propter recreationem. Quartum est mensura, quia non licet sic ludere ultra solidum unum, quamvis lusor sit multum dives. Quintum est congruitas temporis, ut non fiat tempore pœnitentiæ, aut luctus, vel communionis. Sextum est congruitas modi, ita ut modus sit sine dolo, ita quod nec contra legem faciat ludi, nec ludentem provocet. Quia vero ludus iste aliter illicitus est, ideo lex punit cooperantes et inspicientes : quia clericus inspiciens, arcetur a ministerio per tres annos. Punit quoque ludentes, quoniam quod lucrantur retinere non possunt. Punit item ad ludum cogentes, quia mulctantur pecunia, ve incarcerantur, vel in vincula publica dantur.

Insuper ait : Qui ludunt ad aleas vel taxillos, et qui ludo intersunt, participes quoque et inspectores, peccant, et maxime si clerici sint. Et quam graviter peccant tales, patet ex novem quæ in ludis hujusmodi committuntur. Primum est desiderium lucrandi : ecce cupiditas, quæ est
I *Tim.* VI, 10. radix omnium malorum. Secundum est voluntas spoliandi proximum : ecce rapina. Tertium est usura maxima, scilicet undecim pro duodecim, non solum in anno vel mense, sed in eodem die. Quartum est multitudo mendaciorum atque otiosorum inaniumque verborum. Quintum est blasphemia. Sextum est multiplex corruptio proximorum qui ad videndum ludum conveniunt. Septimum est scandalum, etiam bonorum. Octavum est contemptus prohibitionis sanctæ matris Ecclesiæ, quæ ludos hos specialiter vetuit. Nonum est amissio temporis, scilicet negligentia bonorum operum quæ tunc fierent. Hæc novem mala ponunt Ostiensis et Raimundus. Ostiensis vero addit septem alia vitia. Primum est furtum, quia lusores cogente inopia

sæpe discunt furari. Secundum est violentia, qua quis quasi violenter tenetur ad ludum. Tertium est crimen falsi, quod committitur in faciendis falsis taxillis, et ex certa causa commodandis aut locandis. Quartum est homicidium, quia de ludo veniunt ad verbera, deinde ad vulnera, et tandem ad homicidium. Quintum est fraus, quia qui melius scit decipere, credit se melius ludere. Sextum est adulatio : nam dicitur, Ecce quam bonus et pulcher lusor est iste. Septimum est vita turpis et inhonesta. — Hæc Durandus.

Quæ etiam in Summa confessorum habentur pro maxima parte, et partim habentur in Summa virtutum. Ubi his additur : Lusor vult spoliare proximum suum rebus ipsius, et etiam proditionem committit, quia illum vult spoliare, cum quo paulo ante comedit et bibit. Est quoque in ludo immisericordia, quia unus vult alium spoliare camisia et bracis : quod non faceret latro spolians peregrinos in nemore. Insuper lusor affligit Patrem suum cœlestem, blasphemando eumdem dum perdit pecuniam. Sæpe quoque jurat, et interdum perjurat, lusor uterque. Irascitur item et comminatur, et violat festa. Postremo, in hoc horum lusorum et taxillatorum appareret insipientia et mens prorsus intimorata, quod volunt ita ludendo acquirere temporalia ad quæ restituenda aut in usus pios convertenda tenentur : ita quod ea quæ perdunt, perdita manent; quæ autem lucrantur, tenere non possunt, si unquam velint salvari. Qui vero alium allicit ad ludendum, aut ludendo dolum committit, aut ante ludum simulat se ludum nescire, tenetur quod lucratur reddere ei quem sic allicit aut defraudat. Et præsertim restituendum est eis qui rem suam alienare non possunt : quales sunt furiosi, prodigi, juniores viginti quinque annis, præsertim pupilli; item mente capti, surdi, muti, cæci, et qui perpetuo morbo laborant.

Hæc et alia materiam istam concernentia, in præallegatis Summis plenius continentur.

SERMO TERTIUS

DE OBSERVATIONE SABBATI, ID EST DIEI DOMINICÆ AC FESTORUM NOVÆ LEGIS, ET QUID IN EIS POTISSIMUM AGENDUM SIT CHRISTIFIDELIBUS.

Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea. Joann. xv, 10.

Si probatio dilectionis exhibitio est operis, nec amor Dei otiosus est, et juxta sententiam Salvatoris, si quis diligit Deum, mandata ejus servat; magna est vigilantia intendendum ut præcepta Dei ex amore (id est, ut honor Deo exhibeatur) impleamus. Sunt autem decem mandata Dei, quæ sunt de naturalis dictamine rationis, et per Moysen renovata dicuntur, ac approbata per Christum. De quorum explanatione et observantia nunc aliquid scriberem, nisi in opusculis aliis, præsertim in libro de Regimine curatorum, in libello quoque de Laudabili vita conjugatorum, inde scripsissem. Verumtamen de observatione sabbati, id est, quæ opera sint diebus festivis illicita, et quæ licita, nunc aliqua sunt addenda : præsertim quoniam vir religiosus, cujus intuitu et amore ista scribuntur, instanter rogavit de hoc plenius aliqua introduci.

Joann. xiv, 15.

Exod. xx, 3-17; *Deut.* v, 7-21; *Matth.* v, 21 et seq.

Itaque in Decreto, de Consecratione, distinctione 3, dicitur ex concilio Lugdunensi : Omnem diem dominicam a vespera usque ad vesperam, omnes sciant esse feriandam, id est celebrandam. Porro quod

cap. 1.

ex isto continetur concilio, « a vespera usque ad vesperam », intelligendum est (ut infra tangetur) quantum ad divinum Officium. Nam sabbato licitum est operari post vesperam : non tamen post mediam noctem, quia ab illa incipit dies sequens, qui totus est celebris. Deinde dicitur in Decreto ex concilio Toletano : Irreligiosa consuetudo est, quam vulgus per Sanctorum solennitates agere consuevit, quia dum divina Officia deberent attendere, turpibus saltationibus invigilant, non solum cantica mala canentes, sed et religiosorum (id est devotorum seu clericorum) Officiis perstrepentes. Ait quoque S. Gregorius, et in præallegata Decreti distinctione habetur : Pervenit ad me, quosdam perversi spiritus homines inter vos seminasse prava aliqua et fidei sanctæ contraria, ita ut in die sabbati aliquid operari, illicitum perhiberent. Quos quid aliud nisi Antichristi prædicatores dixerim ? qui veniens, diem sabbati atque dominicum faciet ab omni opere custodiri, id est celebrari. Nam quia simulabit se mori ac resurgere, diem dominicum celebrari jubebit ; et quia populum judaizare compellet, ut exteriorem legis ritum revocet et perfidos sibi Judæos subdat, sabbatum coli præcipiet. Aliud quoque ad me perlatum est, videlicet a perversis hominibus vobis esse prædicatum, ut dominico die nullus debeat lavari. Et quidem si pro luxuria et pro voluptate appetit quis lavari, hoc fieri nec reliquo quolibet die concedimus. Si autem pro necessitate est, hoc nec die dominico fieri prohibemus.

De Consecr. dist. III, c. 2.

cap. 12.

Insuper Origenes : Hæc est, inquit, observatio sabbati christiani, si desinas ab omnibus sæcularibus operibus, et nihil hujusmodi geras, sed spiritualibus operibus vaces, ad ecclesiam convenias, lectionibus divinis aurem præbeas, de cœlestibus cogites, de futura spe sollicitudinem geras, venturum judicium præ oculis habeas, nec respicias ad visibilia et præsentia. Ecce hæc agere, est diem dominicum et festivum veraciter celebrare. His concordat quod ait S. Gregorius : Dominico die a labore terreno cessandum est, ut quidquid negligentiæ per sex dies incurritur, die dominico precibus expietur. At vero contra eos qui in festivitatibus Sanctorum vivunt gulosius, ait S. Hieronymus : Valde absurdum est, nimia saturitate velle martyrem honorare, quem scimus Deo per jejunia placuisse. Ideo Augustinus testatur : Toties dies Sanctorum natalitios celebramus, quoties virtutes eorum recolimus, quibus claruerunt in terris ; ita ut totum ad illius gloriam referamus, a quo Sancti habuerunt quidquid virtuose egerunt. Qui ergo Sanctorum virtutes in eorum festis non recolunt nec sequuntur, eorum festa non celebrare monstrantur.

Præterea de ista materia scribit Thomas in secunda secundæ, quæstione centesima vicesima secunda : In observantia sabbati (id est diei festivi) duo considerantur : quorum unum est finale et principale, videlicet Deo vacare ; quod insinuatur quum Dominus ait per Moysen in Exodo, Memento ut diem sabbati sanctifices, id est, in sanctis et virtuosis operibus expendas. Illa namque sanctificari dicuntur, quæ divino cultui applicantur aut deputantur. Aliud est cessatio operum, non quorumcumque, sed servilium. Nam in Levitico præceptum istud quasi exponitur, quo habetur : Omne opus servile non facietis in eo. Opera autem servilia sunt triplicia, secundum quod triplex est servitus. Prima quippe est servitus culpæ : quæ servitus opponitur libertati virtutis et gratiæ. Unde hæc servitus non est aliud quam conversatio prava seu actio vitiosa, qua homo male agendo, aut negligenter se habendo, servit peccato aut subditur culpæ. Hinc ait Salvator : Qui facit peccatum, servus est peccati. Sicque omnia opera prava sunt opera servilia. Et ista potissime sunt illicita diebus festivis, quia directe impediunt actus quibus Deo vacatur. Secunda est servitus qua homo homini servit : quæ servitus est quantum ad corpus, non quantum ad mentem, quia (ut Seneca loquitur) corpora servituti ob-

art. 4.

Exod. XX, 8.

Ibid. 10.

Lev. XXIII ; *Num.* XXVIII, XXIX.

Joann. VIII, 34.

noxia sunt, mens libera manet. Sicque opera corporalia dicuntur servilia. Quorum quædam diebus festivis non licent. Operum namque hoc modo servilium, quædam conveniunt solis servis, sicut arare et texere, et communiter opera mechanica : et ista secundum legem communem prohibentur in festis. Alia vero sunt communia servis ac liberis, utpote sibi de necessariis providere, damna et mortis pericula devitare, vitam corporalem protegere. Hinc quoque in veteri Testamento licuit sabbatis manducare et bibere, pecora a præsepio solvere et adaquare, contra impugnantes pugnare, sicut Machabæi fecisse leguntur. Similiter Elias non peccavit fugiendo a facie Jezabel : in qua fuga ambulavit etiam sabbato plus quam lex admisit, sed præfata necessitas eum excusat. Hinc et Christus excusavit suos discipulos de hoc quod spicas sabbato colligebant, quia ex famis necessitate hoc faciebant. Conformiter opus corporale necessarium pro corporis sanatione aut conservanda sanitate, licet festis diebus, ut infirmis mederi. Tertia est virtutis ac latriæ servitus, qua Deo servitur : et servitus ista non est in festis prohibita, sed jussa et frequentanda. Hinc et in veteri Testamento licuit in sabbato circumcidere hominem, et ministeria Dei in templo Dei explere, ac circumducere arcam per circuitum Jericho. In novo quoque Testamento actus docendi verbo aut scripto, est licitus. Hæc sententialiter Thomas.

Luc. XIII, 15.

I *Mach.* II, 41.

III *Reg.* XIX, 8.

Matth. XII, 3-8.

Joann. VII, 22.

Matth. XII, 5.

Josue VI, 3 et seq.

Qui iterum ait in loco prælegato : Dies dominica in evangelica lege succedit sabbato Judæorum, non ex Dei præcepto, sed ex institutione Ecclesiæ et consuetudine populi christiani : idcirco operatio corporalis in sabbato seu in festis, non est tam districte prohibita in nova lege sicut in veteri, sed quædam nunc licent, quæ tunc erant prohibita, ut præparatio cibi, ambulatio, et consimilia. Facilius demum nunc dispensatur cum observantia sabbati quam tunc, quoniam observantia sabbati non est jam figuralis, sicut tunc fuit.

Ex præinductis concluditur, quod detestabilius violant dies festivos, qui in eis intenti sunt comessationibus, potationibus, scurrilitatibus, ludis ac jocis prohibitis, loquacitatibus criminosis, choreis, et consimilibus vanitatibus, aut spectaculis vetitis, aut consimilibus vitiis, quam si opera mechanica exercerent. Propter quod asserit Augustinus : Melius (id est minus malum) esset die sabbati aut festivo agrum colere, quam seditioni insistere ; et nere, quam chorizare.

Ideo graviter peccant, qui in festis otiis et verbositatibus et immoderatis potationibus vacant, præsertim qui tunc rixantur, jurant aut pugnant; item qui tunc desiderio lucri ludunt, aut ludendo fraudem committunt, aut instrumenta ludorum tunc vendunt; illi quoque qui tunc immoderate se occupant circa delicata et crapulosa convivia, circa pomposum aut curiosum vestitum, circa exteriorem ornatum superfluum; et qui pergunt ad loca dedicationum non ex devotione, sed vanitate, ad intuendum aut exercendum ibi inania, nova aut curiosa ; et qui tunc emunt aut vendunt monilia. Hinc S. Bernardus in Christi loquens persona, inquit : Quid tanta ambitione ciborum delicias paras in mea nativitate? Damno ego carnis delectamenta, non approbo. Cur tam immoderate vestium gloriam quæris? Damno ego superbiam, non amplector.

Quærit Bonaventura, a quibus operibus sit cessandum diebus dominicis atque solennibus ; et inter cetera dicit : In mandato sabbati erat duo considerare, videlicet cessationem ab opere servili, ut homo libere Deo vacaret et intenderet ; aliud erat ibi considerare, videlicet determinationem dici et operum exteriorum a quibus erat cessandum. Quantum ad primum, mandatum de sabbato erat morale. Hoc namque Deus semper exegit ab homine, ut homo sibi cordis habitaculum præpararet, atque interdum vacaret et per dilectionem adhæreret eidem. Et quoad hoc, præceptum illud fuit non solum morale, sed et quo-

In III Sent., dist. 37.

dammodo contulit ad omnium aliorum moralium præceptorum integram observationem : quia dum homo vacat Deo, melius cognoscit quid sit agendum, quid non. *Exod.* xx, 8. Idcirco huic præcepto præmittitur, Memento, quia in ejus commemoratione alia quodammodo memorantur. Sed quantum ad aliud, scilicet diei certam designationem ac operis determinationem, fuit cærimoniale ac figurale, designans a quo esset cessandum, utpote ab opere peccati, et quid credendum ac exspectandum, quia signabat quietem Christi in monumento, et Beatorum quietem in patria. Idcirco *Lev.* xxiii; *Num.* xxviii, xxix; etc. istud mandatum ceteris frequentius in lege reperitur. Unde aliquando nominatur inter moralia, interdum inter cærimonialia : et in quantum fuit cærimoniale, est evacuatum; in quantum vero morale, manet in nova lege.

Porro observantia diei dominicæ et aliarum solennitatum, alia de causa est introducta in evangelica lege, utpote : in memoriam beneficii redemptionis humanæ, et in præfigurationem resurrectionis futuræ, atque in remedium erroris gentilium, qui diem illam in reverentiam solis venerabantur. Propter quod ordinavit Ecclesia, ut in Dei honorem sit celebris, quatenus populus christianus tunc specialiter vacet cultui Dei, et illa prætermittat negotia quæ animam distrahunt ne Deo intendat. Ideo opera talia tunc specialiter ab Ecclesia prohibentur, et talia dicuntur opera servilia : maxime illa in quibus homo inhiat lucris terrenis, et quæ sunt præter necessaria, per quæ homo præcipue occupatur circa hæc inferiora. Nec tantum hujusmodi opera prohibentur, imo magis ac diligentius opera carnalia, ut ebrietates, lites, jurgia. Et hoc est quod dicit Augustinus in libro de Decem chordis : Dicitur tibi ut specialiter observes sabbatum, non sicut observant Judæi, carnali otio. Vacare etenim volunt ad nugas et luxurias suas. Melius quippe faceret Judæus in agro suo aliquid utile, quam si in theatris seditioni insisteret; et melius feminæ eorum in die sabbati lanam filarent tractarentque, quam quod tota die impudice saltarent. Hoc autem dicit Augustinus, non quod diebus festivis cessandum non sit a negotiis actuum exteriorum, sed quoniam sacerdotes et prælati, quorum est hujusmodi festa indicere, et determinare qualiter ab exteriori opere sit cessandum, magis debent populum revocare ab iis quæ majorem præbent peccandi occasionem, aut magis culpabilia sunt. Unde propter vitandum otium et ineptum solatium, asserit Augustinus quod potius exercere se debeant in operibus pietatis et misericordiæ, quam negotiis inordinatis ac lascivis intendere. Hucusque Bonaventura.

SERMO QUARTUS

QUAM DETESTABILE SIT PECCATUM AC ENORME AVARITIA, ET CUR IDOLOLATRIA ET VITIORUM MAXIMUM APPELLETUR.

IN hoc clarificatus est Pater meus, ut fructum plurimum afferatis, et efficiamini mei discipuli. Joann. xv, 8.

Christus ac Salvator noster, magister ac legifer cujus nos sumus discipuli, in mundum veniens, verbo et exemplo mundi docuit contemptum : ideo quotquot illum imitati sunt, mundo abrenuntiantes, maluerunt paupertatem et improperium Christi imitari, quam Ægyptiorum prosperitatibus atque sæculi divitiis locupletari; siquidem attendentes beatos esse pauperes *Matth.* v, 3.

spiritu, quorum est regnum cœlorum, juxta consilium Christi omnia vendentes, dederunt pauperibus, Christum nudum nudi sequentes. In hoc namque clarificatur Deus, ut « fructum plurimum » afferamus : qui fructus utique non est, ut divitias aut mundi honores, sed ut paupertatem, mundi contemptum, laborem atque adversitates Dei amore humiliter toleremus. Et hæc est paupertas spiritus, qua Christi efficimur discipuli.

Luc. xviii, 22.

Hujusmodi pauper Christi fuit inclytus miles et martyr S. Georgius, qui ætatis florem, qui stemmata et nobilitatem generis, divitias ac omnia quæcumque mundus amat, contempsit ut Christum lucrifaceret.

Philipp. iii, 8.

Itaque hujus exemplo, si bona temporalia sunt contemnenda, quanto magis avaritia atque ipsa cupiditas de corde est eradicanda? Ad quod quum multa, præcipue tamen movere nos debet : quum homo ex corpore constet et anima, et corpus ad animam tanquam ad dominam ordinetur, ipsaque anima ad beatificam Dei fruitionem sit condita; hinc profectus atque perfectio hominis consistunt in hoc, ut ab amore et occupatione terrenorum ac sensibilium se (quantum sibi possibile est) abstrahat et elonget, spiritualibus quoque artibus vacet, ac Creatori suo per sincerum amorem purasque meditationes propinquet assidue ac uniatur quotidie magis perfecte. Quum ergo terrenæ divitiæ sint infima hominis bona, et fortunæ subjecta, ac maxime corporalia, vilissimum est et prorsus detestabile vitium, atque præcipue ignobilitans hominem, quod eis tam inordinate inhæret, et per affectum se subjicit ipsis.

Denique istud primo dissuadet ac vituperat nobis naturalis entium ordo. Terra namque est infimum elementum ac infima creatura, quæ et omnium pedibus conculcatur : per quod edocemur, quod auctor naturæ, institutor ordinis universi, vult ista terrena pedibus animæ nostræ, puta affectibus ejus, calcari ac subdi, et eis nullatenus dominari. Nonne ergo perversum omnino, vile ac fatuum est, infima ista non solum spiritualibus ac nobilissimis animarum divitiis, sed et omnium Creatori superdignissimo ac immenso præponere per amorem terrenarum cogitationum ac occupationum, quod agit omnis avarus? Præterea, quum anima rationalis summæ Trinitatis imago sit, cunctis corporalibus creaturis, etiam cœlis ac stellis præstantior, magis indignum est, innaturaliusque videtur, quod ipsa tam vitiose se unit, inhæret et subdit istis terrenis, quam si cœlum hæreret terræ. Insuper, super illud Ecclesiastici, Avaro nihil est scelestius, dicit Glossa : Nullum scelus est majus avaritia. Et si dicatur scelus Judæ, qui tradidit Christum, esse majus, quia pro triginta denariis vendidit Deum ac hominem; respondetur, quod avarus frequenter dat ac deserit Deum pro uno denario, et interdum pro nihilo, dum non abhorret pejerare, mentiri, decipere pro uno denario, quem tamen aliquando non lucratur per talia. Et certe peccatum Judæ fuit avaritia, vel ex ea.

Eccli. x, 9.

Matth. xxvi, 15.

Amplius, statera reputationis sive judicii hominis avari est nequissima, quia in ea plus ponderat obolus, quam Deus et anima propria, seu regnum cœleste. Caret quoque avarus communicativa proprietate tam Creatoris quam creaturarum. Creator namque bonitatem suam, divitias gloriæ suæ incessanter liberaliterque communicat; sic et creaturæ bona eis collata communicant aliis, sicut sol splendorem suum, et ignis suum calorem, terra et arbores suos fructus. Avarus autem sua communicare non vult, sed recludit. Sic et creatura una defectum alterius cupit supplere : unde natura non patitur vacuum. Avarus vero defectus proximi sui non cupit supplere, etiam si rogetur, nec vacuitatem indigentium replet. — Amplius, avarus est iniquus in Deum, quoniam bona sibi a Deo commendata ad dispensandum, proditorie facit sua. Divites namque, dispensatores sunt seu esse debent divitiarum suarum,

non domini. Avarus autem eas non erogat juxta Dei imperium, sed reservat contra justitiam : et inde inimicus Dei efficitur propter quæ eum magis diligere obligatur, videlicet propter temporalia sibi a Deo collata, quæ Deo præponit. Propter quod ait Apostolus, quod avaritia est idolorum servitus : circa quod asserit Glossa, quod nummus est deus avari. Unde et super illud Matthæi, Non potestis Deo servire et mammonæ, Glossa affirmat : Divitiis servire, est Deum negare. Duobus etenim modis potest quis negare dominium principis. Primo, dicendo : Ego non recognosco te esse dominum meum; libenter tibi servirem censumque solverem, si mihi constaret te dominum meum esse. Secundo, dicendo : Scio quod sis dominus meus, et censum teneor tibi; attamen tibi nihil solvam. Primo modo infideles negant Christi dominium, quia ei libenter servirent, si scirent quod ipse eorum et universorum sit Dominus. Secundo modo mali Christiani negant dominium Christi : nam quamvis agnoscant quod ipse eorum sit Dominus, nolunt tamen ei solvere censum sui obsequii; ideo majorem faciunt contumeliam Christo quam infideles. Denique Deus jubet avaro, ne pejeret, ne mentiatur, ne fallat. Nummus vero quem cupit lucrari, instigat eum ad oppositum, et infelix avarus magis acquiescit et obedit nummo quam Deo : per quod ostendit, se esse servum nummi magis quam Dei.

Coloss. III, 5.

Matth. VI, 24.

Rursus, avaritia recte idololatria nuncupatur, quia avarus creaturam adorat. Nam aliquid adorare, est ei summam reverentiam exhibere, aut divinam majestatem ei adscribere. Quorum utrumque facit avarus : quia si ei duo occurrant, unus dives quem scit esse pecuniosum, alius pauper quem credit esse devotum, magis exhibebit divitiis honorem in divite, quam Deo in paupere. Majestatem quoque divinam creaturæ adscribit. Divina quippe majestas significatur per istud complexum, Summe bonus, summe potens. Idcirco avarus eo ipso quo divitias summe et magis desiderat, ipso facto ostendit, quod divitias arbitratur maximum bonum, et super Deum eas extollit : imo, si transit ante fertilem agrum, aut uberem vineam, aut pulchram domum, magis inclinat se atque afficitur circa illa, quam si pergat ante ecclesiam. Adhuc autem, secundum Augustinum in libro de Doctrina christiana, Deus potissimum colitur fide, spe et caritate. Avarus autem magis credit pecuniæ suæ quam Deo, et magis confidit in ea quam in Dei providentia ; magis quoque diligit eam quam Deitatem : ideo amplius colit eam quam Deum. Hinc ad Rusticum monachum scribit Hieronymus : Æstimat aliquis malo pondere vitiorum pressus, et levius ei videtur peccare avarus, quam idololatra. Sed non mediocriter errat : non enim gravius peccat, qui duo grana projicit super aram Mercurii, quam qui pecuniam avare cupit et inutiliter congregat. Ridiculumque apparet ut aliquis judicetur idololatra, qui duo grana offert creaturæ quæ debuit Deo offerre, et ille non judicetur idololatra, qui tam diuturnum totius vitæ suæ obsequium, quod debuit Deo offerre, offert divitiis.

Postremo, inter spirituales infirmitates avaritia ponitur pessima. De qua in Ecclesiaste habetur : Est infirmitas pessima quam vidi sub sole, videlicet divitiæ congregatæ in malum domini sui; pereunt enim in afflictione pessima.

Eccle. V, 12, 13.

Quidam assignant has avaritiæ species. Quarum prima est furtum. Ad quod tria concurrunt ac pertinent. Primum, quod ibi sit usurpatio rei alienæ : quod contrariatur justitiæ. Idcirco furtum ex suo genere est mortale : interdum tamen est veniale propter parvitatem rei quæ auferetur, præsertim quando usurpans probabiliter putat quod talis ablatio parum aut nil sit contra voluntatem domini parvæ rei. Porro, si parva in re sit furandi intentio, et probabiliter æstimetur quod ejus ablatio sit contra possessoris voluntatem, mortale peccatum est. Secundo ad rationem furti concurrit, quod committatur

circa possessionem, præsertim circa mobilia bona et corporalia, quæ potuerunt contrectari; et per hoc differt furtum ab adulterio et homicidio. Tertium, quod fiat occulte : per quod differt a rapina. Hæc omnia in secunda secundæ, quæstione sexagesima sexta, atque in Summis Durandi, Raimundi, Joannis et Bartholomæi, multo diffusius continentur.

Secunda avaritiæ species fertur esse rapina : quæ est manifesta et violenta ablatio rei alienæ, sive mobilis, sive immobilis. Et est rapina gravius peccatum quam furtum, quia in eo irrogatur major injuria et contemptus ei cui sua tolluntur : utrumque enim non solum justitiæ, sed fraternæ caritati contrariatur. Si vero auferatur per furtum aut rapinam res divino cultui consecrata, non solum est simplex furtum aut rapina, sed sacrilegium quoque, id est abusus rei sacræ.

Tertia species avaritiæ est usura : quæ secundum Raimundum, est lucrum ex mutuo pacto debitum vel exactum, scilicet ultra sortem; seu ut alii clarius dicunt, usura est mutuare aut tradere alicui pecuniam aut aliquid cujus usus est sua consumptio, ut aliquid ei detur ultra sortem. De qua usura primo Politicorum ait Philosophus, quod sit maxime contra naturam. Denique usura est duplex : una manifesta, alia palliata. Et hæc palliata usura habet species quinque. Prima fit circa pignora et obsides, quod etiam quinque modis contingit. Verum hæc prosequi est nimis prolixum et brevitati intentæ contrarium : idcirco in Summa virtutum et vitiorum hæc requirantur.

Quarta avaritiæ species est simonia : quæ est studiosa voluntas emendi ac vendendi aliquid spirituale aut spirituali annexum. Quæ species habet sub se plurimos modos, secundum quod in diversis rebus, puta beneficiis, dignitatibus, sacramentis, etc., accidere potest. Quæ omnia in Decreto et Summa præfata aliorumque Summis, et in scriptis doctorum super quartum Sententiarum, in secunda quoque secundæ, quæstione centesima, plenissime continentur.

Quinta avaritiæ species est injusta exactio seu talio : quæ valde iniqua est, et qui utitur ea, ad restitutionem tenetur. — Sunt autem et aliæ variæ differentiæ, modi seu species avaritiæ, scilicet negotiatorum et advocatorum, et etiam ecclesiasticorum in pluralitate beneficiorum, et religiosorum qui proprietarii esse non metuunt, item eorum qui munera libenter accipiunt, ac mercenariorum.

Insuper, præter prætactas avaritiæ species, ponuntur in Profectu religiosorum tres species ejus. Prima est anxia cupido habendi aut acquirendi temporalia, sive sequatur acquisitio sive non : sicque pauper qui parum aut nihil habet, potest esse avarus. Secunda species est tenacitas conservandi jam habita, non permittens ea in causas pias aut necessarios seu utiles usus expendi, nisi forte cum cordis dolore. Tertia est insatiabiliter augere divitias, sive hoc fiat quæstu justo ex suo genere, sive injusto. Quidam infecti sunt prima speciecrum istarum; quidam, secunda; alii, tertia; nonnulli, prima atque secunda; ceteri, omnibus tribus.

Postremo Cassianus libro de Institutis Patrum, ponit tres modos seu species avaritiæ quæ religiosos quosdam concernunt. Prima species est, ea in claustro post professionem appetere atque colligere quæ nec in sæculo habuit ipse religiosus. Tales religiosi proprietarii, designantur per Giezi ministrum Elisei, qui a Naaman principe militiæ regis Syrorum, accepit pecuniam pro sanitate supernaturaliter ipsi Naaman concessa : propter quod percussus est lepra gravissima. Secunda species est, ea denuo affectare et obtinere quæ semel in principio abrenuntiationis propter Deum dimissa sunt. Et religiosi hac avaritia corrupti, designantur per Judam, qui post apostolatum assumptum, rursus optavit et congregavit quæ in apostolatus assumptione reliquerat propter Christum : atque ex avaritia illa ad tantum impietatis corruit barathrum, quod non solum ven-

IV *Reg.* v, 20-27.

Joann. XII, 6.

Matth. XXVI, 15.

Matth. XVII, 5.

didit Christum, sed demum suspendit se ipsum. Tertia species est, ipsam monasticam seu religiosam vitam male incipiendo, aliqua propria sibi servare ab exordio religiosæ vitæ assumptæ. Et religiosi avaritia ista obtenebrati, designati sunt per A Ananiam et Saphiram, qui aliquid sibi reservaverunt secrete de pretio agri venditi : propter quod beatissimo principe Apostolorum eos dijudicante, subitanea percussi sunt morte, ut legitur in Actibus Apostolorum. *Act.* V, 1 et seq.

AD RELIGIOSOS

SERMO QUINTUS

DE INNUMERABILIBUS TENTATIONIBUS, FALLACIIS OCCULTISSIMISQUE INSIDIIS DÆMONUM, ET QUO PACTO MILITI SPIRITUALIS PALÆSTRÆ SIT EISDEM RESISTENDUM.

MILITIA est vita hominis super terram. Job VII, 1.

Ubi Hieronymus transtulit, Militia est vita hominis, etc., antiqua translatio habet, Tentatio est. Dicitur autem vita hominis militia super terram, quoniam homo bonus Deo placere desiderans, virtutibusque insistens, assiduas habet et sustinet impugnationes ab adversariis suæ salutis, per quas (nisi viriliter tanquam fidelis miles Altissimi reluctetur) a Deo creatore ac rege suo abstrahitur, peccat et perire meretur. Sunt autem hi hostes, maligni spiritus C et acies vitiorum, carnalia desideria, vanitatesque sæculi, et propriæ voluntatis ac mentis pronitas ad peccandum ; seu dæmones, mundus, caro, et fomes peccati, ex quo quatuor vulnera inflicta sunt animæ : quæ sunt ignorantia in intellectu, malitia in voluntate, concupiscentia in vi appetitiva, sensitiva, concupiscibili, infirmitas in irascibili ; ex quibus multipliciter impugnamur ac labimur. Itaque tentatio dici potest omnis motus seu actus vel affectus hominem ad peccandum inclinans : ut D sunt stimuli carnis, diabolicæ suggestiones, adversitates, persecutiones, tribulationes, adulationes, prosperitates, et omnes instigationes seu impulsiones ad illicita B seu peccata. Denique, quanto quis studiosius in virtutibus crescere et Deo placere conatur, tanto solet ab his impugnari. Propter quod, teste Scriptura, multæ tribulationes justorum, et omnes pie vivere cupientes, persecutionibus infestantur. Itaque prædicator verbi cœlestis diligentissime instruat super hoc homines, avisando eosdem de hujusmodi pugnis et tentationibus, et qualiter resistere prævalereque debeant : imo hortetur et animet eos, ut tanto virilius virtuosis insudent operibus, quanto se sentiunt acrius impugnari. *Ps.* XXXIII, 20. II *Tim.* III, 12.

Præterea multi sunt modi resistendi tentationibus illis, et diversa contra eas remedia sunt, ac multiplex armatura. Generalia autem remedia, arma et modi resistendi quibuscumque tentationibus et peccatis, sunt hæc. Primum est, diligens et attenta consideratio dominicæ passionis : quam qui frequenter cordialiterque perpendit, nec prosperis, nec adversis, nec blandis et delectamentis, nec asperis et afflictivis dejicietur, sed in omnibus illis constans manebit. Secundum est, fiducialis invocatio divini auxilii assidua atque indesinens ; seque in omnibus humiliare, atque in sola divina pietate ac ope confidere, quum dicat Scriptura : Quis speravit *Eccli.* II, 11, 12.

in Domino, et confusus est ; aut quis invocavit eum, et despexit illum ? Unde et ipse
Ps. XLIX, 15. Dominus testatur : Invoca me in die tribulationis ; eruam te, et honorificabis me. Tertium est, fiduciale refugium ad gloriosam virginem Mariam et ceteros Sanctos ad quos quis habet majorem devotionem, fiduciam et amorem, ad proprium quoque angelum ; et horum subsidium fervide invocare. Quartum, prudens consideratio quatuor novissimorum, quemadmodum
Eccli. VII, 40. scriptum est : Memorare novissima tua, et in æternum non peccabis. Unde remedium istud dividi potest in quatuor, quorum unumquodque valde exsistit idoneum ad resistendum omni tentationi, videlicet : frequenter attendere propriam mortem indesinenter appropinquantem, divini rigorem judicii, tormenta inferni, beatitudinem regni æterni. Quintum est, diligenter attendere quam gloriosum et fructuosum sit tentationes victoriose sufferre. Sextum, quod impossibile est vitam hanc sine adversis transigere : quia si una desit adversitas, cito aderit alia. Idcirco quæcumque evenerit, patienter est sustinenda. Septimum est, perpendere quam vile, nocivum atque damnabile sit, tentationibus superari, seque per hoc dæmonibus subdere et eorum irrisioni exponere, quia (ut ait Psal-
Ps. XII, 5. mista) qui tribulant nos, exsultabunt si moti fuerimus. Octavum est, Sanctorum exempla, patientiam, fortitudinem, triumphum et præmia contemplari, ex quibus erudimur et inflammamur ad imitationem eorum. Nonum est, consideratio sanctarum Scripturarum, quæ docent nos qualiter resistere debeamus ac prævalere. Decimum est, occasiones et causas tentationum prudenter vitare.

Itaque, dum quis quacumque tentatione pulsari se sentit, mox se ad ista convertat remedia, Dei auxilium implorando, Christi passionem cordialiter ponderando, et cetera nunc prætacta sapienter stabiliterque pensando, exteriores quoque interioresque oculos avertendo ab his objectis de quibus tentatur, et alias occupationes assumendo salubres : sicque laboret et prælietur tanquam fidelis minister ac miles Dei, quia
II *Tim.* II, 3, 5. non coronatur nisi qui legitime certaverit.

Sunt autem innumerabiles fallaciæ, occultissimæ quoque insidiæ dæmonum. Prima est, hominem diuturna et assidua tentatione fatigare, ac tædio quodam obruere, quatenus paulatim ducatur non solum in tentationem, sed etiam in desperationem aut diffidentiam, ita ut putet se non pertinere ad Deum, nec curari ab eo, quem toties invocat ut se a tali tentatione dignetur eripere, nec tamen exauditur ad votum : sicque suspicatur Deum de suo non curare periculo, vel de adjutorio Omnipotentis diffidit ; quorum utrumque perniciosissimum est. Isti non pensant fidelitatem ac providentiam Dei ad homines, nec utilitates quæ eis ex diuturna tentatione proveniunt, qua indigent ut eorum superbia penitus eradicetur.

Secunda versutia diaboli est, ipsa extraneitas tentationis, dum quosdam electos inconsuetis, fœdis et abominabilibus tentamentis impugnat, ut tanto plus arbitrentur se a Deo relictos, quanto plus opinantur alios ita non fuisse tentatos : ut sunt tentationes blasphemiæ et contra fidem, et de injectione manus violentæ in se ipsum, ac de vitiis ignominiæ contra naturam. Isti non advertunt quod visibiles hostes ex sua malignitate frequenter projiciunt in castra obsessa quasdam materias fœtidissimas, impurissimas ac penitus venenatas : sic invisibiles inimici ex invidentia sua immittunt cordibus aliquorum cogitationes prorsus abominabiles, insolitas et nefandas, et omnibus quibus possunt ac permittuntur modis ipsos impugnant. Illi tamen inde non maculantur, quamdiu talia detestantur nec delectantur in eis : imo tanto gloriosius coronari merentur, quanto molestiora ac abominabiliora sunt illa ad tolerandum.

Tertia dæmonum astutia est, qua hoc solum intendunt, ut hominem trahant ad mutandum statum seu locum suum in quo se bene habet, ut intret locum assumatque

statum in quo capi possit ab ipsis : quemadmodum pisces atque cuniculi strepitu quodam terrentur, ut egrediantur receptacula sua in quibus a captione securi sunt, et sic cadant in retia. Hinc in Ecclesiaste
Eccle. x, 4. scriptum est : Si spiritus habentis potestatem ascenderit super te, tu locum tuum
Hebr. x, 25. non deseras. Et Paulus : Non deseramus (inquit) collectionem nostram, sicut consuetudinis est quibusdam. Verumtamen bo-
II Cor. xii, 1. num est charismata meliora sectari, et periculosa vitare consortia.

Quarta astutia diaboli est, qua conatur quosdam per Sanctorum exempla incitare ad inchoandum aliqua magna bona, in quibus conjicit eos non perseveraturos, aut inquiete et scandalose victuros : ut dum inconstantes, inquietos, indisciplinabiles inducit ad religionis ingressum, ut inde apostatando plurimos scandalizent et gravius peccent, aut perseverando in religione multos inquietent ac turbent. Per talem calliditatem simiæ capiuntur, dum venatores in earum præsentia se calceant calceis magnis et ponderosis, eosque fortiter pedibus suis adstringunt ; quo facto, exuunt eos ac ibi relinquunt, et abeunt : tunc venientes simiæ, similiter induunt et adstringunt pedibus suis calceos illos ; quo viso, venatores irruunt super eas, fugere, imo nec progredi valentes, et capiunt eas.

Quinta versutia est, dum sub specie boni suadet periculum : quemadmodum quosdam inducit ad immoderatam divitiarum adeptionem, ut opera misericordiæ magis exerceant ; interim vero inficit eos cupiditatis affectu, variisque peccatis quæ divitiis et earum acquisitioni annexa sunt.

Sexta, dum sub colore et prætextu virtutum vitia persuadet, ut crudelitatem sub specie æquitatis, sollicitudinemque superfluam sub colore prudentiæ, ac nimiam remissionem sub pietatis prætextu.

Septima et periculosissima versutia est, cessatio ab omni tentatione, quam cessationem aliqui cupiunt imperiti : a quorum impugnatione desistit, ut eos ad periculosam inducat securitatem, per quam timor Dei amittitur. Deinde ex tali securitate nascuntur negligentia atque acedia, elatio quoque, si se putant sanctos quoniam non tentantur ; deinde contemptus et dijudicatio fratrum, præsertim eorum qui impugnantur, et immisericordia circa eos.

SERMO SEXTUS

DE ADJUTORIIS MISERICORDISSIMI DEI, QUIBUS NUNQUAM DEERIT MILITIBUS SUIS SPIRITUALIBUS LEGITIME CERTANTIBUS.

SI putas in robore exercitus bella consistere, superari te faciet Deus ab hostibus : Dei quippe est adjuvare, et in fugam convertere. II Par. xxv, 8.

Certum est quod ad meritorie agendum, non solum indigeamus supernaturalibus et infusis habitibus gratiæ gratum facientis et virtutum atque donorum, sed etiam actuali motione seu excitatione Spiritus Sancti.

Et quæri posset, an ultra hæc indigeamus adhuc aliis auxiliis Creatoris contra tentationes. Et videtur quod non, quia ad Paulum dixit, Sufficit tibi gratia mea. Virtutes quoque fortiores sunt vitiis. *II Cor.* xii, 9.

Sed pensandum, quod ultra prædicta contulit nobis benignissimus ac providissimus Conditor alia multa subsidia contra tentationum certamina. Primum est totius militantis Ecclesiæ communicatio atque subventio mutua, juxta illud Psalmistæ : Particeps ego sum omnium timentium te, *Ps.* cxviii, 63.

et custodientium mandata tua. Universi namque fideles per caritatem connexi, sunt unum mysticum corpus, et sibi invicem communicant merita sua ac suffragantur. Unde super Lucam dicit Ambrosius : Oret pro te mater Ecclesia, quæ pro suis filiis quasi unica mater interpellat. Secundum est adjutorium prælatorum, qui subditis suis orando, instruendo, corripiendo succurrunt, quum sint mediatores inter Christum et gregem ipsius. Hinc Moyses filiis
Deut. v, 5. Israel loquens : Ego (inquit) sequester et medius eram inter Deum et vos. Ad Eze-
Ezech. III, 17. chielem quoque Dominus ait : Speculatorem te dedi domui Israel. Hinc pastorum est subditos contra tentationes præavisare ac præmunire, modumque et practicam resistendi docere.

Tertium est caritativa subventio, consultio, consolatio seu confortatio proximi uniuscujusque, quemadmodum in Ecclesi-
Eccli. XVII, 12. astico scriptum est : Unicuique mandavit Deus de proximo suo. Unde Paulus hor-
Galat. VI, 2. tatur : Alter alterius onera portate ; et
Ibid. 1. denuo, Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis. Ad quod beatissimus princeps apostolici chori
1 *Petr.* IV, 10. hortatur, dicendo : Unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes. Quartum est angelorum sanctorum custodia. De quibus Eliseus locutus
IV *Reg.* VI, 16. est : Plures nobiscum sunt, etc. Hinc quum abbas Moyses post suæ conversionis exordium, stimulo carnis acerrime tentaretur, et pro consolatione venisset ad abbatem S. Isidorum, ille fecit abbatem Moysen ad orientem adspicere, viditque innumerabilem multitudinem angelorum ad subveniendum paratam.

Quintum et præcipuum auxilium est meritum Christi mediatoris, et interpellatio ejus pro nobis, juxta quod in prima sua
1 *Joann.* II, 1, 2. Canonica Joannes ait : Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum ; et ipse est propitiatio
Hebr. IX, 24. pro peccatis nostris. Qui, ut ad Hebræos scribit Apostolus, introiit in ipsum cœlum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis. Ipse etenim, ut electus ait Bernardus, ostendit Patri latus et vulnera ; atque ut ad Romanos scribitur, interpellat pro no-
Rom. VIII, 34. bis. Sextum est advocatio et oratio, meritum et subventio gloriosissimæ Virginis, Deo Patri comparentalis, quæ est advocata Ecclesiæ, miseratrix, adjutrix et mater omnium ad se confugientium, conculcatrix capitis dæmonum, atque in omni necessitate subventrix. Septimum est subsidium totius triumphantis Ecclesiæ matris nostræ, et specialiter Sanctorum illorum ad quos quisque majorem habet devotionem, confidentiam et recursum. Michael quoque princeps magnus, commissæ sibi Ecclesiæ specialis ac fidelissimus est patronus.

Octavum est refrenatio invisibilium hostium, ne nos tentent quantum vellent ac possent : quæ refrenatio ministerio fieri solet specialis chori angelici. Unde in Apocalypsi legitur Satanas religatus, et in
Apoc. XX, 2. Tobia legitur Raphael angelus religasse
Tob. VIII, 3. dæmonium in deserto superioris Ægypti. Christus demum potestatem dæmonum præcipue refrenavit ac minuit, sicut in Evangelio protestatur : Quum fortis arma-
Luc. XI, 21, 22. tus custodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet ; si autem fortior illo superveniens, vicerit eum, vasa ejus diripiet, etc. Nonum est effugatio hostium, qui divina ope frequenter, saltem ad tempus, fugantur a servis Dei, nec impugnare eos sinuntur. Unde et in Luca asseritur : Con-
Ibid. IV, 13. summata omni tentatione, diabolus recessit a Christo usque ad tempus. In cujus rei figura dixerunt Ægyptii : Fugiamus
Exod. XIV, 25. Israelem, Dominus enim pugnat pro eis contra nos. Decimum est profectus spiritualis et gratiæ incrementum, quod tentatus tentatori resistendo divina ope consequitur, juxta illud Apostoli : Deus faciet
1 *Cor.* X, 13. cum tentatione proventum.

Undecimum est actualis illuminatio, seu gratia discretionis spirituum, qua qui tentatur intelligit in suo conflictu versutiam inimici et qualiter sit resistendum : per

quam beatissimi viri Antonius et Martinus diabolum in specie Christi apparentem adorare nolebant. Abraham vero et Josue ac alii quidam angelos eis apparentes, mox cultu duliæ adoraverunt, quoniam ex dono discretionis spirituum cognoverunt quod vere erant angeli sancti. Duodecimum est timor divina inspiratione conceptus ex ipsa tentationis impugnatione, quo tentatus timet succumbere, et ex hoc cavet atque sollicitatur ad reluctandum : quemadmodum in certaminibus cæsi, provocantur ad repercutiendum. Tertiumdecimum est forma in qua tentator cogitur apparere, ut ex ea fraus callidissimi deprehendatur facilius. Sicque secundum Magistrum Sententiarum et alios multos, aggressus est Evam in forma serpentis; et glorioso patri Antonio apparuit spiritus fornicationis in specie pueri turpis nigerrimi.

Gen. xviii, 2 ; *Josue* v, 15.

Gen. iii, 1.

Quartumdecimum est relevamen quoddam, consolatio, seu refrigerium desuper datum in ipso tentationis ardore, juxta illud in Psalmo : Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam. Unde et Paulus fatetur : Benedictus Deus, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra. Quintumdecimum est repausatio, qua interdum concedit suos a tentationum labore ad tempus quiescere, ut interim vires resumant, et ad futurum præparent se conflictum : sicut in exteriori videmus luctamine. Unde in Tobia dicitur Deo : Non delectaris in perditionibus nostris, quia post tempestatem tranquillum facis, et post fletum exsultationem infundis. In Matthæo quoque juxta mysticum fertur sensum : Imperavit mari et ventis, id est inquietudini impugnationum atque dæmonibus ; et facta est tranquillitas magna, id est pax cordis. Sextumdecimum est confortatio sive erectio cordis in Deum, aut corroboratio spei visibiliter aut invisibiliter facta : in cujus rei signum angelus apparuit Christo prolixius oranti. Septimumdecimum est suppositio manus Dei, qui suscipit et a collisione præservat suos, ne

Ps. xciii, 19.

I Cor. i, 3, 4.

Tob. iii, 22.

Matth. viii, 26.

Luc. xxii, 43.

tentatione penitus conterantur, juxta illud Psalmistæ : Impulsus, eversus sum ut caderem, et Dominus suscepit me; itemque, Justus quum ceciderit, non collidetur, quia Dominus supponit manum suam. Permittit quippe Deus electos suos interdum impelli, et pene usque ad ruinam devenire peccati, ut suas recognoscant infirmitates ; non permittit autem eos in foveam corruere culpæ, aut lapsos piissime erigit. Octavumdecimum est susceptio confugientium ad se, juxta quod psallimus : Domine, refugium factus es nobis. In Proverbiis quoque legitur : Turris fortissima, nomen Domini ; ad ipsum currit justus, et exaltabitur.

Ps. cxvii, 13.

Ps. xxxvi, 24.

Ps. lxxxix, 1.

Prov. xviii, 10.

Nonumdecimum est corporalis labor, paupertas, infirmitas sive adversitas, per quas tentationes vinci solent aut minui. Unde in Osee Dominus loquitur : Ecce sepiam viam tuam spinis. Hinc recitat Cassianus, quod dum in congregatione quadam quidam adolescens stimulo carnis acerrime tentaretur, ordinavit monasterii Pater ut unus seniorum, vir seriosus, juvenem illum quotidie exerceret adversis, et proclamaret, ac coram abbate multipliciter accusaret, atque ut Fratres in testimonium adducti testarentur pro sene. Qua exercitatione per annum exhibita, dixit ad juvenem abbas : Quid est, fili? Adhuc te stimulat caro? Respondit : Papæ! vivere non licet, fornicari liberet?

Osee ii, 6.

Ecce quot, quanta et qualia providit et contulit nobis clementissimus Pater cœlestis auxilia adversus mundi et carnis ac dæmonum tentamenta. Idcirco non diffidamus, sed confortati in Domino, agamus viriliter, ac bonum fidei agamus certamen, et carnem ac sensualitatem rebellem sic rationabiliter disciplinis, vigiliis, jejuniis, abstinentiis, asperitate vestitus ac laboribus castigemus, ut in spiritus servitutem salubriter redigatur.

Ps. xxvi, 14.

I Cor. ix, 27.

Sunt denique vitia quædam in se ipsis amara et afflictiva, aut afflictiones et difficultates ac resistentias graves annexas habentia. Ira namque, invidia, indignatio,

rancor, odium, timor, tristitia, impatientia, amaritudo, contentio, in se ipsis sunt afflictiva ; superbia vero, ambitio, avaritia et consimilia quædam, habent annexas difficultates, labores, resistentias, afflictiones. Nempe qui in montem dominationis, honoris aut præsidentiæ cupit et conatur ascendere, multos patitur resistentes ex adverso ascendere cupientes, contra quos mordetur suspicione, invidia et odio. Itaque tentationibus istis efficacius resistitur, considerando eas ac vitia de quibus impugnant : quo enim diligentius considerantur, eo plus abhorrentur propter pœnalitates adjunctas. Porro alia sunt peccata in se ipsis delectabilia, ut præsertim vitia carnis, quæ quanto plus considerantur, quamvis sint in se ipsis bestialia, fœda, vilia atque enormia, tamen tanto plus titillant et movent appetitum, propter annexam et innatam delectationem : ideo talibus vitiis melius resistitur, cogitationem et adspectum mox ab eis totaliter avertendo, cum aspernatione salubri, et interjectione istius, Fy. Nam hac prolatione, Fy, superatur diabolus, et stimulatio carnis.

Cf. t. XV, p. 437 D'.

Quæritur autem qualiter possit se homo inde avertere. Respondendum, quod omnis affectio ex prævia quadam apprehensione seu cognitione procedit, quia objectum appetitus est bonum cognitum : idcirco qui cupit inordinatam affectionem vitare, studeat a se protinus removere apprehensionem objecti carnalis delectabilisve rei ad quam inordinate ac sensualiter afficitur. Et qualiter se a tali inspectione potest avertere ? Dicendum, quod convertendo se ad considerationem rerum salubrium, scilicet : dominicæ passionis, propriæ mortis, divini quoque judicii et infernalis supplicii, præteritarum culparum, adversitatum, tribulationum proximorum fidelium ; et quod quotidie tot tantaque fiunt in mundo flagitia, quod innumerabiles pereunt ac damnantur homines. Cupiens itaque tentationum evadere laqueos, faciat sibi consuetudinem considerandi assidue passionem Domini, ac novissima sua, et peccata præterita, pericula quoque quibus undique circumvallatur : sicque quotiescumque se senserit carnali tentatione pulsari, mox ad dominicæ passionis, ad suorum novissimorum, etc., considerationem recurrat.

Secundum remedium est, immoderatam vitare potationem, et refectionem superfluam, et calida alimenta, vinumque : ex quibus vitiorum generantur incitamenta. Unde Paulus : Nolite inebriari vino, in quo est luxuria. Et Hieronymus : Venter mero æstuans, cito spumat libidinem. Tertium, vitare lubricorum consortia. Unde in Ecclesiastico dicitur : Qui se jungit fornicariis, erit nequam. Et Salomon : Amicus stultorum (id est carnalium et pravorum) efficietur similis eis. Quartum est, diligenter attendere et celeriter sine immoratione, enormitatem et vilitatem hujus peccati, et brutalitatem, inhonestatem ipsius, mala ei annexa, et quoniam multa et gravia mala ex ipso sequuntur, et per vitium istud fit homo bestialis, acediosus, levis, depressus, intimoratus ; maxima quoque turpitudo in eo apparet, derogat dignitati, nobilitati naturæ humanæ, fœtet præ ceteris vitiis coram Deo et angelis ejus.

Ephes. v, 18. *Eccli.* XIX, 3. *Prov.* XIII, 20.

Quintum est, bene pensare qualis erit caro post mortem, quam fœda et putrida. Hinc fertur in Vitaspatrum, quod dum quidam Frater in eremo vehementissime tentaretur de quadam muliere formosa, et audisset eam esse defunctam, nocte aperuit ejus sepulcrum ; et sumens partem de putredine ejus, posuit in cellam suam. Quumque illius intuitu ac fœtore affligeretur, dixit cogitationi suæ : Ecce habes carnem quam appetebas, satiare ejus amplexu. Sicque cessavit tentatio. Sextum est, incautos et morosos mulierum adspectus, amplexus, oscula, familiaria colloquia, loca secreta, visitationes, laterales consessus, attactus, munuscula devitare. Ecce David incaute respexit, et concupiscentia superatus est ; Samson, per mulieris blandimenta. Ideo Job ait : Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem

II *Reg.* XI, 2-4. *Judic.* XVI, 4 et seq. *Job* XXXI, 1.

quidem de virgine. Septimum est, otia fu- A rationis. Decimum est, studio sacræ Scri-
gere, et jugiter se honeste occupare : quia pturæ insistere, seque spiritualibus exer-
Eccli. ut dicit Scriptura, multa mala docuit otio- citiis strenue occupare. Ideo ait Hierony-
XIII, 29. sitas, atque in concupiscentiis est otiosus mus : Ama studia Scripturarum, et carnis
Prov. XXI, et piger. Unde Propheta : In labore homi- vitia non amabis.
26. *Ps.* LXXII, num non sunt, et cum hominibus non fla- Si his specialibus tentationum carna-
6. gellabuntur; ideo tenuit eos superbia, etc. lium remediis addantur generalia tentatio-
Octavum est, omnem vitare superbiam, num remedia, poterit Deo auxiliante homo
quoniam propter eam multi sinuntur in in omni tentatione hujusmodi prævalere.
Cor. IX, vitia ruere carnis. Nonum est, corpus pro- Ad quod etiam confert potissime adimple-
prium egregie disciplinare, vigiliis, jeju- tio evangelici consilii Christi perpetuam
niis, asperitateque strati ac vestitus dis- continentiam consulentis, ad habendam
crete domare, et in servitutem redigere B aureolam cum præmio æterno.

IN FESTO

S. AMBROSII EPISCOPI

AD RELIGIOSOS

SERMO UNICUS

DE VIRTUTIBUS S. AMBROSII; CONTRA AMBITIONEM, DE FRATERNA COMPASSIONE, DE PATIENTIA, COMPUNCTIONE, ET EJUSMODI VIRTUTIBUS.

ATTENDE lectioni, exhortationi, doctrinæ. I Tim. IV, 13.

Sanctus pater Ambrosius plenus fuit virtutibus. Cujus exemplo docemur in primis, consideratione rigoris divini judicii, propriæ quoque fragilitatis et insufficientiæ, ducatum fratrum vereri, prælationem metuere, ambitionem omnem vitare. Nostis enim, o fratres, quam opportune et importune nitebatur promotionem sui ad præsulatum evadere, non obstante quod multum miraculose designatus fuisset esse debere episcopus, utpote voce infantuli ac aliis modis. Quid ergo insipientiæ atque insaniæ in cordibus regnat religiosorum quorumdam, qui professionis suæ ac divini timoris obliti, humilitate privati, vanitate seducti, nec vocati a Deo ut Aaron, optant præesse, atque ut periculose obtineant quod inaniter optant, humiliant nequiter semetipsos, quasi manum Dei se putent posse effugere, aut quasi humanorum non sit inspector cordium Deus? Non quæramus libertatem cui propter Deum abrenuntiavimus in hac vita, resumere, nec mundo quem reliquimus complacere, communicare, misceri. Quid tritico et paleis? Quæ conventio luci ad tenebras? Quid religioso et sæculo? Quid propriæ mortificationi et ambitioni? Quid monasticæ subjectioni et propriæ libertati?

Hebr. v, 4. *Jer.* xxiii, 28. II *Cor.* vi, 14.

Ecce vir adhuc catechumenus, adhuc sæcularis et judex terrenus, tantæ fuit humilitatis, tam timoratus et sapiens: et nos postquam tam diu fuimus religiosi, adhuc vani invenimur, intimorati et ambitiosi. Confundatur qui talis est, in semetipso; confundat et increpet, reprobet et castiget se coram Deo, discat mortificare se ipsum, et penset id Psalmistæ: Quoniam Deus dissipavit ossa eorum qui hominibus placent; confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos. Qui se ipsum non sufficit regere, et propriam vanitatem, ambitionem, suarumque impetus passionum exstinguere: quid miser et miserabilis, pauper, cæcus et nudus, cogitat aliis præsidere, non formidans quod ait Scriptura, Judicium durissimum in his qui præsunt, fiet? Perpendat ergo et dicat quod fertur in Isaia: Non sum medicus, et non est in domo mea panis; nolite me constituere principem populi.

Ps. LII, 6. *Apoc.* III, 17. *Sap.* VI, 6. *Is.* III, 7.

Matth. xxv, 3. Quum itaque ignoremus diem et horam exitus nostri, simus semper solliciti, nec pristini fervoris obliviscamur : imo quotidie ferventiores, atque in omnium mundanorum et exteriorum contemptu perfectiores efficiamur. Nullus simplicium Fratrum officialibus sit molestus, nec de exterioribus et impertinentibus sibi se insipientialiter intromittat : quia hoc malum est et speciem habet mali; sæpeque accidit quod qui talia agunt, ad exteriora mente obte-
Philipp. III, 20. nebrata adspirant. Verum nostra conversatio sit in cœlis et desiderio beatificæ
Galat. VI, 14. visionis gloriæ Dei. Crucifixus sit nobis hic mundus; nec proprium quispiam quærat honorem, quum oporteat nos abjectione et subjectione gaudere, nec quidquam consolationis aut prosperitatis in sæculo isto requirere.

Secundo sanctus pater Ambrosius nobis in abstinentiæ ac sobrietatis exemplum proponitur : quoniam jejunavit quotidie, demptis sabbato et die dominico atque præcipuis festis, quum tamen in medio hominum versaretur, ac tantos assidue haberet labores. Non eum delectabat invitari et invitare, aut ventris repletioni seu gustus voluptati vacare.

Insuper, quantum in Dei ac proximorum fervebat dilectione, quam compassivus erat lapsis, hinc elucescit, quod dum aliquis suum lapsum ipsi confitebatur, tam amarissime flevit, quod illum similiter ad planctum induxit. In hoc itaque proponitur nobis tertio in exemplum. Idcirco dum aliquem videmus peccantem, aut lapsum, aut nobis injuriantem, condoleamus eidem ex intimo cordis, et non dedignemur, aut irrideamus, seu expro-
I Cor. x, 12. bremus, quum scriptum sit, Qui stat, vi-
Galat. VI, 1. deat ne cadat; et item : Fratres, si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, instruite hujusmodi in spiritu lenitatis; considerans te ipsum, ne et tu tenteris. Qui imperfectos, infirmos et malos patienter non sustinet, ipse sibi per impatientiam suam testis est quod nec perfectus, nec solidus, nec virtuosus consistat. Nonne Abel esse renuit, qui a malitia Cain exerceri refutat? Et quomodo volumus in nostris defectuositatibus et peccatis a summo Judice tolerari, qui nolumus nos mutuo tolerare? Nonne unusquisque est incomparabiliter defectuosior coram Deo, quam proximus ejus quicumque coram ipso ? Nonne eadem *Matth.* VII, 2. mensura qua mensi fuerimus, remetietur nobis ?

Quarto proponitur nobis sanctus pater Ambrosius in exemplum patientiæ atque constantiæ in adversis. Innumeras namque et gravissimas persecutiones tulit a Justina imperatrice, ac aliis Arianis : in quibus Omnipotens gratiose ac miraculose eum protexit.

Quinto proponitur nobis in exemplum justitiæ ac fortitudinis, quia implevit quod scriptum est, Usque ad mortem certa pro *Eccli.* IV, 33. justitia; et, Nolite timere eos qui corpus *Matth.* X, occidunt. Hinc imperatoris ac principum 28. strenuissime reprehendit excessus, et imperatorem Theodosium de choro egredi fecit, nec mortis timore reliquit justitiam. Quumque tot occuparetur laboribus, tot persecutionibus impugnaretur, et tam valide in prædicando, dictando, ac aliis exterioribus laboraret, nihilo minus compunctioni et lacrimarum effusioni, devotioni et contemplationi abundanter ac prompte quasi ad libitum insistebat, et dixit : Arma mea sunt orationes et lacrimæ. Quid ad istud facturi sumus, qui quum ab omnibus simus abstracti, solique Deo habeamus vacare, atque ad hoc media possideamus aptissima, nihilo minus dissoluti sumus et corde duri, distracti et indevoti, ita ut cum labore vix accendamur, aut ad pietatis lacrimas resolvamur? Sicque abutimur mediis nobis provisis et beneficiis nobis collatis : totumque malum hoc ex negligentia pravaque consuetudine nostra accidit nobis, quia non exercemus nos omni die certis horis in compunctione interna, in examinatione et expurgatione conscientiæ nostræ, in memoria passionis dominicæ, in meditatione pertinentium ad

salutem, in contemplatione præsentiæ et excellentiæ Dei; imo negligentes nos ipsos, occupamus nos vane ac stolide, alios observando, judicando, spernendo et accusando. Sed resipiscamus ab istis amentiis, et Deo (ut monastica requirit professio) ac propriæ conscientiæ sinceritati vacemus, omnique hora occupemus nos fructuose; internæ quoque exercitationi insistere assuescamus, atque cum Deo in latitudine cordis nostri deambulemus.

Ps. CXVIII, 45.

Sexto proponitur nobis beatus pater Ambrosius in exemplum præcipuæ devotionis in celebrando, quia in celebratione devotissimus fuit. Ejus ergo exemplo ad celebrationem nos præparemus quotidie cum diligentia grandi, et in ipsa celebratione simus ad Deum cum ingenti reverentia, fervore ac stabilitate erecti. Ea quoque quæ in omni sacrificio sunt pensanda, ante celebrationem vivaciter ponderemus, videlicet quid, cui, quis et quare. Intueamur quid Deo offeramus, utpote quantæ dignitatis sit Eucharistiæ sacramentum, corpus et sanguis Salvatoris, imo totus Christus, qui in hostia altaris verissime immolatur. Consideremus quoque cui sacrificemus, hoc est, quam infinitæ sit dignitatis Deus Pater, cui unicum Filium suum immolamus; item quis, id est, quales simus ipsi, qui tantum conficimus, tractamus, offerimus ac sumimus sacramentum; et quare, id est, pro quibus causis offertur. Ex quorum omnium inspectione profunda, videbimus cum quanta cordis corporisque munditia, cum quanta humilitate, compunctione et reverentia, cum quanta præparatione, custodia et fervore oportet tam superdignissimum consecrari, offerri ac suscipi sacramentum.

Septimo nobis proponitur sapientissimus pater, doctor et præsul Ambrosius in exemplum firmissimæ fidei : qua etiam adversus dæmonia singularem sortitus est potestatem, et eos potenter ejecit, timueruntque eum vehementer. Si ergo et nos cupimus dæmonibus prævalere et ab eis timeri, studeamus vitia supplantare, cunctisque animi passionibus dominari.

Octavo proponitur nobis in magnæ humilitatis exemplum : quia quum talis ac tantus esset, carnis nobilitate, sæculari prudentia, rhetorica eloquentia, fama, scientia, potestate, prælatione, summorumque principum reputatione, nihilo minus mansit humillimus. Cur igitur nos pusilli, tam levi occasione, applausu, honoratione, laude extollimur atque dejicimur? Postremo, qui diligentius scire desiderat quam modestus, discretus, virtuosus fuerit pater Ambrosius in verbis et factis, in apparatu, incessu ac moribus, et qualiter rexerit sibi commissos, libros ejus de Officiis legat, ubi de omnibus istis tractatur : quoniam indubitanter sicut docuit, ita vixit.

IN FESTO

S. MARIÆ ÆGYPTIACÆ

SERMO UNICUS

DE VIRTUTIBUS, LAUDIBUS ET EXCELLENTIIS B. MARIÆ ÆGYPTIACÆ.

DUCAM eam in solitudinem, et loquar ad cor ejus. Osee II, **14**.

Verba hæc ex persona benignissimi et superdulcissimi Dei ad sanctissimam Mariam Ægyptiacam convenientissime suscipiuntur. Hæc beatissima femina, admirabile vas infinitæ misericordiæ Creatoris altissimi, tantæ fuit excellentiæ, tantæ sanctitatis, tantæ perfectionis et gratiæ, ut ab ejus admiratione omnis mens viatorum deficiat, atque ab ejus laude omnis lingua eorum succumbat. In qua electissima muliere perfecte impletum est quod ait Apo- *om.* V, 20. stolus : Ubi abundavit delictum, superabundavit et gratia. Quemadmodum enim hæc mulier benedicta, ante suam conversionem vitam duxit prorsus carnalissimam, bestialissimam atque turpissimam ; ita post suam conversionem duxit spiritualissimam, divinissimam et vere purissimam vitam. Sed nunc ad laudem et gloriam immensæ pietatis Dei æterni, seriatim tangendæ sunt virtutes, laudes et excellentiæ hujus gloriosissimæ Dei sponsæ.

Prima laus ejus, est conversio ejus gratiosissima et miranda. Quum enim in Alexandria urbe Ægypti, per decem et septem annos omni gulæ atque luxuriæ in prostibulo deservisset, Deo disponente cum Christianis ad Jerosolymam navigavit. Nam circa tempus dominicæ passionis Christiani illuc consueverunt confluere. Ipsa tamen non ex devotione, sed ex curiositate et libidine, ut novos acquireret amatores, illuc processit; et in navi procacissime habuit se, in tantum quod non solum lubricos, sed viros quoque honestos traxit ad vitia, et nautis pro naulo corpus suum exposuit. Quumque venisset Jerusalem, per omnes ejus discurrebat plateas, meretriciis gestibus plena. Tandem, quum vellet cum aliis intrare ecclesiam, et venisset ad januam ejus, invisibiliter fuit rejecta. Deinde super hoc ipsa admirans, secundo tentavit intrare, et rursus plus quam ante remote rejecta est. Sed ipsa manum Omnipotentis super se non advertens, tertio attentavit ingressum, et iterum horribiliter est repulsa. Tunc Deo miserante ac inspirante, ex vexatione intelligentiam *Is.* XXVIII, sumpsit, et compuncta est vehementer, 19. perpendens quod ob scelera sua toties esset rejecta, cœpitque amarissime flere, pœnitens valde. Et visa imagine Virginis gloriosæ, eam affectuosissime invocavit ut oraret pro se, emendationem ei promittens si permitteretur ecclesiam introire. Et sumpta fiducia, quarto tentavit introitum, tamque facillime est ingressa, quasi ab aliis esset vecta. Quumque orasset, egrediens audivit vocem in aere sibi dicentem : Si Jordanem transieris, salva eris.

Moxque quæsivit quæ porta duceret ad Jordanem. Quidam vero obvians ei, contulit ei tres nummos, pro quibus ipsa emit tres panes, quorum unum comedit in via, alios duos tulit in eremum. In ecclesia quoque S. Joannis Baptistæ prope Jordanem, communicavit. Ecce hæc est gratiosissima et misericordissima ejus conversio.

Secunda laus ejus, est condigna pœnitentia ejus : quia certissime condignos pœnitentiæ fecit fructus. Nam quantum glorificavit se, et in deliciis fuit, tantum in eremo afflixit se ipsam in pœnitentiali dolore, in luctu assiduo, in nuditate, æstu et frigore, fame et siti. Denique, quum duodecim esset annorum, meretricibus se conjunxit ; tamque libidinosa fuit, quod pretium ab amatoribus suis non sumpsit, quatenus plures acquireret amatores. Et valde delectabatur in vino, quo se inebriavit frequenter ; et totas noctes duxit insomnes in suis spurcitiis, in quibus poterat fatigari, non satiari. Quum vero intrasset desertum, abstinentissime vixit, et ultra modum humanum fame et siti cruciavit se ipsam ; atque post paucos annos vestibus ejus consumptis, nuda permansit, et tempore hiemali tam horribilia sustinuit frigora, tempore etiam æstivali tam graves ardores, quod frequenter præ pœna cadebat in terram, deficiens a se ipsa, semetipsam non capiens neque intelligens præ tormento. Cum orationibus vero ferventissimis atque humillimis, et abundantissimis lacrimis die ac nocte postulavit sibi sua indulgeri peccata.

Apoc. XVIII, 7.

Tertia laus ejus, est admiranda patientia et invictissima fortitudo ipsius. Quemadmodum enim decem et septem annis in meretricio sedit, sic desertum ingressa, per decem et septem annos gravissimas sustinuit tentationes a diabolo de vitiis carnis, de poculo vini et de pristinis suis carminibus, aliisque diversis. Quæ tentationes incredibiliter ei erant molestæ : in quibus Deo auxiliante patientiam habuit magnam ac diuturnam, et fortiter reluctabatur dæmonibus, orando, pectus suum percutiendo, Christi passionem inspiciendo, terram lacrimis irrigando. Quumque per decem et septem annos sic tribulata et præliata fuisset, superatis dæmonibus, de cetero in tranquillitate et gaudio fuit præ solito. O fortissimam feminarum, o præclarissimam mulierum, o quale spectaculum præbuit in deserto angelis Dei et universæ curiæ cœlesti, imo et Deo omnipotenti, dum sola in eremo, et omni humano destituta solatio, manu ad manum contra invisibiles hostes, contra crudelissimos spiritus, contra callidissimos tentatores tam multos pugnavit, tam diu, tam acriter, tam invicte, imo tam victoriose ! Quis in his non advertat omnipotentiam, pietatem et adsistentiam Christi, qui tam mirabiliter operabatur per suam prælatricem ? Nonne tota vita illa fuit penitus inhumana, supernaturalis et miraculosa ? Quomodo enim femina una posset talia sine Dei adjutorio operari et pati, tam repente converti, tam extreme et subito immutari, taliter prævalere ? Nec dubium quin profunda et illuminata consideratio horum, certissimum sit argumentum veritatis fidei christianæ.

Quarta laus ejus, est contemplationum ejus sublimitas, et divini ardor amoris quo fuit succensa, raptus quoque et ecstasis ejus in Deum : siquidem omnia ista sibi connexa sunt et condependent, quibus etiam delectatio sancta conjuncta est. Fuit itaque sacratissima ista Maria contemplatrix altissima, præsertim expletis annis præfatis quibus in magno fuit conflictu contra dæmones, passiones et vitia : quibus devictis, ipsa jam facta persona heroica, quanto ab omni humano tumultu, sæcularique cura et occupatione externa fuit abstractior atque liberior, tanto ad illuminationes divinas, ad contemplationes cœlestes, ad elevationes ecstaticas, ad raptus deificos fuit habilior, dignior. Ideo Deus copiosissime loquebatur ad cor ejus, et suæ increatæ suavitatis sapores ei liberalissime contulit experiri. O quam

innumerabilibus vicibus die ac nocte elevabatur ad Deum, accendebatur in Deo, et in divitias gloriæ ejus rapiebatur, ac suavissime in ipso quievit, et vitam prorsus angelicam duxit in terris, eratque amantissima ac familiarissima Deo!

Quinta laus ejus, est admirabilis manifestatio ejus. Nam quidam vir sanctus, nomine Zosimas, monachus et claustralis, quodam tempore intrans desertum ut in eo vacaret liberius Deo, cogitavit interiora eremi perambulare, si forte aliquem hominem sanctum reperiret ibidem. Quumque per dies ambulasset viginti circumspiciens undique, tandem vicesimo die vidit personam nudam et corpore nigram, ex solis ardore exustam. Qua visa, gavisus est valde, timuit tamen ne forte spiritus esset. Illa quoque eo viso exsultavit non parum. Ille ergo sumpta in Deo fiducia, cœpit ire ad eam, sed ipsa iniit fugam. Cucurrit ergo vir sanctus post eam. Quumque propinquaret ad ipsam, illa stans vultu ab eo averso, dixit : Adjuro te, abba Zosima, ne me amplius insequaris, quoniam femina sum. Si vero me videre et alloqui cupis, projice mihi partem de vestibus tuis, ut quæ verecundiora sunt tegam. Quo facto, convertit se ad virum illum, qui multum mirabatur quod ipsa nomen suum cognovit. Statim ergo abbas Zosimas flexis genibus eam adoravit, et benedici ab ea rogavit. Ipsa vero se in terram prosternens, respondit : Ad te, pater, benedictio pertinet magis, quia sacerdos es. Et audiens ille quod se esse sacerdotem cognovit, amplius mirabatur, petiitque benedici ab ea, eo quod ipsa sanctior esset. Tunc ipsa dixit : Benedictus Deus, redemptor animarum nostrarum. Quumque surrexissent de terra, Zosimas eam rogavit ut pro Dei oraret Ecclesia. Illa mox faciem vertens ad orientem, quum cœpisset orare, statim corpore elevabatur in aere. Tunc Zosimas iterum timuit ne forte spiritus esset. Illa ergo protinus dixit ad eum : Ignoscat tibi Deus, abba Zosima, quod me esse spiritum putas. Nonne tibi dixi quod mulier sim? Tunc ille obstupuit quod cogitationem suam illa tam cito cognovit. Rogavit ergo adjuravitque eam ut sibi exponeret qualiter solitudinem illam intrasset, quid manducasset in ea, quales habuerit ibi tentationes, et quamdiu fuisset in ea. Et illa : Si tibi, o abba, vitam meam quam in sæculo habui, cœpero recitare, fugies a me, et aer contaminabitur. Quumque vir ille cum lacrimis exoraret eam ut omnia sibi exponeret, ipsa retulit ei qualiter in adolescentia sua immunditiæ deservivit, et quomodo in Jerusalem fuisset conversa, et cetera quæ de ejus tentationibus et afflictionibus dicta sunt; quod etiam de duobus illis panibus quos detulit secum, cibum sumpsisset; item quod quadraginta septem annis habitasset in eremo. Quibus auditis, sanctus vir ille præ gaudio lacrimans, seque in terram prosternens, Deum et infinitam misericordiam ejus laudavit in famula sua. Cui illa : Obsecro, abba, ut anno futuro in die Cœnæ venias super Jordanem cum corpore Christi; ego tibi occurram ibi, et corpus Christi de manu tua accipiam, quod ex quo huc veni non sumpsi. Sicque Zosimas se ei commendans, ad claustrum suum regressus est.

Sexta laus ejus, est gloriosus et miraculosus finis ipsius. Quum enim die præfixo Zosimas super Jordanem redisset, et ipsa ex altera parte staret, crucem super fluvium fecit, et ambulans super aquas, pervenit ad senem, atque de manu ejus corpus Christi accipiens : Rogo, inquit, o abba, ut venias anno sequenti ubi me primo invenisti, et ibi videbis me secundum quod Deus voluerit. Ipsa vero rursus edito signo crucis super aquas Jordanis deambulans, ad eremum rediit. Zosimas vero ad claustrum suum revertens, cœpit tristari quod nomen sanctissimæ mulieris illius non interrogavit ab ea; sed consolabatur se ipsum, quia futuro anno esset eam visurus et interrogaturus. Quumque sequenti anno venisset ad locum præfixum, nec eam invenisset, contristatus est valde. Tandem

vidit lucem magnam de terra consurgere. Qua visa, illuc perrexit, et invenit sanctam illam defunctam, ac decentissime manus ac pedes conjunctos habentem, et vultu tam pulchram quasi vixisset. Tunc lacrimas fudit, ejus tamen sanctissimum corpus tangere non audebat. Quumque multa revolveret mente, vidit juxta caput defunctæ verba hæc scripta : Sepeli, Zosima, Mariæ corpusculum, et ora pro me ad Dominum, ad cujus præceptum secunda die Aprilis reliqui hoc sæculum. Cognovit itaque senex, quod anno præterito eodem die quo ab eo corpus Christi accepit, tradidit spiritum, et spatium illud quod ipse infra viginti dies vix ambulavit, illa infra duas horas pertransiit. Porro quum Zosimas instrumentum quo foderet terram, non haberet, vidit venientem magnum leonem, qui pedibus suis foveam fecit aptissimam, et mansuete recessit. Sepelivit ergo Zosimas sacratissimum Mariæ corpusculum, atque ad suum rediens claustrum, omnia ista Fratribus recitavit per ordinem ; et gavisi ac ædificati sunt omnes valde.

De hac gloriosa ac sacrosancta Maria A dicit dominus Guillelmus Antisiodorensis in Summa sua, quod quotidie loquebatur in deserto cum angelis.

Ecce ex ista historia multipliciter et saluberrime informamur. Et primo, quam incomprehensibilis et immensa sit misericordia Dei in suis electis. Secundo, quod nullus quantumcumque iniquus debeat desperare, quum videat feminam istam ante tam vitiosissimam, ad vitam pervenisse tam sanctissimam ac divinam. Tertio, ut dignos pœnitentiæ fructus facere studeamus juxta exigentiam multitudinis ac magnitudinis vitiorum nostrorum. Quarto, ut tentationibus viriliter resistamus, adversitates et afflictiones æquanimiter patiamur. Quinto, ut ferventer perseveremus in bonis. — Diligamus ergo, veneremur et invocemus Mariam istam sanctissimam, quæ vere altera Maria Magdalene vocari potest, et ei in regno cœlesti propinquissima esse non dubitatur. Cujus meritis et precibus gratiam veræ ac finalis pœnitentiæ Christus concedere nobis dignetur, qui cum Patre et Spiritu Sancto æternaliter vivit et regnat.

IN FESTO

S. MARCI EVANGELISTÆ

Enarrationem epistolæ, Qui timet Deum, etc., *cum suo sermone, quære de S. Joanne ; enarrationem autem evangelii,* Ego sum vitis, etc., *in festo S. Georgii.*

SERMO PRIMUS

DE GRATIIS ET PRÆROGATIVIS B. MARCI.

Qui cum sapientibus graditur, sapiens A *erit.* Prov. XIII, 20.

Cf. t. XI, 325.

B. Marcum evangelistam Deus multiplici gratia decoravit. Prima est, quod beatissimi principis Apostolorum Petri prædilectus ac familiarissimus fuit discipulus, et in Baptismate filius. Non utique parvum exstitit donum, illius summi Apostoli esse tam specialem discipulum prædilectumque filium, habere tantum prælatum, tam sapientissimum illuminatissimumque magistrum, tam sacratissimum patrem. Denique in Ecclesiastico scriptum est de Elia B propheta : Beati qui te audierunt, et in amicitia tua decorati sunt. Quanto magis beatus Marcus, qui Petrum archiapostolum, summum, plenum ac generalem Jesu Christi vicarium super totam universalem Ecclesiam, audivit quotidie, et amantissimus ejus erat discipulus ? Nam et cum beatissimo Petro profectus est Romam, et familiariter ei adhæsit. Et quia cum sapientissimo Petro apostolo gradiebatur, vere sapiens est effectus.

Eccli. VIII, 11.

Secunda gratia ejus est, quod unus qua- C tuor Evangelistarum esse a Deo electus est : sicque totius Ecclesiæ lumen est et magister, specialis quoque testis Salvatoris.

Tertia gratia ejus est, copiosus atque præcipuus fructus quem fecit in mundo, plurimos convertendo ad fidem. Quum enim S. Petrus B. Marcum vidisset in fide constantem, atque in evangelicæ legis perfectione ac sapientia eminentem, ipsum Aquilegiam destinavit : in qua Marcus innumeras gentilium multitudines convertit ad Christum. Post hoc Romam reversus, ad Alexandriam urbem Ægypti a S. Petro est missus : in qua primus evangelium Christi prædicavit, et multos congregavit discipulos, qui ibi sub ejus regimine apostolicam vitam duxerunt, omnia habentes communia, et semper contemplantes cœlestia, atque orationibus assidue insistentes ; qui tam sanctæ et districtæ conversationis fuerunt, quod Christianos undique ad suæ perfectionis imitationem traxerunt. Hinc in libro de Viris illustribus scribit Hieronymus : Assumpto B. Marcus evangelio suo, perrexit Ægyptum ; et primus Alexandriæ Christum annuntians, constituit ibi Ecclesiam, id est Christianorum congregationem, tanta doctrinæ ac vitæ continentia seu districtione, ut omnes sectatores Christi ad sui exemplum induceret. Insuper, teste Hieronymo, Philo diser-

tissimus Judæorum, edidit librum de laude conversationis Ecclesiæ quam in Alexandria vidit sub Marco : quem librum de Vita contemplativa intitulavit, eo quod talis fuerit vita discipulorum Marci in Alexandria ; eorumque habitacula appellavit monasteria.

Quarta gratia ejus est, fortitudo et patientia sua in persecutione sua atque martyrio. Mortem namque horribilem intulerunt ei Alexandrini gentiles. Siquidem fune misso in collo ipsius, traxerunt eum per civitatem, dicentes, Trahamus bubalum ad loca Buculi ; et tam violenter ac atrociter ipsum traxerunt, quod partes corporis sui fluebant in terram, et lapides ejus sanguine rigabantur. Quo facto, recluserunt eum in carcere. Quumque sequenti die similiter traherent eum hinc inde, dicentes, Trahite bubalum ad loca Buculi, ipse gratias egit Deo, dicens : In manus tuas commendo spiritum meum. Inter quæ verba spiritum tradens, migravit ad Dominum.

Ps. xxx, 6; *Luc.* xxiii, 46.

Quinta gratia ejus est, virtus miraculorum ipsius. Nam in Aquilegia legitur innumerabilia fecisse miracula ; et dum in Alexandria fuit in carcere clausus post primam suam tractionem per civitatem, apparuit Christus in carcere, dicens : Pax tibi, Marce evangelista meus ; noli timere, quoniam ego tecum sum ut eruam te. Angelus quoque eum confortavit ibidem. Quumque corpus ipsius exstinctum vellent pagani comburere, aer repente turbabatur, grando cecidit, tonitrua sonuerunt, fulgura coruscarunt, ita quod impii evadere nitebantur, et sanctum corpus reliquerunt intactum : quod Christiani cum decenti sepelierunt honore. Insuper, quum post tempora longa mercatores Venetiani corpus S. Marci a tumulo suo in Alexandria levarent ut illud transferrent Venetias, odor tam suavissimus emanavit, quod Alexandriam totam perfudit, ita quod omnes, unde prodiret, admirabantur. Postremo, ut legitur, tantæ humilitatis sanctus exstitit Marcus, quod pollicem suum abscidit, ne ad sacerdotium promoveretur. Verumtamen dispositio Dei et auctoritas S. Petri prævaluit, qui eum Alexandrinum fecit episcopum.

Itaque hujus tam sancti Evangelistæ ac martyris instruamur doctrinis, provocemur exemplis ; fortes simus in Domino in omni eventu, patientes quoque ac hilares in adversis. Discamus et assuescamus patientes esse in adversitatibus parvis, quatenus proficiendo quotidie, patientes efficiamur in adversitatibus, infirmitatibus, tribulationibus, irrisionibus et damnis quantumlibet magnis, quemadmodum Jacobus hortatur apostolus : Omne gaudium existimate, fratres, quum in diversas tentationes incideritis. Patientia quippe sapientiæ signum est, prout Salomon loquitur : Qui patiens est, multa gubernatur prudentia ; impatiens vero operatur stultitiam. Sic ergo agamus ad gloriam Dei.

Jacob. i, 2.

Prov. xiv, 29, 17.

AD RELIGIOSOS

SERMO SECUNDUS

IN QUIBUS HUMANA CONSISTAT PERFECTIO, ET QUOMODO OBTINEATUR.

OPUS fac Evangelistæ. II Tim. iv, 5. In Actibus Apostolorum, Philippus unus de septem primis diaconis, evangelista vocatur ab actu evangelizandi ; Marcus vero non solum ab actu hoc, sed a conscriptione quoque evangelii vocatur

Act. xxi, 8.

evangelista, sicut et alii tres. Hujus beatissimi evangelistæ Marci magna fuit perfectio, magna fructificatio, excellentia magna in sanctitate. Unde et princeps Apostolorum eum in fide et vita perfectum esse conspiciens, ad loca destinavit eum diversa : in quibus gloriose fructificavit, plurimos convertendo prædicatione atque miraculis. Denique in Alexandrina Ecclesia tam perfectam vitam in suis fundavit discipulis, quod ex eis sumpsit initium omnis illa Ægyptiorum monachorum conversatio admiranda. Unde et Philo, disertissimus Judæorum, de perfectione discipulorum S. Marci edidit librum, in quo protestatur eos orationi et contemplationi assidue fuisse intentos, in cibo quoque et potu parcissimos. Horum ergo et magistri eorum beatissimi Marci perfectionem nos sequi oportet.

Quocirca potest investigari, quæ sit perfectio nostra, et in quo consistat, qualiter etiam ad eam compendiosius ire ac pervenire possimus. Legitur in Vitaspatrum de miro et saluberrimo fine abbatis Sisois, quemadmodum in extremis agenti advenerit et apparuerit primo S. Antonius, deinde Apostoli ac Prophetæ, et tandem Christus. Quumque Sisois exoraret ut permitteretur modicum pœnitere ante egressum suum de corpore, atque hoc ipsum Patribus et Fratribus indicasset adstantibus, dixerunt ad eum : Non indiges pœnitentia, pater. Quibus ipse respondit : Vere nescio me vel initium fecisse pœnitentiæ. Et subditur ibi, quod omnes qui aderant Patres et Fratres, cognoverunt quia perfectus esset. Ergo in summa illa ipsius humilitate, cognoverunt eum esse perfectum. Quamvis enim perfectio nostra essentialiter sit consistens in actu caritatis seu doni sapientiæ, seu in diligendo aut contemplando ; nihilo minus in humilitate et patientia posita perhibetur, tanquam in virtutibus ad perfectionem præcipue dispositivis, et sicut in signis in quibus velut in speculo consideratur ac cernitur interna mentis perfectio.

Præterea quæritur, qualiter abbas Sisois, qui tam diu in eremo rigorosissimam, abstinentissimam atque sanctissimam duxit vitam, veraciter dicere potuerit, Nescio me fecisse initium pœnitentiæ ; et qualiter intelligendum sit hoc quod fertur rogasse, ut permitteretur modicum pœnitere, quum quidam tam religiosi quam sæculares de hoc reprehensi legantur, quod in fine vitæ suæ ad pœnitendum inducias petierunt. Verum harum quæstionum duarum est pene una solutio, ita quod unius solutio ex solutione pendet alterius.

Itaque sanctus ille abbas asseruit se nescire initium pœnitentiæ se fecisse, non quod ignoravit oblitusve fuit vitam pœnitentialem in solitudine se egisse, et de suis culpis quotidianis se sæpe esse confessum ; sed quia ex profundissima humilitate atque altissima contemplatione omnem pœnitentiam suam præteritam reputavit pro nihilo, et quasi nullius esse momenti respectu infinitæ dignitatis, sanctitatis et justitiæ Dei, cujus dignitatem, sanctitatem et justitiam saltem per venialia nonnunquam offendit, et aliquo modo inhonoravit : quod ipse reputavit tam grave, ut se fateretur nondum quidpiam condignæ pœnitentiæ peregisse. Nempe quo aliquis divinæ majestatis immensitatem, sanctitatem et justitiam sublimius ac splendidius contemplatur, eo quam detestabile ac vitandum sit omne peccatum, quantumlibet parvum, sincerius affectuosiusque intelligit. Hinc sua peccata quotidianasque culpas et omissiones exaggerat vehementer, et ponderat graviter ; nec se satisfecisse aut condigne pœnituisse, imo nec condigne pœnitere et satisfacere posse arbitratur, etiam si mille vivat ac lugeat annis, totusque mundus secum ploret, tot quoque lacrimas fundat quot sunt guttæ aquarum in magno mari. Et certe, secundum S. Hieronymum, ita esset, si Deus omnipotens et immensus secundum justitiæ suæ rigorem vellet nobiscum procedere, et nostra ponderare peccata penes gravitatem quam sortiuntur per comparationem

eorum ad immensitatem divinæ justitiæ, dignitatisque Dei et sanctitatis suæ immensæ. Verum misericors ac supersapientissimus Deus ad suam respiciens pietatem interminatam, atque ad nostram fragilitatem, ignorantiam, defectuositatem ac pronitatem ad mala, pœnitenti cito ignoscit. Hinc et abbas Agathon dixit : Si Deus vellet nobis imputare negligentias quas orando incurrimus, propter eas solas non possemus salvari. Hinc sanctus Job fassus
Job IX, 2, 3, 15, 20, 21. est : Non justificatur homo compositus Deo ; et si voluerit cum eo contendere, non poterit respondere unum pro mille. Etiam si habuero quidpiam justum, non respondebo ei, sed ut meum judicem deprecabor ; si justificare me voluero, os meum condemnabit me. Etiam si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea. Eodem sensu ac spiritu quo sanctus Job protulit verba ista, protulit et abbas Sisois verba præmemorata. David quoque in Psalmo
Ps. CXLII, 2. oravit : Non intres in judicium cum servo tuo, Domine, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.

Ex his patet alterius solutio quæstionis. Quod etenim Sisois, vir sanctissimus, supplicavit ut permitteretur modicum pœnitere, venit (ut tactum est) ex profundissima humilitate, non ex remorsu conscientiæ malæ sicut in his qui de induciarum postulatione reprehenduntur.

Denique præinducta apostolicis consonant documentis. Nam et divinissimus
Philipp. III, 13, 14. Paulus apostolus loquitur : Fratres, ego non arbitror me comprehendisse ; unum autem, quæ quidem retro sunt oblitus, ad ea vero quæ priora sunt extendens me ipsum, ad destinatum persequor, ad bravium vocationis supernæ. Quibus pro-
Ibid. 15. latis, adjecit : Quicumque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus. Perfectorum ergo est ita sentire ; atque in hoc relucet nostra perfectio, si totis viribus servierimus Deo, et tamen nihil condignum nos egisse fateamur : præsertim quum Deus adorandus et benedictus, sit in infinitum majori cultu ac honorificentia dignus, quam ei a nobis, imo a toto possit mundo impendi. Hinc admonuit et Psalmista : Laudate eum secundum multitudinem ma- *Ps.* CL, 2. gnitudinis ejus. Quid est, Deum laudare secundum multitudinem magnitudinis ejus ? quum in Ecclesiastico scriptum sit, Quis magnificabit eum sicuti est a princi- *Eccli.* XLIII, 35. pio ? Itemque, Benedicentes Dominum, ex- *Ibid.* 33. altate illum quantum potestis, major est enim omni laude. Itaque laudare Deum secundum multitudinem magnitudinis ejus, est eum totis viribus, mente, ore et opere collaudare, et tamen fateri nil condigni se divinæ majestatis infinitæ honorabilitati ac laudabilitati exhibuisse. Hinc etiam dixit Salvator : Quum feceritis omnia quæ- *Luc.* XVII, 10. cumque præcepta sunt vobis, dicite, Servi inutiles sumus. Itaque perfectio nostra consistit essentialiter quidem in hoc, ut Deum puro virtuosoque corde sinceriter per fidem et donum sapientiæ contemplemur ac fervide diligamus ; in humiliatione autem plenaria et patientia inconcussa, consistit tanquam in dispositivis atque præambulis, et sicut in signis ac speculis.

Postremo, ad istam perfectionem itur ac pervenitur compendiosius per privati amoris omnimodam exstirpationem, ut homo discat et assuescat non amare se ipsum nisi in Deo : omnia scilicet appetendo, amplectendo, viriliterque agendo, et æquanimiter sustinendo, quæ sibi necessaria sive accommoda sunt ad complacendum Altissimo, ad proficiendum in caritate et gratia ejus, ad beatitudinem obtinendam ; omnia quoque abhorrendo ac fugiendo cum toto conatu ac diligentia incessanti quæ sunt impeditiva aut elongativa a Deo, a spirituali profectu, ab incremento divini amoris, ab adeptione veræ et copiosioris salutis. Porro ad hoc quod istud adimpleamus, necesse est ut ea quæ Ordinis sunt, et præsertim ad quæ ex præcepto aut voto tenemur, diligentissime observemus, vitemusque modica, ne paulatim evacuemur, et discretionem servemus in cunctis, ordinate in omnibus procedendo. Istud est

vere abnegare, relinquere, vincere, mortificare se ipsum : passiones compescere, proprio animo dominari, vitiis reluctari ; oculos interiores semper ad Deum erigere, orando ac meditando ad ipsum assidue adspirare, nullum tempus infructuose
Hebr. VI, 9. transigere, et semper requirere meliora ac viciniora saluti, atque in securissimo ac A saluberrimo humilitatis ac patientiæ fundo semper stabilire se ipsum, in divinæ quoque majestatis præsentia intus et foris persistere custoditum. Quæ omnia ut valeamus implere, beatissimi Marci evangelistæ invocemus suffragia, imitemur exempla, veneremur virtutes, ejusque meritis ac precibus exaudiri rogemus a Domino.

SERMO TERTIUS

QUOMODO PRÆLATUS SIBI CAVERE DEBEAT ET GREGI, ET QUOMODO RURSUS SUBDITI DEBEANT OBEDIRE.

CLAMAVIT leo : Super speculam Domini ego sum, stans jugiter per diem ; et super custodiam meam ego sum, stans totis noctibus. Is. XXI, 8.

Ezech. I, 4 et seq. In visione prophetica Ezechieli ostensa, in qua apparuerunt quatuor animalia, S. Marcus evangelista designatus est per leonem, quoniam evangelium suum a clamore beatissimi Præcursoris in deserto incepit, et circa Christi resurrectionem intentus est. In themate igitur tacto, per leonem intelligitur Marcus, qui verissime dicere potuit, imo verbis et factis dixit, C « Super speculam Domini ego sum, stans jugiter per diem » : intelligendo per speculam, vel pastoralem speculationem ac diligentem considerationem sibi super subditos suos a Deo commissam, vel arcem seu locum hujusmodi speculationis. Scivit
Ibid. III, 17; XXIII, 7. namque se a Deo constitutum ac datum speculatorem domui Israel, id est plebi christianæ sibi commissæ, Deum spiritualiter contemplanti. Idcirco, ut creditum sibi officium fidelissime adimpleret, vigilantissimum habuit respectum ac curam D pervigilem circa gregem dominicum, et ad eos ad quos convertendos fuit a beatissimo Apostolorum principe missus. Et primo super Aquilegiensis Ecclesiæ speculam stetit ; quo peracto, Alexandrinæ civitatis plebi fuit intentus. Quos omnes multosque B alios verbis et scriptis, exemplis et signis, pro posse convertit, enutrivit, custodivit ac rexit. Sed quia non debet quis aliorum saluti ita intendere, ut negligat saluti propriæ providere, recte in persona S. Marci in themate subditur : « Super custodiam meam ego sum, stans totis noctibus ». Prælatus namque quo major ac latior est ejus prælatio, eo plus indiget proprii cordis custodia, spirituali profectu, exercitatione interna, experientia et sapore vitæ spiritualis ac sanctæ, ut a Deo obtineat et colligat C in secreto quod effundat et communicet subditis in aperto. Cur autem pastor et custos aliorum dicit se stare super custodiam subditorum semper per diem, et super custodiam propriam noctibus totis, nisi forte quia prælati diurnis temporibus magis circa subditos indigent occupari, prædicando, celebrando, confessiones audiendo, causas atque negotia expediendo ; a quibus omnibus magis cessant horis nocturnis ? Idcirco tunc Deo et sibi ipsis magis vacare debent, juxta illud Psalmistæ : Deum exqui- *Ps.* LXXVI, 3. sivi manibus meis nocte contra eum.

His itaque modis unusquisque prælatus stet supra custodiam duplicem, utpote sui gregis ac proprii cordis : imo in primis intueatur, examinet, purget, perficiat custodiatque se ipsum, ne aliis prædicans, *I Cor.* IX, ipse reprobus efficiatur, sed cum Domino [27].

Act. I, 1. Jesu incipiat facere et docere, ne opere destruat quod verbo ædificat, ne subditos scandalizet, ne oves Christi dispergat, vulneret, necet, quas colligere, sanare, vivificare tenetur, ne ei dicatur, Medice, cura te ipsum ; et ne illud Jeremiæ impleatur in eo, Quia stulte egerunt pastores, omnis grex eorum dissipatus est. Etenim secundum judicem populi, sic et ministri ejus ; et qualis est rector civitatis, tales et inhabitantes in ea. Sed et Salvatore testante, Cæcus si cæco ducatum exhibeat, ambo pariter ruunt in foveam. Consequenter credito sibi gregi intendat cum diligentia summa, utpote eis pro quorum salute Rex regum, Dominus universorum, dignatus est proprium fundere sanguinem et mortem subire turpissimam : unde certissimum est, quod pro eis districtissimam exiget rationem. Præsidens ergo quidquid negligentiæ et peccati deprehenderit in subjectis, caritative corripiat, juste castiget, et publice excedentes, coram omnibus reprehendat, ut ceteri expavescant.

Luc. IV, 23. *Jer.* X, 21. *Eccli.* X, 2. *Matth.* XV, 14. *Apoc.* XIX, 16. I *Tim.* V, 20.

Porro qui corripiuntur et corriguntur, nequaquam accipiant ægre, non indignentur, irascantur aut detrahant præsidenti, sed gratias agant ei ac Deo quod emendantur in sæculo isto ne pereant in futuro : scientes quod impossibile sit manum Omnipotentis effugere, nec posse peccata inulta manere ; et maximam esse misericordiam Dei, corrigi in præsenti ; metuendissimam quoque iram ipsius, in præsenti vita non castigari, sed futuri judicii districtioni importabili reservari : pensantes item, quod præsidens agat id quod Deus ab ipso requirit, quod nisi efficeret, cum delinquentibus simul periret ; quod etiam summæ sit caritatis ac maximæ pietatis, mederi vulneribus animarum. Nec judicet subditus temerarie præsidentem, quasi acceptor sit personarum, aut personaliter reus, vel illum seu illum non arguens : hæc quippe perversæ ac rebellis sunt mentis, vulnera sua non sentientis, imo medici manum instar furiosi impudenter mordentis. Attendat ergo prælatus quod

Sap. XVI, 15. *Job* XXIV, 12.

A Tito scribit Apostolus capitulo secundo, In omnibus te ipsum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate ; quod item scribit ad Timotheum, Sollicite cura te ipsum probabilem exhibere Deo, operarium inconfusibilem, recte tractantem verbum veritatis. *Tit.* II, 7. II *Tim.* II, 15.

Insuper unusquisque etiam subditus per rationis considerationem speculetur se ipsum, custodiens cor suum et animam suam, ne a lege declinet, ne violet regulam, ne superiorum suorum transgrediatur statuta, ne remissus fiat aut tepidus. Custodiat igitur omnes exteriores interioresque sensus, potissime in divinis, nec per corporis membra agat quidquam injustum : imo verbum Dei, doctrina Scripturæ, informatio præsidentis sint lucerna pedibus suis, et lumen semitis suis, ut conversetur in omnibus secundum eloquia Scripturarum, quemadmodum Salomon cohortatur : Serva mandata et legem quasi pupillam oculi tui ; liga eam in digitis tuis, et in tabulis cordis tui scribe eam. Qui rursus testatur : Mandatum lucerna est, et lex lux, et via vitæ increpatio disciplinæ. Subditus quoque perpendat quod in Ecclesiastico legitur : Quam bonum est, correptum ostendere pœnitentiam ; quod item in Proverbiis fertur : Egestas et ignominia ei qui deserit disciplinam ; qui autem acquiescit arguenti, glorificabitur : quod etiam Samuel dixit, Quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare, et quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere. *Ps.* CXVIII, 105. *Prov.* VII, 2, 3. *Ibid.* VI, 23. *Eccli.* XX, 4. *Prov.* XIII, 18. I *Reg.* XV, 23.

Præterea, quam diligentissimus sui ipsius custos, quam humilis propriæ conditionis recognitor, quam profundus divinorum contemplator mysteriorum fuerit Marcus sanctissimus, constat ex eo quod pollicem sibi legitur abscidisse, ne ad sacerdotium promoveretur. O quantum verebatur ac reverebatur majestatem atque justitiam Dei ; quam profunde penetravit verba Apostoli, Qui manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit ! Quod antequam scriberetur agnovit, intuensque expavit. Quid ergo est, quod nos miseri, I *Cor.* XI, 29.

pauperes et pusilli, sacra mysteria tam irreverenter tractamus, tam imparati accedimus, et post celebrationem tam inconsiderate conversamur, tam incustoditi sumus atque ingrati, mox ad pristinas levitates, fabulationes, dissolutiones, gulositates et insipientias redeuntes ? Cur non intuemur præallegata verba Apostoli, et quod denuo tam terribiliter intonat, Quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini ? Emendemus ergo nos valde, et ante celebrationem nos efficaciter præparemus ; in celebratione, pura, elevata ac fervida mente stemus ; post celebrationem custoditi, devoti, amorosi, suaves et grati perseveremus : imo tota conversatio nostra sit una ad celebrandum præparatio continua. Videmus quod laici eo quo communicant die, morigerati sunt et devoti præ solito : quanto magis nos qui quasi quotidie celebramus, quotidie maturi, faceti, devoti esse debemus, imo quotidie devotiores, custoditiores ac ferventiores ? Quia quo sæpius celebramus, eo perfectiori id mente facere nos oportet. Alioqui ubi fructus quotidianæ celebrationis ? ubi quotidianus profectus ? Nonne non proficiens, deficit ?

1 *Cor.* xi, 27.

Postremo, beatissimus Marcus non solum prætactam ob causam rite « leo » vocatur, sed item propter fortitudinem sui animi in adversis, et quia terribile genus mortis pro fide et Deo patientissime tulit, atque in omni eventu in Deo constans permansit, implens quod ait Scriptura : Justus quasi leo confidens, absque terrore erit. Instar quoque leonis, oculis dormivit apertis, quia corporaliter sic dormivit quod sobriissima ac ferventissima mens sua frequenter fuit Deo intenta, juxta quod scriptum est : Ego dormio, et cor meum vigilat. Ejus ergo fortitudinem imitemur, ejus patientiam in cunctis adversitatibus amplectamur, ejus constantiam in omni sectari eventu conemur, ne inordinate contristet nos quidquid acciderit nobis, ne propria animositate vincamur, ne corruamus sub vitiis, sed viriliter semper stemus in Domino.

Prov. xxviii, 1.

Cant. v, 2.

Prov. xii, 21.

IN FESTO

SS. PHILIPPI ET JACOBI

APOSTOLORUM

ENARRATIO IN LECTIONEM LOCO EPISTOLÆ

STABUNT JUSTI IN MAGNA CONSTANTIA, ETC. Sap. v, 1-5.

LECTIO ista in horum festivitate Apostolorum rationabiliter legitur, quia in ea docetur quid in judicii die intererit inter bonos et malos, inter electos et reprobos. Itaque Sapiens asserit :

Stabunt justi in magna constantia, id est fortitudine et securitate in die judicii generalis, *adversus eos qui se angustiaverunt,* id est, terrores, minas, oppressiones et mortem eis intulerunt; *et qui abstulerunt labores eorum,* id est, possessiones eorum violenter diripuerunt. Vel, « qui abstulerunt labores eorum », id est, opera eorum virtuosa laboriose peracta, dixerunt esse inania aut non veraciter bona. *Videntes* judicem Christum, et justos cum eo judicaturos, *turbabuntur timore horribili,* id est, vehementissimus timor eos concutiet, penetrabit, confundet. *Et mirabuntur in subitatione insperatæ salutis,* id est in accelerata eventione felicitatis justorum, quam futuram esse non crediderunt, nec speraverunt, *dicentes intra se* per cogitationem, *pœnitentiam agentes,* id est, de suis peccatis dolentes pœnitentia infructuosa et sera, quia non veniet ex caritate et zelo justitiæ, nec erunt in statu merendi ac demerendi, sed orietur pœnitentia illa ex servili timore, et ex afflictione quam patientur; *et præ angustia spiritus,* id est ex pœnali oppressione et perterritione cordis sui, *gementes* quod ad tantam devenerunt miseriam :

Hi sunt quos aliquando, scilicet in sæculo isto et vita præsenti, *habuimus in derisum,* juxta illud Job : Deridetur justi simplicitas. Sic in die Pentecostes prædicantibus Apostolis, infideles Judæi irridendo dixerunt, Quia musto pleni sunt isti. *Et in similitudinem improperii,* id est in exemplum vituperationis, ita quod improperantes alicui dicebant : Sis ut ille; aut, Eveniat tibi ut illi. Unde sanctus Job ait : Posuit me in proverbium vulgi. Et Judæi obstinati dixerunt cæco a nativitate quem Christus fecit videntem : Tu discipulus illius sis, scilicet Christi. Quod animo maledicendi locuti sunt. *Nos insensati,* id est salutari sapientia destituti, *vitam illorum æstimabamus insaniam,* id est fatuitatem : quia præsentia atque carnalia despexerunt, in quibus perversi suam constituunt felicitatem. Unde in Evangelio legitur, quemadmodum Christo contra avaritiam prædicante, Pharisæi, qui avari erant, irridebant eum, dicentes : Insanit;

Job XII, 4.

Act. II, 13.

Job XVII, 6; XXX, 9.

Joann. IX, 28.

Luc. XVI, 14. *Joann.* X, 20.

quid eum auditis? Impii namque et carnales habent rationem vitiis et erroribus obtenebratam : idcirco judicant stulte. *Et finem illorum,* puta justorum, æstimabamus esse *sine honore,* id est absque retributione gloriosa a Deo. Quocontra ait
Ps. CXV, 15. Psalmista : Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus. *Quomodo* ergo *computati sunt inter filios Dei,* id est angelos sanctos (de quibus ad Job loquitur Dominus, Ubi eras, quum me laudarent astra matutina, et jubilarent omnes filii Dei), *et inter Sanctos sors* (id est pars seu felix merces) *illorum est?* Ac si dicant : Miramur de isto, quod tam inopinate accidit ita, videlicet nobis tam male, et illis tam bene.

Job XXXVIII, 4, 7.

SERMO PRIMUS

DE DIFFERENTIA RETRIBUTIONIS JUSTORUM ET IMPIORUM, ET QUOMODO HIC JUSTI PREMANTUR AB IMPIIS.

VOS qui secuti estis me, sedebitis super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel. Matth. XIX, 28.

In his verbis Christus promisit sanctis Apostolis, et in eorum persona omnibus apostolicam vitam ducentibus, puta religiosis omnibusque perfectis, quod in die judicii sessuri sint secum et judicaturi genus humanum. Judicabunt quippe per assessoriam dignitatem, et omnes electi judicabunt per sententiæ Judicis approbationem. Et de his justis atque perfectis in lectione hac dicitur, quod in die judicii
Sap. V, 1. stabunt cum Christo in magna constantia contra suos persecutores : quia de sua salvatione erunt securi, præsertim qui ante horam illius judicii ad beatificam Dei fruitionem pertingunt. Tunc utique erunt in gaudio magno, quia damnationem evaserunt æternam. Nec reprobis suisque adversariis condolebunt, sed zelo justitiæ contra eos movebuntur. Propter quod præ-
Ps. LVII, 11. dixit Propheta : Lætabitur justus, quum viderit vindictam; manus suas lavabit in sanguine peccatoris. In Job quoque asseri-
Job XXII, 19. tur : Videbunt justi et lætabuntur, et innocens subsannabit eos. Tunc enim Beati et justi erunt divinæ justitiæ plenarie conformati, et congratulabuntur eidem in justa punitione pravorum, quia tunc tempus erit rigoris justitiæ, non dulcoris misericordiæ circa iniquos.

Denique, in lectione hac hodierna valde compendiosa continentur multa saluberrima documenta. Primum est de differentia retributionis justorum et injustorum : quoniam Sancti erunt in grandi constantia, in æterna lætitia, in beatitudine plena; impii autem, in timore horribili, in admiratione pœnali, in pœnitentia sterili, in gemitu atque angustia æternali, in incendio infernali. Hinc in Malachia scriptum est : Convertemini, et videbitis quid sit inter justum et impium, et inter servientem Deo et non servientem ei. Ecce enim dies veniet succensa quasi caminus; et erunt superbi, et omnes facientes impietatem, stipula; et inflammabit eos dies veniens. Et orietur vobis timentibus Deum Sol justitiæ; et salietis quasi vituli de armento. Hinc ait Gregorius : In extremo judicii die, dum apertis cœlis, ministrantibus angelis, consedentibus Apostolis, Christus in sede majestatis suæ apparuerit, omnes electi ac reprobi pariter eum videbunt, ut justi de munere retributionis sine fine gaudeant, et injusti de ultione supplicii in perpetuum gemant. Hieronymus quoque : Judicaturo (inquit) Domino, lugubre mundus immugiet, et tribus ad tribum pectora

Malach. III, 18; IV, 1, 2.

ferient; potentissimi quondam reges nudo latere palpitabunt. O quantus horror corda iniquorum tunc penetrabit, quum viderint Judicem summum contra se tam iratum, seque protinus in sempiterna, acerbissima ruituros tormenta! Tunc namque, ut ait Anselmus, a dextris erunt peccata accusantia, a sinistris infinita dæmonia ad accusandum pronissima; subtus horrendum chaos inferni, superius Judex iratus; intus conscientia urens, foris mundus ardens. I *Petr.* IV, 18. Ibi justus vix salvabitur. Heu! miser peccator sic deprehensus quo fugiet? Impossibile erit latere, intolerabile apparere.

Secundo in lectione ista docetur, quod sit pœnitentia quædam infructuosa, illa videlicet qua quis dolet de suis peccatis, non in quantum sunt inhonorativa offensivaque Dei, et in se turpia et iniqua, hoc est non ex Dei amore et zelo justitiæ, sed in quantum sunt sibi ipsi nociva damnationisque causa, utpote ex solo servili timore, seu improbo et privato sui ipsius amore. Ex hoc namque quod homo amat se in se, sequitur quod horret sui ipsius punitionem, et dolet de causa punitionis, scilicet de peccato, in quantum est causa suæ afflictionis. Denique de isto legitur exemplum horribile in libro secundo Machabæorum de Antiocho rege iniquo, qui quum in gravi esset constitutus languore, ex propria vexatione ad sui ipsius cognitionem perductus, dixit : Justum est subditum esse Deo, et mortalem non paria Deo sentire. Orabat autem hic scelestus (id est vitiosus iste Antiochus) Dominum, a quo non erat misericordiam consecuturus. Promisit etiam se templum Dei in Jerusalem, quod prius exspoliaverat, donis optimis ornaturum, et sancta vasa multiplicaturum, et pertinentes ad sacrificia sumptus de suis redditibus præstiturum; super hæc et Judæum se futurum, et omnem locum Terræ sanctæ perambulaturum, et prædicaturum Dei potestatem. Et tamen hæc omnia ei nil profuerunt, sed in æternum damnatus est. Simili modo dicit Apostolus ad Hebræos de Esau, quod non invenit pœnitentiæ locum, quanquam cum lacrimis inquisisset eam. — Verumtamen nulli debet dari desperationis occasio, quia quamdiu durat hæc vita, est homo in statu merendi ac demerendi : ideo potest salubriter pœnitere. Sed ex præhabitis patet, quam periculosissimum sit pœnitentiam diu differre, præsertim usque ad gravem infirmitatem aut senectutem, quia tunc rara est pœnitentia vera. Et quamvis quidam in extremis videantur plurimum pœnitere, non tamen salvantur, quoniam ex servili timore, hoc est ex formidine condemnationis æternæ, non ex caritate et zelo justitiæ, pœnitent. Cujus signum est, quod si diutius vivere possent, nec mortem timerent, aut sanarentur, mox ad solita redirent peccata. Pœniteat ergo unusquisque tempestive, et ex odio culpæ, atque ex Dei amore, maxime dolens quod tam benignissimum Patrem offendit, tam altissimum, sanctissimum et superdignissimum Deum inhonoravit.

Tertio ex lectione hac informamur, quod electi Dei et justi in vita præsenti ab infidelibus et iniquis deridentur, spernuntur ac fatui reputantur. Unde et Christus ait in Psalmo : Omnes videntes me, deriserunt me. Atque ex Evangelio patet, quantas subsannationes, blasphemias, detractiones, injurias a Judæis pertulerit ante suam passionem, in ea et post eam. Sic et sanctus Job dixit : Nunc autem derident me juniores tempore. Unde et quarto Regum habetur, quemadmodum principes dixerunt ad Jehu de filio Prophetarum quem Eliseus misit ad Jehu : Quid venit insanus iste ad te? Nam qualis quisque est, taliter judicat. Impii ergo peccatis corrupti, vitiis excæcati, et in rationis judicio prorsus infecti, quoniam iniquitatem amant, terrena et carnalia sapiunt, quæ spiritualibus et divinis præferunt bonis, bonum judicant malum, et econtra : sicque vitam justorum putant insaniam. Sicque videmus quotidie, quod quidam parentes et propinqui carnales, reputant filios et cognatos suos religionem intrantes, vel-

II *Mach.* IX, 7 et seq.

Ibid. 12.

Hebr. XII, 17.

Ps. XXI, 8.

Job XXX, 1.

IV *Reg.* IX, 11.

Sap. V, 4.

ut insanos et insipienter agentes; et mundani, pomposi, lascivi derident quosdam devotos et simplices abjecte humiliterque vestitos. Ideo in Ecclesiastico legitur : Abominatio est superbo humilitas ; sic et exsecratio diviti pauper. Itaque si optamus esse de numero electorum filiorumque Dei, non dedignemur perferre persecutiones, irrisiones et odia mundi, sed gaudeamus et regratiemur Deo in talibus, confidentes quod in die judicii inter Dei filios inveniemur. Nam et Salvator loquitur sanctis Apostolis, et in eorum persona cunctis electis : Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit. Si de mundo essetis, mundus quod suum erat diligeret. Quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. Postremo, sic et beatissimi isti apostoli Philippus et Jacobus diversas cum Christo perpessi sunt tribulationes, irrisiones et persecutiones ante ipsius passionem, et in ea, ac postea. Propter quod Christus dixit ad eos in Cœna novissima : Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis. Et rursus : Venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur se obsequium præstare Deo. Itemque : Eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum. Quæ omnia generaliter Apostolis est locutus. In sequentibus vero sermonibus, mentio erit de specialibus horum felicium Apostolorum persecutionibus atque martyriis.

Eccli. XIII, 4.

Joann. XV, 18, 19.

Luc. XXII, 28.

Joann. XVI, 2.

Matth. X, 22.

ENARRATIO IN EVANGELIUM

NON TURBETUR COR VESTRUM. Joann. XIV, 1-13.

EVANGELIUM festi præsentis ex sermone Christi post Cœnam Apostolis facto est sumptum : quod in solennitate hac legitur, quia in eo speciale quid de beatissimo Philippo apostolo continetur. Itaque Joannes scribit :

Dixit Jesus discipulis suis, puta Apostolis : *Non turbetur cor vestrum.* Ante ait Salvator : Nunc anima mea turbata est. Et rursus : Quum hæc dixisset Jesus, turbatus est spiritu. Quomodo ergo nunc ait Apostolis, « Non turbetur cor vestrum », præsertim quum ejus actio sit nostra instructio, ipseque cœperit facere et docere? Respondendum, quod verba illa de Christi turbatione, intelligenda sunt de turbatione inferioris partis animæ sponte assumpta, judicium rationis sequente, nec eam impediente. Quæ turbatio fuit propassio magis quam passio, secundum Hieronymum. Ad quod innuendum, scriptum est : Jesus infremuit spiritu, et turbavit se ipsum. Porro quod Christus nunc ait, « Non turbetur cor vestrum », intelligendum est de turbatione immoderata rationem præveniente et offuscante, quæ paci et tranquillitati opponitur : quæ turbatio oritur ex immoderatis passionibus animæ, utpote ira, dolore, tristitia et timore. Quoniam ergo Apostoli fuerunt in Cœna vehementer contristati ac territi, quia audierunt a Christo, quod unus eorum eum esset traditurus, et omnes in eo scandalum essent passuri ; hinc eos admonuit ne ex immoderatis tristitia et timore perturbarentur, sed ad tranquillitatem mentis in Deo se darent. Ideo subditur :

Creditis in Deum unum, verum et vivum, *et in me credite,* quia et ego verus sum Deus : ideo consequens est, ut si in Deum creditis, in me quoque credatis. Per quod Christus se Deum esse insinuat : quia non est credendum nisi in verum Deum, quum fides sit theologica virtus,

Joann. XII, 27.

Ibid. XIII, 21.

Act. I, 1.

Joann. XI, 33.

Matth. XXVI, 21, 22, 31.

cujus objectum est Deus seu veritas prima. Itaque per hæc verba testatur se Christus cum suis discipulis semper esse divina majestate mansurum, et per consequens se posse eos conservare ac consolari.

Deinde consolatur eos commemoratione ac pollicitatione felicitatis futuræ, dicendo : *In domo Patris mei,* id est in paradiso cœlesti, in cœlo empyreo, in triumphanti Ecclesia, in patria Beatorum, *mansiones multæ sunt,* id est diversi gradus præmiorum, juxta diversitates et gradus meritorum : quoniam quo electi in vita hac in divino amore perfectiores fuerunt, eo clarius vident Deum atque jucundius eo fruuntur. Nam caritatis fervori seu perfectioni, essentiale præmium, quod est visio seu fruitio Dei, est correspondens. Denique beatitudo Sanctorum, seu beatifica visio Dei, una est ex parte objecti, quod est simplicissimus Deus. Unde *Matth.* xx, 9, 10. omnibus in vinea laborantibus, id est in Ecclesia militanti virtuose viventibus, idem diurnus dicitur dari denarius, per quem vita designatur æterna. Sed ex parte subjecti diversificatur atque distinguitur felicitas ista, juxta merita mentium Deo fruentium.

Si quo minus, id est, si aliter aut minus esset quam vobis nunc dixi, videlicet si in domo Patris mei mansiones multæ non essent, *dixissem vobis* quod subditur : *Quia,* id est quod, *vado parare vobis locum,* id est mansionem in domo Patris cœlestis. Sed hoc non debui dicere, quoniam jam paratæ sunt mansiones istæ quantum est ex parte Dei, qui ex sua liberalissima bonitate paratus est dare mansionem cœlestem omnibus ad eam sufficienter dispositis. Unde in die judicii dicturus est *Ibid.* xxv, 34. Christus electis : Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi.

Verumtamen mansiones istas Christus per suam passionem præparavit fidelibus, quoniam virtute et merito Christi eas acquirunt. Ipse equidem sua passione aperuit aditum regni cœlestis, et gratiam nobis promeruit ac largitur. Ideo subditur : *Et si abiero,* id est, per passionem et ascensionem meam corporaliter a vobis recessero, *et præparavero vobis locum,* id est, felicitatem æternam promeruero vobis per mei sanguinis effusionem, ascendendo quoque dedero vobis spem ascendendi, quia capitis præcessio spes exstat membrorum. Propter quod fertur in Hymno : Est elevatus nubibus, et spem fecit credentibus, etc. *Iterum venio,* id est, in morte cujuslibet vestrum redibo ad vos, saltem invisibiliter et per effectum, per angelos quoque quos mittam ut animas vestras ad meum perducant tribunal ; *et accipiam vos ad me ipsum,* id est, in cœlesti gloria collocabo, *ut ubi sum ego, et vos sitis,* videlicet in cœlo empyreo et in beatifica Divinitatis fruitione. Hinc in Apocalypsi ait Unigenitus Dei : Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo. Et *Apoc.* III, 21. alibi : Pater, quos dedisti mihi, volo ut *Joann.* XVII, 24. ubi sum ego, et illi sint mecum, ut videant claritatem meam. Vel sic : « Iterum venio », id est, in fine sæculi ad judicandum visibiliter redibo, prout angeli sunt locuti : Quemadmodum vidistis eum ascen- *Act.* I, 11. dentem in cœlum, ita veniet. « Et accipiam vos ad me ipsum », id est, in anima et corpore glorificatos vos transferam ad cœlestis palatii aulam.

Et quo ego vado scitis, id est, per fidem aliquo modo cognoscitis, quod per passionem et ascensionem vado ad Patrem cœlestem ac patriam Beatorum, prout sæpius retuli vobis. *Et viam* qua ad Patrem vado *scitis,* utpote passionem meam jam imminentem, quam frequenter vobis prænuntiavi. Vel, « viam », id est me ipsum, ut infra habetur et exponetur, « scitis », id est cognoscitis.

Dicit ei Thomas, loquens in persona sui et condiscipulorum, saltem quorumdam : *Domine, nescimus quo vadis ; et quomodo possumus viam scire?* quasi dicat : Non possumus eam agnoscere. Videtur S. Thomas apostolus verbis sui magistri directe contradixisse. Nam Chri-

stus dixit : Quo ego vado scitis, et viam A scitis ; Thomas vero : Domine, inquit, nescimus quo vadis, etc. Verumtamen non putavit Christum aliquid falsum dixisse, nec intendebat verba ipsius reprobare ; sed æstimavit dictum Christi et suum posse simul verificari, quoniam Christus frequenter loquebatur figuraliter et obscure. Denique utriusque verba fuerunt vera, quia Apostoli aliquo modo sciebant quo Christus iret et viam per quam, et aliquo modo hæc nesciebant. Sciebant namque viam et terminum itineris Christi confuse B et incomplete, non determinate et perfecte. Rursus sciebant illa materialiter, non formaliter. Sciebant equidem ea per fidem quoad id quod sunt, non autem sub propria et formali ratione qua hujusmodi sunt. Nam noverant Patrem aliquo modo per fidem : audierant namque quotidie, quod Christus vocavit Deum altissimum suum Patrem. Similiter Christum aliquo modo noverunt, non tamen noverunt quod ipse esset via, et Pater terminus viæ hujus quæ Christus est.

Hinc subditur : *Dicit ei Jesus,* probans quod materialiter noverant viam, quoniam noverant ipsum Jesum Christum, qui via est : *Ego sum via* qua itur ad Patrem spirituali accessu, per mentis conversionem ad ipsum, hoc est per fidem, spem, caritatem, ceterasque virtutes. Hoc competit Christo secundum quod homo est, Dei ac hominum mediator, advocatus ac pontifex hominum, et reconciliator eorum cum Deo. Ego quoque sum *et veritas, et vita.* Hoc competit Christo secundum naturam D divinam, qua ipse et Pater ac Spiritus Sanctus sunt una veritas prima et exemplaris, unaque vita actualissima, simplicissima, superessentialis, fontalis, omnem vivendi plenitudinem ac beatitudinem cum infinita perfectione in se habens. Itaque Christus est via per quam, veritas in qua, vita ad quam imus. Consequenter ostendit se esse viam. *Nemo venit ad Patrem,* in præsenti per gratiam, nec in futuro per gloriam, *nisi per me* mediatorem salvatoremque mundi, id est, nisi habeat fidem de me, meque sequatur, et merito passionis meæ gratiam consequatur. Imo, nunquam adultus aliquis est salvatus, nisi habendo fidem de Christo, ad minus implicitam. Tempore vero evangelicæ legis nemo conjungitur Deo Patri, nisi per sacramenta a Christo instituta, quæ a Christi passione efficaciam sortiuntur et gratiam. Quæ sacramenta oportet accipere realiter, si adsit facultas, tempore opportuno ; si vero desit facultas, sufficit ea accipere voto seu desiderio.

Si cognovissetis me, et Patrem meum utique cognovissetis. Jam dixit Salvator, Et quo ego vado scitis, et viam scitis, videlicet quia Patrem et Filium cognoscebant : quomodo ergo nunc ait, « Si cognovissetis me, et Patrem meum utique cognovissetis », quasi nec Filium nec Patrem cognoverint? Dicendum, quod quodam modo non noverunt, ut sit sensus : « Si cognovissetis me », fide perfecta, secundum deitatem meam, « et Patrem me- C um utique cognovissetis », eodem modo et tam clare ut me : primo, propter Patris et Filii substantialem identitatem ac unitatem ; secundo, quoniam Pater et Filius sunt correlativa, quorum proprietas est, quod uno cognito, cognoscitur reliquum ; tertio, quoniam Pater et Filius tam similes sunt, ut uno cognito, alius cognoscatur ; quarto, quoniam Filius est perfecta et naturalis imago Patris, in qua quidquid Patris est, plenissime lucet et repræsentatur. *Et amodo,* id est ex hoc tempore, seu D post illud, videlicet post missionem Spiritus Sancti, *cognoscetis eum* magis perfecte quam modo, videlicet per donum sapientiæ, per fidem clarissimam, per purificatæ mentis intelligentiam, atque in patria facie ad faciem, hoc est clare per speciem, sicut est in se ipso ; *et vidistis eum* visione interiori, confusa et imperfecta, eo modo quo vidistis me secundum naturam divinam. Crediderunt namque Apostoli omnia verba Christi esse vera : et quoniam Christus dixit se Patri consubstantialem,

Tim. II, 5; *Joann.* II, *Hebr.* IX,

I *Cor.* XIII, 12; I *Joann.* III, 2.

Joann. x, 30. asserendo, Ego et Pater unum sumus, ac multa similia; idcirco Apostoli cognoverunt aliquo modo Christum secundum divinitatem, quamvis illa cognitio fuerat multum imperfecta.

Dicit ei Philippus : Domine, ostende nobis Patrem, id est, ad perfectam Dei Patris notitiam perduc nos, *et sufficit nobis,* id est, nil amplius requiremus : quoniam in clara Dei notitia consistit felicitas, qua adepta, mens contentatur in Deo; nec Pater seorsum cognoscitur, sed una divina persona per speciem nota, tota superbenedicta cognoscitur Trinitas.

Dicit ei Jesus : Tanto tempore vobiscum sum, id est, tam diu conversatus sum inter vos, et multa de Deo vos docui, *et non cognovistis me* distincte, videlicet quod sim Deus Dei Unigenitus et homo in una persona : quod toties vobis insinuavi? In quo patet magna simplicitas, imo et ruditas vestra. Sed quum Philippus dixerit, Ostende nobis Patrem, cur Christus increpat eum ac alios de hoc quod ipsum Filium nondum noverunt? Dicendum quod ideo, quoniam causa ignorandi Patrem, fuit ignorantia Filii, et quia per idem est ignorare Filium et Patrem. Propter quod subditur : *Philippe, qui videt me,* id est, intellectualiter me cognoscit secundum quod Deus sum, *videt et Patrem* oculo mentis, eo modo quo videt me : qui enim videt me per fidem, videt et Patrem per fidem, et qui videt me per speciem, videt et Patrem per speciem. Hoc est quod paulo ante disseruit : Si cognovissetis me, et Patrem meum utique cognovissetis. Cujus assignatæ sunt quatuor rationes : quarum unam tangit Augustinus, dicendo quod Christus hoc dixit propter omnimodam similitudinem sui cum Patre : quemadmodum de duobus valde similibus dicimus, Vidistis istum, illum vidistis. *Quomodo tu dicis, Ostende nobis Patrem,* quasi nullo modo videritis eum, et quasi seorsum cognosceretur Pater sine me, et quasi cognitio Patris dignior esset quam cognitio mei? Hæc quippe videtur Philippus in suis verbis A sensisse. Idcirco increpatur a Christo cor ejus inspiciente.

Non credis quia ego secundum deitatem sum *in Patre, et Pater in me est?* Quælibet enim divina persona est in alia per identitatem essentiæ, quæ in tribus numero una est, et quæ cum unaquaque persona realiter idem est : ideo ubi divina essentia, ibi quælibet divina persona. Hunc modum ponit S. Hilarius. Porro, secundum Damascenum, quælibet divina persona est in alia per circumincessionem, quoniam B coimmensæ sunt. Insuper Pater est in Filio sicut in naturali imagine ipsum perfecte repræsentante; Filius quoque in Patre tanquam in proprio sempiternoque fonte, a quo immanenter egreditur et inegressibiliter oritur. Rursus Filius est in Patre sicut verbum internum ac immanens in proferente, et sicut conceptus in concipiente. Postremo unaquæque divina persona est in alia sicut cognitum et amatum in cognoscente et amante comprehensive, simpliciter atque omnino plenarie : ita quod C quælibet divina persona cognoscit ac diligit aliam quantum cognoscibilis amabilisque consistit, utpote notitia claritatis immensæ, et infinito prorsus amore.

Verba quæ ego loquor vobis per corpus meum, *a me ipso non loquor,* quoniam quidquid sum et habeo, a Patre accepi, a quo sapientiam potentiamque suscepi. Denique Christus secundum quod homo, loquebatur in omnibus ex inspiratione et regulatione æternæ et increatæ Sapientiæ, cujus instrumentum animatum conjunD ctum fuit ejus humanitas. *Pater autem in me manens, ipse facit opera.* Pater mansit in Christo secundum naturam assumptam, quia per maximam gratiam habitavit in eo sicut in templo. Mansit quoque Pater in Christo secundum quod Deus est, quia per essentiæ unitatem et circumincessionem ac aliis modis jam tactis æternaliter est in eo. Pater itaque fecit opera et miracula Christi dupliciter : primo, quoniam operabatur per ejus humanitatem sicut per instrumentum, atque per Chri-

stum ut hominem tanquam per ministrum; secundo, quoniam Patris et Filii opera sunt indivisa, quum eorum sit una essentia et una potentia. Specialiter etiam dicitur Pater omnia fecisse per Filium sicut per Verbum æternum, juxta illud Joan- *Joann.* I, 3. nis : Omnia per ipsum facta sunt.

Deinde alloquitur discipulos in communi : *Non creditis quia ego in Patre, et Pater in me est?* juxta sensum expositum. Quasi dicat : Imo credere hoc debetis. *Alioqui propter ipsa opera credite,* id est, si propter verba mea non creditis hoc, propter miracula mea quæ vidistis, hoc credite, quoniam multa feci miracula, quæ fieri nequeunt nisi a Deo omnipotente, per quæ Pater confirmavit meam doctrinam. *Ibid.* x, 25. Unde alibi loquitur Christus : Opera quæ dedit mihi Pater, testimonium perhibent de me. *Amen, amen,* id est vere, vere, *dico vobis, qui credit in me* per fidem perfectam, *opera,* id est miracula, *quæ ego facio, et ipse faciet,* id est similia eis, non sua sed mea virtute. Hinc apud Marcum *Marc.* XVI, 17, 18. ait : Signa eos qui crediderint hæc sequentur : In nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, etc. *Et majora horum faciet,* id est majora signa quam ego. *Quia ad Patrem vado,* id est, quia ad Patrem ascendendo, plenarie glorificabor in me ipso atque in omni populo cui ubique terrarum prædicabitur lex mea : ideo dabo vobis virtutem faciendi majora miracula quam egomet feci, secundum quod ad conversionem omnium gentium hoc erit necessarium. Vel : « Quia ad Patrem vado », id est, per hoc quod ad Patrem ascendo, fiet quod mittam vobis Spiritum Sanctum : quo suscepto, facietis majora prodigia quam egomet feci, non quod virtus et gratia Spiritus Sancti erit major in vobis quam fuit in me, sed quoniam decens est ut impassibilis factus, atque ad dexteram Dei Patris residens, per majora signa glorificer per meos ministros, quam antea per me ipsum.

Sed circa hæc oritur quæstio, quia videtur ex his quod nullus vere credat in Christum, nisi operetur miracula Christi, imo et majora quam ipse. Respondetur, quod Christus ad litteram loquitur de perfectis et certis fidelibus, ad hoc a Deo electis ut in fide Christi tanta operarentur miracula, præsertim Apostolis et apostolicis viris tempore primitivæ Ecclesiæ, et sæpe postea tempore opportuno. Denique beatissimus Petrus apostolus videtur fecisse miracula majora quam Christus, quoniam per corporis sui umbram curavit infir- *Act.* V, 15. mos; et quidam Apostolorum suscitaverunt plures defunctos quam Christus.

Et quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, id est per virtutes et merita mea; vel, « in nomine meo », id est salubriter, quoniam nomen meum est Jesus, quod interpretatur Salvator, vel salutaris : *Matth.* I, idcirco in nomine meo petit, qui salu- 21. taria deprecatur. *Hoc faciam,* id est, exaudiam vos. Per quod Christus innuit se exaudire cum Patre, et per consequens, se esse Patri æqualem ac verum Deum : quoniam gratias et virtutes dare, salutem conferre, in omnibus exaudire, non potest competere nisi vero omnipotentique Deo.

SERMO SECUNDUS

QUIBUS EST LAUDANDUS B. PHILIPPUS, ET QUÆ IN EO SUNT IMITANDA.

INVENIT Jesus Philippum, et dicit ei : Sequere me. Joann. I, 43.

Gloriosus et sanctus Dei apostolus Philippus, ex Evangelio probatur multipliciter esse laudabilis. Primo, quia ut aliqui dicunt, inter omnes Apostolos primo a

Christo vocatus est ad suum discipulatum. Quamvis enim ante Philippi vocationem
Joann. I,38-40. dixerit Christus Andreæ et socio ejus, Venite et videte, videlicet ubi habitem, non tamen fuerunt a Christo ad suum discipulatum vocati. Nec ipse primo vocavit eos; sed ipsi auditis verbis magistri sui Joan-
Ibid. 36-39. nis Baptistæ, dicentis de Christo, Ecce Agnus Dei, secuti sunt Jesum, dixeruntque ei : Rabbi, ubi habitas? Qui respondit :
Ibid. 43. Venite et videte. Statim post hoc rediens Jesus a loco prope Jordanem in Galilæam, invenit Philippum; et vocans eum ad suum discipulatum, locutus est ei : Sequere
Matth. IV, 19. me. Post hæc vocavit Christus Petrum et Andream ad sequendum se. Fuit ergo beatus iste Philippus multum a Christo electus, qui tam cito et primo vocavit eum ut sequeretur se.

Secundo laudabilis est a sua docilitate et obedientia. Statim namque acquievit vocationi Christi, et secutus est eum mente et corpore, quum tamen nondum viderit eum miracula facientem : siquidem
Joann. II, 1 et seq. conversio aquæ in vinum facta in nuptiis, fuit post istam vocationem. Nec mirum quod Philippus statim secutus est Dominum Salvatorem, quoniam ipse erat vo-
Marc. I,22. cans, loquens et docens sicut potestatem habens : et sicut exterius vocavit verbo vocali, sic intus vocavit et inclinavit mentis auditum instinctu atque virtute spirituali. Et quoniam Deus fuit, potuit immediate in voluntatem hominum agere et imprimere, et eam pro suo libitu immutare, afficere, hinc indeque vertere. — Itaque et nos exemplo sanctissimi Philippi apostoli, docilis simus, non pertinaces in proprio sensu : quia docilitas est pars prima prudentiæ, mentem ad ejus susceptionem disponens ac reserans. Qui ergo indocilis est, prudentiæ non est capax, sed immansivus in proprio sensu : ideo in diversa ruit pericula, in gravia quoque peccata variosque errores. Hinc loquitur Salomon :
Prov. I, 8, 9. Audi, fili mi, disciplinam patris tui, ut addatur gratia capiti tuo. Obediamus etiam prompte superioribus nostris, et inspirationi divinæ, cum Propheta dicentes : Au-
Ps. LXXXIV, 9. diam quid loquatur in me Dominus Deus. Nam Samuele propheta testante : Melior
I *Reg.* XV, 22, 23. est obedientia quam victimæ; quoniam tanquam scelus idololatriæ est, nolle acquiescere.

Tertio ex Evangelio commendatur Philippus apostolus a fervore caritatis fraternæ zeloque animarum. Mox enim quum fuisset a Christo vocatus, sollicitus fuit pro fratre suo carnali et ejus salute. Accessit namque fratrem suum Nathanael,
Joann. I,45, 46. dixitque ei : Quem scripsit Moyses in lege, et Prophetæ, invenimus Jesum a Nazareth; veni et vide. Fuit autem beatus iste Nathanael frater Philippi, doctus in lege, et tantæ innocentiæ ac virtutis, quod Christus videns eum venientem ad se, testimonium ei perhibuit, dicens : Ecce vere Is-
Ibid. 47. raelita, in quo dolus non est. Fuit etenim vir sincerus et rectus, simulatione, hypocrisi, fraude falsitateque carens. Propterea sincerissimo, rectissimo ac simplicissimo Deo fuit amabilis. — Cujus B. Nathanaelis sinceritatem rectitudinemque sequamur. Nam ut Malachias ait propheta, Maledictus
Malach. I, 14. dolosus. Et sanctus David : Virum (inquit)
Ps. V, 7. sanguinum et dolosum abominabitur Dominus. Insuper in prætacto fraternæ caritatis fervore imitemur felicem Philippum apostolum, et proximorum nostrorum conversionem et salutem fervide affectemus; gratiam quoque nobis concessam, eis caritative communicemus, quemadmodum princeps Apostolorum hortatur : Unusquis-
I *Petr.* IV, 10. que sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes. Itaque fratres et proximos nostros studeamus Christo adducere, eos hortando, informando, corripiendo, convertendo pro posse, in caritate et discretione. Nam sacrificium acceptissimum Deo est zelus animarum. Hujus oppositum agunt homines negligentes, carnali amore cæcati, qui proximorum suorum vident ruinam, iniquitatem atque pericula, nec tamen pro posse apponunt caritatis ac pietatis remedia. Quod in prælatis et superioribus maxime prorsus damnabile est,

Quarto commendatur S. Philippus a sapientia sua. Nam antequam fuit a Christo vocatus, scivit Moysen et Prophetas prædixisse de Christo. Unde a Christo vocatus, *Joann.* I, 45. statim dixit Nathanaeli : Quem scripsit Moyses, et Prophetæ, invenimus Jesum. Et dicunt nonnulli, quod antequam vocabatur a Christo, fuit discipulus S. Joannis Baptistæ, sicut Andreas. Porro Moyses scripsit in lege de Christo dupliciter. Primo, aliorum verba de Christo dicta narrando : ut *Gen.* XLIX, 10. quum ait, Non auferetur sceptrum de Juda, donec veniat qui mittendus est; et *Ibid.* 18. rursus, Salutare tuum exspectabo, Domine. Quæ sunt verba Jacob patriarchæ. Alibi quoque scribit in Genesi Deum dixisse ad Abraham, et item ad Isaac, ac postea *Ibid.* XXII, 18; XXVI, 4; XXVIII, 14. ad Jacob : In semine tuo benedicentur omnes gentes. Secundo scribit de Christo, pro- *Deut.* XVIII, 15. phetando de ipso, ut quum ait : Prophetam suscitabit vobis Dominus de fratribus vestris tanquam me.

Quinto laudatur S. Philippus a privilegio suæ vocationis ad apostolatum. Nam quamvis frater ejus Nathanael fuit doctor in lege et vir sanctus, Christus tamen præposuit ei Philippum, eum eligendo in apostolum.

Sexto ex Evangelio probatur laudabilis a sua humilitate. Quum etenim (sicut Jo- *Joann.* XII, 21, 22. annes ait) quidam gentiles in die Palmarum dixissent Philippo, Domine, volumus Jesum videre, Philippus ex humilitate et reverentia sua ad Christum, non statim per se ipsum præsumpsit ei id annuntiare, sed primo dixit Andreæ, deinde ipse et Andreas simul retulerunt hoc Salvatori. In hac ergo humilitatis virtute sectemur hunc sanctum Apostolum. Non simus audaces, nobis ipsis placentes, præsumptuosi, sed humiles, timorati et circumspecti in omnibus. Et superiores suos habeat in reverentia debita unusquisque, quoniam *Luc.* X, 16. Christus ait præsidentibus aliorum : Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit.

Insuper beatissimus iste Apostolus ex sua Legenda probatur multipliciter commendandus. Primo, a sua fructuosa et constantissima prædicatione. Nam annis viginti in regione Scythiæ prædicavit evangelicam legem, multos valde convertens. Quumque ibidem innumerabiles convertisset, presbyteros ac diaconos ordinavit præfecitque eis. Quo facto, in urbem Asiæ Hierapolim nomine, est profectus, et ibi hæresim Ebionitarum destruxit, plurimosque convertit. Habuit quoque tres filias sacratissimas virgines, per quas Spiritus Sanctus multos convertit ad fidem.

Secundo laudatur ab excellentia et virtute miraculorum suorum. Quum enim viginti annis prædicasset in Scythia, tenuerunt eum pagani, volentes ut Marti sacrificaret. Tunc repente draco magnus de sub vase egrediens, filium pontificis idolorum et duos tribunos, quorum ministri tenuerunt S. Philippum, occidit; ceteros autem paganos suo flatu vehementer inficiens, reddidit ægros. Quibus dixit Apostolus : Credite mihi, et hanc statuam Martis confringite, atque in loco ipsius Christum crucifixum adorate et colite, quatenus infirmi vestri curentur ac mortui suscitentur. Hi ergo qui cruciabantur, clamabant : Fac ut sanemur, et quæ præcipis faciemus. Tunc Philippus jussit draconi recedere neminique nocere. Qui protinus obedivit Apostolo, nec ultra comparuit. Mox igitur S. Philippus prece ad Dominum fusa, omnes illos infirmos curavit, atque tres mortuos suscitavit. Quibus peractis, conversi sunt universi.

Tertio commendatur a venerando ac sancto senio suo, et a glorioso suo martyrio. Quum enim octoginta octo esset annorum, ab infidelibus captus, cruci affixus est. In quo patet invictissima et victoriosa fortitudo animi ejus, quod in tam grandæva ætate supplicium tam præacerbum ita alacriter atque promptissime pertulit. Sepultæ sunt juxta eum devotissimæ filiæ ejus duæ, una a dextris, alia a sinistris ipsius; tertia vero alibi est sepulta.

Itaque hunc sanctum imitemur Aposto-

lum in omni patientia, fortitudine et perseverantia, et in adversis sicut in omnibus divitiis gloriemur; atque incomparabiliter plus optemus in vita præsenti pro nostris castigari peccatis, quam futuræ vitæ reservari tormentis : præsertim quum per pœnas vitæ præsentis non solum a nostris peccatis purgemur, verum etiam in gratia et virtutibus perficiamur, ac Christo propter nos passo conformemur; sicque æternæ beatitudinis promereamur gloriosum augmentum, et vitæ futuræ supplicia felici redimamus compendio, ad cœlestem quoque felicitatem et gloriam sempiternam celerius perducamur. Ad laudem et gloriam Omnipotentis.

SERMO TERTIUS

DE EXCELLENTIIS S. JACOBI APOSTOLI.

ERAT vir simplex et rectus, ac timens Deum, et recedens a malo. Job I, 1.

Verba hæc de sancto Job propheta ac patriarcha ad litteram scripta, de sanctissimo apostolo Jacobo verissime exponuntur. Hic præclarus Apostolus multis excellentiis est ornatus. Prima excellentia ejus est, sancta genealogia et propagatio ejus, quoniam consanguineus exstitit Christi, videlicet filius sororis Virginis gloriosæ, et ita de stirpe fuit Davidica; et erat cognatio ejus sanctissima, erantque consobrini ipsius Joannes evangelista et Jacobus frater ejus. Porro fratres Jacobi hujus, fuerunt sancti apostoli Simon et Judas, et Joseph justus, qui cum Matthia fuit statutus, ut unus eorum super quem sors veniret, esset apostolus.

Matth. XIII, 55. *Act.* I, 23.

Secunda excellentia ejus est, quod ab infantia fuit sanctissimæ vitæ, atque ut multi testantur, in utero matris sanctificatus, et ab omni mortali culpa immunis. Unde de ejus sanctitate sic scribit Hegesippus, Apostolorum vicinus temporibus, in quinto Commentariorum volumine : Suscepit Jerosolymorum Ecclesiam gubernandam frater Domini Jacobus, qui ab omnibus cognominatus est Justus, ab ipsis Christi temporibus perdurans usque ad nos. Hic ex matris utero sanctus fuit, vinum et siceram non bibit, carnes non comedit, nunquam attonsus est, oleo non est unctus, nec balneis usus; sindone, id est linea veste, fuit semper indutus; toties in oratione flexerat genua, ut callos in genibus sicut in calcaneis videretur habere, et in modum camelorum ejus genua durue-runt. Pro hac summa justitia appellatus est Justus, et populi munimentum, quoniam et pro populo deprecabatur assidue. Hic solus inter Apostolos ob nimiam suam sanctitatem permittebatur a Judæis ingredi Sancta sanctorum, non causa immolationis, sed orationis. Dicit quoque Hieronymus, quod tantæ sanctitatis ac reputationis fuit in populo, quod fimbriam vestimenti ejus certatim tangere cupiebant. Sed et Josephus, vir doctissimus, et Judæorum historiographus summus, testatur quod tantæ celebritatis seu reverentiæ ac sanctitatis fuit in plebe, quod propter ejus occisionem crediderunt subversam esse Jerusalem, et Judæorum factam dispersionem. Verumtamen propter Christi occisionem factum est hoc, quemadmodum ipsemet Christus legitur prædixisse. Denique Jacobus iste dicitur Jacobus Minor, non quia Jacobo fratre Joannis apostoli, qui dicitur Jacobus Major, sanctitate aut dignitate inferior, sed quia vocatione posterior : nam illum Christus vocavit ad se ante istum.

Luc. XIX, 42-44.

Tertia excellentia ejus est, privilegiata honoratio sibi ab Apostolis sanctis exhibita : quia ut ait Hieronymus in libro de Viris illustribus, post passionem Domini ab ipsis Apostolis est Jerosolymorum episcopus ordinatus, id est Christianorum illorum primitivæ Ecclesiæ in Jerusalem congregatæ post Christi passionem et Spiritus Sancti missionem. Nam quamvis beatissimus Petrus fuit generalis et summus omnium Christianorum prælatus ac præsul, ipse tamen voluit Jacobum istum esse specialem episcopum illorum fidelium; atque (ut Anacletus Papa affirmat, et in Decreto habetur) Petrus, Jacobus et Joannes eum ordinaverunt et consecraverunt episcopum. Dicitur quoque, quod Apostoli ei hunc exhibuerunt honorem, quod primus inter eos Missam celebravit. Et quia primus fuit Jerosolymitanus episcopus, sancti Apostoli illi in plūribus deferebant, et magnum ei impendebant honorem, ut patet ex libro Actuum Apostolorum. Unde quum Petrus liberatus fuisset de carcere sub Herode, dixit fidelibus : Nuntiate Jacobo et fratribus hæc. Et dum Paulus apostolus venisset Jerusalem, die sequente introivit ad Jacobum. Iste est Jacobus de quo ad Galatas scribit Apostolus, quod Petrus et Jacobus et Joannes videbantur columnæ esse.

Act. XII, 17.

Ibid. XXI, 18.

Galat. II, 9.

Quarta excellentia ejus est, præclara sapientia et doctrina ipsius : quæ in compendiosissima ejus patet epistola. Est namque epistola illa mirabiliter sententiosa : unde ex ea probatur, quantæ sapientiæ fuerit auctor ipsius. Erat etiam valde studiosus et humilis. Nam sicut in Itinerario suo recitat S. Clemens, felicissimus Jacobus iste rogavit S. Clementem ut omnia gesta, dicta et instituta S. Petri sibi describeret : quod etiam S. Clemens peregit. Et sicut in Decreto continetur, S. Clemens multa scripsit Jacobo huic apostolo.

Quinta excellentia ejus est, gloriosum martyrium ejus, et patientia magna quam habuit in adversis ; et quod tempore sui martyrii pro interfectoribus suis crudelissimis, flexis genibus exoravit. Legitur quippe, quod septimo sui episcopatus anno, convenientibus sanctis Apostolis in Jerusalem in festo Paschæ, interrogavit eos Jacobus coram populo quanta per eos Deus fecisset in locis ubi prædicaverunt ; retuleruntque ei coram plebe. Quumque per septem dies Jacobus aliique Apostoli coram Caipha ac multitudine Judæorum prædicassent, et prope esset ut credere baptizarique vellent, quidam Judæus templum ingrediens, cœpit clamare : O viri Israelitæ, cur vos a magis istis falli permittitis ? Atque in tantum concitavit ille diabolicus homo Judæos contra Apostolos, quod eos lapidare volebant. Ascendit quoque super gradum ubi apostolus Jacobus prædicavit, et præcipitavit eum deorsum, ita quod ex tunc plurimum claudicavit. Anno autem (ut legitur) tricesimo sui episcopatus, quæsierunt Judæi occasionem ut eum occiderent, dixeruntque ei : Precamur ut revoces populum (quoniam erat putans quod Jesus Nazarenus sit Christus). Deinde posuerunt eum super pinnaculum templi, et exclamantes dixerunt : Virorum justissime, quoniam populus errat in Jesu, æstimans quod sit Christus, dic nobis, quid tibi videtur ? Tunc Jacobus cum ingenti et hilari voce respondit : Quid me interrogatis de Filio hominis ? Ecce ipse sedet in cœlis a dextris summæ virtutis, venturus judicare vivos ac mortuos. Tunc Scribæ et Pharisæi dixerunt : Male fecimus tale testimonium præstari Jesu. Et conclamantes, dicebant : O, o, o, Justus erravit. Ascendentes ergo, præcipitaverunt eum, atque lapidibus obruerunt. Inter hæc ipse super genua sua procumbens, manibus in cœlum elevatis, oravit : Domine, ignosce illis, quia quod faciunt nesciunt. Tunc unus ex eis perticam fullonis arripiens, caput ejus tam valide vulneravit, quod cerebrum ejus excussit. Et tali martyrio migravit ad Dominum.

Luc. XXIII, 34.

Insuper de sanctissimo Jacobo isto refert Hieronymus, quod Christo capto, juravit non manducare quousque Filius homi-

nis surrexisset a mortuis. Quumque usque ad diem tertium mansisset jejunans, in ipso resurrectionis die Christus Jacobo existentibusque cum eo apparuit, dicens : Ponite mensam et panem. Deinde panem benedicens, dedit Jacobo Justo, dicens : Surge, frater mi, et comede, quoniam Filius hominis a mortuis resurrexit. — Præterea Jacobus iste dictus est frater Domini, scilicet Christi, quoniam in vultus dispositione lineamentisque corporis, ac modo conversationis, exstitit ei simillimus. Hinc gloriosus martyr Ignatius in epistola ad Joannem evangelistam, a quo fuit conversus, sic ait : Si licitum mihi est, apud te Jerosolymam volo ascendere, ut videam illum venerabilem Jacobum, quem referunt Jesu Christo simillimum facie, vita et modo conversationis, ac si ejusdem frater esset gemellus. Quem dicunt si videro, videam et ipsum Jesum secundum omnia corporis lineamenta. Ex quibus etiam verbis elicitur, quod multi viri præcipui ad fidem conversi, ex diversis locis perrexerunt Jerusalem videre Jacobum istum sanctissimum.

Ecce quam multa proponuntur nobis virtutum exempla. Studeamus igitur sanctorum Apostolorum sequi vestigia, ne ad graviorem nostram damnationem eorum audiamus virtutes. Scienti etenim bonum et non facienti, peccatum est illi, ut in epistola sua scripsit sanctus ille Apostolus. Nec prodest nobis Sanctorum celebrare solennia, nisi eorum sequamur opera virtuosa : et tunc eos præcipue ac saluberrime veneramur, quando eorum exempla efficaciter imitamur.

Jacob. IV, 17.

Ecce ex præinductis videmus, quomodo electissimi viri Dei in sæculo isto nequam gravissimas persecutiones et crudelissimas mortes perpessi sunt. Quid ergo fiet de nobis, qui quotidie Deum in multis offendimus, et tamen nec pro Deo nec pro vitiis nostris pati aliquid volumus : imo pro uno verbo indignamur, ulciscimur, detrahimus, et usque ad proximi rancorem delabimur? Multi quoque diebus festivis multo plura committunt peccata quam aliis. Sed revertamur ad cor, et consideremus ad quid instituta sint festa Sanctorum : quia ad hoc instituta sunt utique, ut Sanctos et Deum in suis Sanctis honoremus, atque Sanctorum vitam audiendo ac recolendo, eorum sectemur virtutes ac patrocinia invocemus. Propterea cum beatissimo Jacobo isto apostolo discamus Deum quotidie sæpissime invocare, pro omnibus tam amicis quam inimicis cordialiter exorare, in omni tribulatione patientiam fixam habere, in vera devotione firmiter permanere, et Deo altissimo reverenter in omnibus obedire ac deservire. Ad laudem et gloriam ejus.

Jacob. III, 2.

AD RELIGIOSOS

SERMO QUARTUS

QUAM DELICIOSUM QUAMQUE PRÆCLARUM SIT DEUM VIDERE.

PHILIPPE, qui videt me, videt et Patrem. Joann. XIV, 9.

Quum Filius Dei post Cœnam suam novissimam, in sermone illo altissimo quem tunc fecit Apostolis, inter cetera disseruisset, Ego sum via, veritas, et vita; nemo venit ad Patrem nisi per me; et rursus, Si cognovissetis me, et Patrem meum utique cognovissetis : intelligens sanctus et gloriosus Philippus apostolus, quod Christus

Joann. XIV, 6. *Ibid.* 7.

cognitionem Dei Patris in tantum commendaret atque extolleret, ut in ea beatitudinem constitueret mentis humanæ, locutus
Joann. XIV, 8. est Salvatori : Domine, ostende nobis Patrem, et sufficit nobis. Beatitudo namque habentem contentat, et ejus quietat affe-
Ibid. 9. ctum. Cui respondit Christus : « Philippe, qui videt me, videt et Patrem ». Quasi dicat : Noli appetere Dei Patris beatificam visionem, quasi Pater sit major me secundum naturam meam superiorem, quum sic
Ibid. X, 30. Pater et ego unum simus. Idcirco qui videt me secundum hanc increatam meam naturam et divinitatis meæ essentiam, videt et Patrem. Imo tota Trinitas superbenedicta sicut est una essentia, ita est unum beatificæ visionis objectum. Hanc beatissimam supergloriosissimæ Trinitatis visionem præclari apostoli Philippus et Jacobus affectuosissime desideraverunt, præsertim post missionem et receptionem Spiritus Sancti in signo visibili, et pro ea sibi ac aliis obtinenda infatigabiliter laboraverunt, omnia reliquerunt, sanctissime conversati sunt, innumerabiles homines docuerunt et converterunt ; suamque fidem per efficacissima probaverunt miracula, quia S. Philippus simul suscitavit tres mortuos, plurimosque incurabiliter infectos repente curavit. Sed et per Prophetarum oracula, per legis Scripturas, per omnium mundanorum contemptum et irreprehensibilissimam vitam, fidem corroboraverunt catholicam, et pro ejus defensione martyrium invictissime sunt perpessi.

Conemur igitur viribus totis sectari patronos, doctores et principes nostros, et sancte vivendo, exemplariter conversando, patientiam semper servando, ostendamus nos veram, vivam ac sanctam fidem ac le-
Luc. I, 6. gem habere : ut in omnibus justificationibus evangelicæ legis, universisque observantiis Ordinis nostri incedamus usque in
II *Cor.* VI, 3. finem sine querela, nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum, et ne Deus inhonoretur in
Matth. V, 16. nobis et per nos. Imo sic luceat lux nostra, id est virtuosa ac lucida conversatio nostra, coram intraneis atque extraneis, ut videntes bona facta nostra, ædificentur, et glorificent Patrem.

Insuper, cum benedictis et venerandissimis istis Apostolis divini vultus intuitionem ferventissime peroptemus. Tanta quippe est felicitas, Deum essentialiter pulchrum et infinite perfectum, in se ipso clare per speciem contueri, ut ab inexpertis nequeat comprehendi. Quod tamen quam magnum, quam appetibile, quam superdeliciosum suavissimumque consistat, quatuor modis agnoscimus.

Primo, per fidem seu testimonia Scripturarum, quia Isaias ac Paulus testantur : Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparavit Deus diligentibus se. Et quæ sunt illa, nisi sui ipsius beatifica visio, plena fruitio, secura ac sempiterna possessio? Unde rursus loquitur Paulus : Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad gloriam illam. Psalmista quoque : Inebriabuntur (inquit) ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos ; quoniam apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen. Sed et Christus in Evangelio : Hæc est (ait) vita æterna, ut cognoscant te verum Deum.
Is. LXIV, 4 ; I *Cor.* II, 9. *Rom.* VIII, 18. *Ps.* XXXV, 9, 10. *Joann.* XVII, 3.

Secundo cognoscimus istud auctoritate sanctorum Patrum et catholicorum doctorum, qui omnes concorditer protestantur, quod tam delectabile, tam beatum et dulce, tam desiderabile, præclarum ac nobile sit, Divinitatis essentiam, increatam pulchritudinem, lumen illud superpurissimum in se ipso per speciem cernere, et quantum ad quid est, clare cognoscere : quod quamvis non nisi per unam horam posset quis illam visionem attingere, merito tamen ejus desiderio deberet pro ea mille annis totis viribus laborare, adversaque omnia pati, et tandem mortem subire.

Tertio scimus istud per rationem. Quamvis enim naturali ratione non innotescat quod Deum per speciem simus visuri, ratio tamen fide illuminata, idque futurum esse ex Scripturis cognoscens, multiplici-

ter probat quam gloriosum et jucundissimum istud exsistat. Nempe, si delectabile est pulchram inspicere creaturam, magnum et ornatum exercitum, solem et luminaria cœli, principes terræ, prælatos Ecclesiæ, viros famosos, sanctos, sapientes, eximios, miracula facientes : nonne incomparabiliter jucundius et gloriosius exstat, Creatorem substantialiter et incircumscriptibiliter speciosum, omnis decoris fontem, lumen luminum, Regem regum, Dominum universorum, totam mundi ma-
Job v, 9. chinam gubernantem, magna et mirabilia et imperscrutabilia absque numero operantem, qui infinitæ est sanctitatis et sapientiæ ac omnipotentiæ, cunctisque sine omni comparatione sublimior, clare et immediate in se ipso conspicere ?

Insuper ratio docet, quod quum visio pulchri, gustusque dulcis rei, et adeptio boni convenientis, naturaliter delectent ; quod utique limpidissima visio superpulcherrimi Dei et immediata fruitio ejus, cujus natura est suavitas infinita, ejus quoque optata adeptio, tuta ac sempiterna possessio, qui est convenientissimus omni menti creatæ bene dispositæ, in quo est omnium bonorum atque pulchrorum ac desiderabilium superplena et illimitata possessio, lætificent et oblectent cives cœlestes, inæstimabiliter nimis replendo, contentando et quietando in summo bono omnem appetitum et capacitatem eorum.
Is. LXVI, 12. De quibus Dominus ait per Isaiam : Ecce ego declino in eos ut flumen pacis, et ut torrens inundans gloriæ gentium. Propter
I *Petr.* I, 8, 9. quod princeps ait Apostolorum : Videntes exsultabitis lætitia inenarrabili et glorificata, reportantes finem fidei vestræ salutem animarum vestrarum.

Denique philosophi de naturali beatitudine intelligentiarum loquentes, et eam in contemplatione primæ causæ constituentes, non certe in ea contemplatione in qua nos secundum fidei veritatem et Scripturarum doctrinam ponimus eam (utpote in contemplatione primæ causæ per speciem, quæ contemplatio est supernaturalis, quam et philosophi illi reputabant omni creato intellectui prorsus impossibilem esse), sed in contemplatione ad quam naturali sua virtute intelligentiæ queunt pertingere, quæ est per creatam intelligibilem formam (de qua cognitione in libro de Causis habetur) : hi ergo philosophi asseruerunt magnam vehementer esse delectationem, felicitatem et gloriam intelligentiarum. De quibus et Aristoteles dixit, quod sunt entia simplicia, optimam vitam ducentia, et de suis sufficientia. Avicenna quoque disseruit, primam intelligentiam ex contemplatione primæ causæ tanta jucunditate perfundi, quod ex vehementia gaudii illius circumvolveret primum mobile rapidissimo ac velocissimo motu. Si ergo viri illi subtiles testati sunt tantam esse jucunditatem in contemplatione primæ causæ per speciem creatam, constat quod incomparabiliter major, intensior, plenior consistat lætitia in contemplatione ejus clara per speciem increatam, in qua divina essentia cernitur in se ipsa, et quid sit ipsa, in ipsa et per ipsam clare conspicitur.

Quarto cognoscimus istud per experientiam. Etenim tam bonus et pius, tam liberalis et amorosus est Dominus Deus, quod non vult nos in sola fide relinquere, et in sola spei exspectatione manere, sed etiam in præsenti dat quibusdam ad hoc ab æterno prælectis supernaturales, admirabiles, copiosas ac deliciosas, imo revera indicibiliter gaudiosas futuræ beatitudinis prælibationes, degustationes, participationes : ita quod in Deo inæstimabiliter delectantur, in suæ dulcedinis gustu vehementissime exhilarantur, ineffabili perfunduntur lætitia. Sicque replentur et afficiuntur ex unctione superna, ex inspectione veritatis æternæ, et ferventissima dilectione bonitatis immensæ, quod in divitias gloriæ rapiuntur, et subito a se ipsis alienantur ac defluunt, corpore obrigescunt, et ab omni sensuum usu deficiunt, aut etiam in aere sublevantur et manent suspensi : quæ nequaquam naturaliter fieri valent. Si itaque

futuræ illius felicitatis tantilla prægustatio atque tam modica participatio sic vincit naturam, sic oblectat et vincit, rapit, immutat et afficit mentem : quis queat vel modice excogitare, quæ, qualis et quanta sit beatitudo ac gloria illa cœlestis plena ac æternalis ? — Insuper experientia multoties docuit, quam deliciosissimum fuit quibusdam fidelibus in hac vita Virginem gloriosam ad momentum inspicere, aut angelum unum, quibus talis apparitio misericorditer facta est : quanta est ergo beatitudo, Deum infinite pulcherrimum, A incomparabiliter suavissimum, convenientissimum perfectissimumque, in se ipso clare conspicere ?

Idcirco ad hanc beatitudinem fervide adspiremus, pro ea infatigabiliter laboremus, ejus desiderio cordis puritati incessabiliter studeamus ; atque per caritatis profectum virtuosorumque operum quotidianam accumulationem, festinemus et approximemus omni hora ad ipsam. Siquidem beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt : cui honor et imperium sempiternum. B *Matth.* v, 8.

SERMO QUINTUS

DE REFRENATIONE LINGUÆ ; DE CONFESSIONE ET REMEDIIS VENIALIUM.

DIXIT angelus ad Jacob : *Quod nomen est tibi ? Respondit : Jacob.* Dixitque angelus : *Nequaquam ultra Jacob vocaberis, sed Israel erit nomen tuum.* Gen. XXXII, 27, 28. C

Verba ista ad litteram de Jacob patriarcha conscripta sunt : quæ de beatissimo apostolo Jacobo congrue exponuntur. Si enim Jacob ille patriarcha propterea dictus est Israel, quoniam angelum Domini in forma assumpta conspexit : quanto magis iste appellandus est Israel, qui Dominum angelorum, Unigenitum Patris, verum Deum veraciter incarnatum, tot diebus fidelibus oculis conspexit in terris, conversans, loquens, manducans et bibens, intrans et exiens, et familiariter vivens cum ipso ; qui etiam suscepto Spiritu Sancto, oculis interioribus multo splendidius contemplabatur quotidie majestatem Altissimi ? D

Porro, quum Jacobus interpretetur supplantans, felicissimus Jacobus iste sic vitia supplantavit, quod ea non incidit. Nam creditur nunquam peccasse mortaliter, nisi forte quis dicat Apostolos peccasse mortaliter, fugiendo a Christo tempore passionis, tunc quoque corruendo a fide : a qua tamen iste Apostolus non penitus corruisse videtur, quia (ut legitur) vovit se non manducaturum quousque Filium hominis videret resurrexisse a mortuis. Verumtamen de excellentia vitæ et sanctitate conversationis Jacobi hujus, S. Hieronymus et Hegesippus tempori Apostolorum vicinus, magna et mira scripserunt : ut quod ex matris suæ utero fuit sanctus et Domino consecratus, vereque Nazaræus, orationibus semper intentus, ac tantæ reputationis in populo, quod vestem ejus certatim tangere cupiebant, et Sancta sanctorum ingredi a Judæis permittebatur, ac alia quædam quæ nostis.

Gen. XXV, 25 ; XXVII, 36.

Præterea, quam vere et excellenter erat spiritu sapientiæ adimpletus, omni patientia et virtute firmatus, omni morali plenus doctrina, ac suavitate redundans interna, ex compendiosissima sua innotescit epistola, in qua quidquid ad monasticam spectat vitam, invenimus descriptum. In qua licet omni virtute nos imbuat, specialiter tamen ad linguæ refrenationem, ad obser-

Jacob. 1,26. vationem silentii nos hortatur : Si quis (inquiens) putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est religio. Et quanta pravitas sit ipsa loquacitas, docet ibidem,
Ibid. III, 8. dicendo : Lingua inquietum est malum,
* plena plenum* veneno mortifero. Ex qua quanta
Ibid. 6. sequantur peccata, pandit quum ait : Universitas iniquitatis lingua constituitur in membris nostris, quæ maculat totum corpus nostrum, inflammata a gehenna. Au-
Matth. XII, 37. divit namque a Christo : Ex verbis tuis justificaberis, et ex verbis tuis condemna-
Jacob. 1,27. beris. Insuper docet, quod vera et sancta religio sit, immaculatum se custodire a sæculo, id est non conformari mundanis
Ibid. IV, 4. carnalibusque hominibus : quia amicitia hujus mundi inimica est Deo, ita quod quicumque voluerit amicus hujus mundi esse, inimicus Dei constituitur. Exhortans quoque nos ad plurimarum victoriam passionum, ad amaritudinis et contentionis
Ibid. III, 14-16. exstirpationem, fatetur : Si zelum amarum habetis, et contentiones sunt inter vos, nolite gloriari et mendaces esse adversus veritatem. Non est sapientia ista de cœlo descendens, sed terrena, animalis et diabolica. Ubi enim zelus et contentio, ibi inconstantia et omne opus pravum. Advertant hoc contentiosi, impatientes, pungitivi et murmuratores, et sciant quod Paulus
Galat. V, 20. apostolus contentiones et æmulationes inter mortalia numerat vitia. Nec solum offensivum est Dei, sed et aspernabile coram hominibus. Propter quod Salomon ait :
Prov. XX, 3. Honor est homini, quum separat se a lite. Imo et scandalizativum et nocivum est aliis valde. Propter quod admonet Pau-
II *Tim.* II, 14. lus : Noli verbis contendere, ad nihil enim utile est nisi ad subversionem audientium. Ad patientiam demum nobis summe necessariam et ad longanimitatem nos
Jacob. V, 10. admonens : Exemplum (inquit) accipite longanimitatis, laboris et patientiæ, Pro-
Ibid. I, 12. phetas ; itemque, Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam quum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ ; et denuo,
Ibid. 2. Omne gaudium existimate, fratres, quum in tentationes varias incideritis. — His igitur atque consimilibus documentis bene imbuti, exercitati et reformati, adspiremus ad patriam, ad Omnipotentis deliciosissimam visionem, cum S. Philippo apostolo Christum rogantes : Domine, ostende nobis Patrem ; Patrem utique luminum, Patrem potentis gratiæ perennisque gloriæ. *Joann.* XIV, 8.

Verum, quum visio fiat per assimilationem, nec discordantium apta sit unio, Christus nobis in Scripturis seu etiam inspiratione interna protinus respondebit : Estote ergo perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est. Unde per Moysen dixit : Perfectus et absque macula eris cum Domino Deo tuo. Non enim intrabit aliquid coinquinatum ad intuendum faciem Patris, cujus intuitio omnium angelicorum exstat spirituum summa glorificatio. Mundemus ergo nos ab omni inquinamento carnis et spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei. Non colligamus lignum, fœnum et stipulam ; sed venialia quæ quotidie ex fragilitate humana incidimus, per quotidianam confessionem, cordialem contritionem, satisfactionem idoneam abluamus. Omnia enim in confessione lavantur, si confessio non ex arida consuetudine aut superficiali observantia quotidie iteretur, sed ex pœnitentiali dolore, ex zelo justitiæ, ex propriæ conscientiæ pervigili examinatione. Cujus rei indicium erit, si post confessionem perseveret compunctio, atque condigna adhibeatur diligentia ad vitandum omne peccatum. Hinc sancti viri qui perfectionis studium habuerunt, et Deo in sanctitate ac justitia deservire jugiter optaverunt, in continua fuerunt proprii cordis custodia, in labore interno indesinenti ; nec animum relaxabant, nec minuerunt fervorem : imo in arrepto proposito fiebant quotidie seriosiores, et ubi erat major peccandi excitatio sive occasio, ibi se diligentius custodiebant. Horum ergo sequamur vestigia, et negligentias defleamus præteritorum dierum, in quibus velut *Matth.* V, 48. *Deut.* XVIII, 13. *Apoc.* XXI, 27. II *Cor.* VII, 1. I *Cor.* III, 12. *Ps.* XXXI, 5 ; *Prov.* XXVIII, 13.

cancri nunc parum forsan processimus, nunc mox retrocessimus : et erat cor nostrum quasi saccus pertusus, ex quo una hora dilabebatur quod ante infundebatur.

Præterea, præter prætacta, sunt et alia multa exercitia sancta quibus venialia auferuntur, utpote : fervor divinæ dilectionis, cujus flamma tollit peccata sicut ex igne consumitur stipula ; item frequens adspiratio mentis ad Deum, qua impletur illud *Ps.* xxiv, 15. Psalmistæ, Oculi mei semper ad Dominum ; pudor quoque seu erubescentia de peccatis et fatuitatibus vanitatibusque *Eccli.* iv, 25. præteritis (talis namque confusio gratiam adducit et gloriam) ; insistere etiam orationibus ac laudibus Dei, aliis condolere, injurianti ignoscere, errantem convertere ; cunctaque opera supererogationis.

Nec putandum quod spiritualia misericordiæ opera minus hoc faciant quam opera misericordiæ corporalia, imo magis id agunt : quum tamen de uno genere corporalium operum misericordiæ dixerit *Luc.* xi, 41. Christus, Date eleemosynam, et omnia munda sunt vobis ; rursusque scriptum sit, Sicut aqua exstinguit ignem, ita eleemosyna exstinguit peccatum. *Eccli.* iii, 33.

O quantum in brevi sentiret profectum, quantam animi libertatem, quam dulcem pectoris pacem, quam copiosam illuminationem, quam benignissimam Spiritus Sancti consolationem, qui ad tempus viriliter continuaret ac strenue prosequeretur præfatum studium perfectionis, assiduumque exercitationis internæ laborem, ac seriosissimam cordis sui custodiam, cor suum quantum possibile est, ad Deum continue aut saltem sæpissime elevans, quemadmodum dixit Propheta, Providebam Dominum in conspectu meo semper ! *Ps.* xv, 8.

Conemur ad istud, o fratres, et omni die renovemus in nobis tale propositum, quod et quotidie cum recenti diligentia prosequamur ; et quotiescumque nos distrahi experimur, protinus reducamus cor nostrum ad divinæ præsentiæ recordationem, et reprehendamus ac castigemus negligentiam evagationemque nostram, nec fatigemur in istis. Nunc quoque invocemus sanctos Apostolos istos, quatenus gratiam tantam nobis desuper impetrare dignentur. Ad laudem et gloriam Omnipotentis.

SERMO SEXTUS

QUOD CONTEMPLARI VOLENTI NECESSARIA SIT PASSIONUM REFRENATIO, ET PURGATIO AFFECTUUM.

ANNUNTIAVERUNT opera Dei, et facta ejus intellexerunt. Ps. lxiii, 10.

Dominus et Salvator in sermone post Cœnam inter cetera dixit gloriosis et præelectis Apostolis, totius mundi rectoribus *Joann.* xvi, 12, 13. et magistris : Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo ; quum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Et iterum : Paracletus Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille docebit vos omnia, et suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis. Illuminati itaque et edocti a Spiritu Sancto, Apostoli benedicti « annuntiaverunt » toti mundo « opera Dei », mysteria Christi, mirabilia documenta ipsius, et miraculosa opera ejus : quemadmodum fuerat prophetatum in Psalmo, In omnem *Ps.* xviii, 5. terram exivit sonus eorum ; per Isaiam quoque, Mittam ex eis qui salvati fuerint, *Is.* lxvi, 19. ad insulas longe, ad eos qui non audierunt de me, in Africam et Lydiam, in Græciam et Italiam. Quibus post resurrectionem suam prædixit Salvator : Eritis mihi testes *Act.* i, 8.

in omni Judæa et Samaria, et usque ad ultimum terræ. Verumtamen, antequam opera ista Christi (qui teste Joanne apo-
1 *Joann.* v, 20. stolo in prima Canonica sua, est verus Deus et vita æterna) aliis prædicaverunt, «intellexerunt» hæc ipsa opera seu «facta»
Marc. iv, 11. ipsius : quibus dixit, Vobis datum est nosse mysterium regni Dei. Intellexerunt ergo, et intelligendo profundissime penetraverunt facta et opera Salvatoris, omnia scilicet quæ pro nostra salute fecit ac pertulit et assumpsit : quæ et nos considerare debemus, ut gratias referamus, et accendamur ad virtuose vivendum. Vere enim mirabilia sunt testimonia Apostolorum de Christo : ad quorum speculationem indigemus illuminatione divina. Ideo cum Psal-
Ps. cxviii, 18. mista oret quilibet nostrum : Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua. Unde et Paulus pro suis oravit discipulis :
Ephes. i, 17, 18. Pater gloriæ det vobis spiritum sapientiæ in agnitione ejus, illuminatos oculos cordis vestri, ut sciatis quæ sit spes vocationis vestræ.

Denique, quum passiones et vitia interiorem visum aut obtenebrent aut debilitent a contemplatione eorum quæ fidei sunt, et a formata ac salutari consideratione mysteriorum ac operum Dei, rectus ac necessarius ordo contemplandi requirit, ut volentes contemplari salubria ac divina, et ea meritorie intueri, et absque periculo exerceri in mirabilibus Dei, in primis affectus suos emundent, passiones refrenent, sensitivum appetitum subjiciant rationi, ordinatam quoque in se habeant caritatem : quod totum ad viam pertinet purgativam.

Porro affectus emundare, est omnium inordinatarum affectionum obliquitatem abjicere, et nihil nisi in Deo appetere, hoc est, omnia opera ac desideria sua sub ordine ponere divini amoris, ita quod nihil caritati contrarium aut impeditivum ab ea, agatur aut appetatur. Imo nihil agamus aut affectemus, nisi sit ordinabile, necessarium, sive accommodum ad Dei amorem atque honorem : ut sit in omnibus moderata et ad rectum finem relata universa affectio et operatio nostra, quatenus juxta Apostolum, sive manducamus, 1 *Cor.* x, 31. sive bibimus, sive aliud aliquid facimus, omnia ad Dei gloriam operemur. Nec in aliquo tali aliud quæramus aut intendamus, nisi per ipsum in summi boni amore et in divinæ majestatis veneratione excrescere, hoc est : non excedere in cibo, potu, somno, vestitu, habitaculo, utensilibus instrumentis, seu quibuslibet consimilibus rebus, imo solis necessariis contentari, ut tota in Deo adunetur ac stabiliatur affectio ; curiosa atque superflua devitare, ne in eis animus distrahatur, affectio dividatur, mensque vanitati et immoderatæ occupationi in se tribuat locum, ac nociva percutiatur inertia, et resolvatur a recollectione et quiete sua in Deo, quum certum sit mentem humanam tanto firmius ac ferventius posse simplificari ac stabiliri in uno, quanto minus per plura dividitur, et quanto minus per varia ac potissimum per curiosa ac superflua occupatur. Istud ergo est emundare affectus.

At vero passiones refrenare, est universos motus sensitivæ partis rationi rectæ subjicere, id est, omnem iram atque tristitiam, omnem timorem et delectationem, et ceteras passiones quæ in appetitu concupiscibili irascibilique nascuntur, per rectæ rationis judicium regulare, compescere, moderari, ut de nulla prosperitate aut adversitate, imo de nulla re sensibili occurrente moveamur inordinate per iracundiæ motum, impatientiæ ventum, tristitiæ aggravationem seu delectationis resolutionem, neque per immoderatum timorem sive dolorem, neque per concupiscentiæ impetum aut abominationis impulsum ; sed in omnibus istis perseveret mens nostra in Deo stabilis ac tranquilla, ut nec prosperis extollatur aut inani lætitia resolvatur, nec dejiciatur adversis aut inordinate tristetur in illis, nec concupiscat quidquam nisi secundum Deum. Et nisi hoc modo passiones animæ reformentur, abducunt hominem semper a medio ratio-

nis, in quo virtus consistit, et incidit homo quotidie innumerabiles culpas : nunc irrationabiliter irascendo et suam quasi injuriam ulciscendo, aut animum suum inquietando etiam ex levibus causis et repentinis ac improvisis eventibus, ita ut sæpissime contra inanimata et irrationalia brutaliter commoveatur, ac prava proferat verba seu maledicat, aut quod pejus est, in divino quoque Officio ex facili occasione iracundiis agitetur, et perturbet se ipsum ac alios, scandalizetque plurimos, impellente quoque ira et impatientia, insipienter, impetuose ac derisibiliter se habeat in visu, apparatu et moribus, in cantu aut aliis (quemadmodum Salomon *Prov.* XIV, 17. ait, Impatiens operatur stultitiam), nec tamen passionum suarum offuscatus fumo *Eccle.* VII, 10. advertat, quoniam ira in sinu stulti quiescit ; nunc vero nec iram per zelum habendo, quum tamen de malo culpæ, de propria iniquitate, de Dei injuria debeat homo ex justitiæ zelo, ex prævia rationis censura irasci, ut peccatum secundum justitiæ ordinem puniatur ; nunc autem inaniter delectando aut gloriando, nunc sæculariter carnaliterve tristando ; nunc pusillanimiter metuendo, nunc incaute præsumendo et immoderatam securitatem audaciamve habendo ; nunc aliqua sensualiter concupiscendo, nunc aliqua imprudenter abominando. Quæ omnia sunt imperfectionis, defectuositatis et calamitatis humanæ, atque instabilem reddunt mentem. Idcirco necesse est hominem contra has passionum immoderantias et impetuositates per virtutes morales armari, per discretionis lumen muniri, per rectæ rationis judicium roborari, ut in cunctis sapienter et virtuose se habeat : in adversis habendo patientiam contra tristitiam, in injuriis mansuetudinem contra iram, in periculis fortitudinem contra timorem, in delectabilibus gustus et tactus sobrietatem et continentiam contra gulam et carnalitatem, in prosperis et bonis honestis humilitatem contra superbiam ; imo in cunctis Dei timorem, ut Deum ubique et semper præ oculis habens, omnia agat ac patiatur secundum Scripturæ doctrinam et evangelicam legem, in tantum ut nec eos vereatur qui corpus occidunt, nec odiat adversantes, nec vindicet semetipsum. *Matth.* X, 28. Istud ergo est passiones animæ refrenare, sensitivumque appetitum rationi subjicere.

Porro caritatem habere ordinatam in voluntate, est Deum super omnia incomparabiliter, propter sui ipsius præcipue bonitatem diligere, deinde se ipsum in Deo, tertio proximos, quarto proprium corpus, quod loco et tempore opportuno exponendum est morti pro salute et gratia proximi, præsertim pro Deo, pro fide, pro defensione justitiæ.

Postremo, homine taliter in suis affectibus ac passionibus reformato et expurgato, voluntate quoque per caritatem sic ordinata, jam Deus dono sapientiæ intellectum copiose implebit, rationem illuminabit fidei argumentis, et scientiam salutarem multiplicabit in anima. Quibus in nobis peractis, erimus cum beatissimis istis apostolis Philippo et Jacobo apti ad vitam sublimiter contemplativam, ad annuntiandum seu recolendum opera Dei ; et intelligemus atque sincere speculabimur mysteria Christi, sacramenta sapientiæ christianæ, dogmata Scripturarum : qualiter Deus ab initio condidit hominem ad beatitudinem supernaturalem, videlicet sui ipsius beatificam visionem, plenam fruitionem, perpetuam possessionem ; et qualiter homo protoplastus sua transgres- *Gen.* III, 6 et seq. sione se ipsum ac suam posteritatem paradiso privavit, calamitatibus multis involvit, ac damnationi fecit obnoxios ; deinde qualiter superadoranda ac superbeatissima Trinitas suo supersapientiali consilio misericordissimoque decreto disposuit generi subvenire humano, et illud per Verbi æterni incarnationem ac passionem redimere et salvare ; et qualiter incarnatus et ex Virgine natus, circumcisus, adoratus a Magis ac pastoribus, præsentatus in templo, demoratus in Ægypto, baptizatus, in

eremo conversatus, a spiritu maligno tentatus est; deinceps quomodo Filius Dei homo factus conversatus est, prædicavit et infinita miracula operatus est inter homines; quæ et quanta ab eis sustinuit, quomodo crucifixus tertia die surrexit, discipulis suis apparuit, coram eis ascendit in cœlum, et paulo post misit eis Spiritum Sanctum, sicque per eos totum convertit mundum, idololatriam dissipavit, atque ad tam incomprehensibilem fidem, tam arduam legem convertit orbem terrarum sine armorum violentia, absque humana potentia, absque philosophica subtilitate, et sine omni magica arte, quæ Christianis maxime prohibetur.

Hæc et consimilia in Scripturis contenta, contemplari, intelligere, rememorare, et tempore opportuno aliis ferventer nuntiare debemus, ut considerando quam magnifice, quam pie ac mirabiliter Deus egit nobiscum, quæ, quanta et qualia Unigenitus Dei assumpsit, operatus est et tulit pro nobis, simus Altissimo grati, et pro nostra salute semper solliciti, agiles ac ferventes, alios quoque hortemur ad idem, sicque de salubribus rebus, non de vanis et inutilibus, sint nostra colloquia. Ad laudem et gloriam omnipotentis Dei.

IN FESTO
INVENTIONIS SANCTÆ CRUCIS

ENARRATIO IN EPISTOLAM

CONFIDO IN VOBIS IN DOMINO, ETC. Galat. v, 10-12; vi, 12-14.

IN præsenti epistola, de gloria crucis Christi fit mentio : ideo legitur in præsentis festi missali officio. Itaque Galatis ait Apostolus :

Galat. v, 10. *Confido in vobis,* id est de vobis, o Galatæ, *in Domino,* id est secundum voluntatem Dei, et ex consideratione pietatis et gratiæ suæ, *quod nihil aliud sapietis* de observatione et cessatione legalium, nisi quod docui vos. Erant autem Galatæ primo ab Apostolo bene instructi, postmodum eo absente a pseudoapostolis seducti, ita quod æstimabant circumcisionem esse in lege evangelica observandam. Et hujus erroris falsitatem ostendit Apostolus in præsenti epistola, asserens se sperare quod Galatæ isti suæ acquiescerent informationi, quemadmodum et fecerunt. *Qui autem conturbat vos,* quietem cordis vestri, quam in recta fide et lege evangelica habuistis, impediendo, vosque ad errores prædicationi meæ contrarios inducendo, *portabit judicium* reprobationis, hoc est, pœnam sustinebit condignam, quoniam Deus tantum flagitium non relinquet inultum, *quicumque est ille,* quoniam nullius malum Deus deserit impunitum, juxta illud Job : Deus inultum abire non patitur.

Job xxiv, 12.

Ego autem, fratres, si circumcisionem adhuc prædico observandam, ut mihi a pseudo imponitur : qui, ut facilius deciperent Galatas, dixerunt eis, quod Paulus apud alios doceret circumcisionem esse servandam; *quid adhuc persecutionem patior,* id est, cur a Judæis infestationem sustineo? Quasi dicat : Si circumcisionem adhuc prædicarem, cessarent Judæi me persequi, qui idcirco me persequuntur, quoniam doceo circumcisionem cessare debere Evangelio divulgato. *Ergo,* id est, si prædico circumcisionem esse servandam, *evacuatum est scandalum crucis,* id est, ablata est passiva scandalizatio Judæorum, qui offenduntur et scandalizantur in hoc quod doceo homines per fidem et baptismum Christi posse salvari. *Utinam et abscindantur,* id est, a vobis ceterisque fidelibus removeantur, imo et esse desistant quantum ad culpam, *qui vos conturbant,* id est pseudoapostoli qui mendose vos instruunt.

Quicumque enim volunt placere in carne, id est, qui in circumcisione carnis præputii vestri et carnalibus observantiis legis Moysis cupiunt sibi ipsis et aliis Judæis incredulis inaniter complacere, *hi cogunt,* id est, importune persuadent, *vos circumcidi, tantum ut persecutionem crucis Christi non patiantur,* id est, præsertim ob hoc, ut ab induratis Judæis non sustineant persecutionem pro recta fide passionis crucisque Christi, per cujus pas-

Galat. vi, 12.

sionem salvamur absque observantia circumcisionis. Obstinati namque Judæi persequebantur eos qui circumcisionis atque legalium cessationem docebant. *Neque enim qui circumciduntur* carnaliter, *legem* Moysis *custodiunt* spiritualiter, sed in aliis multis violant eam, et contra intentionem Dei ac Moysis agunt : quia intentio Dei ac Moysis fuit, ut Christi evangelio divulgato ac coruscante, et lege Christi propalata, cessarent circumcisio ceteraque legalia ; *sed volunt vos circumcidi, ut in carne vestra,* id est de vestra carnali circumcisione, *glorientur* inaniter, quasi voluntatis suæ effectum consecuti in vobis.

Mihi autem absit gloriari nisi in cruce * nostri *Domini mei* * *Jesu Christi,* id est in contemplatione Filii Dei propter me crucifixi, et in consideratione beneficiorum ipsius, videlicet passionis suæ, et omnium quæ pro mea assumpsit, fecit pertulitque salute. Verumtamen per hoc non excluditur gloriatio in contemplatione divinitatis Patris et Filii ac Spiritus Sancti, quoniam gloriatio crucis seu Christi ut crucifixi et beneficiorum ejus, ordinatur ad contemplationem et gloriationem deitatis supergloriosissimæ Trinitatis tanquam ad finem. Sicque una intelligi datur in alia. *Per quem,* id est per cujus caritatem et gratiam, passionem et imitationem, *mihi mundus crucifixus est,* hoc est, ea quæ mundi sunt, utpote carnales deliciæ, mundanæ divitiæ, sæculares honores, homines quoque mundani et vani, secundum quod tales sunt, me non delectant nec sapiunt mihi, sed molesta sunt mihi ac mortua ; *et ego mundo* crucifixus ac mortuus sum, ita quod mundanis hominibus non complaceo, sed gravis et tædiosus sum, nec huic sæculo vivo neque communico, eo quod in Christo sit tota affectio, occupatio ac gloriatio mea, quod mundanis carnalibusque hominibus pœnale est et amarum.

SERMO PRIMUS

QUOMODO GAUDENDUM DOLENDUMVE SIT DE CHRISTI PASSIONE, ET QUOMODO EADEM LIBER EXEMPLARQUE SIT PERFECTIONIS ATQUE OMNIUM VIRTUTUM.

MIHI absit gloriari nisi in cruce Domini mei Jesu Christi. Galat. VI, 14.

In his verbis docet Apostolus, in quo debeat esse gloriatio Christiani, quia in cruce Christi. Sed mirum videtur, quod in cruce Christi debeamus gloriari, quum ad pium pertineat Christianum, Christo propter se passo intime compati, et ex compassione in fletum resolvi : quemadmodum legitur de S. Francisco, quod frequenter, eundo per viam, ex meditatione passionis Christi tanta afficiebatur compassione, et tanto affligebatur pio dolore, quod erupit in fletum cum ejulatu et quodam clamore. Dicendum, quod de Christi passione et in ea debemus gloriari, et compassionem habere ac fletum, secundum considerationes diversas.

Debemus ergo in Christi passione et cruce gaudere multiplici consideratione. Primo, in quantum Christus per suam acerbissimam passionem Deum Patrem maxime honoravit, obediendo ei usque ad mortem, et mortem tam amarissimam atque turpissimam. Propter quod ait Apostolus : Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. *Philipp.* II, 8.

Secundo, in quantum Christus per suam passionem maxime auxit honorem, cultum et gloriam Dei, et hoc dupliciter. Primo, quia per suam passionem promeruit

generi humano gratiam conversionis atque salutis : ita quod propter meritum passionis Christi, data est et datur ubique innumerabilibus hominibus gratia magna ac multa, per quam serviunt Deo, eum colentes ac adorantes. Unde ait Salvator : *Joann.* XII, 32. Si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum. Et apud Isaiam de ipso *Is.* LIII, 10. prædictum est : Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum, et voluntas Domini in manu ejus dirigetur. Ubi per semen longævum, intelliguntur fideles regenerati in Christo virtute et merito suæ salvificæ passionis. De quibus *Ibid.* LXI, 9. iterum loquitur Isaias : Isti sunt semen cui benedixit Dominus. Secundo, quia fideles per passionem Filii Dei se esse salvatos intelligentes, summe regratiantur Deo Patri, qui pro eorum salute unigenitum Filium suum tanta voluit operari ac tolerare, et ipsum honorant, colunt, adorant. Hinc loquitur Paulus ad Romanos *Rom.* VIII, 32. octavo : Proprio Filio suo non pepercit, sed pro omnibus nobis tradidit illum. Et *Is.* LIII, 6, 5. Isaias ait : Dominus posuit in eo iniquitatem omnium nostrum ; et ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra.

Tertio, in Christi passione et cruce gloriari debemus, in quantum ipse per suam passionem genus redemit humanum, prout Deus Pater decrevit illud esse salvandum. Nam ut princeps Apostolorum testa- *I Petr.* I, 18, 19. tur, non corruptibilibus auro vel argento redempti sumus, sed pretioso sanguine Agni immaculati Jesu Christi, qui loqui- *Joann.* X, 15. tur : Animam meam pono pro ovibus meis. Unde in Apocalypsi capitulo primo habe- *Apoc.* I, 5. tur : Qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo. Hinc sanctissimi illi primi Christifideles dixisse scribun- *Act.* IV, 27, 28. tur : Domine, convenerunt adversus sanctum puerum tuum Jesum, quem unxisti, Pontius Pilatus et Herodes cum gentibus et populis Israel, facere quæ manus tua et consilium tuum decreverunt fieri.

Quarto, in quantum per Christi passionem angelica ruina est reparata. Non enim poterant sancti antiqui cœlestis patriæ januam ingredi, quousque per Christi passionem fuerunt ab originalis peccati reatu absoluti.

Quinto, in quantum Christus per suam passionem promeruit sibimetipsi accidentale præmium, videlicet judiciariam potestatem, corporis glorificationem, super cœlos exaltationem. Hinc quum dixisset Apostolus, Factus est obediens usque ad mortem ; mox addidit : Propter quod et Deus exaltavit illum, et dedit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum. *Philipp.* II, 8. *Ibid.* 9, 10.

Præterea, Christo propter nos passo condolere debemus, et in suæ passionis meditatione piis doloribus affici et in fletum resolvi. Primo, in quantum passio illa fuit Christi tenerrime ac nobilissime complexionati, vehementissime afflictiva. Unde et ipse passione instante eam imaginando ineffabiliter expavit, et tristabatur ac tæduit, ita quod sudor ejus factus est sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. Illum tamen pavorem atque mœrorem sponte ac potestative et rationabilibus causis assumpsit. — Secundo, sic condolere et affligi debemus, in quantum Christus innocentissimus fuit, et absque sua culpa, imo pro nostris peccatis, tanta sustinuit, sicut ait in Psalmo : Quæ non rapui, tunc exsolvebam. — Tertio, in quantum passio et occisio Christi ex parte occidentium fuit summum et incomparabile scelus, Dei Patris maxime offensivum, in tantum quod Christo in cruce pendente tota mundi machina turbabatur, et quasi in antiquum chaos reditura mox omnia videbantur. Nam obscuratus est sol, mota est terra, scissæ sunt petræ, monumenta quoque aperta sunt, et mortui multi sunt suscitati. *Marc.* XIV, 33, 34 ; *Luc.* XXII, 44. *Ps.* LXVIII, 5. *Luc.* XXIII, 44, 45 ; *Matth.* XXVII, 51, 52.

Itaque, propter quinque rationes præfatas, in meditatione passionis et crucis Christi gloriemur in Domino, et gratias maximas referamus Christo ac Patri æterno. Ob tres etiam rationes prædictas, in Christi

passione compassionem et piam habeamus afflictionem, quod tam innocentissimus atque dulcissimus Agnus, a tam crudelissimis ac sceleratissimis canibus, pro nobis peccatoribus vilissimis, tam ignominiosissimam ac amarissimam sustinuit mortem.

Præterea id sciendum, quod passio Christi liber est, exemplar et documentum cunctarum virtutum atque totius perfectionis. In passione etenim Christi perpendere possumus profundissimam ejus humilitatem, eo quod ipse Unigenitus Dei, *Apoc.* XIX, 16. Rex regum et altissimus omnium, tantas irrisiones, conculcationes, blasphemias, aspernationes, sponte pati dignatus est; quod *Luc.* XXII, 37; XXIII, 33; *Is.* LIII, 12. inter latrones suspendi, et cum sceleratis dignatus est reputari; quod tanquam ovis *Is.* LIII, 7. ad occisionem deductus est, et velut agnus coram tondente se obmutuit; quod coram principibus sacerdotum, coram Pilato et Herode tam silenter et humillime stetit. Porro, quoniam omnia ista et alia multa patientissime tulit absque inordinata tristitia, absque indignatione et murmuratione, imo promptissimo ac tranquillissimo corde; idcirco in Christi passione addiscimus summam patientiam et mansuetudinem maximam. In quibus eum imitari tenemur, nec aliter digne christiani vocamur. Hinc sacratissimus ait princeps Apo- I *Petr.* II, 21, 23. stolorum : Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus : qui quum malediceretur, non maledicebat; quum pateretur, non comminabatur. Insuper in Christi passione addiscimus fortitudinem animi constantissimam. Fortitudo namque est virtus per quam homo circa pericula mortis se strenue habet. Quoniam ergo Christus innocentissimam ac acerbissimam illam mortem tam constantissimo, promptissimo et penitus imperterrito pertulit animo, constat quod summa animi fortitudo tempore passionis fuit in ipso. Nam quamvis ad modicam horæ partem tristis fuit ac timens, hoc tamen non fuit ex animi infirmitate aut imperfectione, sed ex potestate et piissima dispensatione. Amplius, in Christi passione perpendimus perfectissimam caritatem Dei et proximi : quoniam ex caritate sua ad Deum Patrem, cujus desideravit honorem, et ex caritate sua ad nos, quorum concupivit salutem, omnia illa sustinuit. Propter quod dixit : Majorem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis. *Joann.* XV, 13.

Itaque totam Christi passionem quotidie tam intente, tam affectuose et compassive recogitemus, ac si præsentialiter Christum pati intueremur. Inspiciamus quomodo cœpit contristari, pavere, tædere, dicens, Tristis est anima mea usque ad mortem; *Marc.* XIV, 33, 34. et quomodo factus in agonia, oravit prolixius, factusque est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram; qualiter demum propter nos captus est, ligatus, distractus, alapis cæsus, consputus, flagellatus, spinis coronatus, arundine cæsus, ad mortem crucem bajulans ductus, clavis confixus, inter latrones suspensus, cum impiis reputatus, aceto et felle potatus, suæ dilectissimæ Matri compassus, diuturna atque dirissima morte peremptus. Præterea cogitemus, quis, qualis et quantus est Christus, qui ista toleravit pro nobis, et ex quam fervida caritate, et propter quam causam, videlicet : ut ab æterna nos damnatione erueret, atque ad sempiternam reduceret felicitatem, et in præsenti vita nos Dei efficeret filios. *Luc.* XXII, 43, 44.

Si ergo Christi passionem quotidie taliter contemplemur, certissime sentiemus et vere experiemur, quod non est aliud tam aptum medium, tam efficax exercitium ad proficiendum in omni virtute, ad prævalendum in omni tentatione, ad expellendum phantasias molestas, apprehensiones phantasticas, timores nocturnos, atque ad exstirpandum omne peccatum, ut est talis meditatio dominicæ passionis. Idcirco eam sic inspicientes, omni sæculari affectioni, omni carnali desiderio moriamur, omni vanitati et pravitati negemus consensum, et Christo grati esse conemur, ejus accendamur amore, in ejus ferveamus

obsequio, ipsum quotidie christiformiter imitemur. Hinc gloriosus et illuminatissimus Augustinus devotissime loquitur, et affectuosissime exhortatur : Inspice vulnera pendentis, sanguinem morientis, pretium redimentis, cicatrices resurgentis. Caput habet inclinatum ad osculandum, cor A apertum ad diligendum, brachia extenta ad amplexandum, totum corpus expositum ad redimendum. Hæc quanta sint cogitate, hæc in statera cordis vestri appendite, ut totus vobis figatur in corde, qui totus pro vobis fuit fixus in cruce : qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit, etc.

ENARRATIO IN EVANGELIUM

NUNC JUDICIUM EST MUNDI, ETC. Joann. XII, 31-36.

QUONIAM evangelium istud de Christi passione efficit mentionem, merito in festo Inventionis sanctæ crucis in qua passus est Dominus, legitur. Porro evangelium istud sumptum est ex verbis quæ Christus, in die Palmarum, dixit ad turbas quæ ipsum processionaliter ac honorifice susceperunt et introduxerunt Jerusalem. Itaque Joannes ait : *Joann.* XII, 12 et seq.

Dixit Jesus ad turbas et ad discipulos suos : Nunc judicium est mundi. Istud intelligendum est de judicio discretionis, hoc est de ipsa discretione seu divisione inter electos ac reprobos, ut sit sensus : « Nunc », videlicet tempore evangelicæ legis, atque ex tempore quo hæc loquor, « judicium », id est judicialis discretio, « est mundi », id est, inter homines fit : ita quod quidam ubique misericorditer vocantur ad fidem, et finaliter perducuntur ad salutem, puta prædestinati; alii juste deseruntur ac pereunt, ut præsciti seu reprobi. Hæc inter homines discretio specialiter fieri cœpit Christo inter eos conversante ac prædicante, deinde post ejus ascensionem et Sancti Spiritus missionem, prædicantibus sanctis Apostolis, quando multi Judæi, deinde innumerabilia millia gentium ubique terrarum conversa sunt, multa quoque relicta. Per quod innotescit, quam mirabiliter Deus omnipotens, sanctus ac sapiens, inter electos reprobosque discernat. B C D

Nunc princeps hujus mundi, id est diabolus, qui dicitur princeps mundi, id est hominum mundanorum sibi deservientium, qui ejus membra et servi sunt, quia ut dicit Petrus : A quo quis superatus est, hujus et servus est. Ipsi autem a dæmonibus et peccatis sunt victi, et opprimuntur jugo diaboli ac servitute peccati, quamvis mente contenebrati non cernant nec sentiant hoc. *Ejicietur foras,* id est, de electorum cordibus expelletur, qui ad Deum conversi, facti sunt templum Spiritus Sancti, qui paulo ante fuerunt habitaculum diaboli. Quod factum est per prædicationem Apostolorum et aliorum Christi discipulorum, virtute et merito passionis Christi, per illustrationem et operationem piissimam Spiritus Sancti, quando cœpit impleri quod de Christo fuit prædictum in Psalmo, Reminiscentur et convertentur ad Dominum universi fines terræ; atque in Genesi, In semine tuo benedicentur omnes familiæ terræ. Porro quod ait Salvator, « Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras », non est sic accipiendum, quasi ante a principio mundi ejectus non fuerit a pœnitentium cordibus, sed quod ante factum est in paucis, post Christi adventum factum est in innumerabilibus millibus. Propter quod tempus Christi et evangelicæ legis, dicitur tempus gratiæ. II *Petr.* II, 19. I *Cor.* III, 16. *Ps.* XXI, 28. *Gen.* XII, 3; XXII, 18; *Act.* III, 25.

Et ego si exaltatus fuero a terra, id est in cruce levatus, *omnia traham ad me*

ipsum, id est, pro toto genere humano satisfaciam per meam passionem, et universos, quantum in me est, liberabo, atque de omni genere hominum quosdam per fidem et gratiam mihi caritative, non violenter, adjungam, ut impleatur quod Psal-
Ps. LXXI, 17. mista prædixit de me, Benedicentur in ipso omnes tribus terræ; et quod Daniel
Dan. VII, 14. ait, Omnes populi, tribus et linguæ servient ei. Porro quod ait, « Si exaltatus fuero », non dubitative, sed assertive pro-
Job XXXI, 24. latum est, sicut et illud Job : Si putavi aurum robur meum. Insuper Evangelista exponit verbum inductum. *Hoc autem,* videlicet, Si exaltatus fuero, *dicebat, significans qua morte esset moriturus,* utpote quod suspendendus esset in ligno, juxta
Jer. XI, 19. illud Jeremiæ : Super me cogitaverunt consilia, dicentes : Venite, mittamus lignum in panem ejus, et eradamus eum de terra viventium.

Respondit ei turba : Nos audivimus ex lege, id est ex Scripturis veteris Testamenti (sumitur enim lex modo pro libris Moysis ac Prophetarum), *quia Christus manet in æternum,* id est, immortaliter subsistit, atque perpetuo perseverat. Sicque Judæi isti aliquid cognoverunt de Christi æternitate : quia de ea in Daniele scriptum est,
Dan. VII, 14. Potestas ejus potestas æterna, quæ non auferetur, et regnum ejus quod non corrum-
Ps. CIX, 4. petur; et in Psalmo, Tu es sacerdos in
Ps. LXXI, 17. æternum; itemque, Ante solem permanet
Is. IX, 7. nomen ejus; Isaias quoque, Multiplicabitur ejus imperium, et pacis non erit finis. *Et quomodo tu dicis, Oportet exaltari Filium hominis,* id est me Christum in cruce levari ac mori? *Quis est iste Filius hominis?* quasi dicant : Si tu es Christus, non erigeris in ligno, sed in æternum manebis. Quis ergo est iste Filius hominis, quem asseris exaltandum, per quem tamen, ut apparet, te ipsum designas? Sicque verba tua sibi invicem contraria sunt. Ecce quanta horum exstitit cæcitas Judæorum, qui probare volebant ideo Jesum non esse Christum, quoniam dixit se occidendum, quum tamen de ipso a Daniele prædictum sit, Post hebdomades sexaginta duas occi- *Dan.* IX, 26.
detur Christus; apud Isaiam quoque, Ipse *Is.* LIII, 5.
vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. Præterea mors Christi et ejus æternitas simul stant : primo, quia æternitas competit ei ex deitate, mors ex humanitate; secundo, quoniam licet ad horam occisus sit, protinus tamen ad immortalem surrexit vitam.

Dixit ergo eis Jesus : Adhuc modicum lumen in vobis est, hoc est, aliquantulam de Christo habetis notitiam, quamvis perminimam. *Ambulate,* hoc est, de imperfecta ista notitia ad perfectiorem Christi cognitionem procedite, et totum intelligite, scilicet Christum passurum et in æternum victurum, *dum lucem habetis,* hoc est, quando me splendorem lucis æternæ, *Sap.* VII, 26; *Hebr.* I, 3; *I Cor.* I, 24.
sapientiam Dei, præsentem conspicitis, qui vos instruere sum paratus, *ut non vos tenebræ comprehendant,* id est, ne in vestra perfidia, culpa et ignorantia pereatis. *Et qui ambulat in tenebris,* id est, in peccatis et ignorantiis vivit, *nescit quo vadat,* id est, excæcatus est mente, nec pericula sua attendit, nec judicat bene, sed falsa et mala præfert bonis et veris. Hinc in Proverbiis dicitur : Via stulti recta in oculis *Prov.* XII, 15.
ejus. Et iterum : Via impiorum tenebrosa; *Ibid.* IV, 19.
nesciunt ubi corruunt. *Dum lucem,* id est me Christum, *habetis* præsentem, *credite in lucem,* id est in me Unigenitum Dei, *ut filii lucis,* hoc est filii mei adoptivi ac filii gratiæ, *sitis.*

SERMO SECUNDUS

DE CAUSA, FRUCTU, EFFICACIA ET MERITO PASSIONIS CHRISTI, ET QUOMODO DEBEAMUS EI CONFORMARI.

TUNC apparebit signum Filii hominis in cœlo. Matth. XXIV, 30.

Hæc sunt verba Christi. Quæ exponuntur ad litteram de apparitione signi Filii hominis, id est crucis Christi, in aere in die extremi judicii, in quo (teste Chrysostomo) crux Christi sole erit splendidior. Nihilo minus verba hæc convenientissime exponuntur de sanctæ crucis inventione tempore Constantini imperatoris : quo tempore crux ipsa in cœlo apparuit, id est in militanti Ecclesia, quæ in Evangelio frequenter regnum cœlorum vocatur.

Circa hoc festum primo est recitandum, qualiter inventa fuit crux sancta. Et quamvis de hoc diversa hinc inde legantur, tamen quod referam, probabilius puto. Itaque, sicut in Legenda B. Silvestri Papæ narratur, dum Papa ille sanctissimus Constantinum convertisset imperatorem, mater imperatoris ejusdem cum centum quadraginta uno doctissimis Judæorum, ab eodem B. Silvestro ad fidem conversa est christianam, et valde virtuosa ac fervens effecta est, christianam religionem toto posse extollens et augens, ecclesias undique construens, et beatorum martyrum colligens ac honorans reliquias. Insuper Christi ardens amore, lignum crucis suæ cum maxima diligentia requisivit, atque (ut legitur) a Judæis extorsit ut locum sibi ostenderent quo esset crux Christi defossa. Fodientes autem, invenerunt tres cruces : unam Christi, alias duas latronum qui cum eo fuerant crucifixi ; quas portaverunt ad S. Helenam reginam, præfati imperatoris matrem, posueruntque cruces has in medio civitatis Jerusalem, Dominum exorantes ut demonstraret quæ fuisset crux Salvatoris. Quumque circa horam nonam quidam juvenis defunctus efferretur, posuerunt primam et secundam crucem super corpus defuncti, sed ille nequaquam surrexit ; sed tertia cruce super eum posita, surrexit continuo. Quo viso, cognoverunt quod illa esset crux Christi. Præterea in ecclesiasticis historiis legitur, quod quadam muliere primaria civitatis Jerusalem semiviva jacente, Macarius Jerosolymitanus episcopus crucem Christi super eam quum posuisset, illa protinus est curata. Eodem quoque tempore inventi sunt clavi Christi. Helena autem partem crucis Christi in Jerusalem dereliquit, partem filio suo imperatori portavit.

Circa hanc sacram solennitatem multa considerare debemus : primo, cur Filius Dei pro mundi salute sustinuit crucis patibulum ; secundo, quomodo per Christi passionem liberatum est genus humanum ; tertio, qualiter Christum cruciformiter debeamus sectari ; quarto, de efficacia passionis Christi, et magnitudine meriti ejus.

De primo sciendum, quod Deus omnipotens, justus et sapiens, condidit primum hominem in originali justitia, quæ fuit virtus infusa per quam in Adam corpus fuit subjectum animæ ejus, sensualitas rationi, et ratio Deo. Hæc autem justitia sic fuit primo nostro parenti collata, quod si ipse Dei præceptum non violasset, transfusa fuisset ista justitia in posteros ejus. Sed quoniam Dei præceptum transgressus est, tam ipse quam posteri ejus justo Dei judicio privati sunt prædicta originali justitia. Et sicut ea privati fuerunt, ita ob ejus carentiam cœlesti beatitudine fuerunt destituti, nec eam poterant ingredi, quo-

usque pro reatu originalis peccati exstitit satisfactum per Dominum Jesum Christum. Siquidem per originalem culpam genus humanum fuit cuidam jugo diaboli et servituti peccati subjectum, quia diabolus primum hominem superando, hoc est ad divini transgressionem præcepti trahendo, tam illum quam posteros ejus cuidam suo subjugavit dominio, atque tyrannicum quoddam jus sibi vindicavit in eis : idcirco genus humanum liberatore indiguit, qui illud a jugo diaboli, a servitute peccati, a damnatione inferni eriperet. Hic autem liberator, salvator ac
1 Tim. II, 5. mediator Dei et hominum, est Dominus noster Jesus Christus, Filius Dei, de cujus adventu sancti Patriarchæ atque Prophetæ a principio mundi sunt prælocuti, quem-
Luc. I, 68, 70. admodum Zacharias testatus est : Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit et fecit redemptionem plebis suæ, sicut locutus est per os sanctorum, qui a sæculo sunt, Prophetarum ejus. Porro iste est error Judæorum, Christum nondum venisse credentium, quod putant regem Messiam, videlicet Christum, idcirco venturum, ut liberet eos de captivitate ista temporali humana, qua sub Romano imperio a tempore Vespasiani et Titi fuerunt captivi; quum tamen sancti Prophetæ apertissime prædixisse legantur, quod in Christi adventu Judæi essent excæcandi et relinquendi, gentiles vero illuminandi atque salvandi.

Circa secundum est agnoscendum, quod quamvis passio Christi ex parte inferentium eam, videlicet Judæorum occidentium Christum, fuerit crudelissima, et Dei Patris vehementissime offensiva, quia ex summo rancore, injustitia et ferocitate processit, et Christus omnino innocentissimus fuit, imo et præstantissimus, et in quantum Deus, incomparabilis dignitatis : propter quod ipsum, utpote Dei Unigenitum, Deum verum et hominem, ita tractare taliterque occidere, fuit enormissimum scelus; nihilo minus passio Christi ex parte patientis, videlicet Christi, fuit piissima, virtuosissima, et Dei Patris ineffabiliter placativa ac honorativa, in quantum Christus ex perfectissima caritate et plenissima obedientia, misericordissima quoque pietate eam acceptavit ac patientissime pertulit, eamque ad Dei Patris honorem et hominum ordinavit salutem. Et ita passio Christi satisfactoria fuit pro reatu originalis peccati, imo omnis culpæ, quantum est ex parte ipsius, et meritoria fuit hominibus gratiæ in præsenti, et gloriæ in futuro. Sed necesse est ut meritum Christi applicetur hominibus tempore novi Testamenti per sacramenta Ecclesiæ in re, aut saltem in voto, si desit facultas ea realiter obtinendi. Hinc de Christo Isaias prædixit : Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit; disciplina pacis nostræ super eum, id est, correctio pro peccatis generis humani, per quam Deo reconciliati sumus, Christo inflicta est. Unde Christus in Psalmo loquitur Patri : Quem tu percussisti, persecuti sunt, scilicet me. Et per Isaiam loquitur Pater de Christo : Propter scelus populi mei percussi eum. Sed et princeps Apostolorum in prima sua epistola protestatur de Christo : Qui peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum ; cujus livore sanati sumus.

Is. LIII, 4, 5. *Rom.* V, 10. *Ps.* LXVIII, 27. *Is.* LIII, 8. *1 Petr.* II, 24.

Circa tertium advertendum, quod ipsemet Christus in Evangelio loquitur : Qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam quotidie, et sequatur me. Istud enim secundum unam expositionem, ad omnem pertinet Christianum, quia et Joannes ait apostolus : Qui se dicit in Christo manere, debet sicut ille ambulavit, et ipse ambulare. Paulus quoque apostolus hoc ipsum clarius exprimens, dicit : Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis. Omnis itaque Christifidelis tenetur abnegare se ipsum, id est propriam voluntatem divinæ subjicere voluntati, obediendo præceptis Dei et vicariorum ejus, videlicet prælatorum; et crucem suam portare, id est per arctam viam salutis in-

Luc. IX, 23. *1 Joann.* II, 6. *Galat.* V, 24. *Matth.* VII, 14.

cedere, pœnitentialem vitam ducere, concupiscentias refrenare, sicque sibi ipsi violentiam inferre salubrem (nam Christo testante, regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud); atque Christum sic sequi in humilitate, pietate, justitia, caritate, ceterisque virtutibus. Propter quod ait Apostolus : Ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos. Itaque his modis Christum sequamur, quoniam ipse testatur : Si quis mihi ministrat, me sequatur. Et rursus : Discite (inquit) a me, quia mitis sum et humilis corde. Et iterum ait : Arcta est via quæ ducit ad vitam; itemque, Si vis ad vitam intrare, serva mandata. Omnem ergo superbiam mentis, omnem superbiam in verbis et factis ac vestibus, in incessu et apparatu abjiciamus; similiter omnem iram, impatientiam, pigritiam, incontinentiam, avaritiam et rancorem penitus repellamus; atque in vera humilitate, in filiali timore, in mansuetudine et fervore, castitate, misericordia et spirituali amore Christum sectemur.

Matth. XI, 12.

Ephes. V, 2.

Joann. XII, 26.

Matth. XI, 29.

Ibid. VII, 14.

Ibid. XIX, 17.

Circa quartum sciendum, quod Christo secundum divinam naturam non competebat aliquid promereri aut satisfacere, sed in quantum exstitit homo, et aliquo modo viator atque passibilis ac mortalis. Verumtamen idoneitas promerendi ac satisfaciendi competebat ei ex divinitate suæ humanitati unita : ex qua deitate fuit quodammodo infinitæ idoneitatis et efficaciæ ad promerendum ac satisfaciendum; et etiam quoniam caritate, obedientia, pietate, ceterisque virtutibus anima ejus perfectissime fuit impleta. Hinc meritum Christi et efficacia suæ passionis seu satisfactionis, sunt quodammodo infinita. Unde merito Christi dantur hominibus charismata gratiarum a Deo et indulgentia in Baptismo, multiplex quoque gratiosum subsidium in aliis sacramentis. Hinc itaque incessabiles ac præcordialissimas gratias Deo Patri et unico Filio ac Spiritui Sancto dicamus ac immolemus, reverenter deserviamus, et usque in finem subditi perseveremus.

SERMO TERTIUS

QUOT GRADUS SINT INNOCENTIÆ; QUALIS NECESSARIA SIT AD SALUTEM; UNDE ETIAM CONSTET INNOCENTIA SALUTARIS, CUM EXHORTATIONE ADMODUM PIA.

ECCE Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Joann. I, 29.

In his verbis beatissimus Christi præcursor S. Joannes Baptista Dominum nostrum Jesum commendat : primo a sua innocentia, quum ait, « Ecce Agnus Dei »; secundo a suæ subventionis efficacia, dum subjungit, « ecce qui tollit peccata mundi ». Christus itaque vere et summe innocens fuit, quoniam nulli unquam peccato erat obnoxius, nec sibi nec aliis nocuit per peccatum. Innocentia namque est mentis integritas absque peccato. Et certum quod Christus in quantum Deus, peccare non potuit. Humanitas quoque ipsius ab incarnationis exordio fuit confirmata in bono, et hypostatice juncta Verbo æterno : imo et anima ejus Deo beatifice fruebatur a primo momento suæ creationis. Idcirco Christus nequaquam quivit peccare.

Insuper multi sunt gradus innocentiæ; imo nullus potest salvari, nisi aliquo modo sit innocens, quum dicat Propheta : Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus? Innocens manibus et mundo corde. Sanctus quoque Hieronymus ait : Sicut parvulus non perseverat in iracundia, læsus non meminit, videns pul-

Ps. XXIII, 3.

Ibid. 4.

chram mulierem non delectatur, non aliud cogitat et aliud loquitur; sic et vos nisi talem habueritis innocentiam et puritatem, regnum cœlorum non poteritis introire.

Itaque primus innocentiæ gradus, est integritas cordis, sive immunitas ab omni culpa, tam originali quam personali, tam veniali quam mortali : et sic innocens exstitit Christus. Secundus innocentiæ gradus, est integritas cordis et immunitas ab omni peccato actuali seu personali, tam mortali quam veniali : quem gradum adscripserunt magni et sancti doctores Virgini gloriosæ. Tertius gradus, est immunitas ab omni culpa mortali : qui gradus competit sanctificatis in utero matris, quemadmodum Joanni Baptistæ ac Jeremiæ prophetæ, qui tamen venialiter peccasse noscuntur. Quartus gradus, est integritas sive immunitas ab omni culpa mortali ac veniali ad aliquantulum tempus : sicque baptizati, atque (ut creditur) in religione professi, statim post Baptismum et professionem innocentes consistunt, quia in ipso Baptismo ac professione purgantur ab omni mortali ac veniali. Quintus gradus, est immunitas ab omni peccato mortali præterito et præsenti : et iste innocentiæ gradus, seu innocentia ista, ad minus requiritur ad salutem, ut scilicet homo de peccato mortali præterito vere pœniteat, nec actualiter in mortali culpa exsistat. Nos ergo peccatores vilissimi, qui sæpissime enormiterque offendimus Deum, nec ad superiores illos innocentiæ gradus pertingere possumus, studeamus saltem ad hunc ultimum ac infimum innocentiæ gradum contingere, ut sine mortali viventes peccato, stemus in caritate et gratia Dei.

Luc. I, 15; *Jer.* I, 5.

Ad quod aliqua requiruntur. Primum est, ut de omni peccato mortali præterito cordialiter pœniteamus seu doleamus, sicque dolor iste interior culpam adæquet, seu culpis proportionatus consistat, quatenus secundum multitudinem magnitudinemque culparum nostrarum sit magnitudo doloris interni, seu pœnitentiæ vel contritionis. De tali etenim dolore seu gemitu oportet intelligi quod per Ezechielem prophetam loquitur Deus : In quacumque hora ingemuerit peccator pro peccatis suis, omnium iniquitatum ejus non amplius recordabor. Secundum est, ut doleamus de culpis, non solum in quantum per eas meruimus pœnas, sed potius in quantum sunt offensivæ et inhonorativæ Domini Dei, et contra justitiam : quia non sufficit ex solo servili pœnitere timore. Tertium est, ut statim quum nobis de aliquo mortali peccato conscii sumus, confiteamur, vel tempore opportuno confiteri proponamus : quia non sufficit contritio sine voto atque proposito confitendi. Quartum est, ut etiam cum diligentia vitemus venialia et quotidiana peccata : quæ qui diligenter non vitat, cito mortalia incidet, eo quod venialia præparent ad mortale, ipsaque venialium consuetudo mortalis sit. Idcirco in Ecclesiastico scriptum est : Si non in timore Domini tenueris te instanter, cito subvertetur domus tua, id est cor tuum, in quo Deus, si bonus es, per gratiam habitat, et in quo tu ipse per cogitationes affectionesque habitas. Hinc ait et Salomon : In timore Domini esto tota die, et omni custodia custodi cor tuum. Timor etenim retrahit a peccato, et diligentem efficit hominem ad ea quæ exstant salutis. Hinc affectuosissime cum ingeminatione hortatur Apostolus : Cum metu, timore et tremore vestram salutem operamini. Hoc fecit beatus Job, dicens : Semper quasi tumentes super me fluctus timui Deum. Oportet itaque gustum et ventrem refrenare ab immoderantia cibi et potus, mentem a cogitationibus et affectionibus pravis, linguam ab inutilibus vitiosisque verbis, exteriora membra et totum corpus a malis operibus, animam quoque ab omissionibus et negligentiis cunctis.

Ezech. XVIII, 21, 22.

Eccli. XXVII, 4.

Prov. XXIII, 17; IV, 23.

Philipp. II, 12.

Job XXXI, 23.

Præterea, circa exordium evangelii hujus quæstio posset moveri, qualiter dicat Christus, Nunc judicium est mundi, quum ipsemet alibi contestetur : Non misit Deus

Joann. XII, 31.

Ibid. III, 17.

Filium suum ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum ; et alibi, Ego (inquit) non judico quemquam. Et respondendum, quod auctoritates illæ ac similes intelligendæ sunt de judicio discussionis et reprobationis seu finalis remunerationis : quod est opus justitiæ. Christus autem in primo suo adventu venit dulcorem pietatis, non rigorem justitiæ, exercere. Verumtamen unusquisque Christifidelis debet cor suum quotidie diligenter examinare, peccata sua in se ipso rationabiliter castigare, et ita se ipsum salubriter dijudicare, ut divini evadat judicii districtionem.

Joann. VIII, 15.

Insuper, quoniam Christus in evangelio asserit hodierno, Si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum, clamemus ad ipsum, cum spirituali sponsa dicentes : Trahe me post te, hoc est, a carnalibus et temporalibus rebus affectum cordis mei averte, atque ad divinorum et æternorum considerationem ac dilectionem erige, ut omnis avaritia et carnalis concupiscentia repellantur a me, et Deum super omnia diligam, in virtutibus semper crescere studeam, ad æternam beatitudinem ferventer adspirem. Præterea, quoniam Christus quantum in ipso est, sua passione traxit nos ad se ipsum, non retrahamus nos ab ipso, appetendo illicita, aut faciendo divinis præceptis contraria, aut omittendo bona a Deo jussa ; sed impleamus quod Salomon exhortatur : Quidquid potest manus tua, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas.

Ibid. XII, 32.

Cant. I, 3.

Eccle. IX, 10.

Amplius, advertamus exhortationem Christi, in evangelio hodierno dicentis : Ambulate dum lucem habetis, ut non tenebræ vos comprehendant. Hoc etenim est quod Isaias propheta hortatur : Quærite Dominum, dum inveniri potest ; invocate eum, dum prope est. Paulus quoque apostolus : Exhortamur (inquit) ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Omnes enim quamdiu in via hujus exsilii vivimus, lucem gratiæ Dei habemus in actu vel in potentia, hoc est in re vel in potentia perveniendi ad eam ; sed dum finitur hæc vita, quæ via est ad aliam vitam, finitur status merendi ac demerendi, et per consequens possibilitas pertingendi ad gratiam his qui extra gratiam, id est in mortali peccato, decedunt. Idcirco periculum nostrum est irremediabile, irrecuperabile et immensum, si negligenter vixerimus. Simus ergo solliciti, ferventes, timorati ac agiles, et ambulemus in via virtutum, de bono in melius, de peregrinatione præsenti ad patriam felicitatis æternæ. Nullus indulta pœnitentiæ tempora perdat, nullus emendationem vitæ procrastinet, quum ignoremus diem et horam. Et qui pœnitenti promisit veniam, non ei promisit diem sequentem.

Joann. XII, 35.

Is. LV, 6.

II *Cor.* VI, 1.

Matth. XXV, 13.

Postremo Christi passionem cordibus nostris indelebiliter imprimamus, illam jugiter meditemur, et ejus intuitu ac amore omnem adversitatem, aspernationem, contumeliam æquanimiter toleremus. Hinc quidam in persona Christi satis devote locutus est : Homo, vide quæ pro te patior. Non est dolor sicut quo crucior. Ad te clamo, qui pro te morior : vide pœnas quibus afficior, vide clavos quibus confodior. Quum tantus sit dolor exterior, intus tamen planctus est gravior, tam ingratum dum te experior.

Philippus cancellarius Parisiensis.

IN FESTO
S. SERVATII EPISCOPI

SERMO UNICUS

DE VITA ET EXCELLENTIIS S. SERVATII EPISCOPI.

NON est inventus similis illi, qui conservaret legem Excelsi. Eccli. XLIV, 20.

Hæc verba ad litteram scripta sunt de Abraham patriarcha: quæ tamen spiritualiter de unoquoque sancto confessore in Ecclesia Dei leguntur, quoniam quilibet talis in aliqua gratia et virtute præfulsisse vi-
1 *Cor.* VII, 7. detur. Nam et Apostolus protestatur: Unusquisque proprium donum habet a Deo. Verumtamen sacratissimus Christi confessor Servatius multis privilegiis decoratur, multis excellentiis fulget, admirabili perfectione est sublimatus.

Prima ejus excellentia est, quoniam ex nobili atque sanctissima progenie Christi Filii Dei est natus. Fuerunt namque in Judæa sanctissimæ mulieres, Anna, quæ peperit Mariam Jesu Christi Genitricem, et soror Annæ Esmeria, quæ genuit Elisabeth matrem Joannis Baptistæ, ac Eliud fratrem Elisabeth. Eliud autem genuit Emin, qui relictis parentibus ac patria Judæorum, intravit Armeniam, in qua de Memelia conjuge sua felice, genuit sanctum et gloriosum Servatium.

Secunda excellentia ejus est, præcipua sanctitas ejus ab ipsa ejus infantia. Nam dum adhuc ubera suxit materna, tantæ abstinentiæ fuit, quod in die vix altera vice matris suæ suxit mamillas. Et sicut de beato legitur Nicolao, quod quarta et sexta feria semel tantum suxit ubera; ita A de præelecto Servatio, quod in die communiter vix altera vice ubera suxit materna. Deinde in pueritia sua nil puerile gessit in opere, sed frequentabat ecclesias, et sacras studuit litteras. Vultus ejus quasi solis splenduit radius, et inter coætaneos suos ipse emicabat ut angelus : sicque in magna innocentia permanens, atque in omni virtute et gratia quotidie abundanter proficiens, ab Armenia venit Jerusalem. Cujus probitatem, modestiam, perfectionem attendentes prælati ibidem, sacerdo-
B tem eum ordinaverunt.

Tertia excellentia ejus est, admiranda sua promotio ad episcopatum. Quum enim S. Valentinus Tungrensis episcopus, circa extremum vitæ suæ, baculum suum pastoralem super altare posuisset ecclesiæ, sub anathemate jubens ne quis inde baculum tolleret quousque Deus per revelationem monstraret quis Tungrensi ecclesiæ deberet præesse, ecclesia ipsa Tungrensis septem annis caruit præsule. Interea angelus Dei S. Servatio in Jerusalem oranti appa-
C rens, præcepit ut ad urbem Tungrensem, quæ tunc vocabatur Octavia, festinanter transiret, quia illius loci futurus esset episcopus. Sicque angelo duce pervenit Octaviam, in cujus ecclesia tunc congregati fuerunt episcopi, de episcopo illico provisuri. Quumque beatissimus pater Servatius se in terram prostrasset in ipsa ecclesia

ut oraret humillime, angelus visibiliter A intrans ecclesiam cum splendidissimo vultu, levavit Servatium sanctum de terra, in episcopali posuit cathedra, et baculum de altari accipiens, porrexit eum Servatio, cunctis qui aderant vehementissime admirantibus atque timentibus. Quibus peractis, disparuit angelus; et sancto dictante Servatio, præsules perfecerunt quod angelus reliquit agendum, ac more ecclesiastico gloriosum Servatium consecraverunt episcopum. Tunc omnes in laudem Altissimi concorditer proruperunt. Ex tunc B S. Servatius celebravit quotidie cum ardentissima devotione, nisi gravissima impediretur infirmitate; atque post Missam nullum fere accepit cibum, nisi spiritualium fratrum rogatus instantia, aut infirmitate cogente præcipua. Hinc quasi spiritus adspiciebatur ab omnibus, et tanquam angelus venerabatur a clericis; a civibus quoque vicinisque omnibus amabatur ut pater, quoniam unicuique succurrebat prout indiguit, in eleemosynis largus, in orationibus sedulus, et totius Ecclesiæ decus. C

Quarta excellentia ejus est, copiosissima miraculorum ipsius frequentia. Nam ægri manus et pedes ipsius tangendo mox sanabantur; aquis quibus manus proprias lavit, debilibus contulit sospitatem; obsessi, de ciborum ejus manducando reliquiis, protinus curabantur. Et quamvis linguæ esset alienæ, tamen dum populo prædicavit, intelligebatur a cunctis; dum vero sæcularia tractavit negotia, utebatur interprete. In ecclesia Metensi grandem altaris lapidem ruptum redintegravit precibus. D Dum sitiret, fontem de terra erumpere impetravit : ex cujus potu plurimi sanabantur infirmi. Quumque in Colonia oraret in cella, vidit S. Severinus, tunc ibi episcopus, tempore noctis columnam nubis a cella illa usque ad cœlum protendi : per quod altitudo contemplationis, ardor orationis, puritas mentis sanctissimi declarabantur Servatii. Insuper, dum captus fuisset ab Hunnis, quadam nocte angelus splendidissima luce circumfulsit eumdem : quo viso admirati sunt Hunni, et dum eum inter se posuissent, atque diversa de eo sentirent, subito vultus ejus resplenduit tanquam sol. Paulo post, quum dormiret in campo, et unus Hunnorum pro eo reducendo ad Hunnos transiret, invenit aquilam grandem una ala umbram facere dormienti, altera ala tanquam flabello auram temperare eidem. Rursus, dum in Metensi celebraret ecclesia, resplenduit facies ejus ut ignis.

Quinta excellentia ejus est, patientia sua maxima in adversis. Dum enim infelicissimi Tungrenses sanctissimum patrem Servatium sibi divinitus tam solennissime datum, irreverentissime de civitate sua expellerent, dicentes, Quid nobis cum advena ignoto, terræ judicialia ignorante, nec curias frequentante, sed solitudine atque silentio gloriante? ipse tranquillissimus mente et vultu jucundus, Deoque gratias agens quia hæc meruit pati pro eo, cum paucis clericis ac monachis timoratis egrediens, castellis oppidisque in circuitu positis prædicavit, et ita Trajectum pervenit, ubi tunc fuit parva ecclesia valde decora, juxta quam sibi construxit cellam, in qua Deo devotissima ac quietissima mente vacavit, ac devotissimum populum copiose instruxit, et pro Tungrensibus jugiter exoravit. Porro ecclesiam illam S. Maternus ædificavit, et populum Trajectensem primo convertit. Similiter, quum B. Servatius ab Hunnis fuisset captus, et undique distraheretur, impelleretur, ac vinculis manciparetur, omnia patientissime tulit; quousque Deus omnipotens per gloriosa miracula eum de illorum eripuit manibus, ita quod eum cum omni dimiserunt honore. Nam et princeps eorum traxit sanctum virum seorsum, atque (ut creditur) ab ipso accepit et didicit fidem.

Sexta excellentia ejus est, gratia prophetiæ atque cœlestis visionis, quibus eum sublimavit Omnipotens. Nam crudelissimam Hunnorum persecutionem prædixit futuram, quam sibi Spiritus Sanctus in cella monstravit venturam. Deinde a multis sanctis rogatus episcopis atque princi-

pibus ac viris nobilibus, Romam profectus est, ut gloriosissimum ac benignissimum Apostolorum principem Petrum deprecaretur pro ablatione persecutionis tam sævæ. Quumque in sanctissimi Petri ecclesia diu affectuosissime ac lacrimosissime exorasset, vidit in visione Christum in aureo throno ante altare sedentem, atque a dextris ejus Virginem Matrem, in circuitu quoque millia Sanctorum, inter quos vidit sacros apostolos Petrum et Paulum. Igitur ad S. Petrum convertit se totum, ut oraret pro causa hac, præsertim pro Tungrensi ecclesia. Cui Apostolus : Noli, o frater, pulsare januam justo judicio clausam. Clamor namque Tungrensium pervenit usque ad cœlum : unde et ira Dei super eos in sæcula sæculorum. Quumque B. Servatius vehementissime tristaretur, dedit ei gloriosus apostolus Petrus clavem argenteam, dicens : Est urbs quam diligis, Trajectum, urbs regia, pro qua exauditum te noveris ; ipsa tibi sepulcrum erit et gloria. Gestavit ergo felix Servatius argenteam clavem in manu, in signum quod potestatem haberet aperiendi claudendique cœlum. Reversus autem ad sanctos episcopos, retulit eis visionem quam habuit. Venerunt quoque ad eum majores natu ac gradu Tungrensium usque ad Metim, et prostrati in terram, veniam postulaverunt humiliter, exorantes ut cum eis reverteretur Octaviam. Acquievitque eis. Venientibus autem sibi obviam ordine longo Tungrensibus cum lacrimis infinitis, exposuit eis quid eis esset venturum ab Hunnis, et quod pro animabus eorum esset jugiter oraturus ; quod item suam faciem amplius non essent visuri. Ostenditque eis clavem argenteam in signum potestatis sibi collatæ. Insuper eos rogavit ut Sanctorum reliquias et sacra vasa permitterent transferri Trajectum : quod non sine immenso permiserunt dolore, clamore et luctu. Quumque Tungrenses quasi universi pergerent secum versus Trajectum, et gloriosus Servatius in quodam loco amœno se reclinaret ad sedendum, repente se terra extulit, et sancto viro ad superse-

A dendum in modum pulvinaris se coaptavit.

Septima excellentia ejus est, gloriosus, miraculosus et beatissimus finis ipsius. Nam mortem suam prænuntiavit populo sibi commisso. Quumque coram omnibus in Trajectensi sua celebraret ecclesia, angelus Domini visibiliter adstans apparuit, et sancto patri gaudia promisit æterna. Post Missam vero beatus vir prædicavit populo usque ad horam nonam, et circa horam illam vultu ad orientem converso, exoravit. Descenditque super eum copio-

B sissimus splendor de cœlo, atque simul cum lumine illo, sanctissima anima ejus corpus relinquens ascendit ad Christum. Deinceps spatio trium horarum splendor ignis divini permansit ibidem, et totam illustrans ecclesiam, tanquam fulminis ictu adstantium corda concussit stupentia. Tunc et serica vestis ab angelis sanctis populo cernente ac admirante allata, supra sacratissimum magni Servatii corpus est posita ; suavissimus quoque odor ibi copiose adspersus est. Tunc meritis gloriosi anti-

C stitis sacri Servatii cæcis visus, surdis auditus, claudis gressus non impeditus, leprosis sospitas plena sunt præstita ; et omnes infirmi ad Tungrensem portam sedentes, ad sanctum Servatii corpus properantes, juxta illud protinus curabantur. Post tempora certa, quum nix undique in gyro sepulcri sancti patris omnia operiret usque ad densitatem trium pedum, locus sepulcri sanctissimi hujus viri mansit a nive intactus. Sed et alia multa magnalia de sancto et glorioso Christi consanguineo

D leguntur Servatio.

Itaque, tam virtuosissimi præsulis ædificemur exemplis, instruamur virtutibus, inflammemur amore ; crescamus in vera virtutum perfectione, præsertim in omni humilitate, mansuetudine, patientia, caritate ; ut etiam inimicos sinceriter diligamus, oremus pro eis, benefaciamusque ipsis ; atque in sanctitate et justitia Deo deservientes, illius sequamur vestigia, qui solem suum facit oriri super bonos et malos, et pluit super justos et injustos. *Matth.* v, 45.

IN DIEBUS ROGATIONUM

ENARRATIO IN EPISTOLAM

CONFITEMINI ALTERUTRUM PECCATA VESTRA, ETC. Jacob. v, 16-20.

APOSTOLUS Jacobus exhortaturus nos ad orationem, præmonuit de confessione peccatorum facienda. Sæpe enim fit ut peccata impediant virtutem orationis. Ideo dicit :

Confitemini alterutrum peccata vestra, id est, unus alteri propria peccata confiteatur. Verumtamen sacramentalis confessio soli sacerdoti est facienda, qui a Deo habet potestatem ligandi atque solvendi. Tamen in casu necessitatis potest non sacerdoti fieri confessio de quibuscumque peccatis : quæ tamen confessio non est perfecte sacramentalis, estque reiteranda seu sacerdoti postmodum facienda, si ad hoc detur facultas. Venialium vero confessio potest alterutrum non sacerdotibus fieri, quum non sit de necessitate salutis. Quæ omnia super quartum Sententiarum doctores declarant. Hinc Beda scribit : Quotidiana leviaque peccata alterutrum coæqualibus confiteamur ; graviorem vero lepram, id est mortalia, sacerdoti pandamus. Nec hoc sic intelligendum est quasi non debeamus venialia sacerdotibus confiteri, sed quia non est ita necessarium ea sacerdotibus confiteri sicut mortalia.

Cf. t. XXIV, p. 477 et s.

Et orate pro invicem ut salvemini. Hoc namque exigit caritas, qua proximorum tenemur desiderare ac procurare salutem quemadmodum propriam. Oratio quippe desiderii est interpres. Hinc Christus orationem quam docuit, in plurali formavit, insinuans ut pro proximis sicut pro nobis ipsis oremus : ita ut interdum eadem oratio pro se aliisque fundatur ; interdum vero oret quis, nunc pro se et specialibus indigentiis suis, nunc pro aliis, et præsertim pro communi bono Ecclesiæ, pro reformatione ejus in omnibus, pro parentibus, propinquis, commissis et benefactoribus, pro cunctis fidelibus defunctis, pro vivis et mortuis, pro universorum salute et infidelium conversione. Qui enim pro omnibus orat, particeps est omnium bonorum quæ fiunt : et bonum quanto communius, tanto divinius perhibetur. Hinc debet unusquisque orationes aliorum humiliter ac ferventer appetere, et eos, ut pro se orent, rogare. Quo enim alios humilius ac ferventius, ut pro nobis orent, rogamus, eo capaciores efficimur fructus orationis illorum. Potissimum tamen hominum devotorum et notabiliter virtuosorum est appetenda oratio. Propter quod subditur :

Matth. VI, 9-13.

Multum enim valet deprecatio justi assidua. Justus namque est Dei amicus, ejusque filius adoptivus, et ei consimilis atque amabilis. Siquidem justus Dominus, et justitias dilexit. Amicorum autem est eadem velle et nolle. Ideo scriptum est : Oratio justi penetrat cœlos ; itemque, Vo-

Ps. X, 8. *Eccli.* XXXV, 21. *Ps.* CXLIV, 19.

luntatem timentium se faciet, etc. Et bene ait Apostolus, quod « assidua » justi oratio valeat multum, seu magni vigoris ac meriti seu præcipuæ exaudibilitatis sit apud Deum : quia una conditio ad orationis exaudibilitatem requisita est, ut sit perseverans. Propter quod ait Salvator : Oportet semper orare, et non deficere. Porro orationes ministrorum Ecclesiæ, quamvis injustorum, tamen in persona Ecclesiæ fusæ, quamdam efficaciam sortiuntur pro plebe.

Luc. XVIII, 1.

Quod autem multum valeat justorum oratio, probat exemplo. *Elias homo erat similis nobis passibilis,* id est mortalis, qui et timore mortis fugit a facie Jezabel ; *et oratione oravit.* Ista est proprietas idiomatis Hebræorum, per talem ingeminationem effari, sicut in Isaia : Dissipatione dissipabitur terra, agitatione agitabitur terra, confractione confringetur terra. Vel ideo ait, « oratione oravit », quoniam una oratione impetravit quod subditur, ut Beda hic loquitur. Itaque, Oratione oravit *ut non plueret super terram* decem tribuum Israel, propter eorum facinora, videlicet idololatrias regis ipsorum et populi. Hoc enim oravit Elias zelo justitiæ, ut per adversa retraherentur a vitiis, vexatione edocti. *Et non pluit annos tres et menses sex.* Ista historia tertio Regum diffuse describitur. *Et rursus oravit.* Quum enim vidisset eos humiliatos et nimis afflictos, condoluit eis, orans Deum ut pluviam condonaret. *Et cœlum dedit pluviam,* id est, sua virtute influentiali concurrit ad hoc ; *et terra dedit fructum suum.*

III *Reg.* XIX, 3. *Is.* XXIV, 3, 20, 19. III *Reg.* XVII, 1 et seq. *Ibid.* XVIII, 42-45.

Fratres mei, si quis ex vobis erraverit a veritate, id est, aliquis vestrum a fidei rectitudine, aut a veritate doctrinæ, vitæ sive justitiæ declinaverit, *et converterit quis eum* per veram informationem, caritativam exhortationem, justam increpationem, et fraternam correptionem ; *scire debet quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ,* id est, a via perditionis ad viam salutis, seu observationem præceptorum, reduxerit, *salvabit animam ejus a morte,* id est, a condemnatione gehennæ, quæ est mors æternæ miseriæ, animam peccatoris conversi præservabit ac eruet. Revocando enim eum a culpa, eruit eum a pœna perpetua. *Et operit multitudinem peccatorum,* id est, peccata peccatoris conversi facit sic tegi, ut a Judice summo non videantur ad condemnandum. Nempe per hoc quod peccatorem ad contritionem et emendationem inducit, cooperatur ad remissionem culparum illius : quæ remissio est peccatorum opertio sive tectio vel deletio, juxta illud, Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata. — Aliqui textus habent, Salvabit animam suam a morte : quia qui alium ex caritate admonet, corripit et convertit, sibi ipsi maximum præmium promeretur, et caritatis suæ fervore quotidiana et propria sua incendit peccata, dimittunturque ei. Imo et præteritorum suorum excessuum obtinet remissionem quantum ad pœnam, omnino vel pro parte, secundum quod caritatis fervor fuerit in eo major aut minor. Idcirco in Proverbiis scribitur : Universa delicta operit caritas. Et princeps Apostolorum : Caritas (inquit) operit multitudinem peccatorum. Ideo de beatissima Maria Magdalene ait Dominus : Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Verumtamen, si quis impie vivens, non agens quod docet, prædicare præsumpserit, et prædicando quosdam quasi converterit, sua peccata sibi indulgeri non promeretur : imo gravius peccat, et suas offensiones multiplicat, prædicationis officium indigne exercens.

Ps. XXXI, 1. *Prov.* X, 12. I *Petr.* IV, 8. *Luc.* VII, 47.

Ex præinductis S. Jacobi apostoli verbis docemur, quam salubre et magnum sit apud Deum, peccantes fraterne corripere, pie instruere, caritative convertere. Nam et divinus Dionysius fassus est : Omnium divinorum divinissimum est, Deo cooperari in conversione iniquorum ad eum. Atque ut asserit Augustinus, ille in caritate Dei est perfectior, qui ad ejus amorem plures convertit. Gratissimumque Deo sa-

De Cœlest. hier. c. III.

crificium est zelus animarum. Atque sicut Christus majorem pati non potest persecutionem, quam ut quis verbo aut exemplo, animas sanguine suo redemptas, ab ipso avertat; sic ampliorem honorem ei impendere non valemus, quam animas deviantes ad ipsum convertendo. Fraternam ergo correptionem, ad quam omnes tenentur, in quantum est caritatis effectus, efficaciter et discrete cum omni fervore et humilitate exerceamus; errantes et lapsos erigamus pro posse et informemus. Taliterque vivamus, et tam timorate et fructuose jugiter conversemur, ut alios corripere, informare, convertere simus idonei. Nec verbis dumtaxat, sed oratione quoque et exemplo, pro aliorum conversione laboremus. Imo pro illis oremus instantius, quos incorrigibiliores conspicimus. Deficiente quippe humana virtute, ad Omnipotentis auxilium ferventius est confugiendum. Postremo, ut in Ecclesiastico scribitur : Unicuique Deus mandavit de proximo suo, ut eripiat eum ab omni iniquo. Errori quoque cui non resistitur, consentitur. Zelo ergo divini honoris ac fraternæ salutis simus semper accensi. Quumque anima sit incomparabiliter corpore præstantior, et æterna felicitas omni temporali sanitate inæstimabiliter desiderabilior, infernalisque mors omni corporali præsentis vitæ languore formidabilior; propterea incomparabiliter sollicitiores operosioresque simus pro conversione et salute animarum errantium proximorum, quam pro curatione corporum aut relevamine corporalium incommodorum, ut sit in omnibus nostra caritas ordinata. Nec dubium quin omnia ista ad prælatos ac præsidentes potissimum spectent. Omni igitur modo possibili, pro propria ac proximorum laboremus salute.

Eccli. XVII, 12.

SERMO PRIMUS

QUANTA SIT VIRTUS EFFICACIAQUE ORATIONIS; ET DE INSTITUTIONE LITANIARUM ATQUE PROCESSIONUM.

CONFITEMINI alterutrum peccata vestra, et orate pro invicem ut salvemini. Jacob. v, 16.

Dies isti vocantur dies Rogationum seu Litaniarum : quod idem est, quoniam litania interpretatur rogatio. Idcirco in officio Missæ legitur valde convenienter epistola ista ex epistola S. Jacobi apostoli sumpta, quia in ista docetur epistola, quanta sit efficacia orationis coram benignissimo Deo, et excitamur ad orationes assiduas ac devotas. Sed quia peccatores Deus non audit (quod de his qui in peccandi manent proposito, debet intelligi, quia et Salomon protestatur in Proverbiis : Qui declinat aurem suam ne audiat legem, oratio ejus erit exsecrabilis), idcirco in exordio hujus epistolæ dicitur : « Confitemini alterutrum peccata vestra ». Deinde subjungitur : « Et orate pro invicem ut salvemini ». Initium etenim omnis boni, confessio proprii est peccati. Idcirco ante orationem debet unusquisque se ipsum examinare, conscientiam suam discutere, et de suis peccatis (præsertim si sibi de mortali aliquo conscius est) statim dum potest, confiteri, aut confessionem proponere tempore opportuno, quatenus sic efficiatur idoneus Deo se præsentare ac supplicare.

Joann. IX, 31.

Prov. XXVIII, 9.

Insuper causam hujus exhortationis adjunxit apostolus Jacobus, dicens : Multum enim valet deprecatio justi assidua. In quibus verbis duo nos docet. Primum est, qualis debeat esse qui orat, videlicet ju-

Jacob. V, 16.

Ibidem.

Ibidem.

stus. De injustis enim per Isaiam loquitur
Is. 1, 15. Deus : Quum extenderitis manus vestras, avertam oculos meos ; et quum multiplicaveritis orationes, non exaudiam. Manus enim vestræ sanguine plenæ sunt, id est, opera vestra iniquitatibus sunt repleta. Secundum est, qualis debeat esse oratio ipsa, quia assidua. Propter quod in evan-
Luc. XVIII, 1. gelio Lucæ ait Salvator : Oportet semper orare, et non deficere. Apostolus quoque :
I *Thess.* V, 17. Sine intermissione (inquit) orate. Consequenter apostolus Jacobus probat istud per exemplum veteris Testamenti. Legitur etenim tertio Regum, quod dum filii Israel Deum per idololatriam gravissime offendissent, sanctissimus ille propheta Elias zelo Dei accensus contra iniquos, dixit ad
III *Reg.* XVII, 1 et seq. Achab regem Israel sceleratissimum : Vivit Dominus Deus Israel, in cujus conspectu sto, si erit, id est, non erit, annis his ros aut pluvia, nisi juxta oris mei verbum. Quumque Dominum invocasset ne plueret, non pluit annos tres et menses sex, quatenus impii per plagam hanc, ad quam sterilitas terræ famesque hominum sunt secutæ, punirentur in sæculo isto, et pœnitendo converterentur. Deinde iterum in-
Ibid. XVIII, 42-45. vocavit Dominum ut clementer concederet pluviam ; et factum est ita. Itaque die ista, in processione hac devotissime est orandum.

Præterea agnoscendum, a quo et propter quid institutæ sint litaniæ. Itaque advertendum, quod duplex est litania : videlicet major, quæ fit in festo Marci evangelistæ. Et dicitur litania major, quoniam a majore est instituta, utpote a S. Gregorio Papa, totius prælato Ecclesiæ. Alia est litania minor, quæ fit tribus diebus ante Ascensionem : quam instituit S. Mamertus Viennensis episcopus. Causa primæ litaniæ fuit, quia Romani post quadragesimale jejunium et sacram communionem in Pascha sumptam, comessationibus, ludis et incontinentiis servierunt : idcirco Deus misit in eos pestilentiam magnam, ob cujus cessationem impetrandam sanctus Papa Gregorius instituit litaniam et processionem solennem. Fuit quoque pestilentia illa tam gravis, quod multi sternutando moriebantur. Propterea aliquo sternutante, qui aderant mox dicebant : Benedicat seu adjuvet te Deus. Et inde (ut fertur) orta est consuetudo ut audientes sternutare aliquem, dicant verba prætacta. Aliqui quoque oscitando spiritum exhalabant : ideo sentientes se oscitaturos, signum sibi crucis imprimere properabant. Et inde consuetudo hæc hucusque (ut dicitur) observatur. Porro causa institutionis secundæ litaniæ fuit, quoniam tempore S. Mamerti episcopi, circa Viennam frequentes et magni terræ motus consurgentes, ecclesias domosque plurimas everterunt, nocturnique sonitus et clamores horribiles audiebantur multoties ; dæmones quoque lupos ac alias feras introierunt, et homines multos etiam in urbibus devoraverunt. Postea ordinavit Ecclesia ut litania hæc ab omnibus observaretur fidelibus.

Denique litania et processio atque jejunium his diebus rationabiliter observantur. Primo, ut Deus fructus terræ tempore isto a læsione præservet, quos dæmones lædere conantur per tempestates. Secundo, ut Deus auferat contentiones et bella, quæ tempore isto multoties concitantur. Tertio, ut per hæc carnales concupiscentiæ mitigentur, quæ tempore isto solent vigere. Quarto, quatenus per hæc ad Spiritus Sancti susceptionem aptentur fideles. Oratio quippe et jejunium non parum disponunt ad gratiam Dei. Unde Tobiæ Raphael angelus loquitur : Bona est oratio cum *Tob.* XII, 8. jejunio et eleemosyna. Ex quibus angelicis verbis ostenditur, quod valde conveniens est, orationi ac jejunio eleemosynam jungere, quum dicat Salvator : Beati mi- *Matth.* V, 7. sericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Et Salomon loquitur : Per *Prov.* XV, misericordiam et fidem purgantur pecca- 27. ta. Imo Jacobo contestante apostolo, Judi- *Jacob.* II, 13. cium sine misericordia erit ei qui non fecerit misericordiam. Quilibet ergo indigentibus pro posse suo succurrat : præsertim quia sic faciet Deus hominibus sicut

ipsi sibi invicem faciunt. Propter quod ait
Matth. VII, 2. Filius Dei : Qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis. Unde qui proximis suis pie liberaliterque succurrit, piam et liberalem meretur subventionem a Deo.

Hoc itaque tempore, o Christifideles, devotioni insistite, orationibus jejuniisque vacate, eleemosynas præ solito facite, atque ut digni sitis desuper exaudiri, per confessionem ab omni mortali culpa vos emundate, mox confitendo, vel saltem pœnitendo, et confessionem suo tempore, ut dictum est, proponendo. Postremo, quoniam (juxta Jeremiam prophetam) maledictus est qui facit opus Dei negligenter aut fraudulenter, studeat unusquisque cum attentione, timore et reverentia Dominum invocare atque laudare, cor suum ab omni vitio custodire, et in processione ac Missa verba vitare otiosa, illicita et perversa, seque Deo dignum exhibere ad impetrandum ea propter quæ fiunt hæ litaniæ.
Jer. XLVIII, 10.

ENARRATIO IN EVANGELIUM

QUIS VESTRUM HABEBIT AMICUM? ETC. Luc. XI, 5-13.

IN *illo tempore dixit Jesus discipulis suis : Quis vestrum habebit amicum, et ibit ad illum?* etc.

Hac parabola hortatur nos Dominus ad fiducialem orationis constantiam, incessabilem fervidamque frequentiam. Cujus sensus litteralis superficialiter planus est. Siquidem per similitudinem hanc intendit Christus probare, quod Deus superpiissimus preces constanter, indesinenter ac fervide continuatas et repetitas non despicit, sed exaudit. Porro mystice, per « amicum » intelligitur Deus sublimis, cui per Sapien-
Sap. XI, 25. tem dicitur : Diligis omnia quæ sunt, et nihil odisti eorum quæ fecisti. De quo ait
Ephes. II, 4. Apostolus : Propter nimiam caritatem suam, qua dilexit nos Deus. Similiter nomine amici intelligi potest Unigenitus Dei incar-
Joann. XV, 13. natus, qui de se ipso testatus est : Majorem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis. De
Ibid. XIII, 1. quo iterum legitur : Quum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Ad hunc amicum ire debemus mentis devotione, contemplatione, et dilectione, juxta illud : Accedite ad eum, et illuminamini. Unde ad Hebræos Apostolus hortatur:
Hebr. IV, 16. Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ ejus, ut misericordiam consequamur. Eundum est autem *media nocte,* sicut fatetur Psalmista : Media nocte surgebam ad con-
Ps. CXVIII, 62. fitendum tibi. Vel, « media nocte », hoc est durante præsentis vitæ tribulatione, adversitate, ignorantia, atque multiplici peccati ruina.

Et dicet illi : Amice. In exordio precis, nomen amici præmittit, ut ex mutuæ dilectionis recordatione, attentione, seu inflammatione, ille qui petitur ad exauditionem citius inclinetur, quum caritas impetrandi sit ratio. Nam et Augustino testante, amor est primum donum, in quo omnia dona donantur. *Commoda mihi tres panes.* Isti tres panes intelligi possunt, illuminatio intellectus, caritativa inflammatio voluntatis, et stabilitas memoriæ in divinis ; seu actus fidei, spei et caritatis, quibus præcipue Deus colitur. Item tres panes sunt : panis pœnitentiæ, hoc est deploratio et satisfactio pro peccatis ; panis Eucharistiæ, de quo loquitur Christus, Ego
Joann. VI, 48. sum panis vitæ ; et panis contemplationis internæ. Hi panes commodari nobis a Deo dicuntur, quoniam de donis nobis desuper datis ratio exigetur a nobis, sicut ait Salvator : Cui plus donatum est, plus exigetur
Luc. XII, 48.

ab eo; et Gregorius : Dum crescunt dona, rationes etiam crescunt donorum. *Quoniam amicus meus venit de via ad me.* Per amicum istum, secundum quosdam, intelligitur animus seu spiritus noster, qui dum per terrena, vana atque carnalia distrahitur, oblectatur, evagatur et a nobis recedit, juxta illud : Cor meum dereliquit me. Propter quod per Jeremiam dicitur : Usquequo deliciis dissolveris, filia vaga? Quum autem ad interiora sua regreditur, et salutaria meditatur, de via lata perditionis ad nos ipsos revertitur, sicut Isaias hortatur : Redite, prævaricatores, ad cor. — Præterea, per postulantem tres panes, intelligi potest quicumque alterum exhortatur, et per venientem de via, quicumque proximus exhortationibus indigens. Sicque exhortatori seu prædicatori tres panes sunt necessarii, utpote sapientia mentis, ordinata locutio oris, et exemplaritas conversationis.

Ps. xxxix, 13. *Jer.* xxxi, 22. *Is.* xlvi, 8.

Et non habeo quod ponam ante illum, hoc est, a me ipso nil virtutis aut gratiæ habeo, ut spiritum meum seu proximum spiritualiter valeam roborare atque reficere, dicente Apostolo : Quid habes quod non accepisti? Et rursus : Non sumus sufficientes cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est. Nemo ergo se jactet, nec de viribus suis præsumat, nec inaniter glorietur.

I *Cor.* iv, 7. II *Cor.* iii, 5.

Et ille deintus respondens, dicat. Recte ait, « deintus respondens ». Deus enim omnia implet, et animabus nostris illabitur, intusque eas occulta inspiratione alloquitur. Propter quod ait Psalmista : Audiam quid loquatur in me Dominus Deus. *Noli mihi molestus esse,* hoc est precibus me immoderate pulsare. Hoc intelligendum est, non quasi gloriosus et invariabilis Deus possit proprie dictam sustinere molestiam, aut hominum precibus inquietari; sed quia frequenter affectu et more humano loquitur in Scripturis, debili nostræ intelligentiæ condescendens, quemadmodum ait per Isaiam prophetam : Laboravi sustinens; et holocausta seu festa vestra sunt mihi molesta. Itemque : Numquid parum vobis est molestos esse hominibus, quia molesti estis et Deo meo? Itaque Deus ait : « Noli mihi molestus esse », ad insinuandum quam difficulter et protracte aliquando audiat deprecantes, quemadmodum sanctus Job loquitur Deo : Clamo ad te, et non exaudis me; sto, et non respicis me; mutatus es mihi in crudelem, et in duritia manus tuæ adversaris mihi. Per Jeremiam quoque loquitur de reprobo populo Judæorum : Noli (inquiens) orare pro populo hoc in bonum, nec assumas laudem et orationem pro eis, et non obsistas mihi, quia non exaudiam te.

Ps. lxxxiv, 9. *Is.* i, 14. *Ibid.* vii, 13. *Job* xxx, 20, 21. *Jer.* vii, 16.

Jam enim *ostium clausum est,* hoc est, aditus seu accessus ad impetrandum a me, modo tibi non patet : ita ut preces tuæ adhuc locum non habeant. Quocontra in Ecclesiastico habetur : Oratio humiliantis se nubes penetrabit. Et beatissimo Cornelio centurioni dictum est ab angelo : Orationes tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei. *Et pueri mei,* hoc est electi atque beati cives regni cœlestis, *mecum sunt in cubili,* id est in secretissima requie cœlestis palatii, ubi quasi in thalamo Ecclesia triumphans suo Sponso æterno inavertibiliter est conjuncta, et immediate feliciterque unita, facialiter cernens dilectum, nec per culpæ dissimilitudinem distans ab ipso, quemadmodum viatores, quibus Isaias loquitur : Iniquitates vestræ diviserunt inter Deum vestrum et vos.

Eccli. xxxv, 21. *Act.* x, 4. *Is.* lix, 2.

Non possum surgere, id est in actum exauditionis procedere, *et dare tibi* quæ petis. Deinceps quod ait Deus omnipotens, « Non possum », non impossibilitatem, sed difficultatem exaudiendi designat : non utique ex parte Dei, quum Deo nihil sit difficile, prout Jeremias ait : Domine Deus, non est tibi difficile omne verbum. Sed difficultas est ex parte orantis, propter indispositionem ejus, quemadmodum Isaias dicit : Ecce non est aggravata auris Domini ut non exaudiat, sed peccata vestra absconderunt faciem ejus a vobis ne exaudiret. Interdum quoque supersapientissimus Deus differt exaudire preces justo-

Jer. xxxii, 17. *Is.* lix, 1, 2.

rum ac dispositorum, propter rationabiles causas ei notas ac placitas, utpote : ne homini oranti dona divinorum charismatum vilescant ac pereant ex facilitate obtinendi petita, et ne exauditionem meritis propriis tribuat, aut vane exsultet, seu alios spernat; item ut diu orando amplius incalescat, suoque tempore copiosius exaudiatur, et impetrata vigilantius semper custodiat, de eorum amissione formidans. Unde ait Salomon in Proverbiis : Substantia festinata minuetur; quæ autem paulatim colligitur manu, multiplicabitur. Postremo Gregorius Nyssenus : Opportune, inquit, eos qui per arma justitiæ impassibilitatem sibi vindicarunt, pueros appellavit : nam quando aliquis abrenuntians carni, per rationem exercitio vitæ virtuosæ passionem confutavit, tanquam puer insensibiliter se habet.

Prov. XIII, 11.

Et ille, scilicet orans, *si perseveraverit pulsans,* hoc est Deum infatigabiliter invocans, nec pudore, nec tædio, nec desperatione dejectus; *dico vobis,* qui nec fallor, nec fallo, mentirique nequeo, *et si non dabit illi* tam instanter oranti, *surgens,* hoc est, actualiter opem ferens (juxta illud Psalmistæ, Exsurge, Domine, adjuva nos, et libera nos propter nomen tuum), *eo quod amicus ejus sit,* hoc est ratione amicitiæ; *propter improbitatem tamen ejus,* id est propter importunam seu indesinentem ejus instantiam, improbitati aliquid simile continentem, præsertim humano judicio, in petitionibus homini porrectis : homo namque si instanter et diu rogetur, etiam ab egente, cito precem talem non necessitati sed improbitati adscribit; *surget, et dabit illi quotquot habet necessarios,* scilicet tres, sicut rogavit, imo et plures, si tunc pro pluribus panibus postuletur, ne ad lectum reversus, denuo inquietetur. Unde elicitur, quia si petantur superflua in exterioribus rebus, non præstantur : imo Deus superflua jubet pauperibus erogari. De spiritualibus quoque gratiæ donis, tantum Deus largitur digne ac perseveranter petentibus, quantum eis necessarium conspicit ad salutem.

Ps. XLIII, 26.

Luc. XI, 41.

Ex his Christus concludit intentum, quasi per locum a minori arguens : quia si homo non naturaliter nec perfecte bonus, precum superatur instantia, quanto magis Deus omnipotens, substantialiter, pure et infinite bonus, amans et pius, imo et essentialiter amor, bonitas atque benignitas, orationum instantia se ad exauditionem inclinat, et preces tam multoties et ardenter sibi oblatas non aspernatur? Quemadmodum etiam Lucas dicit, Oportet semper orare, et non deficere; exemplificans de judice iniquo, qui nec Deum nec homines timuit, et tamen importunitate viduæ victus, eam exaudivit. Subdit ergo et consulit :

Luc. XVIII, 1-5.

Et ego dico vobis : Petite necessaria corpori, charismata gratiæ donaque gloriæ, *et dabitur vobis* vestræ petitionis effectus a Deo, dummodo salubriter et instanter petatis. Hoc maxime intelligitur de orationibus quas pro se ipso quis facit, quia non semper exaudiuntur devoti pro aliis, propter incapacitatem illorum. Hinc Christus apud Joannem tempore passionis instante, dixit : Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. *Quærite, et invenietis; pulsate, et aperietur vobis.* Eamdem sententiam Christus sub aliis verbis frequenter resumit, ut jussionis hujus utilitas denotetur, et quod ait Salvator, nostris mentibus fortius imprimatur, sicque ad instantissimam orationem nos provocet. Possunt tamen hæc verba per appropriationem quamdam diversimode explanari, dicendo : « Petite », cordiali affectu; « quærite », oratione vocali; « pulsate », conversatione laudabili. Item : « Petite », bona incipiendo; « quærite », prosequendo; « pulsate », in finem perseverando. Vel, « Petite » per fidem, « quærite » per spem, « pulsate » per caritatem. Fervide quippe amando et appetendo divina, quasi indesinenter pulsamus ad ostium divinæ clementiæ. Hinc ait Psalmista : Lætetur cor quærentium Dominum; quærite Dominum et confirmamini, quærite faciem ejus semper. Et alibi habetur : In simplicitate

Joann. XVI, 23.

Ps. CIV, 3, 4.

Sap. I, 1, 2.

cordis quærite illum, quoniam invenitur ab his qui non tentant illum.

Omnis enim qui petit, accipit a Deo quod petit, juxta sensum prætactum ; *et qui quærit, invenit ; et pulsanti aperietur,* hoc est, accessus ei ad Deum patebit, atque æternam beatitudinem ingredietur : dummodo oret sicut est orandum, in nomine Jesu Christi, hoc est salubriter pro his quæ pertinent ad salutem, pie, perseveranter, et pro se ipso.

Consequenter Christus arguens per locum a majori, ostendit quam fiducialiter invocandus sit Deus. *Quis autem ex vobis patrem* carnalem *petit panem, numquid* pater *lapidem dabit illi,* videlicet filio suo carnali? Non utique. *Aut piscem, numquid pro pisce serpentem dabit illi? Aut si petierit ovum, numquid porriget illi scorpionem?* Nequaquam. Ex istis similitudinibus Christus concludit : *Si ergo vos,* homines fragiles et mortales, *quum sitis mali,* id est, multipliciter defectuosi, atque ad peccata proclives, et in multis, saltem venialibus peccatis, quotidie culpabiles, *nostis bona data dare filiis vestris,* hoc est bona exteriora corpori vere necessaria, quæ datis filiis vestris carnalibus ; *quanto magis Pater vester de cœlo,* hoc est Pater cœlestis, videlicet Trinitas Deus : qui dicitur pater noster variis modis, puta creatione, conservatione, nutritione, redemptione, glorificatione ; *dabit spiritum bonum,* hoc est Spiritum Sanctum essentialiter bonum, et puram immensamque bonitatem (de quo ait Psalmista, Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam), *petentibus se,* debito orandi modo? Oratio nempe, ut asserit Damascenus, est petitio decentium a Deo. Dicitur autem Spiritus Sanctus dari his quibus sua dona ad gratiam gratum facientem pertinentia infunduntur, dicente Apostolo : Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. Itaque, si pater carnalis carnalibus filiis corporalia bona largitur, multo magis Deus omnipotens, creator spirituum, spiritualisque pater rationalium animarum, filiis suis ad se incessanter clamantibus, spiritualia bona distribuit, quum ipse in omni bonitate, dilectione, pietate et opulentia cunctos infinite excedat.

Ps. CXLIII, 10.

Rom. V, 5.

Præterea advertenda sunt verba S. Basilii, hic scribentis : Si quis ex torpore exhibeat se desideriis vanis, seu concupiscentiis acquiescat, et traditor sui ipsius fiat in manus hostium : hunc Deus nec adjuvat, nec exaudit, quoniam per peccatum se fecit alienum a Deo. Decet ergo hominem offerre Deo quidquid sua interest, clamareque ad Deum ut adjuvet eum. Est autem divinum subsidium implorandum, non remisse, nec mente huc illucque vagante, eo quod talis, non solum non impetrabit quod petit, imo magis Dominum irritabit. Nam si quis coram principe stans, fixum ac custoditum habet tam intrinsecum quam extrinsecum oculum, ne forsitan puniatur, quanto magis coram Deo attentum ac tremebundum oportet adsistere? Si vero debilitatus mente a peccato, fixe non vales orare, quantumcumque potes cohibeas te ipsum, ut stando coram Deo, ad ipsum dirigas intellectum ; et Deus ignoscit, eo quod non ex negligentia, sed ex fragilitate non potes adstare ut oportet. Si sic ergo te ipsum compellis, ne discedas donec accipias. Ideo autem quandoque petis et non accipis, quoniam perperam postulasti, aut infideliter vel leviter, aut non expedientia ad salutem, vel destitisti nimis cito.

Postremo, per verba inducta Christus omnem fidelem ineffabiliter consolatur, certissimam præstans fiduciam exauditionis divinæ. Ideo certi de veritate promissionis unigeniti Filii Dei, et de bonitate, caritate et munificentia Patris æterni, inconcussibilem spem habeamus ad Deum, et filialem affectum ad ipsum, omnemque diffidentiam, hæsitationem, pusillanimitatem, in infinitum procul abjiciamus, implentes illud Apostoli : Sine intermissione orate.

II *Thess.* V, 17.

SERMO SECUNDUS

QUAM PRONUS SIT DEUS AD EXAUDIENDUM, IGNOSCENDUM ET LARGIENDUM ; ET QUÆ DEBEANT CONDITIONES COMITARI EFFICACITER ORANTEM.

OMNIS qui petit accipit, et qui quærit invenit, et pulsanti aperietur. Luc. XI, 10.

Ista sunt verba Christi in evangelio hodierno. In quibus primo considerare debemus infinitam et prorsus ineffabilem caritatem, misericordiam et liberalitatem Domini Dei nostri in nobis et super nos : quia sciens nihil nos posse meritorie agere sine auxilio gratiæ suæ, hortatur nos ad invocandum gratiosum auxilium suum. Nec solum hortatur nos ita, sed etiam asserit se exauditurum nostras orationes. Et ne tardi simus hoc credere, per apertissima probat exempla similitudinesque clarissimas, quod indubitanter exaudiat postulantes, dummodo fiducialiter et instanter atque salubriter postulent. Hinc namque ad persuadendum hoc ipsum, duas in hodierno evangelio similitudines ponit. Una similitudo sumitur ex parte amici, alia ex parte patris carnalis. Primæ similitudinis sensus consistit in hoc, quod si quis nocturno tempore pergat ad suum amicum, rogans eum ut sibi concedat tres panes, eo quod supervenerit sibi suus amicus, nec habeat cibum quem ei proponat ; et ille amicus quem rogat, excuset se dicendo, Nox est et ostium clausum est, pueri quoque mecum in thalamo sunt : porro ille rogans si importune roget et pulset, amicus ejus importunitate et improbitate ipsius vincetur, et concedet ei tot panes quot indiget. Multo magis Deus omnipotens, qui summus et perfectissimus amator est hominum, si perseveranter invocetur a nobis, dabit nobis omnem gratiam et virtutem nobis necessariam ad salutem. Ipse equidem abundantia pietatis suæ et meri-

Luc. XI, 5-8.

ta supplicum excedit et vota : idcirco frequenter plus largitur quam petitur.

Secundæ similitudinis iste est sensus, quod si quis petat a patre suo carnali panem, non utique porriget ei saxum ; aut si postulet piscem, non dabit ei serpentem ; aut si petierit ovum, non ei tribuet scorpionem. Si ergo patres carnales, quamvis multipliciter defectuosi et mali, præstant dona utilia filiis suis, quos non exaudiunt si petant nociva, imo si petant nociva, nihilo minus pro illis largiuntur eis utilia : quanto magis Pater cœlestis naturaliter bonus, cujus pietas est immensa, cujus liberalitas finem non habet, qui hominum pater appellari dignatur, dabit hominibus dona gratiæ et omnia quibus indigent, si eum fideliter deprecentur ? Hinc itaque omni cum diligentia, fervore atque instantia Deum oremus pro nobis ipsis, et item pro proximis, ut simul salvemur. Unicuique enim mandavit Deus de proximo suo. Et sicut tenemur proximos nostros diligere tanquam nos ipsos, ita tenemur desiderare eorum salutem uti et propriam. Unde et eorum saluti cooperari debemus, orando, hortando, corripiendo, exemplariterque vivendo.

Luc. XI, 11-13. *Eccli.* XVII, 12. *Matth.* XIX, 19.

Porro in orando debemus propriam vilitatem, iniquitatem, defectuositatem, indigentiam, et ad omne malum pronitatem, atque immensa pericula quibus expositi sumus, pensare : et ex hac consideratione debemus cum omni humilitate, timore et anxietate orare. Item considerare debemus omnem benignitatem, caritatem et munificentiam Dei ad nos : et ex hac consideratione debemus cum fiducia et caritatis

fervore Deo preces offerre. Considerando quoque infinitam majestatem et excellentiam sanctitatemque Dei, debemus cum ingenti attentione ac reverentia postulare. Nam ut asserit Augustinus : Oratio tua, est locutio tua ad Deum; dum oras, cum Deo loqueris. Tunc vero Deum toto corde exoras, quando aliunde non cogitas, sed intellectu et affectu Deo intentus es.

Præterea quanta sit virtus orationis, et quam libenter ac fervide debeamus orare, innotescit ex verbis Augustini, dicentis : Oratio est orantis subsidium, Deo sacrificium, angelis sanctis solatium, dæmonibusque flagellum. Illam vero orationem Deus non suscipit, quam ipsemet orans non attendit. Nam ut sanctus ait Isidorus : Quid prodest strepitus labiorum, ubi cor fuerit mutum? Sicut enim vox sine modulatione est quasi vox porcorum, ita oratio sine devotione est quasi mugitus boum. Non enim verba deprecantis Deus intendit, sed orantis cor adspicit. Hinc quoque beatus ait Basilius : Est autem divinum auxilium implorandum non remisse, nec mente huc illucque vagante, eo quod talis non solum non impetrabit quod petit, sed Deum gravius irritabit. Nam si quis coram terreno principe stans, fixum ac custoditum habet oculum exteriorem ac interiorem, ne puniatur, quanto magis coram Deo attentum ac tremebundum oportet adstare?

Postremo, ut divinus Dionysius libro de Ecclesiastica hierarchia testatur, in orante cap. VII. oportet quatuor esse. Primum est, fervens desiderium rei pro qua orat. Secundum est, ut sit in caritate et gratia. Tertium est, cognitio propriæ infirmitatis. Quartum, ut petat expedientia ad salutem.

Itaque his diebus instare debent fideles veræ devotioni, assiduæ orationi, eleemosynis largis, jejuniis sacris, ut a vitiis et concupiscentiis præserventur, ad gratiosam Spiritus Sancti susceptionem aptentur, a jurgiis quoque eruantur ac præliis, et terræ nascentia custodiantur a nocumentis. In Missa vero et processione unusquisque devote et condecenter se habeat, fabulationes et impudicos adspectus ac cetera mala devitans. Ad laudem Omnipotentis.

IN SOLENNITATE
ASCENSIONIS DOMINI

ENARRATIO IN LECTIONEM LOCO EPISTOLÆ

PRIMUM QUIDEM SERMONEM FECI DE OMNIBUS, O THEOPHILE, ETC. Act. I, 1-11.

GLORIOSUS Lucas evangelista in lectione hac ascensionem Christi compendiose describit. Itaque in exordio libri Actuum Apostolorum sic ait :

Primum quidem, videlicet in evangelio a me edito seu descripto, *sermonem feci de omnibus, o Theophile, quæ cœpit Jesus facere et docere,* id est de universis Christi miraculis, documentis et operibus, ita quod quædam in generali, quædam in speciali descripsi. Non autem omnia Christi documenta ac gesta in particulari descripta sunt ab aliquo Evangelista, neque ab B omnibus simul, quum scriptum sit : Multa alia fecit Jesus, quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros. Insuper et Matthæus ait : Circuibat Jesus omnes civitates, curans omnem languorem et omnem infirmitatem. Et iterum : Quum venisset Jesus in terram Genesar, viri loci illius miserunt in universam regionem illam, et obtulerunt ei omnes male habentes, et rogabant eum ut vel fimbriam vestimenti ejus tangerent ; et quicumque C tetigerunt, salvi facti sunt. Conformiter scriptum est apud Marcum : Quocumque introibat Jesus, in vicos, vel in villas, aut in civitates, in plateis ponebant infirmos ; et quotquot tangebant eum, salvi fiebant. Itaque distributio ista, « de omnibus », intelligenda est de generibus singulorum, non de singulis generum.

Joann. XXI, 25.

Matth. IX, 35.

Ibid. XIV, 34-36.

Marc. VI, 56.

Pensandus quoque est ordo iste verborum : « cœpit Jesus facere et docere ». Quo patet, quod primo fecit quæ postmodum docuit. Per quod multorum præsumptio atque audacia increpantur, qui paratiores sunt docere quam discere, loqui quam audire ; et quæ prædicant aliis, facto non exsequuntur. At vero Theophilum, cui et librum istum et evangelium suum Lucas scripsit, quidam dicunt fuisse sæcularem Achaiæ principem ; alii vero, episcopum. De quo quid sentiendum sit, scripsi plenius super Lucam.

Cf. t. XI, p. 371 B et s.

Itaque, Sermonem feci de omnibus quæ cœpit Jesus facere et docere, *usque in diem qua præcipiens Apostolis per Spiritum Sanctum quos elegit,* id est usque in diem ascensionis, quo jussit Apostolis prædicare Evangelium cunctis hominibus : ut patet in Evangelio. Ibi etenim finit Lucas evangelium suum, dicendo : Eduxit autem eos foras in Bethaniam, et elevatis manibus benedixit eis, et ferebatur in cœlum, etc. Porro Apostolos elegit Christus ad apostolatus officium « per Spiritum Sanctum », id est ex instinctu et directione Spiritus Sancti, quia secundum quod homo, dirigebatur in omnibus a Spiritu Sancto, cujus donis fuit plenissimus,

Marc. XVI, 15.

Luc. XXIV, 50-53.

Is. XI, 2. juxta illud Isaiæ : Requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ et intellectus, etc. Unde et apud Isaiam loqui-
Ibid. LXI, 1. tur Christus : Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me.

Assumptus est, id est, de terra in summum cœlum levatus est Christus, secun-
Marc. XVI, 19. dum suam humanitatem, juxta illud : Dominus Jesus postquam locutus est eis, assumptus est in cœlum, et sedet a dextris Dei. Assumptus est autem, quia divina virtute sic elevatus est et levavit se ipsum. Per dotem quoque agilitatis potuit se sic levare. A tota quoque curiæ cœlestis frequentia cum ingenti gaudio est susceptus.

Quibus Apostolis, imo et aliis multis utriusque sexus sanctis hominibus, *et præbuit,* id est, sensibiliter demonstravit, *se ipsum vivum* vita corporali humana, qui secundum suam deitatem æternaliter permanet immortalis, *post passionem suam,* videlicet in die resurrectionis suæ et deinceps, *in multis argumentis,* id est, per multa sensibilia signa atque prodigia, et per probationes inde acceptas, ostendens se vere resurrexisse. *Per dies quadraginta apparens eis,* etsi non quotidie, tamen frequenter, et interdum uno die multoties, utpote quinquies in die Paschæ. A die autem resurrectionis usque ad ascensionem quadraginta dies fluxerunt, infra quos eis sæpe apparuit, et multo frequentius quam Evangelistæ describunt, quum
1 *Cor.* XV, 5-8. et Paulus apostolus aliquas apparitiones ab illis intactas describat. *Et loquens de regno Dei,* id est, de statu militantis ac triumphantis Ecclesiæ prædicans eis. De utroque equidem regno infra hos dies multa discipulis retulit, utpote, qualiter evangelica lex esset prædicanda per mundum, et Ecclesia undique diffundenda, atque de gloria regni cœlestis.

Et convescens, id est, cum discipulis
Luc. XXIV, 30. suis manducans, ut alibi Lucas ait. Nam frequenter cum eis post resurrectionem suam comedit. Primo, cum duobus in ca-
Ibid. 43. stello Emmaus. Deinde, cum eisdem et undecim Apostolis in cœnaculo. Et utraque manducatio ista fuit in die Paschæ. Tertio, cum septem discipulis juxta mare
Joann. XXI, 13. Tiberiadis, prout Joannes refert. Quarto, cum undecim Apostolis in die ascensionis,
Cf. in *Marc.* XVI, 14. ut Marcus dicit. *Præcepit eis ab Jerosolymis ne discederent,* id est, ne civitatem Jerusalem timore Judæorum omnino relinquerent, et ne ad prædicandum quoquam transirent, donec Spiritum Sanctum in Jerusalem reciperent. Unde Christus loquitur eis : Sedete in civitate, quoadusque
Luc. XXIV, 49. induamini virtute ex alto. *Sed exspectarent promissionem Patris,* id est impletionem promissionis quam Pater per Filium suum fecit discipulis de missione Paracleti. Ideo subditur : *Quam* promissionem *audistis, inquit* Filius, *per os meum.* Nam in sermone post Cœnam Christus dixit Apostolis illud : Paracletus autem
Joann. XIV, 26. Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille docebit vos omnia.

Quia Joannes quidem baptizavit aqua, id est, in aquis Jordanis corpora Judæorum lavit, animas non purgavit : quia in ejus baptismo gratia non dabatur; nec ille baptismus fuit unum de septem sacramentis Ecclesiæ, sed aliquid sacramentale, dispositivum ad Christi Baptisma. *Vos autem baptizabimini,* hoc est, copiose implebimini ac purgabimini, spiritualiterque estis lavandi, *Spiritu Sancto,* per dona ipsius, *non post multos hos dies,* id est infra paucos dies, utpote in die Pentecostes, qui decimus fuit a die ascensionis. Sicque copiosa illa Spiritus Sancti infusio in signo visibili, baptizatio discipulorum vocatur, quoniam instar fluvii inundantis aquæ in eos descendit. Verumtamen Apostoli ante Christi passionem a Christo baptizati creduntur.

Igitur qui convenerant in montem Oliveti, ad quem Christus præcepit eos ire in die ascensionis, quando apparuit eis recumbentibus in cœnaculo hora prandii ipso die ascensionis, in quo bis apparuit
Marc. XVI, 14, 19; *Luc.* XXIV, 50. ipsis, primo in cœnaculo, secundo in monte Oliveti unde ascendit; *interrogabant eum, dicentes : Domine, si* (id est an) *in*

tempore hoc restitues regnum Israel? id est, an statim misso nobis Spiritu Sancto, reduces Israeliticum regnum ac populum ad pristinam regiam dignitatem, ita quod regem habebit ex propria plebe, non alienigenam, sicut nunc habet Herodem? Sic quidam exponunt. Et juxta hunc sensum, Apostoli istud quærentes, nondum fuerunt satis illuminati, putantes promissa Prophetarum de regno Christi corporaliter esse intelligenda, ita quod Christus regnum Judæorum temporaliter repararet et exaltaret. Videbant namque quod sceptrum fuit ablatum a Juda, dominante eis Herode et Romanorum imperatore. Idcirco moverunt hanc quæstionem, quam quoniam ex errore processit, Christus refellit, ut subditur:

Dixit autem eis : Non est vestrum nosse tempora vel momenta quæ Pater posuit in sua potestate : id est, restitutio Israelitici regni spiritualiter intelligenda est, quantum ad bona gloriæ in futuro, ubi æternaliter regnabunt electi Israelitæ cum Deo; et quo tempore id continget, determinate velle prænoscere, non est parvitatis vestræ. Plenarie namque fiet in die judicii, quando veri Israelitæ glorificabuntur in anima et corpore. Particulariter vero et partim fit in mortibus singulorum, quando ad patriam regni cœlestis perveniunt qui evolant, vel quando perfecte purgati, illuc ingrediuntur. Utrumque vero hoc tempus, scilicet diem judicii horamque mortis, voluit Deus hominibus esse incognitum, ut de hora mortis adventuque Judicis tanto sint sollicitiores ac paratiores, quanto sunt incertiores; sicque quotidie vivant quasi mox morituri. Itaque tempora et momenta mortis atque judicii universorum mortalium, Deus Pater in sua posuit potestate, quoniam ea suæ reservavit notitiæ; et quum sibi placuerit, aget in eis quæ decrevit. Verumtamen ab hac potestate atque scientia, nec Filius, nec Spiritus Sanctus excluditur, quum superbeatissimæ Trinitatis sit una potestas, eademque scientia. Nec his obstat, quod interdum ex speciali causa aut gratia, aliquibus hora suæ mortis prænuntiatur. Denique, Augustino testante, Christus per verba hæc reprimit digitos calculantium tempus adventus Antichristi consummationisque mundi, quod determinate præsciri non valet nisi ex revelatione divina.

Marc. XIII. 32, 33, 35.

Quid vero ad discipulos, præsertim ad Apostolos, præscire pertinuerit, Christus subjungit : *sed accipietis virtutem,* id est confortationem, *supervenientis Spiritus Sancti in vos,* id est Spiritus Sancti, qui cito vobis infundetur. Vel, « virtutem Spiritus Sancti », id est ipsum Spiritum Sanctum omnipotentem. Porro Spiritus Sanctus descendit in homines, non per motum aut loci mutationem, quum immensus invariabilisque consistat, sed per suorum infusionem donorum. Et ipse Spiritus Sanctus dicitur dari atque infundi, quibus sua dona ad gratiam gratum facientem pertinentia dantur ac infunduntur. Unde Spiritus Sanctus donum Dei vocatur, quia per modum donabilis a Patre Filioque procedit, quum sit amor amborum, in quo prima ratio doni relucet : nam amor est primum donum, in quo cetera dona donantur.

Act. VIII, 19, 20.

Et eritis mihi testes, id est, evangelicam legem prædicabitis, et me esse Christum Dei Filium per Scripturas atque miracula protestabimini, *in Jerusalem* primo, scilicet in die Pentecostes (quemadmodum Isaias prædixit, De Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem); *et in omni Judæa, et Samaria,* in qua decem tribuum fuerat regnum; *et usque ad ultimum terræ,* id est per omnia mundi regna, usque ad fines terræ habitabilis. Quod Apostoli per se ac suos discipulos compleverunt, juxta illud Psalmistæ : In omnem terram exivit sonus eorum; et apud Isaiam, A finibus terræ laudes audivimus, gloriam Justi. Unde ad eumdem loquitur Christus : Mittam ex eis qui salvati fuerint, in mare, in Africam et Lydiam, in Græciam et Italiam, ad insulas longe; et annuntiabunt gloriam meam gentibus. Unde Thomas in India, Paulus vero et Jacobus in Hispania, quæ

Is. II, 3.

Ps. XVIII, 5.

Is. XXIV, 16.

Ibid. LXVI, 19.

sunt termini terræ habitabilis, prædicaverunt.

Et quum hæc dixisset, et etiam alia quæ a Marco scripta sunt, imo et plura quæ nullus conscripsit, *videntibus illis,* puta Apostolis, aliisque utriusque sexus electis personis, ita quod simul fuerunt centum viginti, quibus et postea misit Spiritum Sanctum, *elevatus est* a terra in aerem potestate divina atque per dotem agilitatis, *et nubes suscepit eum ab oculis eorum,* id est, Christo nubem ingrediente, et nube illa eum cingente seu circumplectente, ipsum amplius non viderunt. *Marc.* xvi, 14-18.

Quumque intuerentur in cœlum euntem illum, id est, dum Christum ascendentem ad summum cœlum conspicerent, antequam nubes et distantia loci absconderunt eum ab illorum intuitu, *ecce duo viri,* id est duo angeli in forma virili, *adstiterunt juxta illos in vestibus albis :* per quarum vestium albedinem ac candorem designabantur puritas naturæ angelicæ atque jucunditas hujus causæ. *Qui et dixerunt : Viri Galilæi.* Quemadmodum enim Christus, sic et Apostoli omnes vel pene omnes de Galilæa fuerunt. *Quid statis adspicientes in cœlum?* Nam et Domino Jesu Christo nubem ingresso, et in altum progresso, et eorum visui jam ablato, non cessaverunt sursum adspicere post dilectum, ut est moris amantium ac admirantium. Idcirco ad declarandam Christi majestatem, et pro consolatione ac informatione discipulorum, angeli isti apparuerunt, dicentes : « Quid statis » ? etc. Ac si dicant : Cur tantum miramini quod Dominus universorum, creator cœlorum, Unigenitus Dei, Salvator mundi, cœlos ascendit? Potius admiretur mens vestra, quod ad terras descendere, incarnari, cum hominibus conversari, crucifigi et mori dignatus est. *Hic Jesus qui assumptus est a vobis in cœlum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum :* id est, sicut in nube ascendit, ita in fine mundi in nube descendet, ut judicet genus humanum, juxta illud Matthæi : Tunc videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute multa et majestate. Insuper, sicut Christus ascendit in corpore glorificato, cum multitudine angelorum et cum Sanctis quos eduxit de limbo ; ita ad judicandum descendet cum corpore glorificato, cum omnium cœtu civium supernorum, juxta illud quod in Isaia scriptum est : Dominus ad judicium veniet cum senioribus populi sui et principibus ejus. Et Judas ait : Ecce venit Dominus in Sanctis millibus suis facere judicium. *Matth.* xxiv, 30. *Is.* iii, 14. *Judæ* 14,15.

SERMO PRIMUS

QUOD NOSTRA CONVERSATIO ET PIA DEBEAT ESSE ET ÆDIFICATORIA ; DEQUE NONNULLIS ALIIS SALUTARIS ERUDITIO.

VIDENTIBUS illis elevatus est, et nubes suscepit eum ab oculis eorum. Act. I, 9.

In lectione hac, gloriosa Christi ascensio eleganter describitur, et multiplex nobis saluberrimum documentum præstatur. Itaque in primis, quoniam omnis Christi actio est nostra instructio, eo quod conversatio Christi in sæculo isto, sit exemplar quod intueri ac imitari omnes Christiani tenentur ; idcirco ex lectione hac primo docemur, ut primum et maximum studium nostrum sit, laudabiliter conversari, et per opera sancta Deo placere, ac proximos ædificare : sicut de Christo hic dicitur, quod cœpit facere et docere. Quamvis enim *Act.* I, 1.

secundum suam divinitatem esset ipsa Sapientia increata ac infinita, atque secundum suam humanitatem omni sapientior creatura, imo sapientiæ tantæ, quod majoris nulla creatura est capax, et hoc ab incarnationis suæ exordio; tamen usque ad tricesimum vitæ suæ annum distulit alios docere ac publice prædicare, quousque in
Matth. III, 17. suo baptismo Deus Pater locutus est : Hic est Filius meus dilectus in quo mihi complacui. Et primo fecit quod docuit : non
Luc. II, 51. solum Deo Patri, sed et Virgini Matri, imo et ministro suo Joseph, in omnibus promptissime obediendo; in omnibus humillime se habendo, patientiam, pietatem, justitiam, ceterasque virtutes perfectissime adimplendo. Per quæ omnia increpatur ac reprobatur nostra elatio, nostra præsumptio, imo fatuitas nostra : qui promptiores sumus alios corripere et docere, quam corripi et doceri, promptuli ad loquendum, tardi ad audiendum, cupidiores aliquid scire, quam irreprehensibiliter vivere, potius quoque optantes præesse et regere, ducere et jubere, quam subesse ac regi et obedire. In quibus omnibus patet excæcatio ac temeritas nostra, quod propriam insufficientiam non pensamus, pericula propria non videmus, sed nos ipsos ac alios periculis æternæ damnationis involvimus : quia si cæcus cæco ducatum præstat, ambo in foveam cadunt. Resipiscamus ergo a tantis erroribus, atque in omni humilitate, patientia, obedientia, pietate, justitia, continentia, caritate exerceamus nos ipsos, quatenus ea quæ Deus primo ac maxime requirit a nobis, primo et maxime habere conemur.

Matth. XV, 14.

Præterea, quoniam ad fraternam correptionem omnes Christiani tenentur, et nihilo minus indignus est alios corripere, qui in eisdem aut majoribus culpis est; ideo obligatur unusquisque talem coram Deo se exhibere, ut exstet condignus præceptum ipsius de correptione fraterna implere. Itaque bona ad quæ alios exhortari debemus, ipsimet primo agamus; et mala quæ in aliis jubemur corripere, personali-

A ter primo vitemus, pensantes quod ait Salvator : Quid vides festucam in oculo fratris tui, et trabem in oculo tuo non vides? Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, et tunc videbis ejicere festucam de oculo fratris tui. *Matth.* VII, 3, 5.

Insuper ex his constat, quod prælati et prædicatores, ac omnes qui aliis præsunt, præ ceteris virtuosius et exemplarius vivere obligentur, et primo facere, deinde docere. Siquidem bona docere, et impie agere, quid aliud est quam se ipsum voce

B propria condemnare? juxta illud Ecclesiastici : Dum maledicit impius diabolum, maledicit ipse animam suam. *Eccli.* XXI, 30.

Secundo ex lectione hac edocemur, quanta sit certitudo saluberrimæ ac sacratissimæ fidei christianæ : quoniam Dominus noster Jesus Christus sciens corda discipulorum suorum tarda esse ad credendum suam resurrectionem, per dies quadraginta mansit in terra post suam re- *Act.* I, 3.

C surrectionem, infra quos suis discipulis et diversis utriusque sexus personis sæpissime se monstravit in plena vigilia claraque die; nec solum visibiliter apparendo, sed et loquendo, edendo palpabilemque se præbendo, insuper et in cœlos coram eis ascendendo, se vere resurrexisse probavit. Deinde omnium horum veritatem certissime confirmavit, mittendo illis Spiritum Sanctum die præfixo : per cujus infusionem docuit eos repente totam sacram Scripturam et omnium usum linguarum, atque divino amore eos accendit, omni virtute implevit, ita quod paratissimi erant

D omnia genera tormentorum pati pro fide catholica. Imo et ultra hæc omnia, contulit eis copiosissimam potestatem faciendi innumerabilia miracula soli omnipotenti Deo possibilia, in testimonium veritatis fidei nostræ christianæ. Ecce quanta est certitudo ac firmitas veritatis fidei nostræ. Correspondeat ergo conversatio nostra certitudini et excellentiæ fidei nostræ, ut tam diligenter vitemus peccata, tam fervide agamus quæ Deo sunt placita, ac si pœnas inferni et gloriam regni superni essemus

oculis nostris intuiti realiterque experti.

Tertio, per hoc quod Christus suis apparendo discipulis, loquebatur eis de regno Dei, docemur ut dum Christiani conveniunt, loquantur verba ad salutem pertinentia animarum, qualiter possint peccata vitare, tentationes dæmonum superare, pericula damnationis æternæ evadere, ad cœlestem felicitatem pertingere. *Act.* I, 3.

Quarto docemur ex lectione præsenti, quam mira et imperscrutabilia sint opera Dei, quamque verissime Salomon dixerit, Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum. Discipuli namque, qui a Judæis incredulis metuebant occidi, et ex metu illorum sedebant clausi, nonne mirabile est quod in Jerusalem juxta templum, ubi quotidie principes sacerdotum, Scribæ et Pharisæi convenerunt, manere audebant, et quod non potius ad aliam urbem pergebant? Sed hoc ideo fuit, quoniam Christus præcepit eis a Jerusalem non abire, sed in ea Spiritus Sancti infusionem plenariam præstolari. Verum tunc rursus videtur mirabile, quod Judæorum increduli principes sustinuerunt et permiserunt discipulos illos in Jerusalem prope se demorari et simul consistere. Sed Deus, cujus sapientiæ non est numerus, cujus potentiæ non est finis, hominum corda immutat et afficit, restringit, qualificat juxta omne beneplacitum suum; nec dispositioni ejus quisquam potest resistere, juxta illud Esther : Domine rex omnipotens, in ditione tua cuncta sunt posita, et non est qui tuæ possit resistere voluntati. Unde et apud Isaiam testatur : Consilium meum stabit, et omnis voluntas mea fiet. Hinc, sicut decrevit, evangelicam legem per Apostolos primo in Jerusalem fecit annuntiari, et Christi discipulos ab hostibus suis protexit. *Prov.* XXI, 30. *Act.* I, 4; *Luc.* XXIV, 49. *Ps.* CXLVI, 5. *Esther* XIII, 9. *Is.* XLVI, 10.

Quinto ex hac instruimur lectione, ut curiositatem abjiciamus, et necessaria ad salutem atque utilia ad bene vivendum quæramus discere, et retinere curemus. Quum enim Apostoli interrogassent, dicentes, Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel? quod scire ad eos non pertinebat; non dedit ad hoc solutionem, sed de necessariis ad salutem ipsos instruxit : Accipietis (inquiens) virtutem Spiritus Sancti, et eritis mihi testes, etc. Hinc in Ecclesiastico scriptum est : Altiora te ne quæsieris, et fortiora te ne scrutatus fueris; sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper, et in pluribus operibus ejus ne fueris curiosus. Non est enim tibi necessarium, ea quæ abscondita sunt videre oculis tuis. Hujus, proh dolor! contrarium agunt quamplures, qui salute sua neglecta, student et occupantur in his quæ Deus ab eis non exigit, et potius cupiunt scire aliqua de proprietatibus rerum, de mundi negotiis, quam de divinis præceptis; suam quoque scientiam ordinant ad laudem humanam terrenaque commoda, et ad mundi honores. Resipiscant qui tales sunt, et juxta doctrinam Apostoli, quærant meliora et viciniora saluti. *Act.* I, 6. *Act.* I, 8. *Eccli.* III, 22, 23. *Hebr.* VI, 9.

Sexto docemur ex lectione hac ipsa, quam gloriosissime Christus in cœlum ascenderit : quia propria potestate, non auxilio angelorum, quemadmodum Elias et Enoch in paradisum translati sunt. Et quamvis nubes Christum suscepit, non tamen ei auxilium præbuit, sed obsequium tantum. Quum enim Christus sit verus Deus omniumque creator, creaturæ sibi ab exordio suæ incarnationis usque ad ascensionem in omnibus servierunt. Nam nuntiante Archangelo est conceptus, ejusque nativitatem angelus nuntiavit pastoribus; angelo quoque jubente, S. Joseph duxit eum in Ægyptum atque reduxit; stella etiam ejus nativitatem innotuit Magis; et quum esset in deserto cum bestiis, angeli ei ministraverunt; in transfiguratione que nubes eum lucida obumbravit. Et tamen infelix homo, propter quem ipse factus est homo, ei ingratus est et rebellis. Emendemus igitur vitam nostram, atque cum Christo spiritualiter ascendamus, contemnendo caduca et vana, et contemplando cœlestia, æternam beatitudinem fervide cupiendo, et Deum altissimum super om- IV *Reg.* II, 11; *Gen.* V, 24. *Luc.* I, 26 et seq.; II, 9 et seq. *Matth.* II, 13, 14, 19-21. *Ibid.* 2. *Marc.* I, 13. *Matth.* XVII, 5.

nia totis præcordiis diligendo. Præterea advertamus quoniam peregrini et advenæ sumus super terram, ignorantes diem et horam, et quod omne tempus vitæ nostræ in sæculo isto non est nisi momentum comparatione vitæ futuræ æternaliter duraturæ. Cur ergo facimus grandem provisionem pro vita præsenti, quasi hic in æternum victuri, parvam autem aut nullam pro vita futura, quasi in ea ad modicum permansuri? Resipiscamus ergo ab ista amentia, et obediamus doctrinæ Christi, qui jubet ne thesaurizemus in terra, pecunias colligendo, sed in cœlis, opera virtuosa abundanter agendo, per quæ copiosam felicitatem obtineamus cum angelis.

I *Par.* XXIX, 15. *Matth.* XXV, 13. *Ibid.* VI, 19, 20.

Postremo, sicut Apostoli a die isto usque ad Pentecosten ad susceptionem Spiritus Sancti se præparabant, orationibus, jejuniis ac ceteris sanctis actibus insistendo assidue; ita et nos per decem hos dies ad singularem devotionem nos demus, atque ad Spiritus Sancti infusionem nos præparemus orando, jejunando, eleemosynas tribuendo, divina Officia frequentando, propriam quoque conscientiam vigilanter discutiendo, et si opus fuerit confitendo. Et si alicui tantam Deus devotionem contulerit, ad sacram se communionem disponat. Atque hunc ipsum solennissimum Ascensionis diem unusquisque in virtuosis expendat operibus, non in mundi spectaculis, vanitatibus et choreis, nec in comessationibus et loquacitatibus, aut ceteris mundi insaniis : ut glorificetur Deus in omnibus, cui honor et gloria.

ENARRATIO IN EVANGELIUM

RECUMBENTIBUS UNDECIM DISCIPULIS, APPARUIT ILLIS JESUS, ETC. Marc. XVI, 14-20.

SANCTUS evangelista Marcus in evangelio hodierno Christi ascensionem describit, novissimam quoque ipsius cum discipulis collationem atque doctrinam. Itaque ait :

Recumbentibus undecim discipulis, id est undecim Apostolis simul manducantibus in cœnaculo, ubi Christus cum eis agnum comedit paschalem (et bene ait, Undecim : nam Matthias tunc nondum fuit apostolus, sed inter ascensionem et Sancti Spiritus missionem apostolus factus est), *apparuit illis Jesus* in præfato cœnaculo, et ut Lucas docet, comedit cum eis, ut se vere resuscitatum monstraret. Denique verbum istud consolatorium nobis est. Si enim Christus discipulis corporalem cibum sumentibus dignatus est apparere, non utique dedignabitur spiritualiter apparere, id est gratiose adesse, orantibus, meditantibus, et cetera spiritualia exercitia devote agentibus. *Et exprobravit,* id est, cum improperatione dure redarguit, *incredulitatem illorum et duritiam cordis,* non quod tunc adhuc increduli fuerint, cordeque duri, sed de præterita eorum incredulitate ac duritia ipsos jam increpavit, *quia his qui viderant eum resurrexisse,* id est, qui eum post suam resurrectionem corporaliter conspexerunt, videlicet sanctis mulieribus, B. Petro, aliisque quibusdam discipulis, *non crediderant,* quoniam asserentibus eis quod Christum vidissent, non crediderunt.

Act. I, 4. *Luc.* XXIV, 41-43.

Et dixit eis : Euntes in mundum universum, id est ad præcipua mundi regna, non statim post missionem Paracleti, sed post annos aliquos, Judæis in sua perfidia obstinatis. In die etenim divisionis Apostolorum cœperunt exsequi hoc præceptum, et usque ad diem illum prædicaverunt Judæis, quos quum viderent obstinatos,

Act. XIII, 46. profecti sunt ad gentiles. *Prædicate Evangelium omni creaturæ,* id est cunctis hominibus, qui cum omni creatura aliquid habent commune, et propter quos omnia ista terrena sunt facta. *Qui crediderit* fide *Galat.* V, 6. per dilectionem ordinata ac operante, quæ dicitur fides formata, *et baptizatus fuerit* Baptismo fluminis, si adsit facultas : quæ si desit, sufficit Baptismus flaminis aut sanguinis ; *salvus erit,* id est, salutem consequetur æternam, dummodo perseveraverit in bonis actibus usque in finem. *Qui vero non crediderit, condemnabitur.* Nam *Hebr.* XI, 6. sine fide impossibile est Deo placere, secundum Apostolum, quum fides sit fundamentum virtutum. In adultis equidem requiritur fides et fidei actus, saltem interior ; in parvulis vero sufficit fides habitualis cum caritate, quæ simul eis cum fide infunditur ex merito Christi.

Signa autem, id est miracula, quibus fides probatur esse a Deo et confirmari ab eo, qui per miracula sua nequaquam testimonium perhibet falsitati, sed veritatibus fidei, *eos qui crediderint, hæc sequentur,* id est, virtus et gratia faciendi sequentia signa, eis a Deo præstabitur : non quod singulis fidelibus datum sit facere signa ista, sed quibusdam inter fideles, præsertim in primitiva Ecclesia, secundum sapientissimam moderationem præordinationemque Dei, et juxta necessitatem aut utilitatem Ecclesiæ. In principio quippe evangelicæ prædicationis fuerunt miracula præcipue necessaria, ad persuadendum fidei veritatem, atque ad declarandum Dei omnipotentiam, ad idolorum quoque reprobandam culturam. Nihilo minus interim sæpe ad excitationem fidelium, et ad manifestationem sanctitatis quorumdam, Deus gloriosa ac copiosa fecit miracula.

In nomine meo dæmonia ejicient ab obsessis ; *linguis loquentur novis,* id est, donum linguarum accipient, ita quod novis ac diversis utentur loquelis : ut in Apos- *Act.* II, 4. tolis patet, qui Spiritu Sancto recepto, cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis. Imo in primitiva Ecclesia fidelibus. dum baptizabantur, dabatur communiter donum istud linguarum, ut patet in Actibus Apostolorum. *Act.* XIX, 5, 6. *Serpentes tollent,* id est, sine læsione calcabunt, occident, portabunt : quod de multis legitur Sanctis. Unde et loquitur Christus : Ecce dedi vobis potestatem calcandi super *Luc.* X, 19. serpentes et scorpiones, et supra omnem virtutem inimici ; et nihil vobis nocebit. Hinc loco hoc per « serpentes » omnia venenosa animalia designantur. Propter quod fertur in Psalmo : Super aspidem et basi- *Ps.* XC, 13. liscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem. *Et si mortiferum quid biberint,* id est pocula venenata, *non eis nocebit :* ut patet de Joanne apostolo, S. Gregorio, ac aliis multis. *Super ægros manus imponent, et bene habebunt,* id est, protinus curabuntur : quemadmodum infinities factum est tempore evangelicæ legis.

Denique liberalis atque magnifici promissoris est plus tribuere quam promisit. Ita et Christus per suos discipulos multo majora egit miracula, quam sunt ista jam recitata : quia et mortuos plurimos suscitaverunt, atque a nativitate cæcos, claudos, surdos ac mutos, in naturalibus donis restauraverunt, plurimosque curaverunt leprosos ; et quidam eorum solem fecerunt stare in cœlo, alii super aquas quasi super aridam ambulaverunt. Sed et Petrus apostolus umbra sua ægros sanavit. Atque de *Act.* V, 15. Paulo legitur : Virtutes non modicas fecit *Ibid.* XIX, Deus per manus Pauli, ita ut a corpore 11, 12. ejus deferrentur super languidos sudaria vel semicinctia, et recedebant ab eis languores. Nec opus est signa hæc jam iterari, quia in suo satis resplendent effectu, videlicet in conversione mundi ad tam incomprehensibilem fidem ac arduissimam legem : quæ conversio omni miraculo mirabilior est. Qualiter vero miracula ista a fidelibus spiritualiter fiant, in sermone dicetur.

Et Dominus quidem Jesus postquam locutus est eis verba præhabita, multaque alia, ut patet in lectione exposita, *assumptus est in cœlum,* id est, propria vir-

tute ascendit usque ad summitatem cœ-
Ephes. IV, 10. li empyrei. Qui enim descendit, ipse est qui et ascendit super omnes cœlos. Et ut
Luc. XXIV, 50, 51. Lucas ait : Elevatis manibus suis benedixit eis, ac ferebatur in cœlum. *Et sedet a dextris Dei :* id est, ad æqualitatem Patris æterni residet Christus secundum quod Deus ; et secundum suam humanitatem sedet ad dexteram Patris, id est in potioribus bonis ejus, quoniam Christi humanitas participationibus divinorum donorum præ omnibus Sanctis impleta est, increatis quoque divitiis superbeatissimæ Trinitatis perfectius fruitur.

Illi autem, puta Apostoli, *profecti* a Judæa post suam divisionem, *prædicaverunt ubique,* id est in principalibus partibus mundi, per se et per suos discipulos, quemadmodum in Apostolorum continetur Legendis. *Domino cooperante,* id est, illorum corda gratiose corroborante, et eos ad omne opus bonum movente. De quo ait
Philipp. II, 13. Apostolus : Deus operatur in nobis et velle
Is. XXVI, 12. et perficere. Isaias quoque : Omnia (inquit) opera nostra operatus es in nobis. *Et sermonem* Apostolorum *confirmante,* id est, verum esse probante, *sequentibus signis,* id est per miracula quæ fecit per sanctos ac gloriosos Apostolos, quæ fieri non valebant nisi divina virtute : per quæ Deus testimonium perhibuit prædicationi illorum. Siquidem in sua fide et doctrina invocaverunt Deum, ut operaretur miracula ad confirmationem fidei ac doctrinæ quas prædicaverunt, et protinus exaudivit eos Altissimus essentialiter verus ac veritas. Hinc ad Hebræos dicit Apostolus : Quomodo effugiemus, si tantam neglexerimus salutem, quæ in nos confirmata est, contestante Deo signis et portentis et virtutibus et Spiritus Sancti distributionibus? *Hebr.* II, 3, 4. Hinc ait Psalmista : Testimonia tua, Domine, credibilia facta sunt nimis. *Ps.* XCII, 5. Imo quanto catholica fides in se ipsa incomprehensibilior supernaturaliorque consistit, tanto omnipotens Deus per plura atque majora eam confirmavit miracula, ut simus semper in fidei veritate immobiles.

SERMO SECUNDUS

QUOD OMNIA IN GLORIAM DEI SINT REFERENDA ; DE NECESSITATE ET FRUCTU CORREPTIONIS ; QUOMODO ETIAM FIDE SIGNA PER NOS FIANT SPIRITUALIA.

SIGNA eos qui crediderint, hæc sequentur : In nomine meo dæmonia ejicient, etc. Marc. XVI, 17, 18.

Hodiernæ solennitatis evangelium saluberrimis est repletum doctrinis. Primo namque, per hoc quod Christus Dominus
Marc. XVI, 14. Apostolis manducantibus visibiliter apparere dignatus est, edocemur quod etiam corporalia exercitia, imo corporis nostri refectio atque provisio Deo complaceant ; et in eis Dominus Jesus nobis per gratiam adest, dum ea ad Dei ordinamus honorem, et ad spiritualem profectum referimus, utpote, ideo laborantes et temporalia acquirentes, edentes, bibentes ac dormientes, ut possimus ad Dei honorem vivere virtuose, et ad ejus obsequium effici fortiores. Non enim possumus Deo servire, nisi vivamus ; nec possumus diu vivere in hoc mundo, nisi manducemus, potemus ac dormiamus : idcirco quidquid in exterioribus agimus, ad Dei honorem, cultum et amorem ordinare debemus. Hinc ad Colossenses ait Apostolus : Omne quodcumque facitis in verbo aut opere, omnia in nomine Domini nostri Jesu Christi agite, gratias agentes Deo Patri per ipsum. Unde et Christo ex Virgine nato, angelus sanctus *Coloss.* III, 17.

non principibus mundi, non sacerdotibus templi, sed pastoribus sua in campo pecora pascentibus Christi nativitatem denuntiavit, atque eisdem pastoribus eadem hora angelorum copiosus exercitus apparuit, Deum magnifice laudans. Hinc ait Prophe-
Luc. II, 9-14.
ta : Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, et bene tibi erit. Quo-
Ps. CXXVII, 2.
contra de iniquis ac reprobis loquitur : In labore hominum non sunt, et cum hominibus non flagellabuntur. Quod quam pe-
Ps. LXXII, 5.
riculosum sit, pandit subdendo : Ideo tenuit eos superbia, operti sunt iniquitate et impietate sua. In iis verbis consolentur laboratores et quicumque suis laboribus victum sibi adipiscuntur, et exteriora opera sua ad spiritualem referant finem, ad Dei honorem, ad animarum suarum salutem ; in ipsis quoque suis operibus timorati exsistant, et verba vitent illicita, ac crebro corda sua ad Dominum erigant orando ac meditando.
Ibid. 6.

Secundo, ex evangelio isto instruimur, quam magnum beneficium sit caritativa et justa correptio delinquentium, et quam gratanter ac patienter ipsa sit suscipienda. Ecce enim unigenitus Filius Dei, summus magister, ardentissimusque amator, piissimus Dominus, eo die quo a suis carissimis fuit recessurus discipulis, et corporalem præsentiam per ascensum in cœlum altissimum subtracturus, eos redarguit, imo, quod acrius sonat, exprobravit.
Marc. XVI, 14.

Ex quo tria documenta trahuntur. Primum est, quod prælati et superiores debent inferiores ac subditos suos dum peccant, caritative ac strenue increpare, præsertim quum asserat Augustinus : Si corripere neglexeris, pejor eo qui peccat efficeris. Et Salomon contestatur : Qui arguunt, laudabuntur. Unde in Ecclesiastico scriptum est : Corripe amicum tuum, ne forte non intellexerit, et dicat, Non feci ; aut si fecit, ne iterum addat facere. Hinc communiter dicitur : Qui tacet, consensisse videtur. Et in Decreto sæpius fertur : Errori cui non resistitur, consentitur. Ideo ait Urbanus : Ita peccat qui videt proximum suum peccare, et tacet, sicut qui pœnitenti non indulget. Nam qui dixit, Si pœnitentiam egerit frater tuus, dimitte ; præmisit : Si peccaverit in te, increpa. Sanctus quoque Hieronymus et Origenes fatentur : Dum sacerdotes uni parcunt, universæ Ecclesiæ moliuntur interitum. Quæ est ista bonitas, ista misericordia, uni parcere et omnes in discrimen adducere ? Polluitur namque ex uno peccatore populus, sicut ex una morbida ove grex universus inficitur. Non ergo sit præsidens ad corripiendum corrigendumque subditos negligens aut remissus. — Secundum documentum est, quod ipsa fraterna correptio sit beneficium magnum : quia ex caritate et æquitate procedit, et contra peccata, quæ animæ mors sunt, optimum est remedium. Hinc Salomon loquitur : Melior est manifesta correptio, quam amor absconditus ; et rursus, Qui corripit hominem, postea gratiam inveniet apud eum, magis quam ille qui per blandimenta decipit. — Tertium documentum est, quod inferiores, ac juniores et minus docti, debent increpationes et exprobrationes superiorum, seniorum ac sapientiorum, cum omni gratiarum actione suscipere, et nequaquam indignari, irasci aut obloqui, sed ad emendationem se omnino exponere, sicut in Proverbiis legitur : Egestas et ignominia ei qui deserit disciplinam ; qui autem acquiescit arguenti, glorificabitur. Et denuo Salomon loquitur : Viro qui corripientem dura cervice contemnit, repentinus superveniet interitus. Ecclesiasticus quoque dicit : Quam bonum est correptum manifestare pœnitentiam ! sic enim effugiet voluntarium peccatum. Fatui ergo sunt qui increpantibus indignantur, præsertim qui superiorum suorum correptiones non curant, sed spernunt, non advertentes quod incomparabiliter melius sit a justo redargui, quam a peccatore laudari.
Luc. XVII, 3.
Prov. XXVII, 5.
Ibid. XXVIII, 23.
Ibid. XIII, 18.
Ibid. XXIX, 1.
Eccli. XX, 4.

Tertio, ex evangelio isto docemur, quod prælati et prædicatores ac superiores nullum subditorum suorum debent despicere, sed sine personarum acceptione unum-
Prov. XXIV, 25.
Eccli. XIX, 13.

quemque pro posse suo instruere, exhortari, corripere, castigare, quum in evangelio
Marc. XVI, 15. isto dicat Salvator : Prædicate Evangelium omni creaturæ. Unde Joseph patriarcha in persona Christi dixit fratribus suis, per-
Gen. XLIII, 5 ; XLII, 20. sonam prælatorum gerentibus : Non videbitis faciem meam, nisi fratrem vestrum minimum adduxeritis ad me.

Quarto, ex evangelio hoc informamur, quemadmodum fides christiana a Deo per miracula diversa et magna sit confirmata. Nam veritas duobus modis probatur. Primo, per naturalem rationem : sicque naturales probantur scientiæ. Secundo, per supernaturalia opera, puta miracula, quæ sunt velut sigilla attestationis divinæ (de
Cf. p. 90 B. quo jam satis reor prædictum) : sicque veritas fidei catholicæ, quæ de supernaturalibus veritatibus est, probatur.

Denique Christus in evangelio isto quin-
Marc. XVI, 17, 18. que ponit genera signorum, quæ a quibusdam Sanctis corporaliter facta sunt, spiritualiter vero a cunctis fidelibus fieri queunt. Primum genus signorum est, expulsio dæmonum. Unusquisque enim tot dæmonibus plenus est, quot mortalibus subditus est peccatis. Idcirco qui eos qui mortalibus culpis fœdantur, convertit ad Deum, expellit dæmonia. Unde de Maria
Ibid. 9. Magdalene Christus septem dæmonia legitur ejecisse. Secundum genus signorum est, loqui recentibus linguis. Hoc spiritualiter facit, qui a solitis abstinet verbis illicitis, detractoriis, pungitivis, mendosis, lascivis et vanis, atque salubria ac ædificatoria loqui, Deum laudare, proximum informare, jugiterque orare consuescit. Tertium genus signorum est, serpentes tollere : quod facit, qui diabolicas suggestiones et venenatas tentationes suppeditat. Quartum genus est, mortifera sine læsione potare, id est, impiis suggestionibus nequaquam consensum præbere, nec aliorum pravis exemplis corrumpi, infici aut seduci. Istud demum competit electis, quibus omnia cooperantur in bonum, qui post lapsum cautiores consurgunt, imo quo ferventiores fuerunt in vitiis, eo ardentiores fiunt in pœnitentialibus et aliis sanctis operibus, dicente Apostolo : Ubi abundavit delictum, superabundat et gratia. Quintum signum est, per impositionem manuum ægros curare : quod spiritualiter agunt, qui verbis salutaribus et operibus exemplaribus imperfectos et tentatos, passionibusque subjectos, recuperant et confortant, consolantur atque perficiunt. Hæc itaque spiritualia signa quilibet nostrum conetur peragere, peccatores ad viam salutis trahendo, verba vitiosa vitando, immundas cogitationes et pravas affectiones abjiciendo, nec aliorum peccatis consentiendo, sed Deo tanto ferventius serviendo, quanto ante ferventius serviebat dæmonibus et peccatis ; proximos quoque ad virtutes, ad spiritualem profectum, ad animæ puritatem incitando pro viribus. Ista signa sic spiritualiter operari, salubrius est quam ea corporaliter facere.
Rom. VIII, 28.
Ibid. V, 20.

Postremo, in evangelio isto tangitur gloriosa Christi ascensio, de qua jam dicta sunt multa : idcirco cum Christo spiritualiter ascendamus per scalam virtutum, per viam humilitatis atque timoris, per contemplationem et ferventem dilectionem summæ et incommutabilis veritatis, puræ et incircumscriptibilis bonitatis, quæ est Deus super omnia benedictus.

SERMO TERTIUS

QUOD OMNIS ACTIO CHRISTI NOBIS SIT FRUCTUOSA ; ET QUAM GLORIOSE DEBEAT ESSE EJUSDEM ASCENSIO NOBIS FESTIVA.

DOMINUS Jesus assumptus est in cælum, et sedet a dextris Dei. Marc. XVI, 19.

Quemadmodum juxta Isaiæ oraculum,
Is. IX, 6. Puer natus est nobis, et filius datus est nobis, videlicet Dominus Jesus Christus, Unigenitus Patris ; sic ipse Christus se ipsum in omnibus pro nobis exhibuit, et totum se nobis impendit, ita quod quidquid fecit ac pertulit in hoc mundo, ad nostram ordinavit salutem, utilitatem et gratiam. Ipse etenim dignatus est incarnari, ut nos deificemur : factus homo, ut nos B dii efficiamur; factus Filius hominis, ut simus filii Dei. Dignatus est nasci ex Virgine, ut nos regeneremur ex aqua et Spiritu Sancto; voluit conversari cum hominibus in hoc mundo, ut nos æternaliter demoremur cum angelis sanctis in cœlo ;
II *Cor.* VIII, 9. factus est pauper, ut merito suæ inopiæ ditemur in gratia et omni virtute; in hoc mundo voluit exsulare (sicut Jeremias
Jer. XIV, 8. prædixit, Venturus es quasi colonus in terra, et quasi viator declinans ad manendum), ut nos cœlestis patriæ cives æterna- C liter simus. Sic demum voluit crucifigi et mori, ut pro nostris satisfaciendo peccatis, a morte animæ et a morte infernalis miseriæ nos salvaret, vitaque gratiæ in præsenti, et vita gloriæ in futuro vivificaret ; resurrexit, ut a vitiis quotidie resurgamus ; ascendit in cœlum, ut jugiter spirituali ascensione ascendamus post ipsum, ejus gloriosam præsentiam desiderando, sidereas mansiones optando, angelorum beata consortia cupiendo, atque per divinorum contemplationem et summi boni amorem D tendendo ad felicitatem æternam, quæ est divinæ et infinitæ lucis fruitiva inspectio, A æternæ et increatæ dulcedinis contemplativa fruitio. Item ascendit, ut sciamus quid de nobis ipsis debeamus sperare : quia (ut ait Leo Papa) capitis præcessio, spes membrorum est. Ideo dicit S. Ambrosius : Est elevatus nubibus, et spem fecit credentibus. Quemadmodum ergo Christus coram discipulis ascendit usque ad cœlum empyreum, ita fideles plene purgati sive in sæculo isto, sive in purgatorio, ascendunt post mortem suam in cœlum illud quantum ad animam, atque in die extremi B judicii in anima et corpore glorificato ascendent illuc cum Christo.

Præterea solennitas hodierna est valde gloriosa et magna. Primo, quoniam Christi ascensio est finis et consummatio omnium mysteriorum ipsius, hoc est universorum quæ ipse pro nostra salute assumpsit, fecit ac pertulit. Nam sicut ipsius incarnatio fuit mysteriorum suorum inchoatio, ita ipsius ascensio est eorumdem completio. Siquidem (teste Philosopho) unumquodque perfectum est, dum principio suo con- C jungitur. Unde, secundum eumdem, motus circularis inter ceteras motus species est perfectior, quia in eo est reditus ad id unde incepit motus. Itaque, quoniam Christus in sua ascensione ad Patris dexteram rediit, a qua in sua incarnatione ad terram descendit, constat quod omnium mysteriorum omniumque suorum festorum finis et consummatio, sit beata ejus ascensio. Unde de ipso prædixit Psalmista : A sum- *Ps.* XVIII, 7. mo cœlo egressio ejus, et occursus ejus usque ad summum ejus. Hinc ait S. Ber- D nardus : Solennitas ista, fratres carissimi, gloriosa est et gaudiosa, in qua Christo gloria singularis, et nobis spiritualis læti-

tia exhibetur. Consummatio enim et adimpletio est ceterarum solennitatum, felixque clausula totius itinerarii Filii Dei.

Secundo, solennitas ista est valde gloriosa et magna, quia in ea Christi humanitas est plenarie glorificata ac sublimata. Glorificatio quippe Christi secundum suam humanitatem, resurgendo et ascendendo completa est. Anima equidem Christi a suæ creationis exordio fuit, quantum ad superiores suas vires, excellenter beata, Deum clare per speciem contemplando, ejusque bonitate immensa perfecte fruendo. Sed Christus quantum ad sensitivam suæ animæ partem, et quantum ad corpus suum passibile ac mortale, fuit viator, et nondum glorificatus, sed exsul et diversis miseriis sponte subjectus usque ad suam mortem. In resurrectione vero partim glorificatus fuit quantum ad naturam assumptam : quoniam in corpore impassibili, immortali, et sensitiva parte ad impassibilitatem provecta, surrexit. In ascensione vero etiam habitatione et loco glorificatus est Christus ut homo, et super omnes angelicos ordines exaltatus.

Tertio, quoniam Christus cum jucundissima ac solennissima processione ascendit, et cum gloriosissimo ad Deum Patrem est reversus triumpho. Ascenderunt namque cum Christo omnes animæ sanctæ quas de limbo patrum in die resurrectionis suæ eduxit, similiter quæ in purgatorio satis mundatæ fuerunt. Insuper innumerabiles angeli ascenderunt cum ipso ; universique ordines angelicorum spirituum qui in cœlo remanserunt, Christo ascendenti occurrisse, et ipsum cum ineffabili laude et jucunditate ad cœlestis patriæ deduxisse palatium rite creduntur, sicut Ps. XLVI, 6. Propheta prædixit : Ascendit Deus in jubilo, et Dominus in voce tubæ. Sicque cum præclarissimo triumpho ad Patrem reversus est, consummato opere ad quod venit, principibus tenebrarum devictis, hominibusque redemptis, et spoliato inferno, atque innumerabilibus animabus per ipsum salvatis secum scandentibus : quemadmodum sanctus David ait in Psalmo, Ascendisti in altum, cepisti captivitatem, accepisti dona in hominibus. Sicque hoc die facta est ineffabilis in cœlo lætitia, et gavisa sunt cuncta angelica agmina, redeunte in cœlos Unigenito Dei ; ipseque Pater æternus cum omni honore et gaudio suscepit Filium suum carissimum, sibi super omnia incomparabiliter bene placentem. Ps. LXVII, 19.

Quarto, quoniam in hac jucundissima solennitate ruina cœlestis Jerusalem in mundi exordio facta, et quæ per tot annorum duraverat millia, pro magna parte est reparata : quia tot apostatarum angelorum sedes sunt recuperatæ, quot animæ sanctæ cum Christo ascendentes pervenerunt ad eas. Si ergo, Christo affirmante, gaudium est angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente, quale gaudium eis ortum est hodie, tam innumerabilibus millibus animarum sanctarum cum Christo cœlos intrantibus, ac cœlestis Jerusalem ruinas implentibus ? Luc. XV, 10.

Quinto, quia in beata hac solennitate valde confirmata est fides nostra, valde aucta est spes nostra, et consolatio copiosa ac multiplex data est nobis, imo et sanctis Apostolis ac primis illis fidelibus qui ascensioni Christi interfuerunt : qui etiam ex hoc die multum creverunt in vera devotione, in spirituali amore, in omni virtute et gratia. Hinc S. Lucas ait : Elevatis manibus benedixit eis, et ferebatur in cœlum. Et ipsi adorantes, regressi sunt in Jerusalem cum gaudio magno, et erant semper in templo laudantes et benedicentes Deum. Conformiter legitur in Actibus : Tunc reversi sunt Jerosolymam a monte Oliveti, et ascenderunt in superiora cœnaculi, et erant perseverantes unanimiter in oratione. — Ecce quam præclara et gaudiosa est solennitas hodierna. Idcirco et nos hæc omnia attendentes, spiritualiter gloriemur in Domino ; ascensiones quoque disponamus in corde nostro, proponendo ac cupiendo quotidianum in omni virtute profectum, ut progrediamur de bono in melius, et de uno opere bono ad aliud. *Ibid.* XXIV, 50-53. *Act.* I, 12-14. Ps. LXXXIII, 6, 8.

Denique recolendum, quia ut ait Simplicius Jerosolymitanus episcopus, quum in loco ascensionis Christi ædificaretur ecclesia, locus in quo steterunt Christi vestigia, nunquam sterni potuit pavimento, sed resiliebant saxa marmorea in collocantium ora. Calcati quoque pulveris pedibus Christi hoc fuit signum, quod vestigia sibi impressa cernuntur, et eamdem adhuc speciem pressis vestigiis terra custodit.

Postremo, quoniam ad hoc Christus ascendit, ut spiritualiter ascendamus cum ipso quotidie, videamus quis sit bonus et ordinatus ascensus, ut illum apprehendamus ; quis item vitiosus diabolicusque ascensus, ut illum vitemus. Nam et diabolus
Is. XIV, 13, 14. volebat ascendere, dicens : In cœlum ascendam.

Itaque ascensus laudabilis, est per veram humilitatem et obedientiam ad virtutum perfectionem procedere, atque per contemplationem et dilectionem in Deum se elevare, Christoque summo monti ac capiti nostro per caritatem et sanctam conversationem se copulare. Hanc ascensionem amant ac prosequuntur electi. De
Prov. IV, 18. quibus in Proverbiis asseritur : Justorum semita quasi lux splendens, procedit et crescit usque ad perfectam diem.
Ps. XXIII, 3. Unde et Propheta inquirit : Quis ascendet
Ibid. 4. in montem Domini? Et respondet : Innocens manibus et mundo corde, qui non accepit in vano animam suam, nec juravit in dolo proximo suo. Sic itaque ascendamus, quod quanto altius pertingere cupimus, tanto nos profundius humiliemus : quemadmodum in domorum structura videmus, quod quanto quis altius cupit ædificium elevare, tanto profundius collocat fundamentum. Appetamus ergo cœlestes perpetuosque honores; optemus esse adoptivi filii Dei, membra, ministri ac milites Christi, victores mundi, carnis atque diaboli, ut in hora mortis nostræ suscipiamur a Rege altissimo cum gloria et honore.

Porro vitiosus diabolicusque ascensus, est appetitus propriæ excellentiæ, dominandi libido, et vanæ ac extollentis scientiæ amor. Hunc ascensum præeligunt et incedunt superbi, ambitiosi et perverse studentes : qui aliis optant præesse, qui cupiunt reputari ac honorari ac alios judicare, qui adversarios suos nituntur opprimere, et variis modis ac vitiosissimis viis excogitant, quærunt et adipisci conantur propria commoda, temporales honores, excellentias vanas. Isti innumerabilia atque gravissima incidunt vitia : inordinati et prorsus injusti sunt, quoniam ad se ipsos in omnibus perverso ordine reflectuntur, aliis invident et obloquuntur, fraude, simulatione, hypocrisi, falsitate, calliditate replentur; idcirco in infima tartari delabuntur. Odiamus ergo et abjiciamus toto cordis conatu diabolicum hunc ascensum, et Christi vestigia jugiter assequamur, ut ad cœlestem perducamur honorem, ad gloriam Dei.

IN FESTO
S. BARNABÆ APOSTOLI

SERMO PRIMUS

DE LAUDIBUS S. BARNABÆ, CUJUS EXEMPLO MUNDANA DEBEMUS RELINQUERE ET ADVERSA PATIENTER SUSTINERE.

BARNABAS erat vir bonus, plenus Spiritu Sancto et fide. Act. XI, 24.

Gloriosus apostolus Barnabas in libro Actuum Apostolorum a S. Luca evangelista multipliciter commendatur. Primo, de sua spontanea paupertate propter Deum. *Act.* IV, 36, 37. Unde in Actibus habetur : Joseph qui cognominatus est Barnabas ab Apostolis, quod interpretatum est filius consolationis, Cyprius genere et Levites, quum haberet agrum, vendidit eum, et posuit pretium ejus ante pedes Apostolorum. In quibus verbis innuitur, quod Barnabas iste fuit vir valde notabilis, ita quod de ejus conversione, perfectione et gratia sancti Apostoli habuerunt specialem consolationem. Propter quod primo nomine ejus, quod fuit Joseph, relicto, vocaverunt eum Barnabam, id est filium consolationis; et fuit (ut legitur) de numero septuaginta duorum Christi discipulorum.

Secundo laudatur de sua constanti ac fervida prædicatione. Nam multo tempore fuit socius S. Pauli in prædicando, atque cum eo multos Judæorum gentiliumque convertit, ac multa peregit miracula. Denique tanti fuit fervoris, quod Evangelium Christi primo prædicavit in Roma diu antequam princeps Apostolorum illuc advenit, et ibi convertit S. Clementem, qui postmodum ex consilio Barnabæ venit ad principem Apostolorum Petrum in terram Judææ, atque ex tunc inseparabiliter mansit cum Petro, prout in Itinerario B. Clementis plenius continetur. Et S. Dorotheus idem fatetur.

Tertio commendatur ab excellentia sapientiæ suæ, imo et a spiritu prophetiæ, ita quod doctor fuit et propheta in primitiva Ecclesia. Hinc in Actibus legitur : Erant in Ecclesia Antiochiæ Prophetæ et doctores, in quibus Barnabas, et Simon qui vocabatur Niger, et Lucius et Saulus. *Act.* XIII, 1, 2. Quibus omnibus jejunantibus et orantibus, præcepit Spiritus Sanctus ut Paulus et Barnabas ab Antiochia simul recederent ad prædicandum per loca diversa. Legitur quoque in Passionali Sanctorum, quod quum Barnabas in civitate Iconio esset, Dominus in visione ei apparens, dixit : Constans esto, o Barnaba, quia æterna recipies præmia, eo quod propter me tuum populum dimisisti, et animam tuam pro meo nomine tradidisti.

Quarto commendatur a glorioso suo martyrio. Nam sicut in Passionali Sanctorum narratur, quum ex ordinatione divina Barnabas et Paulus ab invicem separarentur quatenus pluribus prædicarent, S. Barnabas secum assumens Evangelium secundum Matthæum, perrexit Cyprum, et multos convertit, atque diversos sanavit

infirmos. Tandem ab obstinatis perfidisque Judæis captus est, ac multis affectus injuriis : qui et fune misso in collo ipsius, traxerunt eum extra civitatem et combusserunt.

Ecce quantis gratiarum charismatibus, quantis virtutum eminentiis, quantis meritis decoravit Deus hunc beatissimum virum, qui et tantum in mundo hoc fecit fructum, et ex fervore sanctissimo caritatis Dei ac proximorum undique sic discurrit, tam infatigabiliter laboravit, et tanta toleravit pro Deo.

Itaque tam electi et gloriosi Apostoli patris nostri sequamur vestigia. In primis exemplo ipsius, vel omnia propter Christum sponte derelinquentes, ut Deo purius liberiusque vacemus ; vel de bonis nobis a Deo concessis pie ac liberaliter subvenientes egenis, et universa misericordiæ opera pro viribus infatigabiliter exsequentes, quemadmodum Tobias instruit filium suum, dicens : De substantia tua fac eleemosynam, et noli avertere faciem tuam ab ullo paupere. Ita enim fiet ut nec a te avertatur facies Domini. Quomodo potueris, ita esto misericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue ; si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude. Fiducia magna erit coram summo Deo eleemosyna omnibus facientibus eam.

Tob. IV, 7-9, 12.

Secundo, exemplo sanctissimi Barnabæ unusquisque Christifidelis proximos suos pro posse hortetur, informet, corripiat, et ad salutem trahere secum conetur. In vera quoque et salutari sapientia quæ est donum Spiritus Sancti, nitamur proficere : in qua tanto plus proficit homo, quanto plus crescit in vera humilitate et caritate, quia ut Salomon loquitur, ubi humilitas, ibi et sapientia. Super quietum quoque et humilem quiescit Spiritus Sanctus. Et quanto plus aliquis diligit Deum, tanto copiosius illustratur ab eo. Insuper exemplo sancti hujus Apostoli patientiam sanctam in omni adversitate servemus, et quidquid molestiæ obviat, fortiter toleremus, atque pro nostris peccatis adversa vitæ præsentis imperturbato animo patiamur.

Prov. XI, 2. Cf. *Is.* LVII, 15.

Postremo in Legenda devotissimæ virginis S. Elisabeth de Spalbeec refertur : dum abbas de S. Trudone in profesto Barnabæ venisset ad eam, et ex inadvertentia legisset in via Vesperas de tempore, sancta virgo illa ex revelatione divina hoc ipsum cognoscens, interrogavit abbatem unde Vesperas legisset. Qui dixit : De tempore. Et illa : Cur non legisti de profesto ? Respondit : Non est modo profestum. Ad quem illa locuta est : Vere cras erit festum de uno magno domino in paradiso. Protinus ergo abbas calendarium suum inspiciens, vidit quod S. Barnabæ esset profestum. Cujus intercessione ac meritis gratiam consequamur et gloriam.

AD RELIGIOSOS

SERMO SECUNDUS

QUOD RELIGIOSORUM CONVERSATIO NULLI DEBEAT ESSE ONEROSA, NULLI SCANDALOSA, SED PACIFICA ATQUE BENIGNA.

ERANT in Ecclesia Antiochiæ Prophetæ et doctores, in quibus Barnabas et Simon et Saulus. Act. XIII, 1.

Conversatio, prædicatio et perfectio, sanctitas et fructificatio præstantissimi viri sancti apostoli Barnabæ, in Scriptura ca-

nonica, hoc est in Actibus Apostolorum, gloriose sunt scriptæ : qualiter scilicet quum haberet agrum, vendidit eum, et posuit pretium ejus ante pedes Apostolorum ; quomodo etiam recenter conversum Paulum ad Apostolos duxit, et cum eodem Paulo apostolo per loca varia prædicavit, et fructum attulit copiosum ; qualiter etiam ab Apostolis vocatus est Barnabas, id est filius consolationis, quum antea Joseph nominaretur ; et quomodo fuit vir bonus, plenus Spiritu Sancto et fide ; qualiter item aliorum congratulabatur profectui, totisque viribus pro omnium laboravit salute. Porro in ejus habetur Legenda, quemadmodum ante suum martyrium Dominus ei apparuit, dicens : Constans esto, o Barnaba, quia æterna recipies præmia, eo quod propter me gentem tuam deseruisti, et pro me animam tuam dedisti. Tandem quum plurimos convertisset in regno Cypri, pro fide Christi ab impiissimis Judæis combustus est.

Act. IV, 36, 37. *Ibid.* IX, 27. *Ibid.* XIII et seq. *Ibid.* IV, 36. *Ibid.* XI, 24. *Ibid.* 23.

Ecce hæc omnia nobis in exemplum proponuntur, ut ea efficaciter imitemur. Studeat igitur quilibet nostrum taliter conversari, tam reverenter et obedienter se habere ad suos superiores, tam caritative, pie atque pacifice ad confratres, tam exemplariter et patienter ad omnes, ut mereatur et ipse ab eis Barnabas seu filius consolationis vocari, utpote nulli molestus, sed consolatorius cunctis. Ad quod adhortans nos Paulus : Obedite (inquit) præpositis vestris, et subjacete illis. Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri : ut cum gaudio hoc faciant, et non gementes. Denuoque : Rogamus (inquit) vos, fratres, ut noveritis eos qui laborant inter vos, et præsunt vobis in Domino, et monent vos, ut habeatis illos abundantius in caritate propter opus illorum ; habete pacem cum eis. His verbis hortatur Apostolus, ut reverenter, amabiliter atque pacifice habeant se ad suos superiores, et ne rebellione, indocilitate aut duritia sua illos contristent, nec prælatorum suorum sollicitudini ac labori exstent ingrati. Hinc non mediocriter Deum offendunt, qui superioribus suis tam facile indignantur et mussant instar puerorum, imo et instar malitiosorum, adversus illos, et retrahunt se ab eis, et corda illorum contristant ; quum per Ezechielem Deus inter gravissima computet scelera, cor justi injuste affligere seu mœrore afficere.

Hebr. XIII, 17. I *Thess.* V, 12, 13. *Ezech.* XIII, 22.

Amplius, ad habendum se tam caritative, consolatorie et benigne circa confratres, monens Apostolus, addidit : Patientes estote ad omnes. Videte ne quis malum pro malo reddat ; sed quod bonum est sectamini in invicem, et in omnes. Vere magnum ac saluberrimum est, inter fratres taliter conversari, nullum ad indignationem, tristitiam aut iracundiam provocare, scandala diligentissime evitare, scandalizatos sancto exemplo curare. Felix omnino est Frater ille qui sua humiliatione alterius exstinguit elationem, sua patientia alterius turbulentiam increpat, suo fervore alterius pellit acediam, sua alacritate, sinceritate atque dulcedine aliorum fastidium, obnubilationem amaritudinemque exstinguit. Qui ita se habet, recte filius consolationis asseritur. Sed væ ei qui scandalizatum, contumacem, amaricatum, aut alio quovis modo tentatum, aut passionatum, suis susurrationibus, suggestionibus, aut exemplis, aut certe partialitatibus magis accendit et confortat in malis ac pessimis, calamum quassatum penitus conterens, lignumque fumigans prorsus exstinguens. Talis est vere adversarius Christi, cooperator, instrumentum et minister diaboli. Nos autem non ita ; sed tanquam discipuli Apostolorum et quasi angeli pacis, solliciti semper simus servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Simusque pacifici, ut Dei filii nominemur et simus, ante omnia mutuam in nobis ipsis caritatem habentes continuam ; et quidquid caritas sancta requirit, nobis invicem impendamus. Quæ omnia nequaquam poterit adimplere qui in proprio sensu est pertinax, qui propriæ voluntatis impulsum ex-

I *Thess.* V, 14, 15. *Is.* XLII, 3. *Ephes.* IV, 3. *Matth.* V, 9. I *Petr.* IV, 8.

sequi cupit, qui quæ sua sunt, non quæ aliorum, considerat. Tales sunt qui contentantur, et quasi in pace sunt, dum juxta suas conceptiones et affectiones passionatas agere permittuntur, seu prævalent, quantumcumque ex hoc alii aggraventur, tristentur aut perturbentur. A talibus longe est lumen discretionis, et oculus latæ circumspectionis, atque perfectio caritatis. Nec pensant illud Apostoli, Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem ; nec illud ejusdem, Quis scandalizatur, et ego non uror? Advertamus ergo et impleamus quod sanctus ait Hieronymus, et doctores communiter : Propter vitandum scandalum pusillorum, vitandum est quidquid vitari potest salva triplici veritate, videlicet veritate vitæ, veritate doctrinæ, veritate justitiæ. Imo vereamur quod Salvator disseruit : Væ homini per quem scandalum venit.

I Cor. VIII, 13. *II Cor.* XI, 29. *Matth.* XVIII, 7.

Præterea grandem nobis consolationem largitur, quod Christus Barnabæ apostolo dicere dignabatur : Constans esto, quia æterna præmia sortieris pro eo quod propter me gentem tuam dereliquisti, et pro me animam tuam dedisti. Nempe et nos (Deo agente) tale quid fecisse videmur, qui parentes, propinquos, amicos, notos sociosque reliquimus, et Deo per obedientiæ votum nos ipsos in manu vicarii ejus obtulimus, voluntatem propriam abnegantes. Quum ergo displiceat Deo stulta et infidelis promissio, multoque melius sit non vovere quam vota non solvere, non moremur quod vovimus Altissimo reddere. Obliviscamur populum nostrum et domum patris nostri, omnem carnalem, sensualem atque mundanum affectum penitus abhorrentes ; et sicut ovis bona sub baculo graditur sui pastoris, ita in simplicitate sancta, ovina ac columbina transeamus in omni obedientia sub directione et voluntate patris spiritualis ac superioris. Nihilo minus cum sancto apostolo Barnaba zelum justitiæ habeamus fervidum ac discretum, et boni communis desiderio inflammetur ubertim cor nostrum, Deumque cupiamus ab omnibus honorari ; et quanto minus possumus aliis prædicando prodesse, tanto plus studeamus eis virtuose vivendo, bonæ famæ odorem spargendo, instantissime exorando succurrere.

Eccle. V, 3. *Eccle.* V, 4. *Ps.* XLIV, 11.

Postremo consideremus, quam copiosa ac multiplici gratia benignissimus et supermunificentissimus Deus sanctum hunc Barnabam decoravit. Siquidem ornavit eum gratia doctoratus, gratia prophetiæ, gratia apostolatus, gratia miraculorum, gratia sanctitatis, gratia gloriosi martyrii ; et multos valde salvavit per eum : qui etiam ante ceteros Apostolos prædicavit in Roma, ut asserit Dorotheus, et in Itinerario S. Clementis describitur. Ejus ergo merita veneremur, ejus patrocinium deprecemur, ejus sectemur virtutes. Ad laudem et gloriam Dei. Amen.

FERIA SECUNDA PENTECOSTES

ENARRATIO IN EPISTOLAM

APERIENS PETRUS OS SUUM, DIXIT : VIRI FRATRES, NOBIS PRÆCEPIT DOMINUS PRÆDICARE POPULO, ET TESTIFICARI QUIA IPSE EST QUI CONSTITUTUS EST A DEO, ETC. Act. x, 42-48.

POST receptionem Spiritus Sancti, quando jam adesse tempus cognoverunt
Ps. xviii, 5. Apostoli ut in omnem terram exiret sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum, incipiens Petrus tanquam princeps et rector Ecclesiæ prædicare, postquam de vita, passione et resurrectione Christi disseruisset, etiam de judicio extremo adjungit, dicens :

Viri fratres, nobis præcepit Dominus prædicare populo, et testificari quia ipse est qui constitutus est a Deo Patre, secundum naturam humanam, *judex vivorum et mortuorum,* hoc est universorum qui vel ante finem mundi erunt defuncti, vel circa finem mundi invenientur, et in igne conflagrationis morituri dicuntur. Vel, per vivos intelliguntur electi, qui vivunt per gratiam ; per mortuos reprobi, qui mortui sunt per culpam. Porro in judicio duo considerantur. Primum est auctoritas judicandi : et illa tribus Personis communis et una est. Secundum est judicii exsecutio seu prolatio sententiæ : quæ competit Christo secundum naturam humanam, quam et sua humiliatione ac passione promeruit. Propter quod ait : Potestatem dedit
Joann. v, 27. ei et judicium facere, quia Filius hominis
Ibid. 22. est. Itemque dicit : Neque enim Pater judicat quemquam, sed judicium omne dedit Filio.

Huic, scilicet Christo, *omnes Prophetæ testimonium perhibent,* ut Domino servi, *remissionem peccatorum accipere per nomen ejus,* id est per invocationem et fidem ipsius, *omnes qui credunt in eum,* qui scilicet fide et caritate Christo incorporantur. Prophetæ enim concorditer loquuntur de Christo tanquam de omnium Salvatore, ita quod credentes per gratiam ejus justificantur.

Adhuc loquente Petro verba hæc, cecidit, hoc est, subito venit seu repente descendit, *Spiritus Sanctus,* non per suam incircumscriptam incommutabilemque substantiam, sed per pietatis suæ effectus et gratiæ dona, *super omnes qui audiebant verbum,* videlicet super Cornelium et suos, quibus prædicatio ista fiebat. Descendit autem Spiritus Sanctus in signo visibili sive sensibili, sed an in igneis linguis, an in alia specie, incertum est, ut Scholastica ait historia. *Et obstupuerunt ex circumcisione fideles,* hoc est ex Judaismo conversi, *qui venerant cum Petro : quia et in nationes,* id est in gentiles, *gratia Spiritus Sancti effusa est* cum abundantia tanta. Judæi equidem consueverant gentiles pro nihilo reputare, nec simile huic rei unquam fuerat factum : ideo de effectu tam magno atque insolito, præ admirationis magnitudine velut stupidi reddebantur. Fuit enim revera grande miraculum, et maxima pietas Dei. *Audiebant*

enim illos loquentes linguis diversis, sicut Act. II, 4. Apostoli loquebantur in die Pentecostes, *et magnificantes Deum,* gratias devotissime referendo, ejusque bonitatem et beneficia totis præcordiis attollendo.

Tunc respondit Petrus: Numquid aquam prohibere quis potest, ut non baptizentur hi qui Spiritum Sanctum acceperunt sicut et nos Apostoli, scilicet cum signo sensibili et dono linguarum (quamvis non in tanta plenitudine sicut Apostoli, qui primitias Spiritus acceperunt)? *Et jussit eos baptizari in nomine Domini Jesu Christi.* Apostoli enim consueverunt per discipulos suos baptizare conversos, et ipsi verbo prædicationis insistebant, secundum quod Paulus testatur : Non misit me Christus baptizare, sed prædicare. Rom. VIII, 23. I Cor. I, 17.

SERMO PRIMUS

QUID SIT PECCATUM, ET DE EFFECTIBUS EJUSDEM AC NOCUMENTIS.

VIRTUS tua, Domine, justitiæ initium est. Sap. XII, 16.

Quemadmodum juxta doctrinam Philosophi, in omni genere ac ordine rerum, primum est mensura ac regula quædam inferiorum ac secundorum; sic juxta theologos, Deus gloriosus et benedictus est omnis bonitatis et æquitatis, omnis virtutis et perfectionis, omnis rectitudinis, sapientiæ et beatitudinis, invariabilis et infallibilis regula, sapientissima inobliquabilisque mensura : ita quod eo ipso quo mens divina et increata dictat ac judicat aliquid esse bonum et rectum, virtuosum, perfectum aut justum, sapientiale aut sanctum, infallibiliter tale est. Et quanto quid magis concordat, conformatur seu consonat legi æternæ seu dictamini mentis divinæ et increatæ justitiæ ac sapientiæ Dei, eo melius, virtuosius, rectius sapientialiusque consistit. Itaque quidquid a lege æterna, quidquid ab increata justitia, quidquid a sapientia Creatoris discordat, stultum, obliquum atque iniquum est; et tanto stolidius vitiosiusque censetur, quanto plus inde recedit, discordat, avertitur. Quid igitur est peccatum, nisi aversio et recessus mentis creatæ a lege æterna, a sapientia Creatoris, a dictamine seu recto judicio primi ac summi legislatoris? Qui sapientiæ suæ dictamen et voluntatis suæ decretum, itemque suæ censuram justitiæ nobis in sanctis patefecit Scripturis, dando præcepta rectissima, saluberrima documenta, sapientissima quoque consilia : quæ omnia sunt quædam expressiones ac splendidi radii et signa præclara legis æternæ, increatæ justitiæ, infinitæque sapientiæ Omnipotentis. Ideo recte dixit Ambrosius : Peccatum est prævaricatio legis divinæ et cœlestium inobedientia mandatorum.

Præterea constat ex introductis, quod omne peccatum sit quædam fatuitas, et quod omnis peccator in mortali jacens peccato, sit stultus. Quumque innumerabiles sint hujusmodi peccatores, recte Salomon protestatur : Stultorum infinitus est numerus. Eccle. I, 15. Porro, quum Deus sublimis sit universorum ultimus finis, ad quem cuncta sunt referenda ac ordinanda, summumque bonum, quo solo fruendum est, cui propter se inhærendum, recte Augustinus disseruit : Peccatum est, spreto seu relicto summo et incommutabili bono, rebus caducis ac mutabilibus inhærere; et denuo, Peccare, inquit, non est aliud nisi utendis frui, fruendisque uti. Insuper peccatum est quidquid legi contrariatur divinæ. Ideo rursus Augustinus affirmat : Peccatum est dictum vel factum aut con-

cupitum contra legem Dei. In qua descriptione peccati, per dictum et factum, non solum intelligenda est prava locutio et operatio mala, sed etiam bonæ locutionis virtuosique actus omissio. Per concupitum quoque, non solum inordinata affectio, sed et cogitatio illicita, imo et virtuosæ appetitionis ac bonæ cogitationis omissio rite intelliguntur. Ideo dici potest, quod peccatum non sit nisi omittenda committere, et committenda omittere.

Amplius, prout divinus Dionysius con- De Divin. nom. c. VIII. testatur, peccatum est recessus ab ordine, hoc est a recta ordinatione atque ab habitudine convenienti ac debita, qua rationalis creatura cohærere et subdi debet proprio Creatori. Hoc nempe rectus et condecens ordo requirit, ut inferius subdatur suo superiori, ut ad causam convertatur effectus, ut media reducantur in finem, intellectualisque creatura suo innitatur atque adhæreat Conditori tanquam effectivo principio ac beatifico fini, sicut in libro de IV Coæquævis, tractatu de Angelis, pandit Albertus. Verum hoc totum per peccatum subvertitur : imo ordinationis tam justæ subversio est formaliter ipsum peccatum. *Joann.* XIII. 23; XIX, 26; XXI, 7. Propter quod discipulus quem diligebat Jesus, in prima sua fatetur Canonica : Omnis qui facit peccatum, iniquitatem facit, I *Joann.* III, 4. et peccatum iniquitas est. Etenim per peccatum mens creata suo efficitur Creatori rebellis, ejusque voluntati dignissimæ propriam præfert voluntatem vilissimam, et quasi dorsum suum vertit ei in faciem. Propter quod Dominus per Jeremiam ait : *Jer.* II, 27. Verterunt ad me dorsum *, et non faciem ; * tergum *Zach.* VII, 11. itemque per Zachariam, Noluerunt attendere, et averterunt scapulas recedentes.

Præterea advertendum, quod prætactæ descriptiones peccati dantur de peccato mortali. Quumque peccatum dicitur esse prævaricatio legis divinæ atque cœlestium inobedientia mandatorum, per legem divinam et mandata cœlestia non tantum intelliguntur lex et mandata a Deo immediate collata, sed etiam lex positiva humana, ecclesiastica quoque præcepta, quibus Deus vult obediri tanquam legi ac jussioni divinæ, quoniam ipse ait suis vicariis : Qui *Luc.* X, 16. vos audit, me audit ; et qui vos spernit, me spernit. Imo et rectæ rationi obediri necesse est. Nam recta ratio est legis æternæ participatio, signaculumque lucis vultus divini, juxta quod scriptum est : Si- *Ps.* IV, 7. gnatum est super nos lumen vultus tui, Domine. At vero, quemadmodum secundum Avicennam et Algazelem in Metaphysicis suis, res creata dicitur vera veritate rei sui entis, in quantum habet naturam secundum institutionem, conceptum exemplaremque formam altissimi Creatoris, hoc est, in quantum conformatur ideæ quam habet in mente divina, prout Anselmus in libro de Veritate plenius docet, et Thomas in Summa de veritate diffusius tractat ; I P., q. 16, a. 1. sic rationalis creatura dicitur virtuosa ac sancta, in quantum conversatio seu actio ejus concordat et assimilatur dictamini seu judicio legis æternæ, quæ universæ justitiæ, sanctitatis ac virtutis fons, causa, institutrix, mensura ac regula perhibetur. Propter quod Dominus ait : An non licet *Matth.* XX, 15. mihi quod volo facere ? Enimvero ex ipso *Rom.* XI, 36. et per ipsum et in ipso sunt omnia. Qui ait ad sanctum Job : Numquid condemna- *Job* XL, 3. bis me, ut tu justificeris ? Hinc quarto de Civitate Dei ait Augustinus : Celebriores Platonici disseruerunt, quod in Deo invenitur causa subsistendi, ratio intelligendi, et ordo vivendi. Quorum primum ad naturalem, secundum ad rationalem, tertium ad moralem philosophiæ pertinet partem.

Postremo, quum Deus sit primum, summum, purum, incomparabile et incircumscriptibile bonum, constat quod ipse sit primum amabile, summum honorabile, plenarie contentativum omnis appetitionis objectum : idcirco peccatum, quo creatura propriam voluntatem præfert divinæ, et bonum creatum, caducum ac vile, imo et ipsam iniquitatem delectationemque pravam superdignissimo Creatori, est gravissimus Dei contemptus, vilipensio altissimæ bonitatis, divinæ majestatis injuria, divinæ jussionis incuria, divinæ sanctitatis

offensio, omnipotentis Creatoris relictio, A insipientia mentis se a Dei sapientia avertentis, interemptrix gratiæ ac virtutum, summi boni privatio, æternæ felicitatis amissio, obscuratio intellectus, subversio voluntatis, venenum diaboli, viscus inferni, via damnationis perpetuæ, causa totius miseriæ, mors peccantis, germen dæmoniorum, janua tartarorum, infatuatio hominum, rete ac laqueus tentatorum, gloriatio ac imitatio malignorum spirituum, detestatio angelorum, horrenda caligo, maxima turpitudo, gravissimus fœtor vilitasque B extrema, ferocissima bellua, pravissima fera, vehementissimum damnum, vitandissimum nocumentum, ac maximum malum. Sunt autem et multi alii effectus ac damna peccati. — Et breviter, ex hoc solo potest perpendi inæstimabilis gravitas peccati mortalis, quod quamvis homo centum annis Deo in omni sanctitate servisset, imo et beatissimo Joanni Baptistæ in sanctitate par esset, tamen si vel unam mortalem incideret culpam, protinus efficeretur Deo odibilis, diaboli servus ; et si absque contritione decederet, æternaliter esset damnandus secundum divinam justitiam.

Insuper, si unum mortale peccatum ita deturpat, condemnat, subvertit, ignobilitat hominem, quam turpes et condemnabiles, quam perversi atque ignobiles sunt, qui peccatis peccata quotidie addunt, qui *Eccli.* v, 5. sine timore perpetrant mala, quorum cor- *Eccle.* viii, da implentur malitia? Ideo in primo libro 11. Regum ait Altissimus : Qui contemnunt *I Reg.* ii, 30. me, erunt ignobiles; et item per Jeremiam : Quam vilis facta es nimis, iterans *Jer.* ii, 36. vias tuas! Ideo quasi a facie colubri, qua- *Eccli.* xxi, si a veneno ac morsu diaboli, quasi a mor- 2. te infernali et incendio fugiamus peccata, resiliamus a vitiis, abhorreamus Dei offensam.

ENARRATIO IN EVANGELIUM

SIC DEUS DILEXIT MUNDUM, UT FILIUM SUUM UNIGENITUM DARET, ETC. Joann. III, 16-21.

Joann. III, 14, 15. ANTE Salvator noster se exaltandum C dixerat ut serpentem Moysis in deserto, ut omnis qui credit in illum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Ne autem hoc meritis nostris putemus adscribendum, unde ad tantum beneficium promoveamur, causam adjungit :

Sic Deus dilexit mundum, id est, tam ardenter Deus Pater dilexit genus humanum, præsertim homines prædestinatos, *ut Filium suum unigenitum,* non adoptivum, sed naturalem, consubstantialem, et unicum, *daret* hominibus, in Filii sui incar- D natione ac passione. Dedit enim eum nobis,

Is. IX, 6. quemadmodum cecinit Isaias : Puer natus est nobis, et filius datus est nobis. Et Apo-

Rom. VIII, 32. stolus : Proprio (inquit) Filio suo non pepercit, sed pro omnibus nobis tradidit illum. Dedit ergo eum nobis in incarnatione, faciens eum filium nostræ sororis, videlicet sacratissimæ Virginis, fratrem nostrum, mediatorem ac socium nostrum. Qui enim ante incarnationem erat Deus et Dominus noster, per incarnationem factus est frater et socius noster. Dedit quoque eum nobis in tota conversatione ejus in sæculo isto. Nam quidquid Christus fecit, prædicavit ac pertulit, ordinavit Pater, et etiam Filius, ad nostram salutem, et nobis meritorium fuit, non ipsi Christo quantum ad præmium essentiale, quia hoc habuit anima Christi a primo suæ creationis instanti. Dedit etiam eum nobis in Sacramento altaris, quemadmodum alibi testatur : Pa- *Joann.* VI, ter meus dat vobis panem verum. Postre- 32. mo dedit eum nobis in passione, exponens

Filium suum dilectum tantis tormentis pro nostra salute, quemadmodum Isaias
Is. LIII, 8. prænuntiavit : Propter scelus populi mei percussi eum. Et Filius tempore passio-
Joann. XVIII, 11. nis : Calicem (inquit) quem dedit mihi Pater, non bibam illum? In passione enim Creator noster factus est salvator noster, judex noster factus est reconciliator no-
Ps. CXV, 12. ster, advocatus ac mediator. Sed quid retribuemus Deo Patri pro omnibus quæ
Ps. CII, 2. retribuit nobis? Benedic, anima mea, Domino, et noli oblivisci omnes retributiones ejus. Quid enim, quale vel quantum bonum dedit nobis? Nonne Filium suum carissimum, sibi coæqualem et coimmen-
Ps. CIX, 3. sum, quem ex proprio corde æternaliter genuit, quem ex sua substantia peperit, quem non minus diligit quam se ipsum?

Porro, secundum Philosophum, diligere, est alicui bonum velle. Vehementer ergo nos amat Pater, quibus hoc dedit bonum
Rom. VIII, 32. immensum. Quomodo etiam non omnia nobis cum illo donavit? Quid negabit petentibus, qui non petentibus dedit unigenitum Filium suum? Hinc ait Joannes in
I *Joann.* IV, 9. sua epistola : In hoc apparuit caritas Dei in nobis, quoniam Filium suum unigenitum misit in mundum, ut vivamus per eum. Et ne putemus nos propter merita
Ibid. 10. nostra a Deo dilectos, adjecit : In hoc est caritas, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos. Hinc
Ephes. II, 4, 5. et Paulus ipse ad Ephesios disseruit : Deus qui dives est in misericordia, propter nimiam caritatem suam qua dilexit nos, quum essemus mortui peccatis, convivificavit nos Christo, cujus gratia estis salvati.

Non ergo contemnamus neque negligamus nos ipsos, non vilificemus animas nostras summæ Trinitatis imagine insignitas, rebus terrenis, caducis aut carnalibus inhærendo : sed intentissima mente pensemus, quanti æstimati sumus a Deo nostro, quanta pro nobis fecit et passus est Filius Dei, quanta nunc dedit, quanta se daturum
Is. XXVI, 8, 9. nobis promisit ; et dicamus Deo corde ferventi cum illustrissimo Isaia : Nomen tuum et memoriale tuum, Domine, in desiderio animæ ; anima mea desideravit te in nocte, sed et spiritus meus * in præcordiis meis ; de mane vigilabo ad te. Et cum Psal-
* *alias* spiritu meo
mista : Diligam te, Domine, fortitudo mea. *Ps.* XVII, 2. Ad hoc enim Deus suam nobis dilectionem manifestavit, ut eum redamaremus, ejusque amore succensi, ampliora beneficia perciperemus.

Quadruplex est causa nobis amandi Deum : prima, quoniam in se naturaliter bonus est ; secunda, quoniam prior dilexit I *Joann.* IV, 10, 19.
nos ; tertia, quia multa nobis bona largitus est, videlicet bona naturæ et gratiæ ; quarta, quia majora promisit, præparavit et dare paratus est. Nobilis anima, quæ suum diligit Creatorem, et tanto nobilior, quanto in ejus amore ferventior. Illustrissima creatura, quæ igne divini amoris flammescens in dilectum super omnia, in Deum trans- I *Cor.* VI, 17.
formatur, et unus cum illo spiritus efficitur.

Convenientissime demum ait Evangelista, « Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret », ad insinuandum quod dilectio Dei est causa fontana omnium beneficiorum nobis divinitus præstitorum. Amor namque, secundum theologos, est primum donum, in quo omnia dona gratuita donantur gratis. Propter quod donum appropriatur Spiritui Sancto, qui est amor Patris et Filii.

Quæritur, si Deus Pater sic diligit mundum, cur scriptum est in Joanne : Nolite I *Joann.* II, 15.
diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt ; quia si quis diligit mundum, non est caritas Patris in eo. Et Jacobus in sua fatetur Canonica : Si quis voluerit amicus *Jacob.* IV, 4.
hujus mundi fieri, inimicus Dei constituetur.

Dicendum est, quod in Scripturis sacris, mundus accipitur pro hominibus in terra degentibus. Et hoc tripliciter. Primo, pro mundanis et vitiosis hominibus : de quibus Paulus ad Galatas testatur, Si homini- *Galat.* I, 10.
bus placerem, Christi servus non essem. De hoc mundo scribit Joannes in sua Ca- I *Joann.* IV,
nonica, dicens : Ipsi de mundo sunt, et de 5.

mundo loquuntur, et mundus eos audit. Iste est mundus pertinens ad massam perditionis. Secundo, accipitur mundus pro hominibus prædestinatis in mundo isto sensibili peregrinantibus. Hujus mundi dicitur Christus esse salvator, quemadmodum loquitur Paulus ad Corinthios : Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi. De quo mundo promissum est Abrahæ : Benedicentur in te omnes tribus terræ. Unde secundum Apostolum ad Romanos, Abraham factus est heres mundi. Tertio, sumitur mundus indifferenter pro quibuscumque hominibus in terra viventibus, electis et reprobis. Sic quoque accipi potest nunc ; et in verbis immediate sequentibus dicitur, Non misit Deus Filium suum in mundum ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum. Deus enim, ut dicitur in Sapientia, diligit omnia quæ fecit : quanto magis rationalem creaturam ? Vult enim omnes homines salvos fieri, voluntate antecedente : et secundum hoc, diligit omnes, et quantum in ipso est, neminem vult perire. Sicque pro universorum salute misit Pater Filium suum, ut omnes convertantur : et pro omnibus passus est Christus, quantum ad sufficientiam ; sed quantum ad efficaciam, pro solis electis omnia sustinuit. Ideo Christus passione instante, dixit ad Patrem : Non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi de mundo, quia tui sunt. Hæc diversa acceptio mundi memoriter est tenenda, quoniam ad intelligentiam dicendorum necessaria est.

II Cor. v, 19. *Gen.* xxii, 18. *Rom.* iv, 13. *Sap.* xi, 25. *I Tim.* ii, 4. *Joann.* xvii, 9.

Insuper ad hunc finem dedit Pater omnipotens Filium, *ut omnis qui credit in eum* fide per dilectionem operante : nam fides sine operibus mortua est ; *non pereat,* hoc est, non damnetur, *sed habeat vitam æternam,* quæ est visio summæ Trinitatis per speciem. Unde apud Marcum dicit Salvator : Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit. Et in Actibus Apostolorum Paulus ait Judæis : Per hunc vobis remissio peccatorum annuntiatur, et ab omnibus a quibus non potuistis in lege Moysis justificari. Hinc legitur Christus in Evangelio sæpe dixisse : Fides tua te salvum fecit. Per fidem enim primo anima conjungitur Christo, et ei incorporatur ad cognoscendum et recte sentiendum de ipso, ut sit particeps meriti et gratiæ Christi. Primo siquidem unitur homo Deo per intellectum illuminatum lumine fidei, deinde per voluntatem sive affectum divina caritate formatum. Propter quod Habacuc dicit : Qui incredulus est, non erit anima ejus recta in semetipso ; justus in sua fide vivet. Credimus autem in Christum secundum quod Deus est, quia objectum fidei est veritas prima et increata.

Galat. v, 6. *Jacob.* ii, 17, 26. *Marc.* xvi, 16. *Act.* xiii, 38.

Matth. ix, 22 ; *Marc.* x, 52 ; *Luc.* vii, 50 ; xvii, 19. *Habac.* ii, 4.

Præterea declarat Evangelista, quod missio Filii Dei sit effectus paternæ atque divinæ dilectionis ad nos. *Non enim misit* per incarnationem *Deus* Pater *Filium suum in mundum,* hoc est in terram Judææ, seu inter homines (Deus in Evangelio frequenter accipitur personaliter, id est pro certa Persona divina ; quandoque vero essentialiter, ut quum dicitur, Spiritus est Deus : nunc vero sumitur personaliter), *ut* Filius *judicet mundum,* hoc est homines, judicio condemnationis, justitiam exercendo et pœnam infligendo ; *sed ut salvetur mundus per ipsum,* videlicet merito conversationis et passionis Christi, cujus virtute et merito purgamur a culpa, et gratia adimplemur. Propter quod Petrus in Actibus Apostolorum : Non est (inquit) aliud nomen datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri. Præterea, quum Jacobus, et Joannes, cujus est hoc evangelium, zelantes pro Christo, contra quosdam qui eum non receperunt, dixissent, Vis dicimus ut descendat ignis de cœlo et consumat eos ? Christus respondit : Nescitis cujus spiritus estis ; Filius enim hominis non venit animas perdere, sed salvare.

Joann. iv, 24. *Act.* iv, 12. *Luc.* ix, 53. *Ibid.* 54. *Ibid.* 55, 56.

Videtur autem huic obviare quod infra ait Salvator : Nunc judicium est mundi ; et alibi, In judicium ego in hunc mundum veni. Isaias quoque ait : Non secundum visionem oculorum judicabit ; sed judicabit in justitia pauperes, et arguet in æqui-

Joann. xii, 31. *Ibid.* ix, 39. *Is.* xi, 3, 4.

tate pro mansuetis terræ. Et sicut alii Evangelistæ testantur, Christus in primo suo adventu dure et efficaciter redarguebat sacerdotes, Scribas ac Pharisæos. Talis autem redargutio non fit sine judicio, præsertim quum sæpe dixerit, Væ vobis; et denuo, Publicani et meretrices præcedent vos in regno cœlorum.

Matth. XXIII. *Ibid.* XXI, 31.

Dicendum, quod duplex est Christi adventus, videlicet : primus, quo venit occulte et in humilitate, ut judicaretur et liberaret. Secundus erit manifestus et in majestate, ut judicet atque remuneret. De quo fertur in Psalmo : Deus manifeste veniet, Deus noster, et non silebit; ignis in conspectu ejus exardescet. Judicium quoque est duplex. Est enim judicium discretionis, quo boni a malis secernuntur, malique vituperantur, et pretiosum a vili separatur voto aut merito. De quo Job ait : Numquid qui non amat judicium sanari potest? In hoc judicio impii non resurgunt, quia non surgunt a ruina peccati ad gratiam, judicando hoc modo se ipsos. Istud judicium fuit et fecit Christus in primo suo adventu. Multipliciter enim discrevit inter electos et reprobos, quosdam misericorditer vocando ad suum discipulatum et gratiam, quosdam juste deserendo, qui non erant ex ovibus suis : de quibus et dixit, Sinite illos, cæci sunt, et duces cæcorum. Aliud vero est judicium remunerationis et condemnationis per pœnæ illationem. Hoc Christus non fecit in primo suo adventu; sed in die judicii faciet id communiter, et in morte singulorum facit ipsum particulariter. Per has distinctiones facile concordantur auctoritates quæ repugnare videntur.

Ps. XLIX, 3. *Job* XXXIV, 17. *Ps.* I, 5. *Matth.* XV, 14.

Qui credit in eum perseveranter, usque in finem fide et opere manens fidelis, *non judicatur* judicio reprobationis, sed approbationis, de quo dicit Apostolus : Qui judicat me, Dominus est. Unde in Apocalypsi legitur : Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ. *Qui autem non credit, jam judicatus est,* hoc est divinitus reprobatus. De quo reprobationis judicio Paulus testatur : Eos qui foris sunt Dominus judicabit.

I *Cor.* IV, 4. *Apoc.* II, 10. I *Cor.* V, 13.

Quæritur, quomodo infidelis jam judicatus dicatur, quum adhuc viator exsistat, necdumque oblatus sit tribunali judicis Christi. Et respondendum, quod dicitur « jam judicatus » tripliciter. Primo, quoniam pro judicato et reprobato habetur. Secundo, quoniam habet in se causam damnationis adeo evidentem, ut non sit dignum discussionem de ipso peragere. Quum enim careat fide, certum est quod nil meritorium habeat, sed mortali subjaceat culpæ, dummodo sit adultus, præsertim quum dicat Apostolus : Quidquid non est ex fide, peccatum est. Juxta hunc modum loquendi dicimus de homine agonizante vel veneno infecto, quod sit mortuus homo. Tertio, quia futura sunt Deo quasi præsentia, qui omnia conspicit atque præsentialiter cernit in ipso æternitatis momento. Verumtamen in hora mortis judicabitur quantum ad remunerationem seu pœnæ illationem, quantum ad animam, et in die novissimo, quantum ad corpus et animam, quando erit unus eorum quibus dicetur : Ite, maledicti, in ignem æternum. Judicantur insuper infideles post hanc vitam quoad hoc, quod non omnes æqualem sortiuntur miseriam, sed unusquisque juxta mensuram sui delicti, pœnis majoribus vel minoribus deputatur.

Rom. XIV, 23. *Matth.* XXV, 41.

Causa autem cur judicatus jam sit infidelis, subjungitur : *quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei,* hoc est in ipso Filio Dei naturali et unico; et per consequens mendacem facit Deum Patrem, secundum quod Joannes habet : Qui non credit in Filium, mendacem facit Deum, quia non credit in testimonium quod testificatus est Deus de Filio suo.

I *Joann.* V, 10.

Istud si universaliter atque simpliciter intelligatur, consequens esset quod nemo unquam salvatus est sine explicita fide Christi futuri, præsentis vel missi. Cujus contrarium tenent doctores, asserentes quod ante Christi adventum, simplicibus sufficiebat implicita fides de Christo, cum

observantia legis naturalis quoad gentiles, vel scriptæ quoad Judæos, qui secundum quosdam, tenebantur ad explicitam fidem de Christo in generali : ita quod sufficiebat credere esse vitam post hanc vitam, et quod Deus haberet providentiam atque judicium actuum humanorum, et saluti hominum provideret secundum modum sibi placentem et ab ipso præordinatum. Unde Cornelius centurio tali fide placuit
Act. x. 2, 22, 4. Deo. Erat enim vir religiosus et bonus, cujus orationes et eleemosynæ commemoratæ fuerunt coram Deo : et tamen nondum scivit determinate aliquid loqui de Christo. — Et respondendum, quod si verba Evangelistæ intelligantur de explicita fide Filii Dei, non erunt de omnibus hominibus intelligenda, sed de majoribus, puta Prophetis et Patriarchis, et eruditis ab illis, pro tempore legis scriptæ. Tempore autem evangelicæ legis omnes tenentur ad explicitam fidem de Christo et Trinitate. Idcirco jam nemo valet salvari nisi explicita fide de unigenito Filio Dei.

Hoc est autem judicium, hoc est, istud quod subditur, est causa meritoria judicii reprobationis infidelium omniumque per-
Joann. i, 9. versorum : *quia lux,* id est Christus lux vera illuminans omnem hominem qui illuminatur. De quo dicit Michæas prophe-
Mich. vii, 8. ta : Quum sedero in tenebris, Dominus
Hebr. i, 3. lux mea est. Et Apostolus dicit : Qui quum sit splendor gloriæ, etc. Imo Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus, sunt una lux. Lux ergo, videlicet Verbum et Sapientia Patris, *venit in mundum* per mysterium
Baruch iii. 38. incarnationis, et in terris visa atque cum hominibus conversata est lux ista, assumpta humanitate velata. Christus quoque se-
Joann. ix, 5. cundum naturam assumptam, est lux ineffabiliter clarior Apostolis, quibus dictum
Matth. v, 14. est : Vos estis lux mundi.

Et dilexerunt homines pro majori parte, non tamen omnes simpliciter, *magis tenebras,* hoc est passiones et vitia rationem obtenebrantia atque ad infernales tenebras perducentia, *quam lucem,* id est Christum, seu ejus doctrinam ac virtutum splendorem. De qualibus scriptum est in Job : Ipsi fuerunt rebelles lumini. Qui- *Job* xxiv, 13. cumque præfert concupiscentiam rationi, carnalem voluptatem spirituali consolationi, bonum creatum, caducum et variabile, bono divino, æterno et infinito : iste diligit tenebras magis quam lucem. Et qui peccata commissa potius vult occultare et prosequi quam humiliter confiteri, præfert absconsionem tenebrarum suarum manifestationi lucifluæ confessionis. Ideo Salomon in Proverbiis testatur : Qui abs- *Prov.* xxviii, 13. condit scelera sua, non dirigetur ; qui autem confessus fuerit et reliquerit ea, misericordiam consequetur. Et sanctus Job : Vias (inquit) meas in conspectu ejus *Job* xiii, 15, 16. arguam, et ipse erit salvator meus. *Erant enim eorum mala opera,* id est vitiosa : sicque ex electione mali et habitu vitioso peccabant, gloriantes in malis, suisque iniquitatibus firmiter adhærentes. — Sed quum dicat Dionysius, Nemo respiciens ad *De Divin. nom.* c. iv. malum operatur, et nihil appetitur nisi bonum, quomodo potest quis plus diligere tenebras quam lucem, seu vitium quam virtutem ? Et respondendum, quod nemo respiciens ad malum, operatur illud, id est, non perpetrat nec appetit malum, nisi sub ratione alicujus boni apparentis, utpote delectabilis, vel utilis. Propter quod Salomon ait : Via stulti recta in oculis *Prov.* xii, 15. ejus.

Omnis enim qui male agit, non solum ex infirmitate, vel ex ignorantia, sed ex certa malitia seu habitu pravo, *odit lucem,* id est justitiam veramque doctrinam, et etiam Christum, quem aliquo modo vellet non esse, ut possit pœnas futuras evadere, *et non venit ad lucem,* id est ad peccatorum suorum salutarem ac lucidam confessionem ; vel, non venit in publicum, ex verecundia et timore pœnarum ; *ut non arguantur,* id est, reprehendantur seu corrigantur a prælatis et justis hominibus, *opera ejus* tenebrosa.

Sed his contrariari videtur quod asserit Isaias : Peccatum suum quasi Sodoma præ- *Is.* iii, 9. dicaverunt, nec absconderunt. Et obstinato

Jer. III, 3. populo loquitur Jeremias : Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere. Tales utique, testante Salomone, Læ-
Prov. II, 14. *Eccle.* VIII, 11. tantur quum malefecerint, et sine timore perpetrant mala. Veniunt ergo ad publicum, et in præsentia hominum peccare non erubescunt. — Et respondendum, quod verba præinducta universaliter vera sunt, sed de diversis generibus male agentium, diversimode verificantur. Aliqui enim adeo mali sunt, ut respuant increpari, jux-
Amos V, 10. ta illud Amos : Odio habuerunt corripientem. Isti publice peccant, et sæpe peccasse se jactant. Alii sunt hypocritæ, simulatores et callidi, humana vituperia magis quam divinum judicium formidantes. Isti pec-
Ephes. V, 12. cant in abditis, dicente Apostolo : Quæ in occulto fiunt ab ipsis, turpe est dicere. Alii sunt famuli Dei, sed imperfecti, non ambulantes timorate et satis sollicite coram Deo, sed cum observantia debitorum seu præceptorum contenti. Isti multa venialia faciunt in secreto, quæ nequaquam facerent præsentibus aliis ; et interdum non veniunt ad lucem ex verecundia, ne confundantur. Unde quicumque peccat, aliquo modo odit lucem et refugit eam, loquendo de peccatis a quibus homo merito denominatur peccator. Nihilo minus sunt aliqui viri virtuosi tam ferventes et humiles, quod semper parati sunt increpari, et cupiunt sua peccata manifestare, correctionemque pati pronissimi sunt.

Qui autem facit veritatem doctrinæ et vitæ atque justitiæ, id est, qui vera loquitur, et eadem operatur, justitiamque sectatur. Triplex enim est veritas, scilicet doctrinæ, vitæ, et justitiæ ; et quælibet harum est suo modo facienda. *Venit ad lucem,* id est, apparere non erubescit, lucem sapientiæ sequitur, et coram aliis exemplarem se exhibet, *ut manifestentur opera ejus* ad gloriam Dei ædificationemque proximi, *quia in Deo sunt facta,* id est secundum voluntatem Dei, quæ nobis in Scripturis declaratur. Istud præcipue verum est de operibus bonis ad quæ aliquis obligatur, quæ nullam singularitatem prætendunt, et sine nota vanitatis possunt manifestari. De his enim ait Salvator : Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est. *Matth.* V, 16.

Sed si omnis qui facit veritatem venit ad lucem ut manifestentur opera ejus, quid est quod aliqui de bonis actibus verecundantur ? Sunt enim nonnulli, qui si a suis consortibus inveniantur orare, confiteri, vel aliquid devotionis peragere, erubescunt, cupientes latere, non tam ex humilitate, quam ex humano rubore. Porro sunt aliqui solitarii et inclusi, optimæ vitæ, qui nunquam in publicum veniunt. Et multi ex vera humilitate abscondunt bona quæ operantur. Unde et Christus jubet in cubiculo, id est in loco absconso, orare. Et rursus : Videte (ait) ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab illis. *Ibid.* VI, 6. *Ibid.* 1.

Dicendum, quod verba hæc evangelica verissima sunt atque pulcherrima, sed de diversis justorum generibus verificantur variis modis. Primo enim universaliter verum est, quod quicumque facit veritatem, id est, meritorie operatur, venit ad lucem, quæ Christus est, ut manifestentur a Christo opera ejus in die judicii, quando laus erit unicuique a Deo, et ut Christus confiteatur eum coram Patre suo cœlesti. Rursus, quicumque sic agit, venit ad lucem, id est ad rectæ rationis judicium, ut manifestentur opera ejus pro loco, causa et tempore, scilicet quando ratio dictat, et caritas exigit. Qui vero de actibus bonis non excedentibus communem devotionem verecundantur, sunt homines pusilli et imperfecti, qui apprehendunt bonum honestum sub ratione rei turpis, in quantum formidant propter bona opera derideri. Solitarii autem veniunt ad lucem interiorem, quamvis non veniunt ad humanos adspectus. Porro verba Salvatoris intelligenda sunt quantum ad intentionem, videlicet, ut non oremus nec bona agamus ad hunc finem, quatenus videamur et com-

Joann. IX, 5. *I Cor.* IV, 5. *Matth.* X, 32.

mendemur a proximis, sed ad gloriam Dei, propriamque salutem, et proximorum ædificationem.

Elucescit ex his, quod justitia est res audax, secura, fiducialis, jucunda et victoriosa. Injustitia vero contrario modo se habet. Propter quod scriptum est : Quum sit timida nequitia, dat testimonium condemnata ; semper enim præsumit sæva, perturbata conscientia. Hinc etiam Job ait : Sonitus terroris semper in auribus impii ; et quum pax sit, ille insidias suspicatur. Nec dissonat quod Salomon adstruit : Fugit impius nemine persequente ; justus autem quasi leo confidens absque terrore erit. Ideo dicit Apostolus : Vis non timere potestatem ? fac bene, et habebis laudem ex ea. Propterea quoque ait Philosophus, quod qui bene se habent in divinis, sunt melioris fiduciæ. Audiamus vocem justi venientis ad lucem, et sciemus quanta sit securæ mentis fiducia. Ecce apud Isaiam ait vir justus : Juxta est qui justificat me, quis contradicit mihi ? Stemus simul : quis est adversarius meus ? accedat ad me. Ecce Dominus Deus auxiliator meus, quis est qui condemnet me ? Tales fuerunt martyres sancti, qui facientes veritatem legis et fidei christianæ, venerunt ad lucem, quoniam non erubuerunt Christum ejusque sermones, sed confessi sunt eum coram hominibus : ideo Christus confitetur eos coram Patre suo, sicque manifestat eorum opera bona.

Sap. XVII, 10. — *Job* XV, 21. — *Prov.* XXVIII, 1. — *Rom.* XIII, 3. — *Is.* L, 8, 9. — *Matth.* X, 32.

SERMO SECUNDUS

QUAM SIT DESIDERABILIS AMABILISQUE PULCHRITUDO ATQUE BONITAS DEI, ET QUAM SINT STULTI AC IMPII, QUI EJUS AMORI QUIDPIAM EX CREATURIS ANTEPONUNT.

SIC Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Joann. III, 16.

Quum nihil magis sit homini naturale, quam amantem redamare, maxime diligendus est Deus, qui nos immenso ac infinito amore prior dilexit, in tantum etiam ut Filium suum daret unigenitum, ut omnis qui credit in illum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Multa sunt quæ nos excitare debent ad amandum Deum super omnia. Nam quum unumquodque tanto amabilius desiderabiliusque consistat, quanto fuerit melius, virtuosius, sanctius sive perfectius, itemque spirituali decore ornatius : nonne Dominus Deus noster omnipotens, Deus gloriosus et adorandus, Deus sublimis et benedictus, qui est bonitas pura, virtus immensa, sanctitas infinita, superessentialis et absoluta perfectio, fontana, idealis, simplicissima atque mundissima pulchritudo, qui est toto universo in infinitum præstantior, speciosior, potentior, dulcior, cujus beatitudo et gloria est omnifarie interminata, cujus opulentia, sapientia, excellentia, liberalitas ac libertas, pietas ac potestas, nullum prorsus limitem, nullum penitus finem suscipiunt, sortiuntur ac habent : nonne utique Deus iste superdignissimus, est toto mundo et cunctis et singulis in eo contentis, diligibilior, appetibilior atque suavior ? Quumque sic esse nemo fidelium ambigat, consideret homo quam inexplicabilem irreverentiam injuriamque exhibeat Deo rationalis creatura, dum rebus istis terrenis, carnalibus, vanis, corporalibus, sensibilibus et caducis, imo et comparatione divinorum bonorum vilissimis, magis afficitur et adhæret, magis unitur et intendit, quam Deo altissimo, bono tam infinito, præstantissi-

mo et præclaro, cujus respectu totus mun- A
Is. XL, 15. dus est quasi pulvis exiguus. Nonne quodammodo infinitam irreverentiam exhibet Deo, dum ei ista præfert vanissima, dum propriæ potius quam divinæ assentit et paret voluntati, dum carnalem concupiscentiam amplius quam divinam sequitur legem? Etenim quanto ille qui præcipit major est, tanto culpabilius est ei non obedire. Rursus, quanto aliquis benefactor plura aliquibus beneficia contulit, tanto iniquius est ei ingratum exsistere; impiissimum vero est, ei etiam mala pro bonis B rependere.

Si itaque scire optamus quam enormia sint nostra peccata, quam inexcusabilia atque gravissima; profunde sagaciterque pensemus, quæ, quanta et qualia beneficia liberalissime præstiterit nobis Dominus Deus noster dulcissimus. Nonne ipse creavit nos? Ipse utique dedit nobis corpus et
Gen. I, 27; animam rationalem, quam sua imagine in-
V, 1. signivit, nosque ad suam similitudinem
Ps. VIII, 8, 9. condidit; omnia subjecit sub pedibus nostris, oves et boves universas, insuper et C pecora campi, volucres cœli et pisces maris; et universa bona, tam dona naturæ quam munera gratiæ, de ejus liberalitate sumus sortiti. Quoties peccantibus nobis pepercit? Quam frequenter ac diu nos peccantes sustinuit? A quantis peccatis, damnis atque periculis nos præservavit? Quot et quam innumerabiles nunc æternaliter condemnavit, qui multo minus quam nos miserrimi, peccaverunt? Sed et specialia beneficia quæ singulis est largitus, quilibet vigilanter perpendat, cernetque D quam impius sit, et quam impiissime egerit, tam superbonum, incomparabilem ac liberalissimum benefactorem inhonorando ac offendendo. Præterea, si pensemus quam incomparabilia atque immensa bona promiserit et præparaverit nobis, intelligemus lucidius ingratitudinis nostræ ineffabilem enormitatem, vitiorumque nostrorum intolerabilem perversitatem, cæcitatem nostram et inconsiderationem nimiam deplangemus.

Denique, quo quis alium amplius prævenerit in amore, eo perversius est eum non redamare. Perversissimum est etiam eum odire, abjicere, spernere, seque ab ipso animo avertere. Ut ergo peccatorum nostrorum detestandas ac maledictas malitias efficacius intueamur, diligentissime perpendamus quantum et quam incomprehensibiliter Deus naturaliter bonus ac sanctus, prævenerit nos in amore. Ipse equidem prior dilexit nos, et dum nondum I *Joann.* IV, creati essemus, ex suo ad nos præveniente 10, 19. gratuito ac æternali amore plasmavit nos, nostram assumpsit naturam, nobiscum conversari dignatus est, suo nos pretiosissimo sanguine a morte æterna et ab omni peccato redemit, se ipsum nobis quotidie in supermirabili ac superdignissimo Sacramento largitur, intime nobis unitur, a nobis consecrari, tractari, sumi non dedignatur: imo inexcogitabili caritate, pietate ac dignatione, ut ejus corpus sanguinem- *Joann.* VI, que sumamus, requirit et præcipit, non 54. plane ob suam indigentiam aut profectum, sed ob nostram salutem quotidianumque in spiritualibus commodum.

Adhuc, quo quis alium plus honorat, eo gravius est honoranti vicem non reddere, indecentissimum est eum etiam inhonorare. Quum ergo Deus noster tam multipliciter honoraverit humanum genus, præsertim in supernaturalibus donis atque promissis, potissime vero per nostræ naturæ hypostaticam assumptionem, excellentissimam glorificationem, ejusdemque super omnes angelicorum ordines agmi- num elevationem; innotescit quam impiissime egimus Deum inhonorando, divinæ majestatis altitudinem superexcelsam non reverendo, ejus præceptis non obediendo.

Præterea, id quoque in omnibus his rite pensandum est, quod quanto is qui benefacit, diligit aut honorat, major ac melior est, tanto beneficia ejus, dilectio ac honoratio, sunt amplius magni pendenda: imo et tanto utique amplius, quanto et beneficiatus, dilectus ac honoratus fuerit minor ac vilior. Quum igitur tam immensa sit

Dei benefactoris, amatoris honoratorisque nostri majestas, tam vehemens quoque nostra declivitas, elucescit omnino, quod nostra peccata ex considerationibus præinductis causisque præfatis, ex omni parte reddantur enormia, imo gravissima. Quam superinfinita ergo est misericordia Dei super genus humanum et super nos singulos? Et revera quam mirabile piissimumque exsistit, quod unquam dignatur illum ad suam recipere caritatem et gratiam, a quo vel semel mortali peccato offensus est? Et ecce tam incomprehensibiliter pius et bonus est, quod sæpius eos a quibus pene innumerabilibus gravissimisque piaculis est offensus, non solum dignatur redeuntes ac pœnitentes ad veniam gratiamque suscipere, sed et misericordissime prævenit eos, compungit, immutat, et sibi familiarissimos amantissimosque constituit, et quasi secretarios suos facit. In quibus impletur illud Apostoli: Ubi abundavit delictum, superabundavit et gratia. O quam magna et supermagna est misericordia Dei super electos! Reprobos quoque citra condignum deserit in præsenti, et citra condignum punit eosdem in supplicio infernali.

Rom. v, 20.

Præterea, quum juxta præhabita, tam incomparabiliter ac infinite major, amœnior, dulcior, amabilior sit pulchritudo supersancti et supermundissimi Dei, quam totius universi; quam insensata sunt corda hominum mundanorum, qui rerum creatarum magis quam Creatoris pulchritudinem diligunt, qui miseræ mortalis peccatricisque carnis mox periturum decorem potius quam divini vultus invariabilem speciositatem desiderant, qui in mundi specie amplius quam in Creatoris venustate exsultant! Viles omnino obtenebratique sunt, qui corporis sui morituri ornatui magis quam immortalis suæ animæ decorationi intendunt, qui amplius student aut cupiunt se extrinsecus coram hominibus adornare, quam intus coram Deo a vitiis se purgare; qui carnem suam immundam ac fœtidam satagunt delicate nutrire et expolire, animam autem rationalem ac nobilem non cessant quotidie male vivendo deturpare, lædere et necare, omnique spirituali alimento privare. Tales sunt omnes qui in peccato mortali exsistunt. Qui enim mortaliter peccat, a summo et incommutabili bono se avertit, atque ad caduca et vana mentem suam convertit, sicque rei creatæ inhæret finaliter, scilicet plus quam Deo, et fruitur ea: quod totum est contra ordinem æquitatis, eo quod solo Deo, in quo dumtaxat salus rationalis creaturæ consistit, fruendum sit, ceteris autem utendum tanquam mediis ad finem illum salvificum, Deum sublimem et benedictum. Res ergo creata, terrena, corporea, tantum ametur, quæratur, in usum veniat, quantum utilis seu necessaria est ad increati ac summi boni adeptionem salutarem: non amplius neque minus.

Cf. t. XIX, p. 119 C et s.

De hoc, libro primo de Doctrina christiana loquitur Augustinus: Res aliæ sunt quibus fruendum, aliæ quibus utendum. Illæ quibus fruendum est, beatos nos faciunt; istis quibus utendum est, tendendo ad beatitudinem adjuvamur, et quasi adminiculamur, ut ad illas quæ beatos nos faciunt, pervenire eisque inhærere possimus. Nos vero si eis quibus utendum est frui voluerimus, impeditur cursus noster; et via ad Deum, inferiorum rerum amore impeditur. Frui est enim, amore inhærere alicui rei propter se ipsam; uti autem est, quod in usum venerit, ad id quod amatur obtinendum referre, si tamen amandum est. Nam usus illicitus, abusus potius nominandus est. Si igitur in hujus mortalitatis vita peregrinantes, ad patriam beatitudinis redire volumus, utendum est hoc mundo, non fruendum, ut de corporalibus ac temporalibus rebus æterna ac spiritualia capiamus. Res ergo quibus fruendum est, sunt Pater et Filius et Spiritus Sanctus, Trinitas ipsa, una quædam summa res, communis omnibus ea fruentibus.

cap. 3.

cap. 4.

cap. 5.

Hinc rursus libro præallegato Augustinus hortatur: Quoniam illa veritate fruendum est quæ incommutabiliter vivit, pur-

cap. 10.

gandus est animus, ut perspicere illam lucem valeat, et inhærere perspectæ : quam purgationem quasi ambulationem quamdam et peregrinationem ad patriam arbitramur. Verum, sicut secundo de Doctrina christiana Augustinus testatur, Deus videtur ab his qui huic sæculo moriuntur. Nam in tantum vident, in quantum moriuntur sæculo huic. In quantum vero sæculo vivunt, non vident. Tales sunt omnes mundani, de quibus Augustinus disseruit : Quoniam cupiditate fruendi creatura pro Creatore, homines configurantur huic mundo, mundi nomine congruentissime appellantur. De quibus ait Sal-
Joann. XVII, 9. vator ad Patrem : Non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi de mundo; itemque : Pater juste, mundus te non cognovit. Joannes quoque in prima sua Canonica : Ipsi de mundo sunt, et de mundo loquuntur, et mundus eos audit.

Joann. XVII, 25. I *Joann.* IV, 5.

Postremo, ne taliter de hoc mundo simus, terrena ac temporalia parvi pendamus, cœlestibus ac divinis jugiter intendere enitamur, atque ad increatæ, æternæ ac adorandæ pulchritudinis felicem jucundissimumque adspectum infatigabiliter festinemus : ad cujus desideratissimam visionem post hujus finem exsilii nos mox dignetur perducere Creator omnipotens, cui cantamus : Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo; et denuo, Sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea.

Ps. CXLI, 8. *Ps.* LXII, 2.

SERMO TERTIUS

DE EMANATIONE DIVINA QUA SPIRITUM SANCTUM VERUM DEUM CATHOLICA FIDES A PATRE FILIOQUE CREDIT PROCEDERE.

QUUM venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me. Joann. XV, 26.

In quacumque natura est intellectus, in ea est et voluntas. Objectum namque voluntatis est bonum intellectum. Nam sicut in re naturali formam consequitur inclinatio quædam ad proprium bonum, finem ac perfectionem, quæ naturalis appetitus dicitur; sic in natura intellectuali ex apprehensione formæ intelligibilis oritur inclinatio ad id quod intelligitur, secundum quod ipsum concipitur ut bonum et conveniens. Hæc autem inclinatio dicitur appetitus intellectualis, ad voluntatem spectans. Sicut igitur Deus est in se ipso sicut intellectum in intelligente, eo quod divina essentia seu veritas, quæ Deus est, sit divini intellectus objectum; sic prorsus necesse est ut Deus sit in se ipso ut amatum in amante, eo quod divina bonitas, quæ est ipse Deus, sit proprium objectum divinæ voluntatis.

Denique intellectum ut in intelligente exsistens, intentio quædam est, verbum ac ratio intelligentis. Non enim aliter intellectum est in intelligente, nisi prout concipitur ab intellectu. Concipitur autem, in quantum intellectus aliquid intra se dicit de re intellecta. Hoc autem quod de intellecto dicit et concipit, est verbum intelligentis. Sed intellectum ut in intelligente acceptum, seu verbum tale de intellecto conceptum, in humano intellectu non habet esse naturale, sed intentionale dumtaxat, quod est species ac similitudo intellecti stans in lumine intellectus. Non est itaque intellectum ut in mente hominis conceptum, et ut in se ipso subsistens, habens esse ejusdem rationis et naturæ. Verbum autem divini intellectus habet verum

esse naturale, et substantialiter identificatum cum esse paterni intellectus. Constat igitur, quod verbum humani intellectus dicat quid actualiter superadditum rei intellectæ. Verbum vero divinæ mentis nil superaddit accidentale ei cujus est verbum, de quo profertur. Ratio autem horum est, quia divinus intellectus est purus et supersimplex actus, in quo uniformiter unum sunt esse et intelligere ; hoc vero creatis intellectibus non convenit. Sicut proinde intellectum ut in intelligente conceptum, est verbum intellectus * ; sic amatum ut in amante exsistens, est sicut amor quo in amatum tendit amans. Amatum nempe est in voluntate sicut terminus motus in principio motivo : perficitur enim voluntas per hoc quod copulatur amato in quod tendit. Non autem tendit in amatum, nisi propter proportionem quamdam et convenientiam in amato consistentem alliciatur ab amato. Amatum ergo ut in amante consideratum, inclinat et movet amantem ut in amatum se transferat. Hoc autem quod movet et intrinsecus impellit amantem in amatum, est amor. Datur igitur quod esse amati in amante, est amor qui intrinsecus movet amantem in amatum : sicut esse intellecti in intelligente, est intentio ac verbum intellectus *.

* intelligentis

* intelligentis

Amor denique a voluntate procedit, in quantum illa mota est et quasi attracta ab amabili, quod est bonum intellectum. Bonum porro intellectum, in quantum intellectum, est verbum intellectus. Procedit igitur amor tam ex voluntate quam ex verbo, quoniam nihil amamus nisi verbo cordis concipiamus illud esse amabile. Relinquitur ergo quod amor qui in Deo est, quem Spiritum Sanctum dicimus, non tantum a Patre, sed etiam a Filio procedit. Filius etenim Patris, est verbum illud quod Pater de se ipso concipit. De se autem concipit, quod sit summa et supereminens bonitas. Illa ergo interna dictio qua Pater de se intra se profert se esse puram bonitatem, est Verbum ejus. Ex hoc vero quod Deus talem se agnoscit, procedit amor ejus, quo se ipsum et propriam bonitatem primo et principaliter amat. Divina enim bonitas est proprium divinæ voluntatis objectum.

Hinc elucescit, quod eo ipso necesse est Spiritum Sanctum a Filio procedere, quod procedit a Patre. Spiritus Sanctus ergo per voluntatem procedit ab utroque, sicut et a solo Patre procedit Filius per intellectum. Enimvero sicut Dei intelligere, est ejus esse, sic et divinum velle, est Dei esse. Amatum autem est in amante, in quantum actu amatur ; actu autem amatur, secundum quod ejus amor est in amante. Sed in Deo, amare est velle quoddam. Velle quoque Dei, est suum esse. Esse ergo Dei quo est in sua voluntate, quod per amorem explicamus, non est esse accidentale, sed est esse verum et naturale, sicut et esse Verbi. Deus ergo ut in sua voluntate exsistens, est vere et substantialiter Deus. Amor ergo seu Spiritus Sanctus, est subsistens Deus : quippe amor hic divinus, quo Deus se et cuncta diligit, Spiritus apte appellatur. Amor quippe est vis quædam motiva et impulsiva amantis in amatum, ut dictum est. In viventibus autem impulsus talis intrinsecus ad spiritum pertinet : ideo amor divinus, Spiritus dicitur. Rursus, spiritus dictus est qui ab homine procedit, et sine quo homo vivere omnino non potest. In eo igitur quod hic amor Dei, Spiritus nominatur, æterna ipsius ab eis quibus coæternus est personis processio designatur.

Insuper Spiritus Sanctus ita dictus est, quoniam ipse est quo sanctissima Deitas amatur. Constat equidem quod verbum ab intellectu, amor vero a voluntate emanet. In Deo autem identificatur intellectus et voluntas. Etenim in personis non multiplicatur, sed est in eis una natura, virtus, et æqualis perfectio. Deus quippe est in se sicut intellectum in intelligente, in quantum se ipsum intelligit ; et hoc quod de se intelligit, est Verbum ejus. Non autem intelligit de se vel minus, vel aliud quam est : neque ergo Verbum ejus est

aliud quam Deus, neque Deo minus. Neque ergo plura Verba possunt in Deo esse, quum uno Verbo plene dicat quidquid in se concipit. Perfectio porro intellectus consistit in assimilatione intelligentis ad intelligibile, quæ est per hoc quod similitudo intellecti inest intelligenti. Oportet igitur ut similitudo divini intelligibilis, quod est essentia divina, insit divino intellectui. Verbum ergo divini intellectus procedit secundum rationem similitudinis. Et dictum est, quod in identitate naturæ prodeat. Quod vero in viventibus ex substantia alterius egreditur secundum similitudinem naturæ, vocatur filius, et gigni dicitur. Amatum autem est in amante, non secundum similitudinem speciei, sed sicut terminus in principio motivo. Amatio itaque perficitur, non in similitudine amantis cum amato, sed potius in attractione quadam amantis ab amato, et motione unius in aliud ac mutua conjunctione.

Spiritus ergo Sanctus, qui ut amor procedit, filius non est, licet ex substantia spirantis effluat. Nam filius non est nisi quod gignitur. Quod autem gigni dicitur, procedit secundum similitudinem speciei, et non secundum rationem tendentiæ in alterum, seu attractionis ab alio, quomodo jam paulo ante claruit procedere Spiritum Sanctum, qui per modum amoris emanat. Adhuc major similitudo Patris exprimitur in Verbo, quam in Spiritu Sancto : datur nempe Verbo, ut cum Patre Spiritum Sanctum a se procedentem habeat. Unde etiam potius quam Spiritus Sanctus, tam Filius quam imago Patris congruenter dictus est.

Denique quod in divinis non dumtaxat Patrem Filiumque oporteat confiteri, sed etiam Spiritum Sanctum tanquam personam tertiam, ex eo quod in Matthæo dixit Salvator, elucescit. Dicit enim : Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Et alibi dictum est : Quum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit. Unde palam est, Scripturam sanctam loA qui de Spiritu Sancto sicut de persona aliqua vere subsistenti.

Quod autem Spiritus Sanctus sit verus Deus, ostendi potest ex evidentibus Scripturæ testimoniis. Comprehendere enim omnia profunda Dei, soli Deo proprium est, sicut sæpe ostensum est. Sed juxta Apostolum, Sicut nullus novit quæ sunt hominis nisi spiritus hominis qui in homine est, ita et quæ sunt Dei nemo cognovit nisi Spiritus Dei. Ex his autem verbis Apostoli adhuc alia ratio formari potest. B Nam secundum comparationem Apostoli, Spiritus Dei se habet ad Deum, sicut spiritus hominis se habet ad hominem. Spiritus autem hominis est homini intrinsecus, et aliquid ejus, neque est naturæ extraneæ ab homine. Spiritus ergo Sanctus non est naturæ extraneæ a Deo, non igitur est creatura. Præterea, creationem rerum non consuevit Scriptura alicui attribuere nisi Deo. Creare autem proprium est Deo, cujus solius vita prorsus illimitata est. Sed Spiritui Sancto attribuit Scriptura rerum C creationem, quemadmodum in Psalmo dictum est : Emittes Spiritum tuum, et creabuntur. Et Job ait : Spiritus Dei fecit me. Amplius, in Actibus dicit Petrus : Anania, cur tentavit Satanas mentiri te Spiritui Sancto? Deinceps subdit : Non es (inquit) mentitus hominibus, sed Deo. Aperte ergo Spiritus Sanctus appellatur Deus. Adhuc, omnis essentia creata, finita est. Replere autem omnia, soli Deo competit, dicente Propheta in persona Dei : Cœlum et terram ego impleo. Spiritui autem Sancto hoc ipsum invenitur in Scripturis attribui. In D Psalmo enim dictum est : Quo ibo a Spiritu tuo, et quo a facie tua fugiam? Si ascendero, etc. Rursus in libro Sapientiæ scribitur : Spiritus Domini replevit orbem terrarum.

At vero quod Spiritus Sanctus non sit ministerialiter operans, velut Patre minor ac Filio, ex dicto Apostoli quod ad Corinthios scribens ait, palam erit. Illic enim connumeratis diversis differentiis donorum Dei, de quibus dixit, Idem autem Deus,

Matth. xxviii, 19.

Joann. xv, 26.

1 *Cor.* ii, 10.

Ibid. 11.

Ps. ciii, 30. *Job* xxxiii, 4. *Act.* v, 3.

Ibid. 4.

Jer. xxiii, 24.

Ps. cxxxviii, 7, 8.

Sap. i, 7.

1 *Cor.* xii, 4 et seq.

Ibid. 6.

qui operatur omnia in omnibus ; paulo post subdit : Hæc omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult. In hoc ergo quod eadem opera adscribit Deo et Spiritui Sancto, et quod Spiritum Sanctum contestatur operari sicut vult, patenter manifestat Spiritum Sanctum Deum esse, et non ministerialiter agere. Enimvero quod Spiritus Sanctus sit subsistens persona, a Patre Filioque suppositaliter distinctus, hinc innotescit, quod Spiritus Sanctus perhibetur a Patre procedere, et accipere de eo quod est Filii. Etiam in prima epistola Joannis dicitur : Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, et Verbum, et Spiritus Sanctus. In quo satis claret Spiritum Sanctum ejusdem esse naturæ cum Patre et Filio, et tamen personaliter distingui ab eis. Et si quis calumniator obviet, et dicat non esse idem Spiritum Sanctum, hic convinci potest ex eo quod in Matthæo Salvator dixit : Non estis vos qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis. In Marco autem loco horum scriptum est : Non estis vos loquentes, sed Spiritus Sanctus.

I *Cor.* XII, 11. — I *Joann.* V, 7. — *Matth.* X, 20. — *Joann.* XV, 26 ; XVI, 14. — *Marc.* XIII, 11.

AD RELIGIOSOS

SERMO QUARTUS

DE EXCELLENTIA AC PRÆCONIO CARITATIS, ET EADEM QUOMODO ERGA DEUM PROXIMUMQUE EXHIBENDA SIT.

HOC mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligat et fratrem suum. I Joann. IV, 21.

Inter omnes virtutes et habitus animæ, caritas summa ac dignissima est, omniumque virtutum vita, regina, mater, imperatrix, forma et finis. Quumque præcepta dentur de vitiis evitandis et virtutibus exercendis, constat quod exercitatio caritatis sit finis et consummatio ceterarum cunctarum virtutum, et actionum seu exercitiorum earum, imo et omnium præceptorum : ita quod omnium aliarum virtutum actus et opera ad hoc ordinare debemus, ut per ea in Dei actuali amore crescamus ac fortius accendamur, et in ipsa quoque habituali caritate roboremur ac stabiliamur. Hinc ad Timotheum ait Apostolus : Finis præcepti est caritas de corde puro et conscientia bona et fide non ficta. Finis quippe præcepti, id est finalis perfectio et consummatio ultima legis divinæ, et omnium præceptorum utriusque Testamenti, est caritas, hoc est actualis dilectio Dei, procedens de corde puro et appetitu intellectivo, seu voluntate a passionibus vitiisque purgata ; et conscientia bona, id est cognitione intellectus sincera ; et fide non ficta, quia ex actu veræ fidei procedit dilectio. Hinc in Evangelio Christus testatur, quod primum maximumque mandatum est, Deum ex toto corde diligere. Unde et princeps Apostolorum hortatur : Ante omnia caritatem continuam in vobismetipsis habentes. Et Paulus : Plenitudo (inquit) legis dilectio.

Denique, caritas sic solet definiri : Caritas est dilectio qua diligitur Deus propter se, et proximus propter Deum. Verumtamen per caritatem non solum Deum et proximos diligimus, sed item nos ipsos, imo et omnes tam Beatos quam beatitudinis susceptivos, videlicet : angelos sanctos et universos cives cœlestes, cunctos

I *Tim.* I, 5. — *Matth.* XXII, 37, 38. — I *Petr.* IV, 8. — *Rom.* XIII, 10.

quoque viatores, et eos qui in purgatorio detinentur. Potest ergo caritas sic definiri : Caritas est virtus infusa ac summa, voluntatem directe perficiens, per quam Deus propter suam propriam bonitatem diligitur super omnia, et cetera diligenda spiritualiter diliguntur.

Circa hoc quæri potest, quid sit vere diligere Deum. Et respondendum, quod quum (teste Philosopho) diligere, sit alicui bonum velle, et ipse Deus sit in se ipso naturaliter, incomparabiliter infiniteque bonus; ideo primus et potissimus actus caritatis divinæ est, ex intimo corde velle et favere omnem infinitam bonitatem, beatitudinem et perfectionem ipsius, et congratulari ei complacentiamque habere de omni infinita excellentia, majestate ac gloria ejus. Deinde, quoniam caritas est virtus unitiva, idcirco Deum diligere et secundarius actus caritatis, est desiderare ejus præsentiam gloriosam, clarum intuitum, dulcem fruitionem, ejus quoque gratiosam præsentiam, quæ nunc haberi potest, et intra affectuose amplecti. Insuper, quoniam Deo debetur omnis honor et gloria, ideo tertius actus divinæ caritatis est, Deum totis viribus honorare et glorificare, atque optare et conari ad hoc ut ipse ab omnibus honoretur et glorificetur. Propter quod asserit Augustinus, quod ille est major in caritate, qui plures ad Dei amorem ac cultum inducit. Iterum, quoniam amicorum est eadem velle et nolle, ideo quartus caritatis Dei effectus est, universa quæ Deo sunt placita, præsertim quæ jubet, velle et adimplere ; et quæ prohibet, nolle ac devitare. Ex quibus elici potest, quis vere diligat Deum, et quæ sint veræ caritatis certiora indicia aut probabilia signa.

Postremo quanta sit excellentia caritatis, clarius ac subtilius edoceri non valet quam ex verbis sanctissimi Pauli, qui ad Corinthios loquitur : Si linguis angelorum loquar et hominum, caritatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans et cymbalum tinniens. Deinde illo in loco fatetur, quod quantumcumque multa et magna Spiritus Sancti charismata quis habeat, et quantumlibet multa et magna ac mira operetur, aut etiam patiatur, nil penitus prosit ei, nisi habuerit caritatem : in tantum quod et si omnia bona sua pauperibus dederit, atque pro fidei defensione se comburi permittat, tanta quoque fidei certitudine polleat ut orando aut impetrando transferat montes de locis suis, attamen totum hoc ei nil proficit ad salutem, nec meritorium ei consistit, nisi habeat caritatem : imo si eam non habens moreretur, cum omnibus illis prætactis charismatibus atque operibus descenderet in infernum. Propterea Alexander de Hales et Antisiodorensis in Summis suis conscribunt, quod si quis ex fide informi et timore servili sustineret mortis supplicium propter fidem, nihilo minus damnaretur. Hinc caritas dicitur spiritualis vita animæ, et forma atque vivificatrix virtutum, sine qua homo spiritualiter mortuus est, et vile coram Deo cadaver, nec aliqua virtus formata censetur. Ex quibus perpendi potest, quam summe sollicitus ac studiosus esse debeat quilibet Christianus, ut sit semper in caritate, ne et cetera opera ex genere bona quæ facit, sint ei infructuosa ; et item, quoniam præmium essentiale in cœlo respondet caritatis perfectioni, ita quod unusquisque tanto plus apud Altissimum promeretur, et tanto major erit in felicitate et gloria, quanto plus fervet perfectiorque consistit in Dei amore. Propter quod disseruit Augustinus : Non numerositas operum, non diuturnitas temporum, sed major caritas meritum auget ac præmium.

Caritas in quadam communione supernaturalis felicitatis fundatur. Ideo quidquid beatum est aut beatitudinis capax, ex caritate est diligendum. Nam et caritas est spiritualis dilectio qua quis sibi aut alteri vult veram salutem. Quumque solus Deus sit essentialiter felix et ipsa beatitudo immensa, ipse solus primo et maxime est amandus. Cetera autem quæ beatitudinis ejus sunt susceptiva, sunt ex caritate

1 *Cor.* XIII, 1.

Ibid. 2, 3.

amanda, in quantum spectant ad eum per intellectualis naturæ participationem, et veræ felicitatis capacitatem, aut communionem vel inexsistentiam. Hinc Augustinus primo libro de Christiana doctrina dicit, quod quatuor sint ex caritate amanda. Unum, quod supra nos est, quod est Deus Trinitas. Aliud, quod juxta nos est, quod est proximus, imo et omnis creatura intellectualis. Quamvis etenim angeli sancti sint supra nos dignitate naturæ, loco et gloria, atque multiplici perfectione, tamen juxta nos sunt per convenientiam in genere et finis identitate. Ad eamdem namque supernaturalem salutem homines et angeli sunt creati. Juxta quem modum loquendi asserit Augustinus, quod nihil sit supra hominem nisi Deus. Nam etsi angelus sit supra hominem dignitate formæ, non tamen dignitate finis. Tertium ex caritate amandum, est ipsemet homo amans. Quartum est proprium corpus : quod quamvis sit hominis pars, ponit tamen in numerum in catalogo diligendorum, quoniam aliter est amandum quam ipse homo. Homo quippe est diligendus, quia directe est beatitudinis capax aut particeps; corpus vero, quia per redundantiam quamdam ab anima, susceptivum est glorificationis.

Denique inter diligenda est ordo servandus, ita quod homo tenetur primo et super omnia incomparabiliter diligere Deum. Incomparabiliter, inquam, loquendo appretiative, non intensive. Tenemur enim Deum cum tanta suæ bonitatis appretiatione amare, quod pro nulla re creata, imo nec pro toto universo, nec pro innumerabilibus mundis si essent, vellemus eum offendere, postponere sive relinquere : quoniam ipse vere in se ipso bonus, perfectus, felix et amabilis est infinite. Deinde post Deum debet homo potissime se diligere. Propter quod ait Salvator : Quid proficit homo si lucretur universum mundum, se ipsum autem perdat, et detrimentum sui faciat? Tertio, proximum. Quarto, proprium corpus. Magis quippe desiderare, velle et appretiare, imo et in certo casu conservare ac tueri spiritualem vitam salutemque proximi debemus, quam corporis proprii vitam naturalem ac corporalem. Insuper in dilectione proximorum ordo servandus est, quia (ut ait Ambrosius) post Deum et se ipsum debet homo præsertim amare suos parentes, deinde propriam prolem, deinceps domesticos, consequenter extraneos (qui si fuerint boni, malis filiis et domesticis sunt præponendi), ultimo inimicos.

Luc. IX, 25.

Itaque omnes Christifideles tenentur diligere omnem hominem, fidelem et infidelem, bonum et malum, amicum et inimicum, in quantum ad Dei imaginem et similitudinem est creatus, et rursus in quantum capax est felicitatis, et quoniam Christi sanguine est redemptus. Hinc pro omnibus, saltem in generali, orandum est; atque in certo casu, præsertim in necessitatis articulo, impendenda sunt etiam inimicis beneficia caritatis tam spiritualia quam corporalia, signa quoque amicitiæ aut familiaritatis : et quantum ad hoc, dilectio inimicorum et beneficentia, sed et caritatis ostensio circa eos, sunt in præcepto et de necessitate salutis. Verum extra hujuscemodi casum, in speciali impendere eis caritatis affectum, effectum ac signum, dicitur esse supererogationis atque consilii : et quanto plus agit quis hoc propter Deum, tanto in caritate perfectior ac melior esse censetur. Innotescit ergo ex iis, quod quantumcumque quis forefaciat alteri pertinentibusque ad eum, tamen præcepto divino tenetur illum spiritualiter diligere, ipsius conversionem et salutem optando. Sicque obligatur injuriam, quantum ad culpam, dimittere. Satisfactionem vero seu debitam ultionem potest sine peccato, imo et virtuose, exigere et inferre ex caritate ac zelo justitiæ : non propria aut privata auctoritate, violentaque manu, sed secundum processum ac ordinem juris. Laudabilius tamen asseritur, etiam satisfactionem ac ultionem hujusmodi propter Deum dimittere : præsertim si alter ex infirmitate aut ignorantia forefecit, ac

Gen. I, 27; V, 1.

pœnitet, veniamque precatur. Porro, si ex remissione hujusmodi pœnæ derogetur communi reipublicæ bono, et justitia patiatur jacturam, aut injuriator fiat ad injuriandum procacior, melius est præfato modo optare, exigere et inferre debitam pœnam, quatenus qui peccavit, in præsenti sic castigetur, ne pereat in æternum.

Postremo, constat ex præinductis, quam periculosa, vitiosa ac deploranda sit consuetudo, imo abusio atque temeritas, quæ in aliquibus territoriis viget, ut aliquo læso aut interfecto, consanguinei ejus se congregent, et propria auctoritate pergant ad ulciscendum illatam injuriam, ex ira ac odio : quod totum est mortale ; et sibi invicem communicant in peccatis, ac pessima voluntate peccant sæpissime. Interdum quoque occidunt innocentes quibus injuria illa multum displicuit : imo nonnunquam et ipsi qui ad alios occidendos aut vulnerandos proficiscuntur, subito in suis sceleribus perimuntur. Ideo dominus terræ deberet hujusmodi consuetudinem prorsus eradicare a territorio suo : alioqui timendum quod prætacta subditorum facinora in ipsum redundent ; siquidem impietati cui non resistitur, consentitur. Quod si ex cupiditate commodi temporalis negligeret tantam exstirpare abusionem, enormiter nimis inexcusabiliterque peccaret, et aliorum crimina redundarent in ipsum.

SERMO QUINTUS

DE GRADIBUS CARITATIS, AC CAUSIS ET RATIONIBUS AMANDI DEUM.

CARITAS vestra magis ac magis abundet, ut probetis potiora. Philipp. I, 9, 10.

Præceptum diligendi Deum, a diversis diversimode adimpletur. Quod enim præcipimur toto corde, tota mente, tota anima totisque viribus Deum diligere, tripliciter potest intelligi, et tribus modis impleri. Primus ac infimus modus intelligendi præceptum hoc, est, ut Deum sic diligamus totis corde, mente, anima ac viribus, ut nihil caritati contrarium appetamus, admittamus aut operemur ; ea quoque quæ caritas exigit operemur, servando præcepta : et hoc est necessarium ad salutem. Atque in isto primus et infimus caritatis gradus consistit.

Deut. VI, 5 ; *Matth.* XXII, 37 ; *Luc.* X, 27.

Secundus modus intelligendi præfatum præceptum, est, ut Deum totis corde, mente, anima et viribus sic amemus, ut non solum vitemus ea quæ caritati contrariantur, ut sunt peccata mortalia, sed ea quoque quæ, ab ejus profectu ac frequentatione impediunt (quæ sunt possessio temporalium rerum, præsentia propinquorum, conjugium, ac libertas voluntatis non resignatæ) ; nec solum impleamus præcepta Dei atque Ecclesiæ, sed et operibus supererogationis et interioris profectus seu observantiæ regularis viriliter insistamus. In iis itaque secundus ac medius gradus caritatis constitutus est : qui ad religiosos potissime pertinet. Potest tamen etiam ad sæculares spectare, si tam custodite se habeant, ut circa terrenas opes et contoralem seu consanguineos non afficiantur nec occupentur inordinate, juxta quod ait Psalmista : Divitiæ si affluant, nolite cor apponere. Et Apostolus : Qui habent uxores, tanquam non habentes sint ; et qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur. Quod quamvis sit rarum et arduum, tamen non est impossibile apud Omnipotentem, sed per specialem ejus gratiam a quibusdam impletur.

Ps. LXI, 11. — I *Cor.* VII, 29, 31.

Tertius modus intelligendi præceptum illud, est, sic totis corde, mente, anima

viribusque Deum amare, ut per omnia hæc homo sine interruptione actualiter feratur in Deum, et vivat secundum ipsum. Sicque præceptum istud non potest plene ac indesinenter, seu continua ac nunquam interrupta actuatione impleri, nisi in patria : prout in libro de Perfectione justitiæ asserit Augustinus. Nempe Sancti in patria stant indesinenter Deo intenti, actualiterque in æternum uniti, secundum extremum et ultimum posse totius voluntatis et intellectus omnisque fortitudinis suæ, quia in eis omnis potentialitas est perfecte reducta ad actum : sicut in Sacramentali suo et in libro de Universo Guillelmus Parisiensis testatur. Verumtamen præceptum istud hoc tertio modo intellectum, potest in via hac semiplene et ad tempus impleri, præsertim a viris heroicis et perfectis. Unde Antisiodorensis in tertia parte Summæ suæ, contra præallegata Augustini verba sic objicit : Aliquis contemplativus potest ad tempus tota mente totoque corde et anima ferri, moveri, affici et delectari in Deo, et omnes motus suos referre in ipsum : ergo implet istud præceptum, præsertim quia affirmativum est, nec obligat ad semper. Deinde solvit dicendo : Respondemus, quod verum est hoc, sed non potest homo diu manere in tali elevatione ad Deum, quoniam corpus quod corrumpitur aggravat animam. Itaque tertius gradus caritatis consistit in ista hujus præcepti impletione, ut scilicet tam frequenter ac fervide atque stabiliter uniamur Deo per caritatem, sicut jam tactum est et in præsenti exsilio fieri potest.

Sap. IX, 15.

Primus igitur caritatis gradus pertinet ad incipientes ; secundus, ad proficientes ; tertius, ad perfectos. Hinc Thomas in secunda secundæ, quæstione vicesima quarta, distinguens hos gradus, ait : Sicut in motu corporali primo receditur a termino a quo, secundo acceditur ad terminum ad quem, tertio in termino isto quiescitur ; ita distinctio graduum caritatis ac statuum incipientium, proficientium ac perfectorum, attenditur penes diversos actus ac studia ad quæ perducitur homo per caritatem et ejus augmentum. Primo namque incumbit homini ut recedat a vitiis, concupiscentiisque resistat : quod spectat ad primum gradum caritatis, ad quem status incipientium pertinet. Porro huic studio succedit secundum, quod homo principaliter occupatur circa spiritualem in omni virtute profectum : quod ad secundum caritatis gradum et proficientium statum pertinet. Ex caritate etenim elicitive procedit, quod homo conatur in ipsa caritate proficere ; imperative vero procedit ex ea, quod in ceteris quoque proficere conatur virtutibus : sicque secundus caritatis gradus est, spirituali profectui istam caritatem impendere. Tertio studendum est homini ut in ipso fine quiescat, seu Deo inhæreat ac fruatur, prout in vita hac est possibile : quod ad tertium caritatis gradum perfectorumque statum certum est pertinere.

art. 9.

Denique in Profectu religiosorum habetur : Primus gradus caritatis est, concessa ita diligere, et eis sic uti, ut non præponantur divino amori : quemadmodum boni sæculares sic utuntur rebus mundi, quod tamen in eorum usu vitant peccata mortalia. Secundus est, dum homo meliori affectu studet in se atque in aliis promovere ac implere omnia quæ sunt Dei, ultra quam obligatur. Tertius est, vehementi desiderio sic æstuare ad Deum, ut ejus diutius ferre absentiam nequeat, cupiatque dissolvi et esse cum Deo. Qui taliter amat, dicere potest : Amore langueo ; aut, Vulneratus sum caritate ; itemque, Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est ; et, Sitivit anima mea ad Deum fortem, vivum, quando veniam et apparebo ante faciem Dei ?

I *Cor.* VII, 31. *Philipp.* I, 23. *Cant.* II, 5. *Idem* juxta LXX. *Ps.* CXIX, 5. *Ps.* XLI, 3.

Denique, præinducta graduum caritatis distinctio fundatur in verbis Augustini, super primam S. Joannis Canonicam protestantis : Caritas perfecta, est, esse paratum mori pro Deo aut proximis. Sed numquid statim ut nascitur sive infunditur, ita

I *Joann.* IV, 12.

perfecta est? Non utique. Sed nascitur ut perficiatur. Nempe, quum fuerit nata, nutritur ; quum fuerit nutrita, roboratur ; quum fuerit roborata, perficitur ; quum ad perfectionem venerit, dicit, Cupio dissolvi et esse cum Christo. Ad hanc caritatis perfectionem semper conemur, et quantumcumque profecerimus, semper plus proficere enitamur : quia in hoc tertio gradu caritatis est multiplex latitudo ac diversa mensura, incessabilisque durante hac vita processus, quia non omnes perfecti et sancti æque fuerunt perfecti et sancti. Postremo, qui ad hunc tertium gradum caritatis pertingunt, dono sapientiæ eatenus decorantur, quod per apicem mentis stant quasi in contactu Solis justitiæ ac sapientiæ sempiternæ, a quo et frequenter uberrime illustrantur, valide inflammantur, misericordissime rapiuntur, atque in divitias gloriæ Dei immerguntur et absorbentur.

Philipp. I, 23.

Solus Deus est causa efficiens, infundens et creans habitum caritatis. Multæ autem sunt causæ et rationes ex quarum consideratione incitari debemus ad actualem Dei amorem, profectum et perfectionem. Prima et maxima est, infinita bonitas Dei. Si enim creaturæ amabiles sunt quia bonæ et in quantum bonæ, quam summe et ferventissime est amandus is qui naturaliter et essentialiter et prorsus incircumscriptibiliter bonus est? — Secunda est, plena, universalis et absoluta perfectio Dei. Nempe, si quosdam amamus quoniam pulchri sunt, et tanto plus, quanto sunt pulchriores ; alios vero, quoniam nobiles sunt, et tanto plus, quo nobiliores ; alios autem, quoniam ingeniosi et sapientes ; alios, quoniam pii et dulces ; alios, quia fortes sunt et liberales ; alios, quoniam justi sunt ; alios, quoniam facundi et agiles ; alios, quia valde virtuosi et sancti fuerunt aut sunt ; alios, quia præclara et mira opera quædam fecerunt ; et tanto plus diligimus quoslibet horum, quanto amplius tales sunt : nonne decentissimum justissimumque censendum est, ut illum toto corde ardentissime et incomparabiliter diligamus, qui solus omnia ista cum infinita excellentia habet et est? Ipse etenim Deus excelsus et gloriosus, superpulcherrimus est, et pulchritudo separata, in se subsistens, supermundissima, exemplaris, supersplendidissima ac penitus infinita ; ipse quoque tam nobilis, perspicax ac sapiens, quod suæ nobilitatis nullus est finis, suæ perspicacitatis nulla mensura consistit, suæque sapientiæ nullus est numerus. Conformiter de ejus pietate, dulcedine, fortitudine, liberalitate, justitia, efficacia, virtuositate et sanctitate sentire oportet. Ipse itidem totius eloquentiæ et loquelæ est institutor : cujus locutio tantæ est potestatis, quod eam mox concomitatur effectus, in tantum quod vere omnipotens perhibetur, quoniam eo loquente creata sunt omnia. Sed et intra se loquitur locutione æterna, immanente, productiva Verbi æterni, per quod facta sunt universa. Ipse etiam est qui facit mirabilia magna solus, cujus opera incomparabiliter sunt præclara. Si ergo multi homines tantum arserunt, laboraverunt, profecti sunt ad videndum aliquem virum in una prædictarum virtutum aut eminentiarum præclarum : quam fortiter et infatigabiliter æstuare, laborare, proficere nos debemus, ut Deum, qui in omnibus virtutibus et eminentiis istis prorsus perfectionaliterque immensus est, æternaliter ac beatifice videamus?

Ps. CXLVI, 5. *Sap.* XVIII, 15. *Ps* XXXII, 9. *Joann.* I, 3. *Ps.* CXXXV, 4.

Tertia causa et ratio est, quoniam ipse Deus prior dilexit nos, non propter merita nostra, sed ex bonitate et pietate sua immensa : imo tam ineffabiliter nos dilexit, quod nec parentum, nec aliquorumlibet amicorum dilectio ad nos, comparari potest dilectioni Dei, qua nos gratiosissime prævenit. — Quarta ratio est, propter universa beneficia Dei, generalia et specialia, naturalia et supernaturalia, corporalia et spiritualia ; potissime quoniam Pater æternus proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, et quoniam Unigenitus Dei ita dilexit nos, et ex dilectione tradidit semetipsum pro nobis. De-

I *Joann.* IV, 10, 19. *Rom.* VIII, 32. *Galat.* II, 20.

Rom. v, 5. mum et Spiritus Sanctus non tantum charismata sua, sed et semet dedit et infudit cordibus nostris cum affluentia et dignatione misericordissima. O quantum diligeremus eum qui manum aut pedem abscisum aut erutos oculos restitueret nobis ! Quantæ ergo perversitatis et ingratitudinis est, non diligere Creatorem, a quo corpus et animam cum omnibus suis membris viribusque habemus, a quo esse, vivere, intelligere ac liberum velle sortiti sumus ?

Quinta ratio est, universitas promissorum cœlestium, omnis beatitudo ac gloria
I *Cor.* II, 9. sempiterna, utpote bona quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec mens comprehendere valet, quæ Deus omnipotens nobis promisit ac præparavit in cœlis. Si diligimus aliquem, quia ad cœnam delicatam aut nuptias nos invitavit : quantæ amentiæ et improbitatis putandum est, si non totis præcordiis illum diligimus qui ad tam beatissimam refectionem æternam nos invitare, eamque nobis polliceri ac præparare dignatus est ? — Sexta est, quoniam caritas Dei est in se ipsa tam nobilissima virtus, primo ac summe necessaria, et maxime meritoria, summe perornans, dignificans, ditans atque deificans hominem. — Occurrit præterea septima ratio Deum amandi, puta propinquitas quædam præcipua. Si enim cognatos, præsertim
Hebr. XII, 9. parentes, valde specialiter adamamus ex attinentia et propinquitate : quanto magis præamandus est Pater spirituum, Deus verus, a quo secundum animam immediate conditi sumus, qui et Pater noster appel- *Matth.* VI, 9. lari dignatur, imo et jubet ?

Sunt autem et aliæ multæ rationes amandi Deum. Nam et naturalis lex id requirit, naturalis hoc ratio dictat, omnis creatura instigat, Scriptura copiosissime exhortatur, fama decurrens accendit. Vere namque, ut ait Isaac Israelita philosophus in exordio libri Definitionum : Fama Dei sublimis est, imo et præclarissima. Etenim nihil de Deo cognoscimus, legimus vel audimus, nisi honestum, præclarum et amabile. Si ergo diligimus interdum aliquem quem nunquam conspeximus, ex solo rumore quo aliquid magni de ipso percipimus : quam summe amandus est Deus, de quo tot et tanta bona audivimus ?

Postremo de causis amandi proximos, *Cf.* p. 117 D' et s. etiam inimicos, aliqua sunt prætacta : quibus nunc breviter addi potest, ideo quoque proximos esse amandos, quia sine eorum vera et spirituali dilectione Deum diligere non valemus, et etiam propter dona gratiæ et virtutum quæ insunt aut eis inesse possunt. Si enim diligimus quosdam propter corporalem eorum pulchritudinem naturalem, pietatem aut ingeniositatem : quanto magis propter supernaturalia gratiæ dona incomparabiliter præstantiora diligendi sunt ? Sed et propter communionem naturæ, atque ob fidei ac Baptismi religionisque christianæ unitatem ac conformitatem, specialiter amandi sunt Christiani.

FERIA TERTIA PENTECOSTES

ENARRATIO IN EPISTOLAM

QUUM AUDISSENT APOSTOLI, ETC. Act. VIII, 14-17.

IN primitiva Ecclesia, in robur fidei et nascentis Ecclesiæ, qui baptizabantur, per impositionem manuum Apostolorum recipiebant signo aliquo visibili Spiritum Sanctum, nonnulli dona linguarum et varia alia dona : quæ tamen postquam confirmata est Ecclesia, non est modo necessarium ut optent vel sperent omnes fideles. Igitur :

Quum audissent Apostoli qui erant Jerosolymis, quia recepisset Samaria verbum Dei. Hoc enim, ut dicitur, Philippus eis insinuavit, rogans ut quidam eorum venirent Samariam ad imponendum manum baptizatis, quatenus in signo visibili reciperent Spiritum Sanctum. Nam manus imponere baptizatis, fuit officium Apostolorum, sicut et nunc episcoporum, qui sunt successores illorum. Ex quibus constat quod Philippus iste non fuit apostolus. *Miserunt ad eos Petrum et Joannem.* Si alii Apostoli miserunt hos duos principales Apostolos, cur Arius finxit unigenitum Dei Filium Patre esse minorem, quia a Patre est missus? *Qui quum venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum* cum signo sensibili, ut cum dono linguarum. *Nondum enim in quemquam illorum venerat* cum signo visibili. Invisibiliter tamen venit in eos, quia in Baptismo receperunt remissionem et gratiam justificantem, sicut nunc baptizati recipiunt. *Sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu.* Quod ait, « tantum », refertur ad nomen « baptizati » : ut sit sensus, quod sic erant baptizati quod nondum cum signo sensibili Spiritum Sanctum erant sortiti, id est cum signo demonstrante sensibiliter Spiritus Sancti infusionem. Quare autem et quo sensu in primitiva Ecclesia fiebat Baptismus in nomine Jesu Christi, dixi super Actus Apostolorum. *Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum Sanctum* cum signo visibili, sicut nunc dictum est, et cum plenitudine gratiæ amplioris, secundum quod majus aut minus ad hoc per mentis devotionem se disposuerunt.

Cf. *Act.* II, 38.

SERMO PRIMUS

QUOMODO PER BAPTISMUM ORIGINALE TOLLATUR PECCATUM ;
DE FOMITE, DE ÆQUALITATE ANIMORUM, ET AN PUERI NON BAPTIZATI SENSIBILEM PATIANTUR DE VITÆ ÆTERNÆ AMISSIONE DOLOREM.

ORAVERUNT *pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum : nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu.* Act. VIII, 15, 16.

Quum in Baptismo tollatur originale

peccatum, de remissione hujus proportionaliter loqui oportet sicut de remissione actualis peccati. Actus vero peccati duo inducit. Nam ratione aversionis a Deo, aufert gratiam; ratione autem conversionis ad caduca, fit dispositio in peccante ad simile malum. Et quoniam sponte gratia privatur, juste reatum pœnæ incurrit. Dum vero gratia restituitur, tunc simul macula tollitur, quæ in defectu gratiæ est; et obligatio ad pœnam, quæ reatus vocatur. Sed dispositio inducta non mox aufertur, sed minuitur : quoniam gratia ad bonum inclinat. Postea quoque per habitum virtutis dispositio prava corrumpitur. Conformiter in propagatione carnis, relinquitur in natura generati dispositio inclinans ad malum, quæ fomes vel concupiscentia dicitur : quæ attingens personam, reddit eam gratia Dei indignam. Unde relinquitur macula defectus gratiæ in anima, et reatus, ut scilicet præmio careat quod gratiæ debebatur. Porro gratia quæ in Baptismo donatur, infectionem a natura in personam devolutam tollit, scilicet maculam culpæ, et per consequens reatum, non tamen dispositionem ad malum, videlicet fomitem; sed minuit eam, quia gratia ad oppositum inclinat. Denique, in originali justitia erat aliquid sicut formale, scilicet rectitudo voluntatis : et secundum hoc opponitur ei deformitas culpæ. Erat quoque in ea aliquid quasi materiale, videlicet ordo rectitudinis impressus inferioribus viribus : et quoad hoc opponitur ei fomes. Licet ergo non reddatur homini in Baptismo originalis justitia quoad illud materiale, tamen rectitudo voluntatis per gratiam reparatur : et sic id quod culpæ est, tollitur, licet aliquid pœnale permaneat. Sciendum autem, quod in actuali peccato materiale, scilicet actus, est causa formalis quod in ipso est, scilicet maculæ actualis. Licet vero in originali peccato fomes materialiter se habeat ad originalem maculam, non est tamen causa ejus in eodem subjecto. Ideoque manente fomite, transeunt reatus et macula; sed in peccato actuali, non potest tolli macula actu manente.

Præterea, quum originale peccatum sit primo infectio naturæ, et deinde personæ, duplex ei pœna debetur. Una, in quantum est personæ (actus enim est suppositi), scilicet carentia visionis divinæ. Et hanc aufert Baptisma, cujus gratia ordinatur ad purgationem culpæ prout personam respicit. Alia vero pœna debetur originali peccato prout respicit naturam quam inficit, videlicet necessitas moriendi, rebellio carnis, et cetera quæ principia speciei consequuntur, et in omnibus sunt nisi per miraculum auferantur. Et istam non aufert Baptismatis gratia; sed aufert eam donum gloriæ, quando videlicet in futuro statu, natura in perfectam libertatem ac integritatem redibit.

Insuper de intensione et remissione fomitis intuendum, quod quum fomes immediate naturam respiciat, par oportet esse judicium de intensione fomitis atque naturæ. Natura autem dupliciter consideratur, videlicet : secundum essentialia et specifica sua principia, seu secundum rationem speciei, et sic æqualiter omnibus individuis inest; vel secundum quod perfectio naturæ redundat in individuum, quoad ea ex quibus sequuntur et causantur operationes individuorum, et sic secundum diversitatem complexionum, est unus homo potentior alio in operando et in intelligendo, etc. Si itaque consideretur fomes absolute prout naturam respicit, sic omnibus æqualiter inest. Nam subtractio illius quod omnes animæ vires ordinabat sub se invicem et sub Deo, omnibus uniformiter convenit. Si autem consideretur fomes prout in personam redundat, in quantum potentiæ sua rectitudine destitutæ, inordinate inclinant ad delectationes impuras; sic est in uno corruptio fomitis major quam in alio, secundum quod unus est proclivior alio ad aliqua vitia ex natura aut consuetudine. — Dictum est autem alibi, quod causa fomitis in prole non est delectatio concubitus parentum, sed

Cf. t. XXII, p. 429 A'.

habitualis concupiscentia, quæ ex voluntate primi parentis rationem culpæ sortitur.

In originali vero infectione, est considerare aliquid culpabile, in quantum videlicet defectus ille aliquo modo voluntarius est : et sic non est a Deo. Est quoque in ea aliquid per modum pœnæ, in quantum est defectus a quadam perfectione : et sic est a Deo, qui gratiam juste abstraxit, et naturam sibi ipsi reliquit. Est autem duplex pœna. Una quæ consistit in inflictione contrarii agentis, sicut pœna sensus : et hujus est Deus causa activa. Alia vero est in sola ablatione et defectu quodam, quemadmodum remotio gratiæ, et infectio ista : et harum pœnarum est Deus causa non activa, sed quia non influit quod potest. Et sic est Deus causa originalis infectionis, in quantum nobis non dat originalem justitiam quam contulit Adæ.

Si autem quis instet, quia secundum Magistrum, si angelus in primo instanti creationis suæ malus fuisset, sequitur quod Deus esset auctor ejus malitiæ. Quum ergo anima infundendo creetur et maculetur in primo instanti sui esse, est mala : ergo a Deo esset mala.

Sentent. II, dist. 3 F.

Respondendum, quod non est simile : quoniam angelus simplex est, et non est receptus in alio per quod maculam trahat ; anima vero propter corruptionem carnis quam informat, fit peccato obnoxia. Denique, licet infusio et creatio animæ simul sint, differunt tamen. Nam creatio dicitur per respectum principii a quo est anima ; infusio autem dicit respectum tam principii a quo, quam termini, scilicet materiæ quam perficit. Si ergo dicatur anima maculari creatione, falsum est, si ille ablativus designet causam ; si vero importat concomitantiam, sic verum est, quia dum creatur maculatur. Sic etiam infusione maculatur per concomitantiam, si infusio consideretur ratione principii a quo ; si autem dicat respectum ad id cui infunditur, tunc infusio est causa peccati.

Præterea, quum ad divinam sapientiam spectet, magis bonum commune procurare quam bonum privatum, non debuit omittere hominum genus multiplicare propter peccatum : sic enim ordini universi multum derogaretur, et subtraherentur multa bona. Rursus, prius non aufertur propter posterius, et ergo non debuit naturalis bonitas humanæ naturæ dimitti propter amissionem gratiæ et eorum quæ secuta sunt. Unde melius est hominem naturalem Dei bonitatem participare, quam omnino non esse : præsertim quum provisum sit homini, quomodo redire possit ad perditam gratiam.

Insuper advertendum, quod pœna inferni est duplex. Una, quæ aufert et impedit ea quæ ad perfectionem naturalem exiguntur : et hæc debetur actuali peccato. Alia vero est pœna, nil eorum corrumpens quæ homini secundum naturalia sua debentur, sed tollens aliquid quod propriam naturam hominis excedit, scilicet Dei visionem : et hæc juste debetur originali peccato.

Porro Magister dicit, quod sicut in angelis assignatur differentia, sic et in animabus humanis. Sed hoc videtur favere eis qui dicunt angelum et animam ex materia et forma compositos, et esse plures angelos unius speciei. Quæ quia aliis in locis destructa sunt, dicendum est, quod omnes animæ sint unius speciei, et non differant essentiali differentia, sed secundum dispositionem materiæ, per quam individuantur et multiplicantur. Quo enim fuerit corpus melius complexionatum, eo nobiliorem animam sortitur. Unde dicit Philosophus, molles carne, aptos mente. At vero duplex est materiæ diversitas, scilicet : partium speciei differentium, ut manus, pedis, capitis ; et hæc (secundum Averroem) est a forma, quæ utique requirit sibi proportionatam materiam. Alia est diversitas materialis tantum, non ad speciem, sed ad individuum pertinens ; et illa redundat in animam.

Sentent. II, dist. 32 I.

Cf. t. XXI, p. 186 A et s., 220 D et s.

Denique nullum defectum oportet a parentibus in prolem traduci, præsertim qui ex parte animæ sit, nisi qui ad naturam

pertinet. Hunc autem defectum originale peccatum induxit. Nam per ipsum discontinuata et intercisa est adhæsio mentis cum Deo : ex cujus interruptione facta est inferiorum disturbatio virium. Ex aliis autem peccatis actualibus causantur defectiones et corruptiones personam respicientes, in quantum peccator efficitur ad peccandum pronior. Ideoque actualia proximorum parentum peccata nullo modo in filios transeunt. — Sciendum est insuper, quod filius considerari potest dupliciter : primo, ut quædam persona ; secundo, ut res quædam patris, quia secundum Philosophum, ad felicitatem civilem inter alia bona fortunæ quæ organice conferunt, etiam filius confert. Est autem filius res patris secundum corpus quod ab ipso contraxit, et secundum res temporales de quibus filius patrem juvare tenetur ; secundum animam vero est res Dei. Unde *Ezech.* XVIII, 4. Ezechiel ait : Sicut anima patris mea est, sic et anima filii. Duplex quoque pœna consequitur peccatum. Una quoad animam, scilicet amissio gratiæ et turbatio conscientiæ in præsenti, in futuro pœna inferni : et talem pœnam nunquam sustinet filius pro parente. Alia pœna est peccati quasi per accidens, quæ etiam non semper infligitur, sed secundum moderamen divinæ providentiæ, ut corporales infirmitates et aliæ pœnæ temporales : et quoad has, redundat quandoque culpa parentum in filios, nisi forte filius sit peccato patris dissentiens et bene vivens. Et de hac pœna *Exod.* XX, 5. loquitur Scriptura, quæ ait, Ego Dominus zelotes, visitans iniquitates patrum in filios : quia hoc dictum est de pœna temporali, et filiis qui patrem realiter aut saltem per consensum imitantur. Et quidem in filio patrem in malo sequente, duplex est ratio pœnæ : tum quia patrem sequitur ; tum quia res patris est. Unde quandoque magis punitur quam pater. Nec istud est mirum, quia secundum humanam justitiam quandoque animalia occiduntur et domus effodiuntur propter peccata dominorum. Denique et populus quum sit res quædam regis, interdum pro peccato regis punitur, quemadmodum de David et Israele scriptum est. Tamen ut Gregorius asserit, tunc id potissime accidit, dum populus meretur ut regem malum habeat, vel in peccatum cadere relinquatur : et sic etiam pro propria culpa populus punitur. Verumtamen, secundum legem humanam non punitur filius pro patre in bonis quæ jam a patre accepit, sed quæ accepturus esset, sive quoad corpus, sive in possessionibus. Non enim pro peccato patris filius natus truncatur, vel emancipatus exheredatur. Sed accidentaliter pœna patris redundat in filium : [quoad possessiones], quia quod patri aufertur, filius haberet, si pater non peccasset ; et quoad membrum, quoniam ex truncatis nascuntur truncati. *II Reg.* XXIV.

Contemplandum præterea, quod quum originale peccatum sit privatio primordialis justitiæ, quæ omnes vires in Deum reduxit, et sibi invicem coordinavit ; ideo originale peccatum est unum dumtaxat, et respicit essentiam animæ, et per ipsum omnes vires deordinatæ sunt. In pluribus autem numero differt. Unde Anselmus dicit, quod originale peccatum est pronitas ad omne malum. Est tamen virtualiter multa peccata, in quantum ex eo actualia peccata causantur. Propterea Sancti quandoque ipsum pluraliter designant. Et quia secundum se unum est, ideo correspondet ei directe una pœna, scilicet carentia visionis divinæ. Et ceteræ pœnæ quædam per accidens consequuntur ipsum : quia aversa mente a Deo, justum erat corpus et sensus non obedire menti ; erit autem pœna correspondens culpæ. Originale vero peccatum non est per subtractionem alicujus quod homini naturaliter debetur, sed est carentia supernaturalis doni per quod ordinatus est homo ad consequendam vitam æternam. Originalis enim justitia erat naturam ad supernaturalem finem, scilicet Dei visionem, perducens. Ideo originali peccato nulla alia pœna debetur post hanc vitam, nisi pœna damni, videlicet carentia visionis beatæ.

Præterea acerbitas pœnæ sensualis delectationi peccati respondet. In originali autem peccato non est delectatio, quia nec operatio, sine qua esse non valet delectatio. Item, pœna sensualis pertinet ad ipsam personam. Originale autem peccatum est directe culpa naturæ. Unde sicut peccatum non est per suam operationem, sic nec pœna esse debet per suam passionem, sed per subtractionem illius quod naturam excedit, ad quod originalis justitia provexit. In bonitatibus itaque naturalibus nullum detrimentum habebunt [pueri sine Baptismo defuncti], propter originale peccatum. Nam et originale peccatum sicut minimum habet de voluntario, sic minime participat rationem peccati.

Porro corpora puerorum [istorum] post resurrectionem impassibilia erunt : non simpliciter, sicut corpora Beatorum, neque propter intrinsecam impotentiam patiendi, sed propter defectum exterioris agentis in ea. Omnis enim naturalis actio, maxime corruptiva, cessabit post diem judicii, cessante motu cœli; sed aget unum corpus in aliud, solum secundum ordinem divinæ justitiæ. Quod ergo ait Augustinus, pueros non baptizatos æterno supplicio puniendos, de pœna damni intelligi par est.

Præterea, quia secundum prædicta, dolor sensibilis correspondet delectationi, quæ in peccato originali nulla est, ideo oportet quod nullus dolor insit pueris non baptizatis, post hanc vitam, de privatione veræ felicitatis, nec exterior neque interior. Habebunt autem perfectam cognitionem eorum quæ naturali agnitione sciri possunt : unde cognoscent se visione Dei privatos ; causam quoque dignoscent. Non tamen dolebunt. Nullus enim rectæ rationis dolet se id non habere ad quod proportionatus non est : sicut non dolet homo quia volare non potest ; vel rusticus, quod imperator non est. Pueri vero sine Baptismo defuncti, nullam unquam proportionem sortiti sunt acquirendi vitam æternam, quia naturaliter eis non convenit, nec usum liberi arbitrii habuerunt, ut propriis actibus mererentur : ideoque de ejus amissione nihil dolebunt. Denique in pueris illis est recta ratio, quia peccato non erit obliquata, nec onere carnis gravata. Sed recta ratio non sinit quempiam turbari de hoc quod ipse vitare non potest. Et ex hoc Seneca probat, quod in sapientem turbatio cadere nequit. Pueri vero pœnam hanc damni nullo modo vitare valebunt : non ergo turbabuntur de ea. Imo gaudebunt, quoniam de naturali Dei bonitate multum participabunt, et naturali amore diligent eum. Nec dolebunt quod per alios ad Baptismum non pervenerunt, sicut nec pueri baptizati de hoc quod multa dona non perceperunt, quæ aliis multis ipsis similibus concessa sunt : hæc quippe ad superexcellentem gratiam pertinent. Vellent tamen esse cum Deo (si possibile foret) per gratiam, a quo secundum naturam separati non sunt. Unde nec vermem conscientiæ habent, nec desperatio cadit in eos.

ENARRATIO IN EVANGELIUM

AMEN, AMEN DICO VOBIS, QUI NON INTRAT PER OSTIUM, ETC. Joann. x, 1-10.

SALVATOR in præsenti evangelio per quamdam parabolam pandit errorem et falsitatem Pharisæorum, qui se jactabant eruditos et dignos aliorum rectores, dicens : *Amen, amen dico vobis*, o elati Pharisæi, *qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est et latro.* Hoc totum in corporalibus rebus ita se habet. Sed ista exponenda sunt spirituali-

ter secundum sensum a Christo intentum. In locutione quippe parabolica, qualis est ista, sensus principalis ac litteralis non est qui immediate per verba significatur, sed qui per ipsas res vocibus designatas insinuatur.

Est igitur intellectus : *Qui non intrat* spirituali seu corporali introitu, *per ostium,* id est ordinate per Christum, videlicet secundum Christi voluntatem, licite ac honeste, vel per fidem catholicam atque individuam caritatem, *in ovile ovium,* hoc est in Ecclesiam, in congregationem fidelium, ad præsidendum gregi dominico,

Hebr. v, 4. *sed ascendit aliunde,* id est, sibi ipsi assumit honorem, non vocatus a Deo tanquam Aaron. Idcirco ascendere dicitur, id est superbe intrare per ambitionem propriam, per aliorum intrusionem, per simoniacam pravitatem, per corruptam et non canonicam electionem, non sequens Christi vestigia, de quo ad Hebræos dicit Apostolus,

Ibid. 5, 6. quod non semetipsum clarificavit ut pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum : Tu es sacerdos in æternum. *Ille fur est et latro.* Furem appellamus qui rapit aliena. Indignus ergo prælatus qui per Christum non intrat ad præsidendum fidelibus, vel quicumque deceptor falsusque doctor credentium, est fur : quoniam populum Dei subtrahit Deo, quoniam suo pestifero documento seu pravo exemplo ac aliis modis, avertit fideles a Deo, et subjugat eos sibi, atque in suum commodum redigit eos, bona eorum consumendo, eorum servitute utendo, et ipsos tanquam mancipia possidendo, quemadmodum his Pharisæis

Matth. xxiii, 14. loquitur Christus : Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, quia comeditis domus viduarum. Hujusmodi itaque ascensor ovilis et ovium doctor, seu indignus prælatus et rector, gregem sibi conformat, et maximum damnum infert Christo, cujus prædilectam substantiam, pro qua ipse sanguinem fudit, taliter dissipat. Unde in

Eccli. x, 2. Ecclesiastico legitur : Secundum judicem populi, sic et ministri ejus ; et qualis est rector civitatis, tales et inhabitantes in ea.

A Jeremias quoque : Quoniam (inquit) stulte egerunt pastores, et Dominum non exquisierunt, propterea omnis grex eorum dissipatus est. Denique talis etiam dicitur latro, quoniam gregem fidelium spiritualiter strangulat, vitam gratiæ suffocando in eis, atque diaboli devorationibus eos exponendo, imo ad mortem æternam ducendo. Inducit enim eos ad vitia, quibus occiditur anima, gratiam amittendo et dæmonum dentes incurrendo. Adversarius enim noster diabolus tanquam leo rugiens B circuit, quærens quem devoret.

Jer. x, 21.

I Petr. v, 8.

Qui autem intrat præfatum ovile *per ostium,* id est per Christum, videlicet ordinate, caritative, humiliter, non quærens præesse vel dominari, sed prodesse et auxiliari, non quærens uti propria libertate, sed pro aliorum salute infatigabiliter laborare ; *pastor est ovium,* hoc est fidelium, re et nomine, quoniam verbo et opere pascit, confortat et recreat eos. Tales pastores Deus promisit apud Jeremiam : Dabo vobis pastores juxta cor meum, et pascent C vos scientia et doctrina. Ad hanc veram pastoralem perfectionem hortatur princeps Apostolorum in prima sua epistola, dicens : Seniores, obsecro, pascite qui in vobis est gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum, non turpis lucri gratia, neque ut dominantes in cleris, sed forma gregis facti, et ex animo.

Jer. iii, 15.

I Petr. v, 1-3.

Huic tam fructuoso pastori *ostiarius aperit,* id est, Spiritus Sanctus divinas veritates revelat, modum regiminis manifestat, et de omnibus necessariis instruit. Unde de ipso apud Joannem habetur : Quum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Igitur Spiritus Sanctus admittit, vel potius introducit, timoratum ac diligentem pastorem in sanctuarium sapientiæ sempiternæ, ut discat et sciat quomodo oporteat se conversari in domo Dei ; et illic dat ei gustare multitudinem dulcedinis suæ, ita ut rediens ad gregem dominicum sibi commissum, erudetet illis memoriam abundantiæ suavitatis

Joann. xvi, 13.

I Tim. iii, 15. *Ps.* xxx, 20.

Ps. cxliv, 7.

divinæ. Sicque de plenitudine sibi collata illuminat et accendit corda suorum.

Hac apertione Spiritus Sancti maxime indiget omnis pastor, et tanto amplius, quanto pluribus præest. Quum enim nemo sui ipsius possit operari salutem sine speciali atque continuo auxilio Spiritus Sancti, quomodo poterit suam et aliorum operari salutem, sine ingenti, singulari jugique ope Paracleti? Propterea oportet pastorem frequenter nimis ad Deum recurrere, ejus auxilium cum humili prostratione requirere, ut in omnibus dirigatur, moveatur et reguletur ab ipso, itemque ut Spiritus Sanctus corda subditorum docilia faciat, tangat, gubernet. Væ ergo dissolutis et intimoratis prælatis, qui se ad exteriora impudenter effundunt, qui non ponderant quam grave onus ipsis impositum sit, neque præcogitant quam Christo pro se suisque ovibus tribuant rationem. Isti non pensant illud Sapientiæ: Judicium durissimum in his qui præsunt, fiet. Ideo bene ait Chrysostomus : Quis est qui desiderat prælationem et curam animarum, nisi qui non timet judicium Dei?

Rom. XIV, 12 ; *Hebr.* XIII, 17. *Sap.* VI, 6.

Et oves vocem ejus audiunt, id est, electi subditi, qui sunt oves per prædestinationem æternam, talis pastoris doctrinam suscipiunt ac sequuntur. Humiliter enim et devote audiunt et observant verbum sui prælati tanquam vicarii Christi: quemadmodum Apostolus in suis epistolis sæpius gloriatur in Domino de suis discipulis seu populis a se conversis, quod suam prædicationem cum omni attentione et reverentia perceperunt. Quod utique omnem subditum oportet diligenter adimplere, quoniam prælatis loquitur Christus apud Lucam : Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit.

Rom. VI, 17; II *Cor.* IX, 2, 13; *Coloss.* I, 3-6 ; I *Thess.* I, 2-9 ; II, 13, 14. *Luc.* X, 16.

Et proprias oves vocat nominatim, id est, singulos subditorum suorum determinate cognoscit, ad meliora hortatur, ad felicitatem invitat, omnium mores pensando, quid singulis expediat perpendendo, cunctis familiariter condescendendo, unicuique secundum propriam capacitatem ac indigentiam providendo, subveniendo et influendo, quemadmodum Salomon admonet in libro Proverbiorum : Diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuosque greges considera. Quemadmodum enim medicus corporum dispositiones, complexiones, atque morborum diversitates in languido pensat, quatenus unicuique medicamentum suæ dispositioni ac morbo proportionatum apponat (quod enim uni prodesset, obesset alteri); sic prælatus et pastor, quum sit medicus animarum, attendere debet inclinationes, motus et studia singulorum, sicque unumquemque a malo retrahere et ad virtutes provehere per media aptiora : quod non est parum difficile. Propter quod convenienter ait Gregorius : Ars artium est regimen animarum. Et magna valde perfectio, exercitatio, unctio, discretio, exigitur ad bonum prælatum. Unde in Deuteronomio loquitur Moyses : Date ex vobis sapientes et gnaros, quorum conversatio sit probata in tribubus vestris, et ponam eos vobis principes. *Et educit eas,* de via ad patriam, de carne ad spiritum. Educit insuper eas ad pascua alimoniæ spiritualis, ad panem vitæ et intellectus, ad panem sacramentalem, ad divinorum contemplationem.

Prov. XXVII, 23. *Deut.* I, 13. *Eccli.* XV, 3.

Et quum proprias oves emiserit, id est, prædicto modo eduxerit, atque de tenebris ignorantiæ et peccati in lucem veritatis ac splendorem virtutum transtulerit, *ante eas vadit,* id est, in via Dei ipsas exemplariter præit, et in virtuosa conversatione excedit, faciendo quod docet, et non verbo dumtaxat, sed opere quoque viam monstrando, quemadmodum ad Timotheum Paulus ait : Esto exemplum fidelium in verbo, in conversatione, in caritate; profectus tuus manifestus sit omnibus : hæc enim faciens, te ipsum salvum facies, et eos qui te audiunt.

I *Tim.* IV, 12, 15, 16.

Denique, quum prælatus sit quasi signum ad quod omnium oculi subditorum diriguntur, ideo nihil tantum ædificat subditos, vel tantum confert ad omnem virtutum profectum, ut bona et irrepre-

hensibilis vita pastoris. Frequens namque occursus et quotidianus adspectus in habitum vertitur, atque in cordibus subditorum veram in virtutibus constantiam operatur. Oportet ergo prælatum in virtute et sapientia stabilem esse, ne passionibus agitetur, ne personarum acceptor sit, ne unum præ alio palpet vel tribulet, ne privato amore vel odio corrumpatur ; sed Deum semper præ oculis habeat, jugiter formidet, ne per suam imperfectionem aut injustitiam aliquem ex sibi commissis scandalizet. Prælatus quippe est judex et caput sive principium gregis sui. Judex autem, secundum Philosophum, debet esse quasi animata justitia vivaque lex, nusquam ab æquitatis tramite devians. Primum quoque, in omni ordine, est mensura et regula posteriorum. Mensuram vero et regulam necesse est esse uniformem ac simplicem : aliter non possent alia per eam mensurari ac regulari. Sit ergo prælatus uniformis, fixus et simplex, non simulator et callidus, sed mitis et humilis.

Et oves illum sequuntur, tanquam ducem prædignum, id est, operibus illius se conformant, ejusque verbis obtemperant, quemadmodum ad Hebræos docet Apostolus : Obedite præpositis vestris, et subjacete illis ; ipsi enim pervigilant tanquam rationem pro animabus vestris reddituri. Bonus ergo pastor bonas efficit oves, oviumque vitia et defectus maxime accidunt ex negligentia atque insufficientia præsidentis. Propter quod maximum Dei donum est, habere virtuosum prælatum. Unde videmus quod in veteri Testamento, tempore judicum et regum, quando judex vel rex bonus fuit, populus Israel Domino ministravit ; sed rege vel judice impie conversante, populus quoque communiter vixit inique, insistendo frequenter idololatriæ. *Quia sciunt vocem ejus,* id est, doctrinam ejus per approbationem cognoscunt. *Alienum autem,* id est seductorem pestiferumque doctorem, schismaticum sive hæreticum, vel impium Christianum, *non sequuntur,* id est, ejus doctrinis non acquiescunt, nec opera sequuntur ; *sed fugiunt ab eo,* id est, animo illum detestantur, vel etiam interdum corpore se elongant ab ipso, ne cum perverso perver- *Ps.* XVII, 27. tantur. Qui enim tetigerit picem, inquina- *Eccli.* XIII, 1. tur. Et Apostolus : Exite (inquit) de medio *II Cor.* VI, 17. illorum, et immundum ne tetigeritis. *Quia non noverunt* per approbationem et imitationem, *vocem alienorum,* id est verba fallacium.

Totum hoc intelligendum est de ovibus non solum secundum præsentem justitiam, sed et secundum prædestinationem divinam, et de auditu seu fuga vel cognitione finali. Certum est enim quod multi electi ad tempus errant, et hæreticorum vel aliorum deceptorum doctrinas advertunt ; sed finaliter pœnitent, et in Christi sermone diem claudunt extremum. Similiter multi præsciti, ad tempus verba bonorum advertunt pastorum, et alienorum vocem abhorrent ; sed non perseverant usque in finem, nec implent illud Apostoli : Doctrinis variis et peregrinis nolite *Hebr.* XIII, 9. abduci ; et, Optimum est gratia stabiliri *Ibidem.* cor. Vel loquitur Christus de ovibus formaliter, hoc est, in quantum sunt oves, non materialiter. Formaliter enim de eis loquendo, non errant, quemadmodum ar- *Matth.* VII, bor bona non potest facere fructus malos. 18.

Hoc proverbium, id est similitudinem istam, vel sermonem hunc parabolicum, *dixit eis Jesus. Illi autem* Pharisæi *non cognoverunt quid loqueretur eis,* id est, quid per verba prædicta significaret. Certi enim fuerunt quod intentio ejus finalis non erat de pecoribus. *Dixit ergo eis iterum Jesus,* qui novit ignorantiam illorum. Exposuit ergo proverbium istud pro parte. Expositio namque non intelligentibus est necessaria. *Amen, amen dico vobis, quia ego sum ostium ovium,* hoc est porta, secundum proprietatem quamdam, per quam electi intrant in societatem Ecclesiæ militantis, et deinceps ad consortium Ecclesiæ triumphantis. Christus quoque est ostium per quod intramus ad Patrem, nunc per fidem et gratiam, tunc vero per spe-

Hebr. XIII, 17.

Joann. XIV, 6. ciem. Propter quod ait : Ego sum via, veritas et vita ; nemo venit ad Patrem nisi
Ephes. II, 18. per me. Itemque Apostolus : Per ipsum (inquit) accessum habemus ad Patrem ; et
Hebr. XIII, 15. rursus, Per ipsum offeramus hostiam laudis Deo semper. Christus ergo est ostium, quia per ejus auxilium incorporamur Ecclesiæ, ad patriam devenimus, Deo immediate unimur. Propterea Petrus testatur :
Act. IV, 12. Neque enim datum est hominibus aliud nomen sub cœlo, in quo oporteat eos salvos fieri. Dicitur autem Christus ostium,
Joann. I, 29; *Apoc.* V, 5; I *Cor.* X, 4; *Apoc.* XXI, 23. per similitudinem quamdam, quomodo dicitur agnus, leo, petra, lucerna.

Omnes quotquot venerunt, fures sunt et latrones. Non absolute de omnibus loquitur Christus, quia alio loco laudavit Joannem Baptistam et Moysen : sed de quibusdam pseudoprophetis qui non longe ante
Joann. V, 35, 46. Christi adventum venerunt, quales fuerunt Theodas et Judas Galilæus, de quibus
Act. V, 36, 37. scribitur in Actibus Apostolorum ; vel de omnibus qui sine Christo, hoc est sine Dei verbo, venerunt, non missi a Deo, sed proprio sensu se ingerentes. De qualibus
Jer. XXIII, 21. Dominus ait per Jeremiam : Ipsi currebant, et ego non misi eos. *Sed non audierunt eos oves,* id est, finaliter ipsis non consenserunt, quamvis forte ad tempus deceptæ sint.

Ego sum ostium (sicut nunc dictum est). *Per me si quis introierit,* id est, qui secundum doctrinam et vitam meam conversatus fuerit, qui per fidem et gratiam meam congregationi fidelium se junxerit, si quis intima mihi caritate inhæserit, *salvabitur,* hoc est, æternam beatitudinem consequetur, nuncque a peccatis purgabitur : aliter Christus non esset Salvator.
Act. XV, 11. Unde in Actibus Petrus disseruit : Per gratiam Domini nostri Jesu Christi credimus salvari. *Et ingredietur, et egredietur,* id est, in latitudine caritatis et spiritus libertate versabitur, quia lex Christi est
II *Cor.* III, 17. lex amoris, et ubi Spiritus Domini, ibi libertas. Itaque ingredietur, redeundo ad propriam conscientiam, examinando se ipsum, atque interioribus virtutum theologicarum actibus insistendo ; et egredietur de habitu virtuoso in opus meritorium, de cognitione ad operationem, de via ad patriam. Egredietur quoque ad proximos, illis misericorditer condescendendo, consulendo, subveniendo, quemadmodum dicit Apostolus : Alter alterius onera portate ; *Galat.* VI, 2. et, Non quæ sua sunt singuli considerantes, sed quæ aliorum. Egredietur demum quotidie, levando se super se, ut sit *Philipp.* II, 4. conversatio sua in cœlis, omnibusque terrenis ac sensibilibus rebus transcensis, *Thren.* III, 28. *Philipp.* III, 20. sola cœlestia, spiritualia et æterna contempletur, amet, recogitet, omnia arbitrans ut stercora propter eminentem scientiam Christi. *Ibid.* 8.

Et pascua, id est spiritualia alimenta, copiose *inveniet* in præsenti et in futuro. Nunc enim quotidie reficitur corpore et sanguine Salvatoris, incremento virtutum, consolatione interna, rivis sapientiæ, ceterisque donis et charismatibus Spiritus Sancti. His bonis anima se ipsam diligenter custodiens, ut Sponso suo cœlesti incontaminatam se exhibeat, feliciter impinguatur et confortatur, ita ut cibum fastidiat corporalem omnemque consolationem carnalem et sæcularem. Porro in patria inveniet pascua illa uberrima, quæ oculus non I *Cor.* II, 9. vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt : ubi Deus est omnia in om- *Ibid.* XV, 28. nibus, omnesque Beati de ejus fruitione contentantur et superdulcissime satiantur.

Fur non venit, id est, seductor indignusve pastor non accedit fideles, *nisi ut furetur,* id est, oves Christi subtrahat Christo, et officium sibi indebitum præsumptuose usurpet. Quamvis enim dicat se hoc non intendere, tamen male agendo et debita omittendo, hoc facit. *Et mactet, et perdat,* id est, spiritualiter occidat, atque ad sempiternum perducat interitum. Tales sunt negligentes prælati, carnales, avari et ambitiosi, quibus Dominus ait per Ezechielem : Væ pastoribus qui pasce- *Ezech.* bant semetipsos. Lac comedebatis, et lana XXXIV, 2, 3, 10. operiebamini, gregem autem meum non pascebatis ; ego Dominus requiram gregem

meum de manu eorum. *Ego veni* in mundum per incarnationem, et in publicum per prædicationem, *ut* oves *vitam* gratiæ *habeant* in præsenti, *et abundantius habeant,* id est, plenam felicitatem seu vitam gloriæ sortiantur in patria. De qua abundantia abundantique gloria cecinit Isaias : Gaudium et lætitia invenietur in ea, gratiarum actio et vox laudis ; itemque, Lætitia sempiterna super capita eorum, gaudium et lætitiam obtinebunt, et fugiet dolor et gemitus. *Is.* LI, 3. *Ibid.* 11. *Ibid.* XXXV, 10.

SERMO SECUNDUS

DE FIDE ET RATIONIBUS CREDENDORUM.

EGO sum ostium ; per me si quis introierit, salvabitur. Joann. X, 9.

Quemadmodum in libro de Fide et legibus Guillelmus Parisiensis declarat, Deus requirit a nobis ut intellectum nostrum offeramus ei in sacrificium, subdendo eum auctoritati divinæ in his quæ rationem transcendunt, consentiendo credendis hoc solo intuitu quoniam Deus hoc exigit et testis est veritatis, ita ut suspendamus propriæ rationis discussionem atque judi-
II *Cor.* X, 5. cium. Propter quod scribit Apostolus : In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi. Hinc idem Apostolus ad Hebræos fidem subtiliter, sed
Hebr. XI, 1. obscure, definiens : Fides (inquit) est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium. Quam definitionem doctores exquisite explanant : quod brevitati studens, dimitto. Verum in secunda secundæ, quæstione quarta, Thomas testatur :
art. 1. Definitio illa Apostoli potest in formam hanc redigi ac clarius exprimi : Fides est habitus mentis quo inchoatur vita æterna in nobis per assensum supernaturali veritati. Denique definitioni Apostoli consonat descriptio fidei quam septimo de Divinis nominibus capitulo tradit divinus Dionysius, dicens : Fides est manens credentium fundamentum, collocans eos in veritate, et veritatem in ipsis. Augustinus quoque : Fides, ait, est virtus qua creduntur quæ non videntur. Et Damascenus : Fides est consensus non inquisitivus. Potest item fides sic clare definiri : Fides est virtus supernaturalis infusa, intellectum illuminans, et inclinans ad consentiendum veritatibus Scripturarum transcendentibus rationem, intuitu summæ et increatæ veritatis, videlicet ideo quia revelatæ sunt a Deo. Hinc septimo de Divinis nominibus S. Dionysius ait : Est autem fides circa æternaliter subsistentem ac simplicem veritatem.

Itaque fides est radius primæ et increatæ veritatis, inchoatio futuræ beatificæ visionis, oculus mentis dirigens eam ut sciat ad quid omnia opera sua debeat ordinare, et in quo suam debeat figere intentionem : quia de ultimo fine et vera beatitudine erudit eam. Ideo asserit Augustinus in libro contra Julianum, quod nulla est vera virtus nisi fide supposita, quoniam fides ostendit omni virtuti debitum finem. Hinc quoque per se loquendo, fides dicitur omnium virtutum prima. Virtutes namque theologicæ ceteris sunt priores ordine naturali ac dignitate, quia earum objectum est ultimus finis. Finis autem in agibilibus, est sicut principium in speculabilibus, eo quod finis primum sit in intentione, moveatque agentem ad operandum. Sed necesse est ultimum finem prius esse in intellectu per cognitionem, quam esse possit in voluntate, in qua est per spem et caritatem. Intellectus etenim movet et excitat voluntatem, quæ

de se cæca perhibetur : cujus et objectum est bonum intellectivum, id est intellectualiter cognitum, secundum Philosophum. Quum itaque naturalis cognitio Deum attingere nequeat secundum quod est veræ et supernaturalis felicitatis objectum, oportet ut homo uniatur Deo optimo per fidem.

Ex quibus patet responsio ad quæstionem qua aliqui curiose et anxie quærere solent, an in philosophis et aliis quibusdam gentilibus, quorum quidam dicuntur fuisse quasi viri heroici, fuerint veræ virtutes. Et videtur quod imo, quia totis viribus videntur fuisse intenti virtutibus. Oppositum tamen apparet, quoniam non fuerunt fideles, sed infideles, et per consequens vitiosi, atque in statu damnationis. — Ad quod respondetur, quod habuerunt virtutes naturales et acquisitas, quæ tamen non attingunt ad perfectam rationem virtutis, quia non faciunt suum subjectum simpliciter bonum Deoque gratum, aut capax salutis, sed simul stant cum peccato mortali : imo fides informis, quæ scilicet non ornatur caritate aut actibus bonis, non est perfecte ac proprie virtus, *Jacob.* II, 17. sed mortua est in se ipsa.

Præterea, sicut in secunda secundæ, art. 5. quæstione secunda, Thomas declarat, quantum ad prima credibilia, quæ sunt articuli fidei, omnes tempore legis evangelicæ tenentur habere fidem explicitam. Idcirco de symbolo fidei ab Apostolis edito instruendus est populus, tamen sine curiosa subtilitatum ac difficultatum fidei discussione. Verumtamen, sicut rursus in secunda secundæ, quæstione decima, sanctus art. 7. Doctor rationabiliter docet, non expedit coram simplicibus et idiotis disputare de fide, aut infidelium perfidias recitare, nisi forte simplices essent male informati, aut sollicitati, vel quasi dubitantes de fidei veritate. Simplices quippe communiter sunt tanto firmiores in fide, quanto minus audierunt aliquid fidei suæ contrarium, et quo amplius putant omnes credere quod ipsi credunt.

Insuper, quamvis ea quæ fidei sunt, ratione demonstrativa nequeant comprobari, evidenter tamen et insolubiliter potest probari quod vera sint, utpote a Deo revelata, attestata et confirmata : quod per miracula soli omnipotenti Deo possibilia, quæ ad fidei christianæ corroborationem copiosissime facta sunt, comprobatur. Nulla equidem secta aut lex habet hujusmodi argumenta, nisi lex christiana. Fides quoque catholica a principio mundi habuit diversa miracula. Primo in lege naturæ, ab Abel, Enoch, Noe, Abraham, et consimilibus. Deinde in populo Israelitico, tempore Moysis et aliorum Sanctorum veteris Testamenti, aucta sunt vera miracula in Ægypto, in mari Rubro, in deserto, in Jordane, in terra promissionis ; et usque ad Christi adventum habuit populus ille interdum miracula ac Prophetas. Deinde Christus per se ipsum innumerabilia præclarissima fecit miracula, quæ et in ejus passione mirabiliter aucta sunt, facta eclipsi tempore oppositionis, quo luna exstitit plena. Christus quoque suis discipulis de- *Luc.* IX, 1. dit virtutem faciendi miracula, etiam multo plura atque majora quam ipsemet fecit. *Joann.* XIV, Quumque Judæi animo obstinato repulis- 12. sent Apostolorum prædicationem, translata sunt omnia illa mirabilia a Synagoga, per Apostolos aliosque primitivos fideles, ad Ecclesiam Christi ex Judæis gentibusque collectam, et usque in præsens perseverant. Atque frequenter innovata sunt miracula illa, incomparabiliter plus quam unquam in Synagoga, in tantum quod inter atrocissimas tyrannorum persecutiones fides christiana maxime crevit, et miro modo prævaluit ; quamvis interdum per infidelium violentias propter peccata Christianorum permiserit Deus Ecclesiam Christi in pluribus locis vastari ac minorari.

Amplius, finalis ista Judæorum relictio, et item quod universa quæ de Christo credimus, ostendimus in veteri Testamento a sanctis Prophetis copiose ex divina revelatione prænuntiata, certissime probant sanctæ fidei veritatem ; sed et alia multa, de quibus in aliis diversis tractatibus multa

conscripsi, de quibus et Guillelmus Parisiensis, et auctor Summæ virtutum ac vitiorum, subtiliter scribunt. Sanctissima demum conversatio Christianorum, qui a principio Ecclesiæ usque nunc fecerunt miracula, a quibus luce clarius scimus omnem magicam artem fuisse penitus alienam, certum est argumentum veritatis fidei christianæ.

Postremo circa hæc, una oritur quæstio, an scilicet expediat ita diligenter attendere et narrare ea quæ fidei roborant veritatem. Et videtur quod non, quum dicat S. Gregorius : Fides non habet meritum, cui ratio humana præbet experimentum. Quo sequi videtur, quod quanto fidei veritas clarius comprobatur, eo plus credendi meritum amittatur.

Ad hoc B. Thomas in secunda secundæ, art. 10. quæstione secunda, respondet, quod humana ratio potest se habere ad fidei probationem dupliciter. Uno modo, antecedenter et quasi causaliter, ita quod homo non crederet, nisi ex ratione induceretur humana : sicque rationis discursus diminuit aut penitus tollit fidei meritum. Alio modo, consequenter, ita quod homo prompte crederet, hujusmodi ratione non audita, propter auctoritatem divinam ; sed quoniam diligit fidei veritatem, clarius eam cupit cognoscere, ideoque libenter legit, audit et pensat ea ex quibus in ejus cognitione crescere, roborari inflammarique potest : et hoc meritum fidei auget. Unde inducta Gregorii auctoritas intelligenda est, quando homo non habet promptam voluntatem credendi nisi ex vi rationis humanæ.

Hoc quoque scire oportet, quod ea quæ fidem impugnant, sive sit interior consideratio, sive exterior persecutio, tanto plus meritum fidei augent, quanto plus in eorum resistentia ostenditur voluntas ad credendum Deo promptior atque robustior. Hinc beatissimi martyres maximum habent fidei meritum, deinde viri ingeniosi et eruditi, qui nec propter argumenta hæreticorum, nec propter doctrinas philosophorum, nec ex propriis considerationibus recedunt a fide, proprium ingenium Deo mactantes. Denique, etsi articuli fidei sigillatim, seorsum et per se considerati, videantur quasi incredibiliter resonare, tamen dum omnia quæ fidei sunt, cum suis rationibus, fundamentis ac declarationibus comportantur, nihil rationabilius, nihil subtilius, nihilque certius fide catholica invenitur. Quemadmodum enim (secundum Philosophum) in exercitu unus roboratur et fulcitur ex alio, ita eorum quæ fidei sunt, unum fulcitur, declaratur et confirmatur ex alio.

SERMO TERTIUS

DE SPE ET EJUS PROPRIETATE AC OPERATIONE.

Rom. v, 4. *Spe salvi facti sumus.* Rom. VIII, 24. Super illud ad Romanos, Probatio vero spem, Haymo ait : Spes est certa exspectatio futuræ gloriæ. Hinc Magister Sen- dist. 26. tentiarum, libro tertio, spem ita definit : Spes est certa exspectatio futuræ beatitudinis, ex gratia Dei et propriis provenieus meritis. Quocirca quæri potest, quomodo spes dicatur ex meritis propriis provenire, quum infundatur a Deo, nec ante ejus infusionem possit quis promereri. Respondetur, quod definitio ista potius datur de actu spei, videlicet de ipsa speratione, quam de virtute seu habitu spei. Hinc virtutem spei Thomas de Argentina et alii quidam ita definiunt : Spes est audacia

mentis, de largitate Dei concepta, habendi vitam æternam per merita bona. Verumtamen ista definitio non plus videtur competere virtuti spei, quam prima : spes namque habitualis, quæ est virtus infusa, non est audacia mentis concepta de largitate Dei, sed prævenit talem mentis conceptionem, et parit illam audaciam, quanquam proprie loquendo, audacia sonet malum. Potest ergo spes habitualis ita definiri : Spes est virtus theologica infusa, per quam rationalis creatura viatrix præstolatur obtinere a Deo æternam salutem per adjutorium gratiæ et meritorios actus. Et potest definitio ista convenire non solum spei formatæ, sed etiam spei informi. Fides quippe et spes possunt esse informes, id est sine caritate et meritoriis actibus : quoniam secundum essentias suas manent in peccatore, caritate amissa, nisi in hæresim aut perfidiam cadat. Itaque per spem informem præstolatur homo obtinere a Deo æternam salutem per adjutorium gratiæ et meritorios actus : quam gratiam et quos actus non habet, sed acquirere et exercere proponit, confidit, vel habere se putat; quemadmodum aliquis confidit se adepturum necessaria victui per pecuniam, quamvis non habeat ipsam pecuniam, sed laborando aut alio modo proponat eam acquirere. Porro per spem formatam præstolatur homo salutem per auxilium gratiæ et actus bonos quos habet. Prima autem definitio spei non competit nisi spei formatæ, seu actui ejus formato, videlicet ex caritate procedenti.

Insuper spes potest sic definiri : Spes est virtus infusa, per quam viatoris voluntas fertur in Deum tanquam in beatificum objectum nondum adeptum. Attamen sicut de fide præcedenti sermone tangebatur, quod scilicet fides informis non attingit perfectam rationem virtutis, ita de spe informi tenendum est. Potest tamen dici quodammodo virtus; præsertim quoniam spes informis spesque formata realiter idem sunt, sicut et fides informis et fides formata, non obstante quod dominus Antisiodorensis in tertia suæ Summæ asserat parte : Fides informis et fides formata non sunt ejusdem speciei, quia circumstantiæ sunt de esse virtutis, quum in definitione virtutis ponatur, in medietate exsistens. Et idem doctor ille dicere habuit de spe. Sed non concludit quod ait, et est contra communem theologorum doctrinam.

Cf. p. 133 B.

Verumtamen ultima, quam posui de spe, definitio, declarari potest ex dictis doctoris illius. Nam ait in Summa sua : Deus est tripliciter finis et objectum theologicarum virtutum. Est etenim finis et objectum fidei, ut prima lux et prima sapientia; spei autem, ut summe largus atque omnipotens; caritatis vero, ut summa bonitas ac dulcedo. Nec solum iis modis est finis theologicarum virtutum, sed etiam principium et causa efficiens earumdem. Consideratio namque primæ veritatis generat fidem, id est fidei actum; consideratio summæ largitatis et omnipotentiæ, parit spem; consideratio summæ bonitatis ac suavitatis, generat caritatem. Cetera quoque quæ dicuntur de Deo, reducuntur ad ista : ideo non sunt nisi tres virtutes theologicæ. Iterum scribit : Non delectamur immediate in Deo, nisi virtutibus theologicis. Idcirco non sunt nisi tres virtutes theologicæ, quia non sunt nisi tres modi delectandi in primo et summo delectabili, scilicet : per modum æstimationis, quod fit per fidem; per modum confidentiæ, quod fit per spem; et per modum conjunctionis, quod fit per caritatem.

Præterea quæritur circa prædicta, qualiter spes dicatur certa exspectatio felicitatis futuræ, ex gratia Dei ac propriis meritis proveniens, quum absque divina revelatione nemo sit certus se esse in gratia gratum faciente, aut meritorios actus habere, quos constat sine caritate haberi non posse.

Respondetur secundum Thomam, Richardum, et alios quosdam, quod certitudo spei attenditur ex parte omnipotentis misericordiæ Dei, qua certum est quod

ex parte ipsius non erit defectus nostræ salutis. Verumtamen certitudo ista non est certitudo demonstratæ naturaliter scientiæ, sed fidei, quæ habet certitudinem adhærentiæ, non evidentiæ ; certitudinem quoque ex parte infallibilis sui objecti, quod est incommutabilis veritas. Denique teste Apostolo, Spiritus Sanctus testimonium perhibet spiritui nostro, quod sumus filii Dei. Atque ut ait Bernardus, de homine alacri ac fervido in divino obsequio non est dubitandum quin in caritate exsistat ; sicque secundum Bonaventuram in Scripto tertii, habetur certitudo probabilis quod habeat merita, ex quibus confidere debeat. Nihilo minus, secundum Thomam de Argentina, certitudo ista quamdam formidinem habet annexam : propter quod devoti inter timorem et spem fluctuare ac moli dicuntur. Siquidem timent ex consideratione propriæ defectuositatis et culpæ atque incerti status sui, et maxime quia ignorant qualiter finient cursum suum ; sperant vero ex consideratione pietatis divinæ. Sicque timor spem deprimit, ne sit nimis secura et præsumptuosa reddatur ; spes vero timorem erigit, ne in pusillanimitatem aut desperationem labatur. Hinc Antisiodorensis dicit in tertia parte Summæ suæ : Timor et spes sunt duæ molæ, inter quas moli (id est ab omni pravitate frangi ac conteri) debet quilibet Christianus, ut fiat et sit mundus panis Christi. Timor quippe tanquam mola inferior reprimit spem, ne luxuriet in præsumptionem ; spes autem tanquam mola superior elevat timorem, ne ruat in desperationem.

Rom. VIII, 16.

A

B

C

D

Rursus oritur quæstio circa præhabita. Sancti enim ac devotissimi viri frequenter professi sunt totam spem suam esse in misericordia Dei, nec se in propriis actibus aut viribus aliquo modo confidere. Unde et super illud in Psalmo, Salvabit eos, quia speraverunt in eo, sic scribunt : Quibus actibus, quibus meritis eos salvabit ? Et respondent : Quia speraverunt in eo. Quomodo ergo spes dicitur certa exspectatio gloriæ, non solum ex gratia, sed ex meritis quoque proveniens ?

Ps. XXXVI, 40.

Et respondendum, quod sancti ac devotissimi viri ita locuti sunt, quoniam principaliter in Dei pietate et gratia sunt confisi : non quod sine propriis meritis putaverunt se posse salvari, quum dicat Gregorius, Spes sine meritis præsumptio est ; sed quia et ipsi merita sua cognoverunt esse Dei dona, eaque Deo totaliter adscripserunt. Hinc ait Bernardus super illud, Tu es, Domine, spes mea : Quidquid agendum, quidquid declinandum, quidquid tolerandum, quidquid optandum occurrit, tu es, Domine, spes mea. Hæc una mihi omnium promissionum est causa, hæc tota ratio exspectationis meæ. Prætendat alter meritum, sustinere se jactet pondus diei et æstus, jejunare se bis in sabbato dicat, postremo non esse sicut ceteri hominum glorietur ; mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam.

Ps. XC, 9.

Matth. XX, 12.

Luc. XVIII, 12, 11.

Ps. LXXII, 28.

Amplius, circa hæc quærunt Alexander de Hales et Antisiodorensis in Summis suis, an spes sit mercenaria. Videtur quod imo, quia intuitu sui commodi seu proprii præmii operatur : quod videtur puritati caritatis contrariari. — Respondetur, quod spes perfecta nequaquam contrariatur sincerissimæ caritati, quia non quærit præmium suum nisi in Deo, et propter Deum, et secundum Deum. Quærit enim beatitudinem ad Dei honorem et gloriam, quoniam sine beatitudine non potest homo plene uniri Deo prout caritas cupit, et quoniam Deus id jussit.

Debemus ergo in Deo confidere, et confidendo medium observare, ut nec ex consideratione propriæ defectuositatis, vitiositatis et insufficientiæ desperemus, nec ex consideratione infinitæ misericordiæ Dei inaniter præsumamus, aut in spe peccemus : sed quidquid boni potest manus nostra, instanter ac indeficienter exercere debemus. Nempe ut Climacus ait : Peccantibus persuadet diabolus Deum esse misericordem, et omnia posse peccata in fine deleri, ut sic eos in peccatis detineat ; pœ-

Eccle. IX, 10.

nitere autem volentibus atque agonizantibus suggerit infinitum esse rigorem divinæ justitiæ, ut ad desperationem eos inducat.

Porro quam fiducialiter debeat omnis homo sperare, probatur ex multis. Primo, ex infinita bonitate, pietate, munificentia et misericordia Dei, quæ omnem nostram malitiam et offensam infinite excedunt. Secundo, quoniam Deus in Scripturis tam uberrime nos hortatur ut confidamus in Deo, nec fallaciter agit hoc. Tertio, quoniam universis pœnitentibus et ipsum invocantibus, misericordiam suam veniamque promisit. Quarto, quoniam Pater æternus unigenitum Filium suum voluit pro nobis incarnari, in mundo conversari ac mori. Quinto, quoniam Filius Dei pro nostra salute tot et tanta fecit ac pertulit. Sexto, quoniam innumerabilia beneficia corporalia et spiritualia, generalia et specialia, naturalia ac supernaturalia jam contulit nobis. Septimo, quoniam multis gravissimis peccatoribus ineffabilem misericordiam fecit, et maximam gratiam condonavit, ut constat de multis Sanctis utriusque Testamenti. Octavo, quoniam multa et magna subsidia nobis parata sunt, scilicet Virginis gloriosæ, angelorum sanctorum, et ceterorum civium supernorum.

AD RELIGIOSOS

SERMO QUARTUS

QUO STUDIO RELIGIOSI CONATUM ADHIBERE DEBEANT, UT IN DEI AMORE IN DIES MAGIS MAGISQUE PROFICIANT.

ESTOTE imitatores Dei sicut filii carissimi, et ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos. Ephes. v, 1, 2.

Aristoteles ait in Ethicis : Quid est virtus scrutamur, non ad hoc finaliter ut sciamus, sed ut boni reddamur. Siquidem finis virtutis est praxis, non speculatio : nisi quod ultimatus universarum finis virtutum est contemplatio summæ veritatis sincera, præsertim beatifica visio illa in patria. Ad hoc itaque præinductorum de caritate cognitio est ordinanda, ut proficiamus et exerceamur, inflammemur atque perficiamur in illa.

Sunt itaque diversæ viæ ac modi pertingendi ad caritatis incrementum, fervorem ac perfectionem. Primus modus est, consideratio eorum vivax ac diligens quæ ad intellectualem Dei amorem inducunt ac incitant. Et posset hic modus in septem modos speciesque subdividi, secundum quod sunt septem rationes et causæ amandi Deum : quarum omnium vigilans atque profunda pensatio, sigillatim atque distincte peracta, vehementer caritatem inflammat. Ideo in caritate cupiens crescere et accendi, omnia illa intente consideret, et protinus fructum grandem experietur. Denique considerationes trium primarum rationum amandi Deum, magis excitant et accendunt perfectos, videlicet : consideratio divinæ bonitatis, consideratio quoque omnimodæ perfectionis ipsius, et quod ipse prior dilexit nos. Considerationes vero beneficiorum et promissorum Dei, magis movent et excitant imperfectos ; attamen quod Deus prior dilexit nos, in promptu inflammat.

Cf. p 121 C et s.

[1] *Joann.* IV, 10, 19.

Secundus modus est, considerare imperfectiones, vanitates, fallacias, vilitates re-

rum terrenarum atque carnalium, et præsertim infinitam earum distantiam ab excellentia, bonitate, amabilitate, omnique perfectione superdignissimi Creatoris; sicque ab inordinata ac superflua illarum affectione averti, imo omnia illa respectu Dei arbitrari ac aspernari ut stercora, et cum Salomone fateri : Vanitas vanitatum et omnia vanitas; et cum Psalmista, Mihi adhærere Deo bonum est. Quid enim sunt parvuli rivi ac modici radii, comparatione fontis immensi ac luminis prorsus incircumscripti?

Philipp. III, 8. *Eccle.* I, 2. *Ps.* LXXII, 28.

Tertia via ac praxis est, circa carnalis ac privati amoris exstirpationem diligens studium : quia caritatis venenum est cupiditas seu amor privatus; diminutio quoque privati amoris, est augmentatio caritatis; mera vero privati amoris evulsio, est caritatis perfectio.

Quarta est, diligens cordis custodia, non solum ab omni mortali, sed item ab omni veniali peccato pro posse. Quemadmodum enim mortalia caritatem totaliter exstinguunt ac tollunt, sic venialia ejus fervorem diminuunt, profectum retardant, sinceritatem coinquinant. Quumque Deus sit liberalitatis ac opulentiæ infinitæ, constat quod ipse (quantum in se est) promptissimus sit largissime gratiarum impertiri charismata, dummodo ex parte nostri non inveniatur indignitas, incapacitas et defectus propter culpas, aversiones et negligentias nostras. Solæ etenim iniquitates nostræ dividunt inter Deum nostrum et nos, et dona gratiæ ejus a nobis impediunt. Ideirco si a Deo cupimus visitari, amari, accendi, oportet nos omni diligentia ea vitare quæ displicent Deo, et inhonorativa et offensiva sunt ejus. Nempe in Deuteronomio Moyses protestatur : Aversatur Dominus omnem impietatem *. Hinc per Isaiam loquitur Deus : Ego Dominus Deus tuus, docens te utilia; utinam attendisses mandata mea, facta fuisset quasi flumen pax tua, justitia tua sicut gurgites maris. Ad Moysen demum ait Dominus in Deuteronomio : Quis det talem eos habere

Is. LIX, 2. *Deut.* XXV, 16. * injustitiam *Is.* XLVIII, 17, 18. *Deut.* V, 29.

A mentem ut timeant me, et custodiant universa mandata mea, et bene sit eis in sempiternum? Quod sicut ad litteram de filiis Israel tunc dictum est, ita nunc dici potest de Christianis, imo de cunctis hominibus. Ex quibus verbis docemur, quam paratus sit Deus communicare nobis largissime gratiam suam, et quantum ipse optet nostram salutem, qui (ut in prima ad Timotheum asseritur epistola) vult omnes homines salvari et ad agnitionem veritatis venire.

I *Tim.* II, 4.

B Quinta via est, frequens et assidua ad Deum adspiratio per verba affectuosa, mente aut etiam ore prolata, dicendo hoc modo aut simili : O Deus dulcissime, quando te toto corde amabo? Utinam tua sancta caritate totaliter implear. O benignissime Domine, quando tuo amore purissimo perfecte accendar? Amabilissime et desideratissime Deus, dignare me tua saluberrima dilectione jugiter inflammare.

Sexta est, quotidiana et frequens examinatio conscientiæ propriæ, et expurgatio C ejus, ac deploratio, confessio et emendatio quotidianarum culparum. Nempe qui negligit modica, paulatim decidit : nam et veniale ad mortale disponit.

Eccli. XIX, 1.

Septima est, Deum assidue invocare pro incremento dilectionis divinæ.

Octava est, mundum et ea quæ mundi sunt relinquere, ac religionem, in qua regulariter vivitur, introire. Nam quo mentis affectio circa plura dispergitur, tanto remissius in Deo defigitur.

Nona est, omnem creaturam considerare ut Dei effectum, sicque ex omnium D creaturarum intuitu, omnipotentis Dei sapientiam, bonitatem ac omnipotentiam considerare, mirari, diligere; et quidquid bonitatis, dulcedinis, utilitatis aut excellentiæ in rebus invenitur creatis, mox ad Creatoris laudem gratiarumque actionem referre, et ita dicere cum Propheta : Quam magnificata sunt opera tua, Domine! omnia in sapientia fecisti.

Ps. CIII, 24.

Decima est, propriam defectuositatem, frigiditatem evagationemque cordis etiam

in divinis, sapienter pensare, abhorrere, deplangere, atque ex hoc intensum proficiendi affectum concipere : siquidem magnus caritatis profectus est, grande desiderium proficiendi in ea.

Undecima est, considerare quam fructuosum ac meritorium sit, in caritate proficere ; quam periculosum quoque sit, in ea non crescere, quum non procedere in via virtutum, sit retrocedere ac periclitari.

Idcirco iis modis exerceamus nos omni A die in caritate. Et qui exteriora sive mechanica faciunt opera, vitent in eis verba illicita, cogitationes affectionesque pravas ; et corda sua cum oratione mentali aut vocali, et cum cogitationibus et affectionibus virtuosis elevent saltem interdum, imo et sæpe, ad Deum. Postremo pectus tundere, in cœlum adspicere, manus levare ad Deum, et consimiles quidam gestus et motus, ad caritatis fervorem atque devotionem cooperantur, incitant et deducunt.

SERMO QUINTUS

DE AMORE DEI CASTISSIMO AC FERVENTI : QUAM FRUCTUOSUS SIT, QUID SIT AMARE DEUM, QUÆ AD DEI AMOREM NOS MONERE DEBEANT, ET QUÆ AMORIS SINT INDICIA.

DEUS caritas est, et qui manet in caritate, in Deo manet. I Joann. IV, 16.

Multæ ac variæ sunt commendationes in sacra Scriptura caritatis, sed non est major ea, quam in his verbis dicit B. Joannes, nominans Deum caritatem. Quapropter, si de vero, puro, casto, ferventi sanctoque amore quo diligimus Deum (qui utique caritas est) loquendum est, non aliter dicere possim, quam quod summa, propinquissima atque dignissima via ad unitivæ sapientiæ theologiæque mysticæ usum, actum seu contemplationem, est divini amoris æstuans fervor, qui mentem aperit, patulam reddit, capacemque efficit Dei super omnia concupiti ac munerum ejus. Incumbit nunc de ipso sancto Divinitatis puro et irreflexo amore, quantum Spiritus ille dulcissimus, cui amor atque benignitas appropriantur, contulerit, fari. Verumtamen ardor divini amoris ex mysticæ theosophiæ contemplatione theorica oriens ac procedens, ad mysticam theologiam amplius pertinet, quam ille qui eam præcedit ad eamque præparat. Ardor C nempe concomitans priore calidior est, quoniam unitivæ hujus sophiæ contemplativa inspectio, præclara ac sacra intuitio, quo fuerit limpidior atque intimior, eo utique magis accendit, rapit, suspendit, transformat, deificat.

Porro amor iste divinus, non est naturalis affectus ad Deum, sed delectatio* gratuita, supernaturalis, infusa, quæ est animæ vigor et vita, universarum virtutum et actuum imperatrix, motrix et finis. Ipsa est quæ cor amantis dilatat, appetitum expandit, mentis sinum distendit, habitaculum cordis nostri amplificat, ut capere queat immensum, ac incircumscriptibilem teneat mansorem ac hospitem. Denique animam supra omnia terrena, caduca, vana ac materialia elevat, ultra cuncta creata consurgere facit ; usque ad Dominum majestatis volat ac pervenit, illi unit, in illum transformat, illi indissolubiliter, immediate ac intime colligat mentem, quam perficit, incolit et informat ; tantamque demum inter voluntatem increatam et creatam efficit conformitatem, ut earum sit eadem velle ac nolle, ut jam spiritus amans cum Deo unum dica-

* *alias* dilectio

tur. Hic amor, Dei amicos et filios facit. Quumque acutus ac penetrativus exsistat, usque ad intima dilecti ingredi satagit, Deo immediate uniri, eum amplecti et intra se stringere nititur : ipse ignis quo vitia consumuntur, dæmones propelluntur, passiones vincuntur, mensque in Deum resolvitur. Hæc est præstantissima mentis perfectio, summa creaturæ nobilitas, divinissima animi virtus.

Præterea quid amor iste, quæ ejus incitamenta, qualiter purus sit, et de actibus ejus, modicum est tangendum. Itaque, quum amare sit alicui bonum velle, amor divinus est divinissimus ille animi habitus, seu præclarissima voluntatis virtus, qua Deo, quod ipse est, eique convenit vel debetur, volumus, favemus, optamus. Quum ergo sit Deus ens in omni bonitate, felicitate et gloria infinite perfectum et perfecte infinitum, omnisque sapientia, omnipotentia, opulentia, virtus, pax, vita et gaudium ei cum immensa plenitudine insit et competat, omnis quoque honor, adoratio, gratiarum actio et gloria debeatur eidem; constat quod ipsum amare, sit ei hæc omnia velle, favere, appetere, de ipso et in ipso complacentiam cordialem habere, de ejus immensa perfectione et incomparabili excellentia intime exsultare, ejus superinfinitæ beatitudini mentaliter congaudere, zelo honorandi eum in omnibus vehementer fervere, se ipsum cultui ejus totaliter mancipare, propriam voluntatem divino beneplacito conformare, ejus amore libentissime agere et pati quidquid pro ejus honore est eique placet, ejus quoque amore diligentissime evitare ac impedire quod ei non placet. Ecce isti sunt actus divini amoris, quibus quo quis perfectius abundantiusque fuerit occupatus, eo prorsus divinior est, sanctior atque sublimior. Sic vivere, est cœlestem vitam in corpore ducere ; taliter conversari, est deificari, a Deo amplecti, amari ; nec dubium quin Deo complaceat cui complacet Deus.

Ad hujusmodi Divinitatis amorem primo atque potissime nos debet movere, excitare, inducere, ipsamet bonitas Dei : quæ quum sit Deo connaturalis, pura, perfecta, immensa, præ omnibus et super omnia infinite ac ardentissime desideranda est et amanda, amplectenda, retinenda, stringenda; nec aliquid adspiciendum aut reputandum, quo tantæ bonitatis amor ullatenus impeditur, minoratur vel tollitur.

Secundo, ad idem nos provocet et inducat, quod ipsemet supergloriosus omnipotens Deus, prior et gratis dilexit nos amore æterno, tam liberalissimo, purissimo et completo, ut se ipsum nobis dare paratus sit ; itemque ut ipsummet petamus ac requiramus docet et præcipit, orandi fiduciam præbet, a nobis pater vocari dignatur; dare nobis quidquid digne petierimus, se esse paratum testatur; quidquid requirit vel jubet nobis, ad nostram convertit salutem. Non enim ei, sed nobis, nostra quam ei exhibemus servitus prodest. Quam dulcissimum postremo affectum habet ad nos, a quibus amari vult potius quam timeri ! Indesinenter paratus est misereri, pœnitentem amplecti, conversum salvare.

I *Joann.* IV, 10, 19.

Matth. VI, 9 ; VII, 7-11.

Tertio, ad idem nos excitet innumerabilis multitudo, munificentissima exhibitio, incomprehensibilis largitas beneficiorum ejus : a quo esse, vivere, sentire, intelligere, moveri, corpus et animam, vires et membra, sanitatem et robur, pacem gaudiumque habemus, cetera quoque dona naturæ, bona fortunæ, proventus Ecclesiæ; qui nos hucusque conservavit in esse. Adhuc autem, qui tanta gratiarum charismata, virtutes, fructus et dona Spiritus Sancti toties nobis impendit : primo, in fonte Baptismatis ; deinde, quoties post peccatum doluimus. Qui ingratis, impiis gravissimeque peccantibus, toties atque tam diu pepercit, bona pro malis rependit, et durantibus malignitatibus nostris benefacere non cessavit. Insuper, super omnia nos debet ad amorem valenter accendere, quod Patre volente æterno, et Spiritu Sancto cooperante, unigenitus Dei Filius, no-

ster vere effectus est frater ; quod tanta pro nobis assumpsit, egit et passus est, seque quotidie in Sacramento tam superliberalissime donat. Nonne omni ferro et saxo durior, omnique cane ingratior comprobatur, qui tot caritatis indiciis non inflammatur, tot beneficiis non emollitur, talem ac tantum amatorem ac benefactorem non amplexatur, nec honorare molitur ? Quid dicemus quod mentem nostram ab ipso usque avertimus ? Nonne universis pœnis inferni nostræ ingratitudinis perversitate dignissimi sumus ?

Quarto, ad idem nos provocet ineffabilis beatitudo immensaque copia bonorum gloriæ, quæ nobis apud se ipsum in patria præparavit, ubi et se ipsum nobis in præmium beatificumque consummatæ felicitatis objectum dare disposuit. *Joann.* XIV, 2, 3.

At vero amor iste divinus tanto sincerior, efficacior, Deo placentior atque divinior perhibetur, quo amans ad se ipsum minus reflectitur : puta dum totus pure ad Deum convertitur, nec orando, psallendo, obsequendo, amando, aliud intendit vel quærit nisi ipsum dilectum ejusque honorem et gloriam, castissimam quoque unionem cum ipso propter ipsum. Quo autem ad propriam utilitatem, mercedem vel necessitatem plus respicit, eo plus ad se retorquetur, reflectitur, obliquatur, et servilis quodam modo, non sinceriter filialis, monstratur.

Itaque omni privato amore funditus pulso, bonum increatum, incommutabile, infinitum, his de causis fervidissime atque purissime diligamus, ad ipsum jugiter aspiremus, cordialiter afficiamur, æstuanter feramur : quibus adeptis, ad mysticam theologiam aptissimi erimus, et lumini increato profundissime immergemur, clarissime infigemur, intime uniemur. Porro, si nondum tantæ perfectionis apprehendimus arcem, ut Deum amemus quia hoc ipsum dignum, honestum, virtuosum et bonum est ; saltem diligamus eumdem, et quidquid nos ab eo avertit vitemus, quia hoc utile nobis necessariumque consistit, tam ad evadendum tormenta inferni, quam ad obtinendum gloriam cœli.

Porro ad mysticam theologiam spectat ac præparat amor spiritualis ecstaticus. Dicitur autem amor ecstaticus ab ecstasi, quia non sinit mentem amantem aliud cogitare nisi quod diligit, nec sinit amantem esse sui ipsius, sed amati, in cujus profectum, obsequium vel usum se totaliter transfert. Est autem amor ecstaticus duplex : scilicet spiritualis, et carnalis, qui etiam amor *eros* * a medicis appellatur, estque ingens desiderium cum concupiscentia nimia et cogitationum afflictione. * ἔρως

Ut autem spiritualem ecstaticum per alium cognoscamus, pensandum, quod primum signum amoris carnalis ecstatici est, quod amorosi in absentia multa concipiunt, sed præsentes pauca loquuntur, defectiveque proferunt. Defectivæ enim locutiones amantibus propriæ sunt, quando de re amata vel cum ea loquuntur. Similiter amor spiritualis ecstaticus in verbis truncatus et brevis est, quando Deum secreto affatur, vel de ipso eloquitur. Sic namque Sponsa ait in Canticis : Dilectus meus mihi, et ego illi ; et rursus, Ego dilecto meo, et ad me conversio ejus. Vehemens quippe occupatio amoris circa dilectum, in ejus præsentia, eorum quæ ante concepta fuerunt vel dici proponebantur, tollit memoriam. Secundum signum amoris carnalis ecstatici, desiccatio est membrorum : quia ex vehementi occupatione circa dilectum spiritus multiplicantur, ex quo interiorem desiccationem et arefactionem membrorum amorosi incurrunt. Similiter anima ex vehementi Dei amore ab omni carnalis voluptatis arescit humore : per quod instar ligni sicci apta est divino amore vehementius inflammari. Tertium hujus amoris signum est, concavitas oculorum, qui sequuntur spiritus se retrahentes, et ad locum æstimativæ concurrentes. Sic oculi animæ amorosæ profundantur in corde, ut videat ne in corde quid sit quod Deo displiceat, ejusque (scilicet Dei) occultum anima accessum et recessum per- *Cant.* II, 16. *Ibid.* VII, 10.

pendat. Quartum est, siccitas oculorum, A seu carentia lacrimarum. Sic animam amorosam nil contristat, nisi quo dilecti sui offensam incurrit : unde nec damna rerum nec aspera plangit. Quintum est, pulsus inordinatus. Omnis enim amorosus pulsum habet aut nimis tardum et rarum, aut nimis velocem et frequentem, secundum diversas apprehensiones de re amata conceptas. Dum enim de ejus adeptione desperat, pulsum habet tardum ; velocem vero, quando sperat de ea vicem amoris reportare. Similiter pulsus animæ sunt B ejus affectiones, quæ veloces sunt, et quasi celeriter tripudiare videntur, quando de sui dilecti consecutione confidit ; sed quum ex periculorum suorum consideratione pavescit et quasi lentescit, tardum pulsum sortitur. Sextum est, profunda cogitatio et sollicitudo versa ad interiora : ita quod amans, eorum quæ dicuntur nihil advertit, nisi de suo dilecto quid proferatur. Sic anima amorosa rumores et ea quæ mundi sunt, vana atque carnalia, non advertit ; si autem de Christo sit sermo, statim evigilat, alludit, arridet.

FERIA QUARTA PENTECOSTES

ENARRATIO IN EPISTOLAM

STANS PETRUS CUM UNDECIM, ETC. Act. II, 14-21.

INNOTESCIT ex hac epistola, quanta sit efficacia gratiæ Spiritus Sancti, et quantum inter fragilitatem humanam ac divinam distet virtutem. Ecce qui paulo ante unius vilis mulierculæ voce conterritus, Christum primam summamque veritatem negavit, nunc inter tot millia præ ceteris Apostolis imperterrito ac tubali eloquio testimonium perhibet veritati. Itaque :

Matth. XXVI, 69-72.

Stans Petrus cum undecim, elevavit vocem suam, et locutus est. Jam enim in eo perfectus amor servilem ejecit timorem. *Viri Judæi, et qui habitatis Jerusalem universi, hoc vobis notum sit, et auribus percipite verba mea.* Ecce quam auctoritative et secure effatur, qui paulo ante indoctus et rudis fuerat idiota. *Non enim sicut vos æstimatis, hi ebrii sunt.* Ebrii quidem sunt, fateor, sed non sicut vos æstimatis, qui tanquam carnales, carnaliter judicatis, et similes estis Heli cæcutienti, qui sanctam Annam perhibuit temulentam. *Quum sit hora diei tertia.* Unde tam mane non solent homines vino impleri. Porro, Spiritus Sanctus, qui est tertia in superbeatissima Trinitate persona, majestatem et gloriam individuæ adorandæque Trinitatis mundo per Apostolos prædicaturus, tertia hora convenienter descendit. Et quia discipuli erant in oratione perseverantes, recte Spiritum Sanctum in hora orationis percipiunt, ut monstretur quod Spiritus Sancti gratia non facile impetratur, nisi mens a carnalibus superorum intentione elevetur. Tria autem tempora quibus Daniel genua flectere et adorare solebat, videlicet tertia, sexta et nona hora, ab Ecclesia observantur. Nam et Christus Spiritum Sanctum hora tertia mittens, et crucem sexta hora ascendens, nona spiritum tradens, easdem nobis horas intimare et sanctificare dignatus est. *Sed hoc* quod cernitis, *est quod dictum,* id est prophetice prænuntiatum, *est per prophetam Joel.* Cujus verba subduntur.

I *Joann.* IV, 18.

Act. IV, 13.

I *Reg.* I, 13.

Act. I, 14.

Dan. VI, 10.

Matth. XXVII, 45, 46, 50.

Joel II, 28-32.

Et erit in novissimis diebus, id est tempore evangelicæ legis, cui lex alia divinitus non succedet. De quo tempore sanctus Jacob disseruit : Congregamini, ut annuntiem vobis quæ ventura sunt vobis in novissimis diebus ; et Isaias, Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini. Unde hoc tempus ultima ætas mundi vocatur, sicut ait Apostolus : Nos sumus in quos fines sæculorum devenerunt. *Dicit Dominus,* scilicet Deus Pater, vel Pater et Filius, qui sunt unus Dominus, unus quoque spirator et dator Spiritus Sancti, sicut et tres Personæ sunt unus Creator. *Effundam de Spiritu meo super omnem carnem,* id est cunctis hominibus, scilicet Judæis et gentibus, seu quibusdam de omni genere hominum, ut sit distributio pro generibus singulorum. Itaque omnibus his de donis et gratiis Spiritus Sancti effundam. Sicque nomine partis intelligitur totum, videlicet homo per carnem : sicut quum ait Joannes, Verbum

Gen. XLIX, 1.

Is. II, 2.

I *Cor.* X, 11.

Joann. I, 14.

Ps. LXIV, 3. caro factum est, etc. ; et Psalmista, Ad te omnis caro veniet. Verumtamen S. Petrus hoc loco sensum, non formam verborum inducit. Sic enim in Joele scriptum est : *Joel* II, 28. Et erit post hæc : Effundam Spiritum meum super omnem carnem.

Et prophetabunt, o Judæi, *filii vestri et filiæ vestræ,* id est discipuli et discipulæ Christi. Multi enim discipulorum, et aliquæ sanctæ feminæ, cum Apostolis Spiritum Sanctum receperunt, et gratiam prophetalem sortiti sunt. *Juvenes vestri visiones videbunt,* id est, revelationes divinas *Dan.* X, 1. atque propheticas vere intelligent. Intelligentia enim est opus in visione. *Et seniores vestri somnia somniabunt,* id est, revelationes desuper tempore somni suscipient, quando propter quietem virtutis imaginativæ ac sensuum exteriorum, aptior est anima ad illuminationes supernas. *Job* XXXIII, 15, 16. Propter quod in Job legitur : Per somnium in visione nocturna aperit Deus aures virorum, et instruit disciplina. Quod autem Apostolorum discipulorumque Christi, alii seniores, alii fuerint juniores, certum est cunctis. Porro hujuscemodi somnia non sunt vana et solita omnibus, sicut illa de quibus ait Ecclesiasticus : Somnia extollunt imprudentes ; et quasi qui apprehendit umbram et persequitur ventum, secundum hoc visio somniorum. *Et quidem super servos meos et ancillas meas in diebus illis,* scilicet in exordio evangelicæ legis, *effundam de Spiritu meo, et prophetabunt.* Quidam enim utriusque sexus in primitiva Ecclesia prophetarunt, sicut *Act.* XXI, 9. et in Actibus scribitur Philippus diaconus habuisse quatuor filias virgines prophetissas. In nomine vero effusionis, ostenditur gratiæ copia seu munerum largitas. De qua effusione scriptum est in visione *Is.* XLIV, 3. Isaiæ : Effundam Spiritum meum super semen tuum, et benedictionem meam super stirpem tuam.

Et dabo prodigia in cœlo sursum, et signa in terra deorsum. Hoc et verba sequentia quidam exponunt de signis præcessuris diem judicii. Sed quum Petrus totam istam scripturam pro tempore suo, quasi tunc impletam alleget, aptius ad præfatum tempus refertur. Dedit ergo Deus in primo Christi adventu et circiter prodigia in cœlo, quando eo nato, multitudo militiæ cœlestis Deum laudans apparuit, stella in aere radiavit ; et tempore passionis, dum luna tempore oppositionis supernaturaliter rediit, et se soli supposuit, totque horis sub ipso permansit, ita quod sol stetit immotus. Similiter in ascensione angeli apparuerunt. Insuper dedit Dominus signa in terra. Scissæ sunt petræ, aperta sunt monumenta, et multa corpora Sanctorum resurrexerunt a mortuis, et venientes in sanctam civitatem, apparuerunt multis. Quod autem ista convenienter ad tempus primi adventus Christi relata sint, innotescit ex eo quod Dominus ait per Aggæum : Adhuc unum modicum, et ego movebo cœlum et terram, et mare et aridam ; et veniet Desideratus cunctis gentibus : quod omnes de primo Christi adventu exponunt, de quo in Genesi loquitur Jacob, Et ipse erit exspectatio gentium.

Luc. II, 13 ; *Matth.* II, 2. *Luc.* XXIII, 44, 45. *Act.* I, 10. *Matth.* XXVII, 51-53. *Agg.* II, 7, 8. *Gen.* XLIX, 10.

Consequenter quædam prodigiorum istorum specialiter exprimuntur. *Sanguinem, et ignem, et vaporem fumi.* Per sanguinem, intelligitur sanguis qui de latere Christi fluxit. In cujus emanatione duo mirabilia contigerunt : primum, quia de mortuo corpore sanguinem vivaci rivo effluere, contra nostrorum naturam est corporum ; secundum, quod simul cum sanguine aqua profluxit. Potest quoque per « sanguinem » accipi sanguis quem pro Christo martyres cum mira effuderunt constantia. Per « ignem », Spiritus Sancti illustratio ac inflammatio designatur : in igne enim sunt splendor et calor. Per « vaporem fumi », excæcatio Judæorum, vel compunctio et lacrimatio conversorum, qui ad prædicationem Petri compuncti sunt corde. De quorum piissimo fletu Zacharias dicit : Plangent eum planctu quasi super unigenitum.

Joann. XIX, 34. *Zach.* XII, 10.

Sol convertetur in tenebras : nam tempore passionis obscuratus est sol ; *et luna* *Luc.* XXIII, 45.

in sanguinem, id est, rubea apparebit. A Non tamen planetæ fuerunt in se ipsis taliter se habentes, sed secundum apparentiam fuit sic. Solet autem luna, quum eclipsim patitur, sanguinea apparere ; sed quando directe supponitur soli, nigra videtur. Unde si suppositione illa durante rubea apparebat, mirabiliter factum est. Quod, secundum Hieronymum, credi potest, quamvis scriptum non sit : non enim scripta sunt omnia. *Antequam veniat dies Domini magnus et manifestus.* Per diem hunc, Hieronymus super Joelem intelligit B diem dominicæ resurrectionis, in quo magna operatus est Deus, et quem omnibus manifestavit. De quo ait Psalmista : Hæc est dies quam fecit Dominus. Qui dies per Joelem appellatur horribilis, quia aeriis potestatibus impiisque Judæis pavendus. Potest quoque per istum diem horribilem, magnum et manifestum, tempus illius gravissimæ ac finalis captivitatis Judæorum per Romanos intelligi. De istis hic transeo, quia super duodecim Prophetas suo loco ea plenius exposui.

Joann. XXI, 25. *Ps.* CXVII, 24. *Joel* II, 31.

Et erit : Omnis quicumque invocaverit nomen Domini, id est, Deum intimo cordis affectu, cum fide sincera oraverit, *salvus erit.* Non enim est personarum acceptor Deus ; sed prope est Dominus omnibus invocantibus eum, omnibus invocantibus eum in veritate, juxta id Ecclesiastici : Quis invocavit illum, et despexit eum ?

Act X, 34. *Ps.* CXLIV, 18. *Eccli.* II, 12.

SERMO PRIMUS

ELUCIDATIO SYMBOLI FIDEI A DUODECIM APOSTOLIS EDITI.

STANS Petrus cum undecim, elevavit vocem suam, et locutus est. Act. II, 14.

Gloriosissimi beatissimique duodecim Apostoli, ante suam ab invicem divisionem composuerunt Symbolum fidei, in quo doctrina evangelicæ legis quasi in speculo compendiosissime continetur, atque ab universis credentibus concorditer creditur. Itaque gloriosus princeps Apostolorum et plenus Christi vicarius Petrus, tanquam ipsius universalis Ecclesiæ prælatus, pastor et præsul, exorsus est :

Credo in Deum, Patrem omnipotentem. D Quamvis autem quod ait, Deum Patrem, possit capi conjunctim, ut sit sensus, Credo in Deum Patrem, id est in personam Patris ; communius tamen et aptius divisim accipitur, ut sit sensus, Credo in Deum, id est in unum solum verum summumque Deum : ut in hoc quod ait, Credo in Deum, designetur unitas Deitatis seu divinæ essentiæ. Idcirco in Symbolo Patrum Nicæni C concilii clarius dicitur : Credo in unum Deum. Porro Deus est summum ens, primum, perfectum ac independens, universorum scientiam ac providentiam habens. Et tale ens non est nec esse potest nisi unum. Itaque, Credo in Deum, absolute dictum, prædicatur de qualibet persona divina, scilicet Patre et Filio ac Spiritu Sancto, et de tribus simul personis, seu de Trinitate. Idcirco, quum Petrus dixisset, Credo in Deum, mox addidit, Patrem omnipotentem, ad insinuandum quod Deus verus et summus sit realiter Pater æternus. Sic igitur : Credo in Deum, Patrem omnipotentem. Pater enim omnipotens est : quoniam sicut ejus essentiæ, ita et ejus potentiæ nullus est finis, nulla mensura, nullum obstaculum. Imo ejus essentia est ejus potentia ; omnia sunt ipsi possibilia, cuncta facilia, imo universa æque facilia. Infinitæ namque potentiæ nihil potest resistere, nihil difficultatem afferre. Ideo angelus ait Vir-

Luc. I, 37. gini sanctæ : Non erit impossibile apud
Jer. XXXII, 17. Deum omne verbum. Et Jeremias : Domine, non erit tibi difficile omne verbum. In hoc quoque est Deus omnipotens, quod potest omnia quæ vult, et sicut vult, et quæ velle est perfectionis ac nobilitatis, non infirmitatis et imperfectionis. Unde et ob hoc quod Deus in natura divina non potest proficere, ambulare, comedere et peccare, non sequitur eum non esse omnipotentem. Denique, quamvis persona Patris dicatur pater ratione creationis et gubernationis ac aliis causis, sicut et Filius et Spiritus Sanctus : imo hoc modo tota Trinitas benedicta et adoranda, est unus pater, sicut et unus Deus, cui quoti-
Matth. VI, 9. die dicimus, Pater noster qui es in cœlis ; tamen hoc loco persona Patris dicitur pater ratione generationis æternæ, qua æternaliter genuit Filium sibi consubstantialem, coæqualem et coæternum, juxta
Is. LXVI, 9. illud Isaiæ : Numquid ego qui alios parere facio, ipse non pariam? dicit Dominus.
Ps. CIX, 3. Et in Psalmo : Ex utero ante luciferum genui te. Atque ut asserit Augustinus, in hoc patet quod Pater sit omnipotens, quoniam Filium sibi coæqualem, coimmensum ac omnipotentem gignere et voluit et potuit, et genuit.

Sequitur : *Creatorem cœli et terræ.* Per cœlum et terram quasi per duo extrema, intelligenda sunt universa visibilia et invisibilia, corporalia et incorporalia, superiora et inferiora : quæ omnia a Deo creata sunt, vel immediate quoad se tota, ut angeli boni ac mali, et animæ rationales, corpora quoque cœlestia, et quatuor elementa ; vel mediate, quantum ad partem, videlicet quoad primam materiam materi-
Gen. I, 1. alium omnium, quæ in principio mundi per creationem producta est : et sic homines dicuntur creati, quum tamen primus
Ibid. II, 7, 21, 22. homo dicatur factus de limo terræ, et uxor ejus de latere ejus. Sed animæ a Deo immediate creatæ sunt, quoniam creare est actus infinitæ potentiæ, solique Deo possibilis. Et quod Pater dicitur creator cœli et terræ, non est intelligendum quasi Filius A non sit creator cœli et terræ, ac etiam Spiritus Sanctus. Quælibet namque divina persona est omnium rerum creator. Hoc S. Thomas probat, et asserit : Unum est principium unusque finis universorum, quemadmodum trium personarum una est deitas, una essentia, una omnium potentia, una potestas, et ita de ceteris quæ Deo absolute conveniunt. Hinc trium personarum una et indistincta operatio est ad extra : unde opera Trinitatis indivisa dicuntur.

B Circa hoc duplex est quæstio. Prima, quum fides sit eorum quæ rationem transcendunt, quomodo unum esse Deum est articulus fidei, quum philosophi hoc ipsum per naturalem probaverint et agnoverint rationem? — Secunda, quum credere Deo, sit credere vera esse quæ Deus dicit ; credere Deum, sit credere Deum esse ; credere in Deum, sit per fidem caritate ornatam in Deum tendere : an homo in mortali exsistens peccato, possit vere et absque culpa dicere, Credo in Deum, quum talis non C habeat caritatem?

Et respondendum ad primum, quod licet per rationem probetur et servetur, quod unus sit Deus verus et summus ; tamen unum esse Deum ad modum quo fides ponit unum Deum, utputa habentem universorum et singulorum perfectam providentiam distinctissimamque notitiam, non innotescit per rationem tam sufficienter et clare sicut per fidem. Nam et majores et meliores philosophi circa providentiam atque scientiam Dei multiplici- D ter errasse noscuntur. — Ad secundum dicendum, quod talis peccator, quamvis in propria persona non sine mendacio et peccato diceret, Credo in Deum, tamen in persona Ecclesiæ (cujus per fidem aliqualiter membrum est) potest hoc dicere sine falsitate et culpa, sicut et illud in Oratione dominica : Dimitte nobis debita nostra, *Matth.* VI, 12. sicut et nos dimittimus debitoribus nostris ; dato quod suis debitoribus non ignoscat. Hoc doctores scholastici concorditer asserunt.

Sequitur in Symbolo: *Et in Jesum Christum Filium ejus unicum, Dominum nostrum.* Istud apostolus Joannes legitur addidisse. Et est sensus : Credo non solum in Deum Patrem, sed etiam in unigenitum Filium ejus, quum Filius Dei sit verus Deus, prout in prima Joannis Canonica legitur : Scimus quoniam Filius Dei venit, et dedit nobis sensum ut cognoscamus verum Deum, et simus in vero Filio ejus Jesu Christo; hic est verus Deus et vita æterna. Itaque in Filium secundum quod est verus Deus, credendum est tanquam in fidei principale objectum, in cujus fruitione nostra consistit felicitas. Propter quod ipse Filius Dei ait: Creditis in Deum, et in me credite. Ubi loquitur Augustinus: Consequens est, ut si credant in Patrem, credant quoque in Filium : quod non esset consequens, nisi et Filius esset Deus. Porro in Filium Dei secundum quod homo est, credendum est tanquam in viam et pertingendi medium ad beatitudinem veram, et tanquam in illud in quo beatitudo nostra secundario sita est. Primo quippe principaliterque consistit in visione Deitatis seu Trinitatis; secundario in visione humanitatis Christi. Ad quod probandum, Thomas allegat quod apud Joannem Filius loquitur Patri : Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum. Et juxta hunc modum, cetera Christi mysteria de quibus in Symbolo sequitur, cadunt sub fide. Christus autem est unicus Filius Dei, loquendo de filiatione perfecta, et generatione naturali atque æterna : quoniam solus Filius habet a Patre veram Deitatis naturam per generationem naturalem et proprie dictam. Alii vero sunt filii Dei per gratiam adoptionis, prædestinationis, seu glorificationis, juxta illud Joannis : Quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri; et in Psalmo, Quis similis erit Domino in filiis Dei? Insuper Christus est Dominus noster per principalem auctoritatem, secundum quod Deus, et per potestatem in tempore sibi datam, secundum quod homo. Unde apud Matthæum protestatur: Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra. Hæc nempe potestas, quantum ad suam essentiam, data est Christo in sua incarnatione : eodem enim momento quo Christi humanitas unita est Verbo æterno hypostatica unione, prælata est ipsa ejus humanitas omni creaturæ. Sed in resurrectione Christi data est ipsi potestas ista quantum ad manifestationem: quia ex tunc per Apostolorum et aliorum Sanctorum prædicationem atque miracula, cœpit toti mundo insinuari quia Christus ut homo, omni esset creaturæ prælatus. Ista est Damasceni et aliorum doctrina. Unde ait Apostolus: Christus exinanivit semetipsum, formam servi accipiens ; propter quod et Deus exaltavit illum, et dedit illi nomen quod est super omne nomen.

Sequitur : *Qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria virgine.* Istud Jacobus Major apposuisse dicitur. Ubi tangitur incarnatio Christi, et nativitas ejus ex Virgine gloriosa. Etenim Filius Dei factus est homo, assumendo naturam humanam in utero Virginis, ex cujus purissimis sanguinibus Spiritus Sanctus corpus in instanti formavit, atque animam rationalem eidem per creationem infudit, et in eodem instanti utrumque ita unitum, unigenito Dei Filio personali unione conjunxit : ita quod in Christo sunt duæ naturæ, videlicet divinitas et humanitas, sed una tantum persona, quia humanitas est ad personale esse Verbi assumpta, et in eodem ineffabiliter suppositata, prout super tertium Sententiarum scribunt doctores, et Damascenus in tertio libro docet. Quamvis autem Christi incarnatio, conceptio et nativitas ex Virgine a tota Trinitate simpliciter factæ sint, cujus indivisa sunt opera, nihilo minus Spiritui Sancto appropriate adscribuntur : quoniam in eis summe apparet bonitas, caritas et misericordia Dei ad homines; bonitas vero, pietas et caritas, Spiritui Sancto appropriantur. Natus vero demum est Christus ex Virgine, quæ fide concepit, et salvo ac integro virginitatis si-

I Joann. v, 20. *Joann.* xiv, 1. *Ibid.* xvii, 3. *Ibid.* i, 12. *Ps.* lxxxviii, 7. *Matth.* xxviii, 18. *Philipp.* ii, 7, 9.

gnaculo peperit, ac virgo purissima permansit.

Sequitur : *Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus et sepultus.* Istud Andreas scribitur addidisse. Christus vero divinitate sua impassibili et invariabili permanente, passus est secundum naturam humanam pro totius generis humani redemptione atque salute, sicut Isaias præ-
Is. LIII, 4, 5. dixit : Vere languores nostros ipse tulit, et livore ejus sanati sumus. Et in Apocalypsi
Apoc. I, 5. fertur de Christo : Qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo.

* *inferos* *Descendit ad inferna**. Hoc sanctus apostolus Thomas (ut legitur) addidit. In Christi enim morte separata sunt ab invicem corpus et anima, sed utrumque mansit Verbo æterno unitum. Et quantum ad corpus, fuit sepultus ; quantum ad animam, descendit ad inferna. Totum namque a suis partibus quasdam denominationes sortitur. Denique infernus capitur quatuor modis. Primo, pro loco damnatorum, qui est infernus inferior, in quo nulla est re-
Ps. VI, 6. demptio, juxta illud in Psalmo : In inferno autem quis confitebitur tibi ? Secundo, pro purgatorio, sicut in offertorio Officii defunctorum cantatur : Domine Jesu Christe, Rex gloriæ, libera animas omnium fidelium defunctorum de manu inferni. Tertio, pro limbo puerorum qui propter originale peccatum æterna felicitate privantur. Nam meritum passionis Christi eis applicatum non est : non tamen sensibilem habent pœnam. Quarto, pro limbo sanctorum patrum, de quo in Genesi san-
Gen. XXXVII, 35. ctus Jacob fatetur : Descendam ad filium meum lugens in infernum. Et ita jam sumitur. Ad hunc ergo infernum Christus in puncto suæ mortis descendit quantum ad animam suam, fuitque ibi cum patribus usque ad illud momentum quo resurrexit a mortuis. Eodem quoque instanti quo Christus limbum illum intravit, omnes sanctos ibi detentos, suæ divinitatis beatifica visione illustravit, et vere beatificavit. Tunc enim satisfecit plenarie pro originali peccato, pro cujus reatu sancti ibi detinebantur atque a gloria differebantur : prout doctores super tertium Sententiarum scribunt. Et tunc Christus illud Osee adimplevit : Ero mors tua, o mors ; mor-
Osee XIII, 14. sus tuus ero, inferne.

Tertia die resurrexit a mortuis. Hoc (ut legitur) S. Bartholomæus adjecit. Et sumitur hic dies pro die naturali, qui est spatium viginti quatuor horarum, noctem includens : sicque hebdomada dicitur duratio septem dierum. Christus enim vel surrexit media nocte, ut videtur velle Gregorius ; vel valde mane, quod verius creditur, quum evangelista Marcus affirmet : Surgens Jesus mane prima sabbati. Tunc
Marc. XVI, 9. ergo Christus surrexit, quia tunc anima ejus de limbo ad corpus ejus regrediens, simul cum illo de clauso exivit sepulcro, quemadmodum de clauso Virginis prodiit utero.

Ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis. Hoc B. Philippus apostolus scribitur addidisse. Quum enim Christus per dies quadraginta post suam
Act. I, 3. resurrectionem mansisset in terris, atque per varia argumenta se vere resurrexisse
Ibid. 9. monstrasset, quadragesimo die videntibus discipulis ascendit in cœlum, secum ducens sanctos quos de limbo eduxit, sicut Zacharias propheta prædixit : Tu quoque
Zach. IX, 11. in sanguine testamenti tui emisisti vinctos de lacu in quo non erat aqua ; et Michæas, Ascendit pandens iter ante eos ;
Mich. II, 13. atque Psalmista, Ascendisti in altum, ce-
Ps. LXVII, 19. pisti captivitatem ; itemque, A summo
Ps. XVIII, 7. cœlo egressio ejus, et occursus ejus usque ad summum ejus. Denique Christus secundum suam divinitatem sedet ad dexteram Patris, id est, æqualis est Patri, et in ipsius æqualitate regnat ac residet. Secundum vero assumptam humanitatem sedet a dextris Patris, id est, in potioribus bonis Patris, quia præ omnibus Sanctis majorem beatitudinem divinæque bonitatis participationem a Patre suscepit.

Inde venturus est judicare vivos et mortuos. Hoc sanctus evangelista Matthæus apposuit. Christus itaque in die novissimo,

Matth. xxiv, 30. quoad suam humanitatem corporaliter descendet de cœlo empyreo, et residens in aere, judicabit vivos et mortuos, tam illos qui interim moriuntur, quam illos qui tunc vivi invenientur sed in igne conflagrationis morientur et protinus cum aliis suscitabuntur: quemadmodum super quartum Sententiarum scribunt doctores.

Sequitur : *Credo in Spiritum Sanctum.* Hoc addidisse legitur S. Jacobus Minor. Est ergo credendum in Spiritum Sanctum sicut in verum Deum, Patri Filioque æqualem, consubstantialem, coæternalem, ab utroque procedentem, qui est tertia in superbeatissima Trinitate persona suavissima, amor Patris ac Filii, pax, nexus osculumque amborum.

Sanctam Ecclesiam catholicam. Hoc Simon Cananæus legitur addidisse. Et est sensus : Credo militantem Ecclesiam esse sanctam et universalem. Ipsa namque ex omnibus gentibus est collecta, et a Spiritu Sancto spiritualiter vivificatur fide, caritate et spe, aliisque charismatibus gratiarum, virtutum ac donorum. Gubernatur quoque a Spiritu Sancto, qui eam non permittit errare. Et semper sunt aliqui boni ac virtuosi in ea. Habet etiam sancta et sanctificativa sacramenta. Est itaque una unitate fidei, spei et caritatis ; unitate etiam capitis sui principalis, quod est Christus ; deinde capitis secundarii ac vicarialis, quod est Pontifex Romanus, qui est generalis, plenus et summus Christi vicarius super universalem Christi militantem Ecclesiam.

Sanctorum communionem. Hoc sanctus apostolus Judas legitur adjecisse. Et est sensus : Credo quod virtutes et merita bonorum sibi invicem communicantur, *Ps.* cxviii. 63. sicut ait Psalmista : Particeps ego sum omnium timentium te, et custodientium mandata tua. Caritas namque facit omnia esse communia. Denique, Sancti et vere fideles sunt unum mysticum corpus. Ideo sicut in corpore naturali operatio unius membri redundat in utilitatem alterius, imo omnium aliorum membrorum ; ita et in mystico corpore Ecclesiæ opera virtuosa unius aliis per caritatem applicantur et communicantur. Denique, quanto quis aliorum spirituali affectu profectui ac virtuosis operibus amplius ex vera caritate congratulatur, atque pro illis cordialius deprecatur, eo eorum merita ipsi abundantius communicantur. Rursus, qui bono exemplo aut verbo salubri seu alio modo alios ad bene agendum inducit, illorum est particeps meritorum. Et hoc bonis prælatis præcipue competit. Nec increbile hoc putetur, quum consentiendo, hortando, exemplum præbendo, fiat unus aliorum particeps vitiorum, dicente Apostolo : Non solum morte digni sunt qui faciunt ea, sed etiam qui consentiunt facientibus ; et iterum, Nolite communicare infructuosis operibus tenebrarum, magis autem redarguite. Proportionaliter fit in Beatis, quorum in patria seu regno cœlesti est communio beatitudinis per ardentissimam eorum mutuam caritatem et cordialissimam congratulationem. Ideo dicit Gregorius : Quod unus Beatorum non habet plenarie in se ipso, hoc per caritatem habet in alio.

Rom. i, 32. *Ephes.* v, 11.

Addidit quoque (ut legitur) idem Apostolus : *Remissionem peccatorum,* id est peccata posse remitti in sæculo isto, quamdiu durat hæc vita. Tota nempe hæc vita, peregrinatio est et via ad aliam vitam. Idcirco usque ad terminum hujus vitæ est locus et tempus meritorum. Unde per Ezechielem Dominus ait : In quacumque hora peccator conversus fuerit et pœnitentiam egerit, omnium iniquitatum ejus non recordabor. In fine autem vitæ præsentis non est tempus merendi ac demerendi. Propter quod asserit Damascenus : Quod angelo est casus, hoc homini mors est. Et Salomon protestatur : Ubicumque ceciderit lignum, sive ad austrum, sive ad aquilonem, ibi erit. Quemadmodum enim angeli sunt vel inavertibiliter ad Deum conversi, vel inconvertibiliter ab eo aversi, ita et anima inavertibiliter manet in illa dispositione seu affectione in qua recedit a corpore.

Ezech. xviii, 21, 22.

Eccle. xi, 3.

Postremo quod subditur, *Carnis resurrectionem, et vitam æternam,* S. Matthias apostolus apposuisse describitur. Et est sensus : Credo quod in fine sæculi corpora hominum suscitabuntur, et animabus propriis reunientur : et qui bona egerunt, ut ait Salvator, ibunt in vitam æternam ; qui vero mala, in ignem æternum. Ideo sequitur, « vitam æternam », id est, credo quod electi et virtuosi habebunt pro præmio beatitudinem æternalem : quæ est visio Dei clara per speciem, ut apud Joannem loquitur Christus Patri : Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum. Et rursus obedienti sibi promittit : Manifestabo ei me ipsum. Unde et Paulus : Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Sic et Joannes in prima sua fatetur Canonica : Videbimus eum sicuti est.

Joann. v, 29 ; *Matth.* xxv, 46.

Joann. xvii, 3.

Ibid. xiv, 21.

I *Cor.* xiii, 12.

I *Joann.* iii, 2.

Ecce expositio Symboli fidei ab Apostolis compilati superficialis et brevis, quantum ad informationem sufficit laicorum.

Postremo, quidam ponunt duodecim esse articulos fidei, secundum numerum duodecim Apostolorum, qui Symbolum fidei composuerunt ; id quod unusquisque Apostolorum composuit, pro uno computantes articulo. Sed illa positio et articulorum fidei distinctio, superficialis ac rudis censetur, quum in clausula S. Petri apostoli tres tangantur articuli. Alii ergo subtilius dicunt, quod quum fides sit de his quæ rationem excedunt, ubi occurrit specialis ad credendum difficultas, et imperscrutabilitas rationis, ibi est specialis articulus fidei. Unde credibilium quædam pertinent ad Deitatem, quædam ad Christi humanitatem. Circa Deitatem primo proponitur nobis credenda unitas Divinitatis : et de hoc est primus articulus. Secundo, trinitas personarum : et de hoc sunt tres articuli, scilicet de persona qualibet unus. Deinde proponuntur nobis credenda opera Deitatis : et primo, opus creationis, de quo est quintus articulus ; secundo, opus justificationis, de quo est articulus sextus ; tertio, opus glorificationis, de quo est articulus septimus. Similiter ponuntur septem articuli circa Christi humanitatem. Primus est de Christi incarnatione ; secundus, de ejus nativitate ; tertius, de ejus passione, morte et sepultura ; quartus, de ejus descensu ad inferna ; quintus, de ejus resurrectione ; sextus, de ejus ascensione ; septimus, de ejus adventu ad judicium. Hanc distinctionem ponit Thomas in secunda secundæ, quæstione prima. Quidam nihilo minus ponunt duodecim articulos fidei, non secundum numerum duodecim Apostolorum, sed secundum aliam considerationem : quoniam tres articulos de fide trium personarum comprehendunt sub uno articulo, quia eadem est trium cognitio personarum. Articulum vero de opere glorificationis distinguunt in duos, videlicet in articulum de carnis resurrectione, atque in articulum de glorificatione animæ. Articulum quoque de Christi incarnatione et nativitate, sub uno concludunt.

art. 8.

ENARRATIO IN EVANGELIUM

NEMO POTEST VENIRE AD ME, NISI PATER QUI MISIT ME, TRAXERIT EUM, ETC.
Joann. VI, 44-52.

QUUM Christus sit finis noster seu terminus supernaturalis, non possumus ad ipsum moveri sive pertingere, nisi aliunde trahamur, puta a Patre cœlesti, imo a tota Trinitate, cujus indivisa sunt opera : sicut nec terra potest ascendere, nisi ab alio elevetur. Ait itaque idem Christus :

Nemo potest venire ad me, id est, non

solum non venit, sed nec potest venire ad me interiori accessu per fidem et caritatem, *nisi Pater qui misit me, traxerit eum,* hoc est, per suam caritatem et pietatem inclinaverit atque perduxerit mentem ejus ad me, infundendo ei fidem et gratiam, quibus mihi spiritualiter uni-
Rom. IX,16. atur et incorporetur. Non est enim volentis neque currentis, sed Dei miserentis,
Jacob. I,17. cujus donum est omne bonum quod inest nobis.

Tractus iste interior est, non violentus neque coactus, sed amorosus atque spontaneus, ex divina caritate procedens. Deus namque movet unumquodque secundum propriam suam naturam. Rationalem ergo creaturam convertit et movet ad Christum intellectualiter, sponte ac libere. Denique tractus iste, inter caritatem trahentis et unionem tracti cum ipso, est medius : sine quo tractu nihil possumus.

Præterea tractus iste ex divina, ut dictum est, caritate procedens (juxta illud
Jer. XXXI,3. Jeremiæ, In caritate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans), tripliciter fit. Quosdam etenim trahit Deus flagellis : quæ tamen ex dilectione infliguntur, Do-
Apoc. III,19. mino contestante, Ego quos amo, arguo et
Osee XI, 4. castigo. Propter quod ait Osee : In funiculis Adam traham eos, in vinculis caritatis. Isti funiculi, sunt pœnalitates originale peccatum sequentes, quibus affligimur, et ad Deum converti monemur. Quosdam vero trahit Deus beneficiis, ut eum qui dixit :
Ps. XII, 6. Cantabo Domino qui tribuit mihi bona ;
Ps. CXV, 12. et, Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi ? Isaiam quoque audi
Is. LXIII, 7. dicentem : Miserationum Domini recordabor ; laudem Domini super omnibus quæ reddidit nobis Dominus, et quæ largitus est nobis secundum indulgentiam suam. Quosdam vero trahit promissis, ut qui contemplatione præmiorum cœlestium convertuntur : quemadmodum de Moyse dicit
Hebr. XI,26. Apostolus ad Hebræos, quod adspexit in
Ps. CXVIII, 112. remunerationem ; et Psalmista, Inclinavi (inquit) cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum, propter retribu-

tionem. — Aliqui insuper trahuntur solo amore dilecti.

A quibusdam additur quintus modus trahendi, qui est per occultam virtutem Spiritus Sancti et inspirationem internam. Sed iste modus generalis est omnibus præinductis, quoniam sine occulto influxu sive instinctu Spiritus Sancti, nec flagellis, nec donis, neque promissis, nec aliquo alio modo traheremur ad Christum. Illa autem tractio qua trahimur ad Deum solo ejus amore, præstantior est atque divinior, imo omnino deifica est : quia per eam ad Deum convertimur, eumque diligimus, honoramus, exquirimus, quoniam in se ipso naturaliter atque totaliter bonus, sanctus, summus est atque perfectus. Unde hoc ipsum ad filios spectat carissimos.

Et ego resuscitabo eum in novissimo die. Quid est hoc ? Nonne et eos quos Pater non trahit, suscitaturus est Filius ? Cur ergo quasi pro præmio spondet tracto, quod suscitabit eum in novissimo die ? Et respondendum, juxta Apostolum, quod
I Cor. XV, 51. omnes utique resurgemus, sed non omnes immutabimur. Nunc ergo loquitur Christus de suscitatione beatæ immutationis, hoc est glorificationis in carne, quoniam anima propter naturalem inclinationem ad corpus, non est perfecte beata donec corpori glorificando reuniatur, vel potius glorificato fuerit copulata.

Insuper probat Christus testimonio Prophetarum, quod multi sint, Patre trahente, convertendi ad ipsum. *Est scriptum in Prophetis,* id est in libris eorum : *Et erunt* tempore gratiæ *omnes* homines *docibiles Dei,* id est apti doceri vel docti a Deo. Sic tamen ut sit distributio pro generibus singulorum, non pro singulis generum : quomodo alibi dicitur, Et benedicentur in ipso
Ps. LXXI,17. omnes tribus terræ ; et item in Daniele, Omnes gentes, tribus et linguæ servient
Dan. VII,14. ei : quum tamen comparatione aliorum, pauci sint qui Christo veraciter serviunt, sicut sunt pauci electi. Unde ad insinuandum quod post incarnationem Filii Dei,
Matth. XX, 16 ; XXII, 14. per prædicationem Evangelii essent in-

comparabiliter plures divinitus illustrandi atque ad Christum convertendi, quam ante, dicta sunt verba præallegata, et quod nunc Christus allegat: « Erunt omnes docibiles Dei ». Quocirca sciendum, quod Christus, Apostoli et Evangelistæ frequenter allegant Scripturas veteris Testamenti potius quantum ad sensum quam quoad formam verborum. Unde quod dicitur nunc, Erunt omnes docibiles Dei, invenitur non solum in uno Propheta, sed in multis, quantum ad sensum, quamvis in nullo inveniatur quoad formam sermonis. Scri-
Is. XI, 9. ptum est enim in Isaia : Repleta est terra scientia Domini, quasi aquæ maris operi-
Ibid. LIV, 13. entes ; et rursus, Ponam omnes filios tuos
Jer. XXXI, 34. doctos a Domino. In Jeremia quoque : Omnes a majore eorum usque ad minorem cognoscent me.

Omnis homo viator *qui audivit* auribus cordis *a Patre* intus loquente, id est, divinum instinctum advertit, *et didicit* per inspirationem internam, id est, quem Pater docuit de his quæ spectant ad fidem :
Ps. LXXXIV, 9. qualis fuit qui ait, Audiam quid loquatur in me Dominus Deus ; *venit ad me* per fidem et operationem, per caritatem et obe-
Ps. XCIII, 12. dientiam. Ideo dicit Propheta : Beatus homo quem tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum. Non ergo ad conversionem hominis sufficit vox prædicationis, nisi fuerit Deus interius instruens.

Denique Thomas in Summa contra gentiles, redarguit Origenem dicentem, quod Deus dicitur causa bonorum nostrorum, solum quia est causa habituum infusorum per quos meritorie operamur, videlicet gratiæ habitualis, fidei, spei et caritatis. Dicit itaque Thomas, quod etiam Deus quandoque est proxima causa actionum nostrarum interiorum, Isaia testante, qui
Is. XXVI, 12. ait : Domine, dabis pacem nobis, omnia enim opera nostra operatus es in nobis ;
Philipp. II, 13. et item Apostolus : Deus est qui operatur in vobis et velle et perficere, pro bona voluntate, hoc est ex sua pietate voluntaria voluntateque pia, non meritis vestris. Dicit insuper Thomas, quod semper acquiescimus actuali inspirationi quæ nobis a Deo infunditur. Et fundatur hoc verbum Thomæ in auctoritate Augustini, dicentis : Gratia quæ occulte humanis cordibus divina largitate tribuitur, a nullo corde duro respuitur, quoniam ideo datur ut duritia cordis penitus auferatur. Ad propositum igitur : Omnis qui audivit didicitque a Patre, hoc est, actualem illustrationem immediate a Deo percepit, venit per consensum ad Christum, quoniam omnis talis veraciter acquiescit. Non tamen omnis talis salvatur, sed qui prædestinatus est, finaliter perseverans.

Sed ne ex verbis inductis aliquis æstimaret Deum Patrem esse oculo carnis visibilem, vel intellectu comprehensibilem, addidit Christus : *Non quia Patrem* æternum *vidit quisquam* hominum oculo corporali, vel etiam intellectuali, loquendo de visione comprehensionis perfectæ : quia sic solus Deus comprehendit se ipsum, immensus immensum. Loquendo autem de visione Dei per speciem quam habent Sancti in patria, sic nullus purus viator vidit Deum visione fixa ac cœliformi : quamvis Moyses et Paulus credantur Deum in hac vita vidisse per speciem, in raptu quodam non diu durante. De hoc dictum est plenius alibi super illud : Deum nemo *Joann.* I, 18. vidit unquam. Sed quoniam Christus hæc proferens homo fuit, ne Judæi putarent eum non vidisse Patrem, subjecit : *nisi is qui est a Deo*, hoc est Filius natus a Patre, vel missus a Deo Trinitate. Filius enim in quantum homo, missus ac originatus est a se ipso secundum quod Deus. *Hic vidit Patrem* visione perfectæ comprehensionis, in quantum est Deus, et item visione beatificæ fruitionis, secundum quod homo, ab incarnationis exordio. Ex hoc sequi videtur, quod Christus non loquitur de visione corporali, quia sic nec ipse videt Patrem. Porro, per hoc quod ait, « nisi is qui est a Deo », non excluditur Spiritus Sanctus quin et ipse comprehendat Patrem, quum dicat Apostolus, quod Spiritus scrutatur profunda Dei, et *I Cor.* II, 10.

I *Cor.* II, 11. quæ Dei sunt nemo novit, nisi Spiritus ejus.

Amen, amen dico vobis, qui credit in me fide caritate ornata, *habet* nunc *vitam æternam* in spe, in merito, in radice, in dispositione propinqua. Habet enim causam meritoriam spemque idoneam ingrediendi vitam æternam, seu obtinendi beatificam divinæ essentiæ visionem. Vel, habet vitam gratiæ realiter in præsenti. Qui enim credit in Christum, habet Christum. Et utique Christus est vita æterna, quemad- *Joann.* XIV, 6. modum contestatur : Ego sum via, veritas et vita. Joannes quoque in prima sua ait I *Joann.* V, 20. Canonica : Hic est verus Deus et vita æterna. *Ego sum panis vitæ* substantialiter atque causaliter. Panis sum omnia pascens : non tamen in quemquam convertor aut mutor, sed fideliter manducantem converto in me. Sum etiam panis vitæ, quia sumentibus digne do vitam gratiæ in præsenti, et vitam gloriæ in futuro. De hoc In *Joann.* VI, 35. verbo alibi dicta sunt plura.

Deinde inanem gloriationem Judæorum de manna præsumentium, Christus evacuat. *Patres vestri manducaverunt manna in deserto, et mortui sunt.* Palam est quod mortui sunt morte naturæ. Sed quia mox subditur, Hic est panis de cœlo descendens, ut si quis manducaverit ex ipso non moriatur, certum est quod loquitur de morte culpæ. Hoc enim Christus adjecit, distinguendo inter panem vitæ quem ipse dat, et manna. Sed numquid omnes patres Judæorum qui manna edebant, mortui sunt morte culpæ? Non utique, quia nec Moyses, nec Aaron, nec Josue, nec ceteri justi illius exercitus. Loquitur ergo Salvator de patribus Judæorum quorum vestigia isti sectabantur, puta incredulis *Num.* XXI, 5. seu perversis, qui dixerunt : Anima nostra nauseat super cibo isto levissimo. Illis quippe fuit panis ille insipidus. Justis vero optime sapiebat, quemadmodum in *Sap.* XVI, 20, 21. libro Sapientiæ scribitur : Panem de cœlo præstitisti eis, omne delectamentum in se habentem et omnis saporis suavitatem : ad quod enim quisque volebat, convertebatur. De illis vero carnalibus tantum, non carnalibus simul et spiritualibus patribus, loquitur Christus Judæis alio loco : Mur- *Matth.* XXIII, 32. muratores, filii murmuratorum, implete mensuram patrum vestrorum.

Subditur ergo de pane vero vitali, non figurali dumtaxat, quamvis et panis vitæ quem dat Christus, sit aliquo modo figurativus illius panis cœlestis in patria de quo in Luca habetur : Beatus qui manducabit *Luc.* XIV, 15. panem in regno Dei. *Hic* panis vitæ de quo dictum est, utpote Verbum incarnatum, vel corpus dominicum, *est panis de cœlo descendens.* Verbum enim descendit per incarnationem et novi effectus productionem. Corpus autem descendit, quia virtute Spiritus Sancti formatum, non quia de cœlo allatum. Descendens, inquam, ad hoc, *ut si quis ex ipso manducaverit,* manducatione sacramentali et spirituali simul, vel spiritualiter dumtaxat, *non moriatur* morte culpæ in præsenti, vel morte damnationis æternæ in futuro, quæ est *Apoc.* II, 11; XX, 6, 14; XXI, 8. mors secunda.

Ego sum panis vivus : quia secundum naturam divinam essentialiter vita sum, vivens in me ipso, et vitam gratiæ vitamque gloriæ causo in aliis, omnes electos reficiens et confortans. Porro, secundum naturam assumptam sum panis vivus, quoniam propter unionem cum Verbo, habeo plenitudinem omnium gratiarum, et gloriam perfectissimæ fruitionis in Deo, atque per corpus et sanguinem meum, fidelium animas alo ac poto, gratiam illis præstando per modum causæ instrumentalis ac meritoriæ. Humanitas etenim Christi est instrumentum animatum, conjunctum ac proprium Verbi, per quod et cujus virtute ac merito, omnia divina nobis præstantur gratiarum charismata : sicut et corpus nostrum est instrumentum animatum, unitum et proprium animæ rationalis, per quod anima agit et effluit. *Qui de cœlo descendi* per incarnationis mysterium et novi effectus productionem, non per localem descensum, ut dictum est sæpius.

Si quis manducaverit, non sacramenta-

liter tantum, sed sacramentaliter et spiritualiter, vel ad minus spiritualiter cum proposito manducandi sacramentaliter quum fuerit opportunum, *ex hoc pane, vivet in æternum* vita spirituali, quæ nunc in ipso inchoatur, et virtute sacramenti perficitur, atque in patria consummatur. Nunc enim vivit, bene agendo per gratiam; et in futuro vivet, Deum videndo per gloriæ lumen, dummodo finaliter perseveret in hujus manducationis effectu. Vivet itaque in æternum, quantum est ex parte sacramenti, quod tantæ efficaciæ est ut possit vitam æternam influere. — Quum quilibet communicans recipiat panem istum totum ac integrum, non partem dumtaxat, cur ait, Si quis manducaverit ex hoc pane, et non potius, Si quis manducaverit hunc panem? Dicendum, quod ad insinuandum quod panis iste inconsumptibilis est, nunquam deficiens.

Præterea, ad intelligendum omnia quæ de isto sacramento jam asseruntur, oportet scire quod in Sacramento altaris sunt tria. Primum est sacramentum tantum, videlicet species panis et vini post consecrationem. Secundum est res et sacramentum, videlicet corpus et sanguis Christi. Tertium est res tantum, utpote gratia sacramentalis, vel unitas corporis mystici. Species itaque panis et vini dicuntur sacramentum, quoniam rei sacræ sunt signum, videlicet corporis et sanguinis Christi. Corpus vero est sacramentum respectu sui effectus, qui est gratia, vel respectu sui signati, quod est corpus mysticum, puta Ecclesia. Quum igitur aliquis accipit corpus et sanguinem sub speciebus sacramentalibus, et non participat sacramenti hujus effectum, scilicet gratiam atque Ecclesiæ incorporationem, propter suam incapacitatem, indignitatem et pravitatem, qua ponit obicem gratiæ, dicitur manducare sacramentaliter tantum. Quum vero sumendo sacramentum, recipit ejus salutarem effectum, manducat sacramentaliter et spiritualiter. Dum autem sortitur effectum præfatum, nec tamen suscipit sacramentum, manducat spiritualiter solum.

Et panis quem ego dabo, per me ipsum in Cœna, hoc sacramentum instituendo discipulisque tradendo, et in ara crucis Patri panem hunc offerendo, et deinceps per meos ministros, videlicet sacerdotes, quibus convenit sacramentum istud consecrare atque porrigere aliis; *caro mea est,* quæ alit mentem fidelium : tum quia Verbo unita, tum quoniam gratiis plena per redundantiam, et quia Divinitatis gratiam creantis est instrumentum, itemque merito suæ actionis ac passionis; *pro mundi vita,* hoc est pro spirituali vivificatione hominum viatorum in mundo degentium. Ad hunc enim finem, ut a morte culpæ ac miseriæ eriperemur, vitamque gratiæ et gloriæ consequeremur, dedit Christus corpus suum in cruce in pretium, et in sacramento in edulium atque remedium. Quotidie quoque dat panem istum pro vita nostra, hoc est, ad hoc ut in vita gratiæ roboremur ac perficiamur. Verumtamen non est sic intelligendum quod ait, « pro mundi vita », quod per receptionem hujus sacramenti, vita gratiæ in homine inchoetur : imo, qui sine vita gratiæ ad hoc sacramentum accederet, amplius moreretur in anima, reusque fieret corporis Domini. Quum enim sacramentum istud sit cibus spiritualis, ideo, sicut cibus corporalis non datur nec prodest nisi viventi vita naturæ, sic cibus hic spiritualis non convenit nec proficit nisi viventi vita gratiæ. I Cor. XI, 27.

SERMO SECUNDUS

DE PRÆDESTINATIONE, REPROBATIONE, ELECTIONE DIVINA CHRISTI, ANGELORUM ET HOMINUM.

NEMO potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum. Joann. VI, 44.

Quum peccans gratiæ impedimentum præstet, ideoque secundum ordinis rerum exigentiam gratia privandus sit, Deus tamen qui ordinis naturæ institutor actorque exsistit, peccantium quosdam misericorditer prævenit per gratiæ infusionem, eosdem a malis avertendo, et ad bonum dirigendo. Et in hoc bonitatis suæ largitas ac majestatis virtus relucent, quemadmodum in his quæ in natura supernaturaliter operatur : ut sunt mortui resuscitatio et quies solis. Alios denuo peccantium juste derelinquit, quatenus in illis ordo divinæ æquitatis servetur : sicut etiam non omnes mortuos suscitat, neque languidos universos curat, ut in his ordo naturæ resplendeat. Quia ergo divina operatione, hominum hi quidem per gratiæ adjutorium in finem ultimum diriguntur, ceteri vero hoc gratiæ subsidio expertes atque deserti derelinquuntur, et ab ultimo fine decidunt ; hinc necesse est hujuscemodi diversitatem hominum ab æterno in divinæ mentis consilio esse ordinatam. Quidquid enim a Deo agitur, in ipsius sapientia ab æterno provisum est et ordinatum (sicut aliquando deductum est ad longum). Secundum ergo quod quosdam ab æterno præordinavit ut in ultimum finem dirigendos, dicitur eosdem prædestinasse : et qui ita præordinati sunt, prædestinati appellantur. Unde ad Ephesios primo ait Apostolus : Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum, secundum propositum voluntatis suæ. Insuper, hos quibus ab æterno disposuit se gratiam non daturum, reprobasse et odio habuisse dicitur, juxta illud Malachiæ : Jacob dilexi, Esau autem odio habui. Hinc quoque ad Romanos scribens Apostolus, ait : Volens Deus ostendere iram, et notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum, ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam.

Cf. de Lumine christ. theor. lib. I, art. 58 et s.

Ephes. I, 5.

Malach. I, 2, 3.

Rom. IX, 22, 23.

Porro, quum hominum in conformibus culpis obnoxiorum, hos præveniendo convertat et dirigat, hos vero juste deserat, secundum ordinem rerum procedendo, non est ratio cur hos convertat et non illos. Hoc namque ex sola simplicique ipsius voluntate dependet : sicut etiam ex simplici Dei voluntate emanavit, quod quum omnia ex nihilo producerentur, quædam quibusdam digniora constituta sunt, nullo prorsus antecedente merito aut demerito ; quemadmodum etiam ex simplici artificis voluntate oritur, ut ex eadem materia uniformiter disposita, quædam vasa ad nobiles, quædam autem ad ignobiles usus formentur. Propterea nempe Apostolus : An non habet (inquit) potestatem figulus, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam ? Unde constat, prædestinationem non ex meritis processisse : gratia enim, quæ est prædestinationis effectus, non prævenitur meritis, sed præcedit merita hominum universa, alioqui gratia non esset gratia. Si enim ex operibus, jam gratiæ rationem amittit. Præterea, voluntas divina est prædestinationis causa : voluntas autem divina est prima causa. Sed primæ causæ non est causa : aliter esset aliquid prius primo, quod implicat. Providentiæ etiam divinæ

Ibid. 21.

Ibid. XI, 6.

res creatæ causa non sunt : æternæ enim præordinationis res temporalis causa non est. Per hoc autem positio Origenis destruitur. Dixit enim hos converti ad Deum, et non illos, propter quædam opera ac merita quæ eorum animæ priusquam corporibus imprimerentur, fecissent : de qua quidem positione jam diligens inquisitio facta est.

Cf. de Lumine christ. theor. lib. II, art. 47, 48.

Porro, ratione distinctionis secundum quam quidam prædestinantur, quidam autem reprobantur, divina electio dicitur. De qua ait Apostolus ad Ephesios : Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem. Licet autem electionis seu prædestinationis nulla merita causa sint effectuum, tamen prædestinationis et electionis unus alteri causa potest esse. Dicitur insuper prædestinatio respectu salvandorum ; præscientia vero respectu reproborum et electorum dici invenitur : et quidem præsciti ad mortem, reprobi appellantur. Verumtamen, quum præsciti ad vitam, singulare nomen, utputa prædestinationis, sortiti sint, nomen præscientiæ respectu reproborum communius accipi solet, ut reprobi exsistentes, præsciti nominentur.

Ephes. I, 4.

Elucescit igitur ex iis, quod prædestinatio, reprobatio et electio, providentiæ divinæ partes quædam sunt, quoniam respectu rationalis creaturæ dumtaxat dicuntur ; providentia autem omnia connectit. Hinc igitur, ex eisdem considerationibus quibus præinductum est providentiam rebus necessitatem non influere, etiam nunc deduci potest libertatem ac contingentiam non tolli ab entibus propter prædestinationem, reprobationem electionemque divinam.

Est quippe prædestinatio, divina quædam ac æterna præordinatio eorum quæ in tempore per Dei gratiam fienda consummandaque exsistunt : quod jam quoque prætactum est. Est autem in tempore (vel potius in temporis præordinata plenitudine) hoc factum, ut per unionis gratiam homo esset Deus, et Deus homo ; nec dubium quin æterna ratione id ipsum a Deo prædispositum sit. Itaque naturarum duarum in una persona Christi unio, sub æterna Dei prædestinatione cadit, et ob id dicitur Christus esse prædestinatus, sed singulari modo. Ceteri enim prædestinantur ut sint adoptivi filii Dei, juxta illud Apostoli : Prædestinavit nos in adoptionem filiorum Dei. Sed sicut Christus singulari modo præ aliis Filius Dei est, sic specialiter prædestinatus est. Non enim Christo competit filium esse adoptivum, sed potius naturalem. Natura namque humana ad personalitatem Verbi assumpta est, ut sit idem Filius in duabus naturis subsistens, sitque unus Filius Dei Patris et sacræ Virginis. Per modum igitur hunc, ratione naturæ assumptæ dicitur Christus prædestinatus.

Rom. I, 4.

Ephes. I, 5.

Denuo contemplandum est, quod prædestinatio dupliciter considerari potest : uno modo secundum ipsum actum prædestinantis ; alio modo secundum terminum seu finem prædestinationis, id videlicet ad quod aliquis prædestinatur. Respondendum igitur, quod prædestinatio Christi causa est atque exemplar prædestinationis nostræ, quoad secundam prædestinationis considerationem. Quod nempe sit causa, sic innotescit : nam ab æterno ordinatum est ut humana salus per Jesum Christum consummaretur. Quod insuper exemplar sit prædestinationis nostræ hoc modo, sic elucescit. Jam enim ostensum est, Christum singulari modo prædestinatum dici, ad hoc videlicet ut sit naturalis, et non adoptivus, Dei Filius. Quod tamen prædestinatio competit Christo propter naturam assumptam, lucidius jam inductum est. Nos denique in adoptivam filiationem prædestinamur. Hæc vero prædestinatio, naturalis prædestinationis participata quædam similitudo exsistit, contestante Apostolo ad Romanos : Quos (inquit) præscivit, hos et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui. Rursus, prædestinatio Christi nostræ prædestinationis exemplar dicitur propter modum consequendi bonum, quod est prædestinationis terminus. In Christo enim natura humana, nullis suis præeuntibus meritis,

Rom. VIII, 29.

eatenus per gratiam exaltata est, ut ad personalem subsistentiam Verbi sublimata sit. Hæc equidem tam supereminens gratia in Christo, non incongruenter exemplar nominatur susceptionis gratiæ nostræ : nam et de plenitudine gratiæ ipsius accepimus omnes. *Joann.* I, 16.

Si autem accipiatur prædestinatio secundum primum modum, tunc prædestinatio Christi neque causa est neque exemplar prædestinationis nostræ, sicut B. Thomas ait. Quod non sit causa, ostendit. Sic enim prædestinatio est æterna, ideoque causam non habet. Rursus, quia ex simplici Dei voluntate dependet. Præterea, remota causa, removetur effectus. Sed remota prædestinatione Christi, nostram prædestinationem tolli non oportet. Nam ut in libro de Trinitate scribit Augustinus, si Dei Filius non incarnaretur, erat adhuc alius modus nostræ salutis. Patet igitur quemadmodum verbum Apostoli accipiendum sit, quo ait : Prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum. Porro, quod nec sit exemplar prædestinationis nostræ Christi prædestinatio, si nomen prædestinationis primo modo sumatur, inducitur. Exemplum enim præexsistit exemplato, et in cognitionem illius deducit. Sed primo modo dicta prædestinatio, est æterna, neque necesse est ut in ipsius agnitionem duceretur Deus ex aliquo alio. — Verumtamen, quod secundum modum nunc præexplanatum, prædestinatio Christi prædestinationis nostræ exemplar sit, ex eo quod in libro de Prædestinatione Sanctorum ait Augustinus verbo innotescit. Est, inquit, præclarissimum lumen prædestinationis et gratiæ, ipse Salvator. *Ephes.* I, 5.

Denuo ex præinductis patescit, in ejusdem veritatis (haud dubium quin primæ ac increatæ) contemplatione, hominum angelorumque plenam beatitudinem fore constitutam. Et sicut divina fides adstruit, ad supplendum angelorum casum homo ipse creatus est. Angelica namque natura in his qui perierunt libata est. Numerus autem civium supernæ civitatis electorum Dei, prædordinatus est utique et determinatus prorsus ab æterno in divinæ mentis sapientia. Siquidem in numero, pondere atque mensura, universa constituta sunt, præsertim ea quæ optima sunt in entibus. Hinc ad reparationem eorum qui lapsi sunt, homines facti sunt, ne semper incompletus perseveret electorum numerus. Si igitur ob aliam causam nullam homo creatus est, quam quæ jam reserata est ; tunc palam, quod coæqualis et tantus sit electorum hominum numerus, quantus est spirituum illorum qui prolapsi sunt. *Sap.* XI, 21.

Sed an ob hanc solummodo causam, humanæ naturæ propago instituta sit, indagandum est. Et quidem, si angelorum numerus completus fuerat, ita quod tantam electorum multitudinem comprehenderit, quot prædordinati sunt electi ad vitam ; tunc rursus manifestum est, non fore plures electorum hominum quam angelorum prævaricantium. Sic etenim ob nullam aliam causam homo creatus esset, quam ut angelorum locum possideret. Quo concesso, deinceps concedendum est angelicam humanamque naturam simul productam non fuisse. Si enim omnia, ipse quoque homo et angelus, simul distincte facta sunt, quemadmodum scriptum est, Qui vivit in æternum, creavit omnia simul ; tunc necesse erat aut humanam angelicamve creaturam transgredi atque e regno juste depelli, aut certe numerum ab æterno prædispositum electorum augeri, aut humanum genus prædordinata beatitudine penitus privari. Non enim potuit æternæ sapientiæ dispositio frustrari, ut minueretur augereturve prædordinata electorum multitudo. Ideoque vel necesse erat angelum peccare, aut hominem cœlesti felicitate omnino destitui, aut hominem prævaricari, quatenus angeli in beatitudine perseverarent, qua privari, donec transgrederentur, non valebant : quæ omnia absurda sunt. *Eccli.* XVIII, 1.

Porro ordo est optimum in entibus, secundum Aristotelem ; est denique intimus rebus, secundum Dionysium. Decuit equi- *Cf.* t. XV, p. 22 B ; XVI, p. 69 C.

dem fontanam divinæ mentis sapientiam, ordinatum pulchrumque plasma producere, quemadmodum etiam Plato demonstrat. Ordo autem universi non tam in individuis quam in naturis rerum consistit, ut Anselmus dicit, et superius demonstratum est. Ad perfectionem igitur perfectumque mundanæ molitionis ordinem, necessaria fuit humana species, si etiam angelorum nullus peccasset. Et quidem si non requirebatur, tunc jam utique superflueret : quod tamen neque de minimi vermiculi natura dicere fas est. Omnia nempe in sapientia facta sunt. Sapientis vero proprium opus, est ordinare. Si ergo angelus non peccasset, homo nihilo minus crearetur : ex quo, sicut præexemplatum est, consequens fit, angelos in perfecto numero non fuisse conditos, pluresque fore homines electos quam angelos reprobos.

Cf. de Lumine christ. theor. lib. I, art. 12, 26.

Ps. CIII, 24.

Amplius, et est ratio Anselmi, si in perfecto numero angeli creati sunt, hominumque genus ob id dumtaxat institutum est ut lapsorum ejectio per ipsum repleretur ; tunc sequeretur, homines tantum de perditorum angelorum crimine lapsuque lætari, quantum et de propria assumptione. Non enim assumpti essent, nisi illi cecidissent. Sed de crimine et alterius malo lætari eos qui felices sunt et sancti, nullatenus congruit ; neque cum hujuscemodi gratulatione vere beati essent, quum plena finalisque felicitas omnem prorsus impuritatem præscindat. Erunt (inquit) homines sicut angeli Dei : in quibus palam est nullam fore immunditiam. Enimvero, quamvis per angelorum casum, salvandorum hominum numerus auctus sit, non tamen ex hoc consequens est ut de illorum perditione homines quidam in patria jucundentur. Quoniam etenim sine angelorum damnatione homines quidam salvandi fuerant, non necesse est constare hominibus, qui pro angelorum lapsu assumpti sunt, quive ob aliam rationem : ideoque nullus de alterius crimine et malo illic lætari diceretur. Quomodo enim poterit quis scire (sicut in libro Cur Deus homo, manifestat Anselmus) utrum pro restaurando quod imminutum fuerat, an pro complendo quod nondum perfectum erat, in summa illa civitate Dei assumptus sit ?

Matth. XXII, 30.

At vero (et sumit ratio hæc originem ex doctrina Platonis) pulchritudo universi in ordine specierum ejus potissimum statuenda est. Decuit ergo perfecto mundani ordinis decori, ut nedum simplex separatusque intellectus a summo rerum opifice fieret, sed etiam conjunctus corpori intellectus produceretur, utputa humanus : quatenus (ut Plato asserit) a mundano supermundanoque intellectu agnosceretur Deus sublimis. Si igitur homo congruit naturali perfectioni rerum et decori universi, tunc utique ad plenitudinem supercœlestis illius pulchritudinis supermundanæ civitatis Dei benedicti, id ipsum per amplius necessarium est. Decentissimum ergo est, beatam illam aulam primi principis et universalis patrisfamilias, ex hominibus angelisque constare. Ex quo consequens est, non ob angelorum restaurationem reproborum, hominem dumtaxat constitutum. Hæc tamen non pertinaciter asserendo dicta sint, sed quia sic rationabilius videtur, donec quod veritati divinæ fidei amplius consentaneum est, introducatur.

Si insuper tot angeli cecidissent quot confirmati sunt, tunc idem esset inquirere, utrum numerus hominum salvandorum sive reprobis sive electis angelis coæquandus sit. Sed quoniam potius existimatur plures permansisse quam cecidisse, jamque ostensum sit rationabilius (ut videtur) dici posse, multitudinem electorum hominum, reproborum angelorum numerum excedere ; superest ut de hoc aliquid investigetur, an tot sint homines salvandi quot sunt spiritus angelici electi.

Gregorius igitur ait, quod tot sint homines salvandi quot sunt angeli beati, et allegat scripturam quæ ait : Statuit terminos gentium juxta numerum angelorum Dei. [8] Quod etiam aliter sic invenitur : Constituit

Deut. XXXII, 8.

terminos populorum juxta numerum filiorum Israel. Verumtamen, sicut Anselmus tangit, verbum istud multipliciter intelligi potest. Si enim ita dicatur, Constituit terminos populorum juxta numerum angelorum Dei, exponi potest ad mentem Gregorii, sicut jam dictum est : ut per populos electi homines designentur. Et est sensus iste : Tamdiu prædestinati erunt in hoc mundo, donec tot in cœlo recipiantur, quot in eo angeli permanserunt. Rursus, si dicatur, Constituit terminos populorum juxta numerum filiorum Israel, intelligi potest hoc modo : tamdiu in hoc mundo homines esse debebunt, donec electorum hominum numerus perfectus sit. Itaque per filios Israel electi homines denotantur : qui etiam filii Abrahæ sæpe appellantur. Denuo, si per angelos Dei omnes electi, ipsi etiam homines prædestinati (qui ideo angeli dici possunt, quoniam in terris angelicam vitam ducunt, vel certe inchoant), explicentur, tunc sensus erit iste : Constituit terminos populorum, ipse utique Deus, juxta numerum angelorum Dei, id est, tamdiu durabit hominum procreatio in hoc mundo, donec electorum numerus ex hominibus constans et angelis, impleatur. Et quidem determinatio Gregorii rationabilis videtur, et ex præinductis fulcimentum sortitur. Si namque, quemadmodum paulo ante declarabatur, supermundanæ illius civitatis Dei plena pulchritudo in hoc consistat, ut a duplici intellectu, separato scilicet et conjuncto, seu angelico et animali, agnoscatur et laudetur Deus ; tunc congruum videtur, ut sint tot homines prædestinati quot angeli electi. Quanquam in materia ista, aliorum positiones enarrare plus complaceat, quam de proprio quidpiam inserere. Scit nempe Deus, qui universæ beatitudinis fons est et solus desiderabilis, quos et quot elegerit, in quibus benignitas sua reluceat. Novit æque, quos et quot præsciverit, in quibus æquitas sua innotescat. *Joann.* XIII, 18.

SERMO TERTIUS

PECCATUM IN SPIRITUM QUID SIT, QUAMQUE ENORME, ET CUR IRREMISSIBILE DICATUR.

QUICUMQUE dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei ; qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo neque in futuro. Matth. XII, 32.

Peccare in Spiritum Sanctum, dupliciter dicitur, scilicet : peccare in personam ejus, ut quum de ea male quis sentit, quemadmodum qui asserebant eum ministrum Patris et Filii : et sic est peccatum infidelitatis. Secundo dicitur peccare in Spiritum Sanctum, peccare contra attributum ejus, quod est bonitas ; et ideo ex certa malitia aut industria peccare, est peccare in Spiritum Sanctum : sicque accipitur proprie peccatum in Spiritum Sanctum. Peccare autem ex infirmitate, est peccare in Patrem, cujus attributum est potentia ; atque ex ignorantia peccare, est peccare in Filium, cui attribuitur sapientia. Nempe, ut quinto Ethicorum Philosophus docet, tribus modis contingit peccare : ex ignorantia, passione, et electione. Itaque ex ignorantia peccare, est peccatum in Filium, dum scilicet aliquid ignoratur quod a peccato retraheret. Peccare ex passione, est peccatum in Patrem, quum ex passione aut innata aut illata quis peccat : hoc namque est ex infirmitate peccare. Ex electione vero is peccat qui non alia tentatione victus, sed ex ipsa sua malitia cum deliberatione, peccato adhæret ut fini : et

hoc est peccare in Spiritum Sanctum. Dicit autem Augustinus, quod omne peccatum ex errore causatur : quod ad ignorantiam pertinere videtur. Sed hoc de ignorantia electionis est dictum : secundum quam omnis peccans est ignorans, secundum Philosophum, in quantum videlicet in particulari eligibili errat.

Advertendum quoque, quod ex certa deliberatione atque malitia peccare, intelligi potest dupliciter. Vel ex aliquo interius inclinante, ut est habitus malus : et sic omnis qui in malo habituatus est, ex electione peccat, ut intemperatus. Secundo, quum voluntas id rejicit quod a peccato retrahere potest : sicut dum spem futuræ vitæ quis abjicit, ut peccato liberius vacet. Primo autem modo ex electione peccare, non est determinatum genus peccati, sed quædam communis circumstantia peccati. Sed secundo modo, est determinatum genus peccati, quod proprie peccatum in Spiritum Sanctum vocatur. Sic enim habet speciale objectum, utputa id quod a peccato est natum retrahere : quod utique est bonitas Spiritus Sancti, aut effectus ei appropriandus. Quum autem secundo modo ex electione peccatur, sunt ibi duo actus mali, quorum unus est causa alterius. Et prius, videlicet spontanea abjectio ejus quod peccatum impedit, est proprie peccatum in Spiritum Sanctum ; aliud autem non ita : sicut si ex desperatione quis fornicetur, non est fornicatio in Spiritum Sanctum ; sed ipsa aspernatio ejus quod peccatum impedire potest, peccatum in Spiritum Sanctum dicitur.

Denique sufficientia specierum peccati in Spiritum Sanctum, ita accipitur. Nam peccatum in Spiritum Sanctum est ex hoc, quod quis abjicit quod peccatum impedire potest. Retrahitur autem aliquis a peccato, aut propter deformitatem peccati, aut propter aliud. Si propter aliud, hoc est dupliciter, scilicet : vel ad vitanda supplicia, vel ad præmia consequenda ; quorum neutrum est virtuosi, cujus est bonum operari propter amorem boni. Hæc vero duo tolluntur per præsumptionem, quæ privat timorem supplicii, et desperationem, quæ aufert spem præmii. Si autem retrahatur a malo et agat bonum propter se, scilicet delectatus amore boni, hoc est dupliciter : quoniam in actu virtutis vel vitii considerari potest vel quoddam bonum humanum, aut quoddam bonum divinum. Si ergo consideretur actus peccati ex parte ejus quod est humanum, sic duo in ipso considerari possunt : delectatio indebita scilicet, atque deformitas. Et ex utraque quis a peccato retrahi potest. Et quoad hoc, sunt duæ species peccati in Spiritum Sanctum, scilicet : obstinatio, qua aliquis firmiter adhæret delectationi, ac si non esset indebita ; et impœnitentia, qua deformitatem peccati nec abhorret neque relinquere curat. Divinum quoque in actu virtutis, quod etiam a peccato retrahit, est duplex : unum velut dirigens, scilicet veritas fidei ; aliud sicut inclinans, videlicet gratia in Ecclesiam a Spiritu Sancto diffusa. Contra primum est impugnatio veritatis agnitæ, contra secundum invidentia fraternæ gratiæ.

Itaque desperatio prout est peccatum in Spiritum Sanctum, non est ex hoc quod remissionem peccatorum quis neget, hoc namque infidelitatis est vitium ; sed quoniam homo remissionem peccatorum quam fieri credit, a se rejicit ut securius peccet, nolens in ea tendere per quæ remissionem peccatorum percipiat. — Porro, sicut perseverantia uno modo est specialis virtus, prout dicit propositum perseverandi in bono incepto usque in finem ; alio autem modo est quædam circumstantia aliarum virtutum, secundum quod dicit actualem in actibus virtutum durationem usque ad mortem : sic impœnitentia prout dicit propositum non pœnitendi, est species peccati in Spiritum Sanctum ; sed in quantum dicit permanentiam in peccato usque ad mortem, negando peccati pœnitentiam, sic est quædam circumstantia et accidens aliorum peccatorum. — Advertendum autem quod veritas et sapientia et hujusmodi, si se-

cundum propriam rationem considerentur, appropriantur Filio ; si vero considerentur ut dona, sic appropriantur Spiritui Sancto, qui est primum donum, in quo omnia dona donantur. — Invidia quæ est peccatum in Spiritum Sanctum, non est illa quæ est de prosperitate aut actione hominis, sed quæ est de exaltatione gratiæ ejus, vel ideo quod multi convertuntur ad Deum. —Nullum quippe istorum est peccatum in Spiritum Sanctum, nisi quia voluntas tendit per se in ea : ut quod aliquis non vult habere spem præmiorum, nec vult assentire veritati quam novit. Si autem contingunt ex quodam exteriori, seu passione seu rationis defectu, sic non erunt peccata in Spiritum Sanctum.

Dicitur quoque peccatum in Spiritum Sanctum irremissibile, non quia remitti non possit, sed quia de se non habet aptitudinem ut remittatur : et hoc, tribus de causis. Primo, ex causa movente : nam procedit ex industria et mera malitia seu electione, non autem ex infirmitate aut ignorantia, quæ peccatum remissibile faciunt, quia rationem voluntarii minuunt. Secundo, propter modum inclinationis, quia in peccato hoc adhæret quis malo sicut fini. Et hæ duæ rationes sunt in omni peccato quod ex electione procedit, ut irremissibile sit. Tertia vero propria est peccato in Spiritum Sanctum, et sumitur ex parte objecti : nam peccans in Spiritum Sanctum, abjicit remedium a peccato retrahens, seu spiritualem medicinam peccati. Unde, sicut æger medicinam fastidiens, incurabilis est quantum in se est, nisi miraculose curetur ; sic in Spiritum Sanctum peccans, secundum se incurabilis est, sed quasi miraculose ab immensitate divinæ clementiæ curari potest, ideoque de eo penitus desperandum non est.

Solet præterea quæri, an aliquis in primo actu peccati, et ante alia peccata, peccare possit in Spiritum Sanctum. Ad quod respondendum, quod quum nihil appetatur nisi sub ratione alicujus boni, ideo, sicut in objecto peccati in Spiritum Sanctum, est minimum de bonitate, tam vera quam apparenti, sæpius et quasi semper ipsum sequitur post alia, imo gravissima peccata, dum scilicet homo omnino obtenebratus est. Nihilo minus, quoniam peccatorum quorum actus distincti sunt, unum non necessario præsupponat aliud, ipsa quoque voluntas ad utrumque oppositorum se habeat ; ideo possibile est aliquem ante alia peccata peccare in Spiritum Sanctum, præsertim in ultimis duabus speciebus, videlicet impugnatione veritatis agnitæ, et invidentia gratiæ qua reconciliati sumus : nam hæ species ab aliis peccatis ampliorem habent distinctionem. Et tamen etiam in aliis speciebus hoc accidit, si quis bene consideret : nam potest aliquis abjicere spem futuræ beatitudinis propter difficultatem perveniendi ad eam, et propter delectationes eorum qui de ea non curant ; aut firmare animum suum ut in omnibus propriam voluntatem sequatur, quod obstinationis est.

Ex hoc etiam solvitur quæstio, an peccatum primi hominis vel angeli erat in Spiritum Sanctum. Et dicunt quidam, quod peccatum eorum nec erat in Patrem, nec in Filium, nec in Spiritum Sanctum : quia istæ differentiæ peccati non sunt nisi secundum quod peccatum invenitur in natura corrupta. Siquidem infirmitas, malitia et ignorantia, ex naturæ corruptione secutæ sunt. Licet autem istud de infirmitate verum sit, non tamen de ignorantia, neque de malitia. Nam ignorantia non privative, sed negative accepta, est defectus sequens intellectum creatum, eo quod creatus est, in quantum deficit a lumine increati intellectus : et sic non præexigit culpam. Et ex tali nescientia seu ignorantia nascens peccatum, est peccatum in Filium : quia videlicet intellectus non omnia actu considerat, nec cuncta agnoscit quæ sciri possunt. Similiter, non oportet quod malitia sit pœna, sed est aliquis actus peccati. Sciendum autem, quod primum peccatum primi hominis et angeli, non erat

peccatum in Spiritum Sanctum : quod ex objecto patet. Non enim peccaverunt repugnando spei aut alicui tali ; sed erat superbia, quantum ad genus peccati. Quantum vero ad circumstantiam peccati, erat peccatum in Filium, quia uterque ideo peccavit, quod non consideravit quod ad evitationem peccati considerandum erat. Nihilo minus ex primo peccato angeli consecutæ sunt multæ aliæ deformitates, scilicet invidia, odium, etc., inter quæ esse A potuit peccatum in Spiritum Sanctum.

Porro advertendum, quod peccare ex spe misericordiæ, non est peccatum in Spiritum Sanctum, sed peccare ex spe divinæ misericordiæ sine pœnitentia consequendæ : hoc enim repugnat divinæ justitiæ. Et ideo, licet (secundum Augustinum) Adam peccando cogitavit de divina misericordia, non tamen peccavit in Spiritum Sanctum, quia simul cogitavit de pœnitentia, ut Augustinus testatur.

AD RELIGIOSOS

SERMO QUARTUS

QUID SIT GRATIA, ET AN REALITER IDEM SIT QUOD VIRTUS.

GRATIAM et gloriam dabit Dominus. Ps. LXXXIII, 12.

Quoniam Deus omnipotens et æternus, ex sua incomprehensibili caritate, inæstimabili liberalitate, ineffabili pietate, creavit genus humanum, imo et angelos universos, ad supernaturalem beatitudinem, quæ est immediata ac fruitiva visio Deitatis per speciem, clare videlicet sicut est in se ipsa ; hinc Deus multiplici supernaturali dono ornavit angelos sanctos, hominesque electos, quatenus ipsi homines per hæc valeant supernaturalem felicitatem C mereri ac adipisci : quoniam media fini oportet proportionari, nec per pura naturalia et acquisitas politicasque virtutes valet quis supernaturalem illam mereri felicitatem.

Porro, inter hæc supernaturalia dona primum ac præstantissimum ponitur gratia. Et quamvis hoc nomen, gratia, multipliciter valde in Scripturis, a doctoribus quoque, imo et in communi usu loquendi, accipiatur, prout hoc alibi (præsertim in *Cf.* t. XVIII, p. 343 A et s. Dialogion de fide catholica) declaravi, et D

B nunc propter prolixitatem evitandam declarare omitto ; tamen hoc loco accipio gratiam solum pro gratia gratum faciente, quæ ut ex nomine suo innuitur, rationalem creaturam efficit proprio Creatori gratam, acceptam, placentem, spiritualiterque viventem, et ad bene agendum ac promerendum felicitatem æternam, idoneam, aptam, atque (ut quidam dicunt) condignam.

Præterea, gratiam istam quidam magni ac ingeniosi doctores dixerunt realiter idem esse quod est virtus infusa, potissimum caritas. Prætacti namque effectus, et alii quidam actus qui gratiæ adscribuntur, caritati conveniunt. Nec videtur in anima rationali esse nobilior habitus neque præstantius donum caritate infusa ; nec sine necessitate pluralitas est ponenda. Hinc quoque in Summa virtutum ac vitiorum asseritur : Nomen virtutis in canone sacræ Scripturæ, ut frequentius, sumitur pro fortitudine vel potentia, aut pro opere mirabili, raro autem pro virtute infusa seu habitu virtuoso. Sed quod philosophi in

morali doctrina virtutem vocant, Scriptura sacra communiter gratiam nominat. Cujus diversitatis ista est ratio, quoniam virtus duplicem habet comparationem : unam ad suum datorem, videlicet liberalitatem divinam, cujus donum gratuitum est ; propter quod gratia appellatur, quoniam gratis et sine præviis meritis datur. Est enim gratia bonum a Deo gratis datum, quod habentem se efficit Deo gratum, et opus ejus reddit Deo acceptum. Aliam comparationem habet virtus ad actum ab ea procedentem, et ita dicitur virtus. Hæc in Summa præfata. Denique hujus opinionis videtur esse Magister Sententiarum libro secundo, inter gratiam et virtutem ita distinguens, quod eadem forma dicitur gratia, in quantum efficit Deo gratum, et virtus, in quantum reddit hominem promptum et efficacem ad bene agendum.

Alii dicunt, quod gratia et virtus infusa seu caritas realiter distinguuntur. Nam et sacra Scriptura in multis locis videtur distincte loqui de eis. Gratia quoque habet generaliorem ac priorem influxum quam virtus et caritas. Quemadmodum enim res ponitur in esse naturali specifico per formam substantialem, ita ponitur in esse supernaturali deiformi ad promerendum idoneo per gratiam gratum facientem. Rursus, sicut res primo ponitur in esse suo substantiali per formam, deinde per potentias et habitus acquisitos idoneizatur ad naturales operationes ; ita rationalis creatura per gratiam gratum facientem constituitur in esse supernaturali, sicut prætactum est, et per virtutes ac dona aptificatur ad meritorios actus. Hanc opinionem tenet Thomas in prima secundæ, quæstione centesima decima. Quæ etiam videtur esse de mente Bonaventuræ in Breviloquio suo, ubi tractat quemadmodum gratia gratum faciens ramificat se in virtutes et dona atque beatitudines ; et addit, quod ipsa est virtutum origo, finis et forma. Tamen super secundum Sententiarum tangit alias opiniones, nec multum declinat ad unam aut aliam. Deinde probat hoc ipsum, dicendo in Breviloquio suo : Sicut principium productivum, sua summa perfectione dando vitam naturæ, non tantum dat vivere quantum ad actum primum, verum etiam quantum ad actum secundum, qui est operari ; sic principium reparativum tribuit vitam spiritui rationali in esse gratuito, quantum ad esse et quantum ad operari. Hinc una gratia vivificans, quantum ad primam vitam, quæ est esse spirituale, necesse habet ramificari in varios habitus virtutum atque donorum propter operationes diversas. Hujus quoque opinionis videtur esse Thomas de Argentina, qui in suo ait Compendio : Quamvis virtus gratuita insit animæ simul cum gratia, non tamen habet effectum suum tam cito ut gratia : quoniam effectus gratiæ est facere Deo gratum ac dignum vita æterna, qui effectus inest puero protinus post Baptismum ; effectus autem virtutis est elicere actum meritorium de potentia, quod non fit nisi usu rationis accepto. Porro Guillelmus Antisiodorensis in Summa sua, libro tertio, de ista materia loquitur recitative, non assertive : Quidam, inquiens, dicunt quod gratia non est virtus, sed quasi ros quidam rigans et formans caritatem ceterasque virtutes.

Postremo, opinio ista secunda, quæ inter gratiam et virtutem ponit distinctionem realem, videtur esse subtilior : quam et Thomas dicit doctrinæ divini et sancti Dionysii amplius concordare. Et qui eam sequuntur, affirmant subjectum gratiæ gratum facientis esse essentiam animæ rationalis, non aliquam ejus potentiam.

art. 3.

SERMO QUINTUS

DE PRUDENTIA ET DISCRETIONE, EARUMQUE GRADIBUS AC PRÆCONIO.

ESTOTE prudentes sicut serpentes. Matth. x, 16.

Inter virtutes cardinales prudentia ponitur prior ac dignior. Ipsa enim in intellectu consistit, ceterasque virtutes morales et cardinales, sive in appetitu sensitivo sive in voluntate exsistentes, illustrat, conservat ac dirigit, quemadmodum ratio voluntatem. Porro, secundum Philosophum, prudentia est recta ratio agibilium, id est efficax notitia agendorum, et per consequens, vitandorum. Ideo Augustinus : Prudentia, inquit, est cognitio rerum appetendarum et B fugiendarum. Quod non est intelligendum de informi ac nuda cognitione (illa etenim non est virtus), sed de cognitione formata et actuali seu practica, boni approbativa, secundum Alexandrum in Summa sua. Hinc Antisiodorensis in tertia parte Summæ suæ testatur : Duplex est judicium rationis, scilicet discretivum et definitivum. Discretivum est ipsa discretio rationis, qua judicat ratio aliquid esse agendum aut non agendum : et talis discretio non est virtus, sed aliquo modo directiva C virtutis, et ad scientiam pertinet. Judicium autem definitivum est, quo ratio jubet aliquid fieri aut non fieri : et hoc ad virtutem prudentiæ spectat, cujus officium est omnia ad rationis normam dirigere. Præinductæ autem descriptioni Augustini consonat descriptio Ciceronis, dicentis : Prudentia est appetendarum fugiendarumque rerum scientia. Porro in libro de Requie mentis, sic definitur : Prudentia est rerum bonarum cum dilectione earum, et malarum cum earum detestatione scientia. Hinc D secundum Thomam in secunda secundæ, quæstione quadragesima septima, ad prudentiam pertinet disponere de iis quæ A sunt ad finem virtutum moralium, et medium invenire in eis, communem quoque considerationem applicare ad particularia et certa agenda. Itaque prudentia est virtus moralis et cardinalis, per quam practice cognoscimus quid sit vere moraliter bonum ac exercendum, quid culpabiliter malum ac fugiendum, per quam implemus quod per Jeremiam Dominus loquitur : Si separaveris pretiosum a vili, quasi *Jer.* xv, 19. os meum eris. Docet quoque prudentia, quid melius, quid optimum, quid pejus, quid pessimum ; et qualiter debeamus virtutes ceteras prosequi loco et tempore congruo, recta intentione et modo compendiosiori, ut sic ad uniuscujusque virtutis perfectionem ac finem citius atque salubrius pertingamus. Ex quibus constat, quam necessaria ac salubris, quam luminosa ac utilis virtus exsistat prudentia.

Insuper, quum prudentia versetur circa contingentia operabilia, utpote circa actus humanos, in quibus consideranda sunt multa, atque in quibus multiplex contingit varietas, quam homo per se solum pensare non sufficit ; idcirco ad prudentiam pertinent memoria præteritorum, intelligentia præsentium, et providentia futurorum, docilitas quoque, per quam homo se exhibet informabilem a senioribus, sapientioribus et expertis : imo secundum Alexandrum, docilitas appellatur pars prima prudentiæ, quia per eam accedit homo primo atque præcipue ad susceptionem ac incrementum prudentiæ salutaris. Idcirco qui non est docilis, sed immansivus et pertinax, durus, et prudens in oculis suis, longe omnino a vera distat prudentia, imo nec initium habet ejus. Rursus, ad prudentiam pertinent circumspectio, cau-

tio, expeditusque usus rationis ad consiliandum, et sollicitudo seu diligentia exsequendi bene consiliata ac vitandi pericula, ut præcipitatio omnis vitetur, nec ficta et apparentia bona pro veris bonis accipiantur.

Amplius, quoniam ad prudentiam spectat, generalem notitiam agendorum ad particularia applicare, et de iis quæ expediunt sive nociva sunt, efficaciter judicare; ideo, teste Philosopho, in vitiosis hominibus non invenitur prudentia, sed dumtaxat in virtuosis, qui commoda sua privata non quærant, nec propriis passionibus ac peccatis inficiantur in judicando. Ad præfatam equidem applicationem et judicationem idoneam exigitur reformatio passionum et exstirpatio vitiorum. Hinc ad verum prudentem pertinet multa attendere, circumspectionisque oculum longe ac late extendere, atque pensare quid liceat, quid vere expediat, et quid ex quo sequi possit, nihilque agere præcipitanter aut animose, ut sit homo animal interius undique oculatum. Propter quod in Ecclesiastico scriptum est : Fili, sine consilio nihil facias, et post factum non pœnitebis; itemque, Ante omnem actum, consilium stabile præcedat te. Apostolus quoque : Sine præjudicio (inquit), id est prævio judicio, nihil facias. Ideo Salomon dixit : Cogitationes justorum judicia. Et Tobias consuluit : Consilium semper a sapiente perquire.

Eccli. XXXII, 24.
Ibid. XXXVII, 20.
I *Tim.* V, 21.
Prov. XII, 5.
Tob. IV, 19.

Denique, quamvis discretio sit actus prudentiæ, attamen sancti Patres frequenter discretionem pro prudentia sumunt. Sicque abbas Moyses in primo Collationum volumine, in prima sua collatione circa finem, deinde in secunda sua collatione, pulcherrime tractat de discretione, id est prudentia, docens quod ipsa lucerna et oculus cordis sit, in omni actu meritorio animam dirigens. Unde et sanctissimus pater Antonius fassus est, quod nulla virtus tam expedite et compendiose dirigat hominem per regiam viam ad veram perfectionem, nec ita devitet insidias hostium et omne periculum, sicut discretio, quam vocat matrem ac fontem cunctarum virtutum. De hoc S. Bernardus sapientissime scribit : Quo zelus ferventior, eo majori opus est discretione. Discretio quippe omni virtuti ordinem ponit, modum tribuit, decorem largitur. Est ergo discretio non tam virtus quam moderatrix et auriga virtutum, ordinatrix affectuum, morum doctrix, et consummatio perfectionis. Tolle hanc, et virtus vitium erit. Hinc iterum protestatur : Virtus discretionis absque fervore caritatis jacet; et fervor vehemens absque discretionis temperamento præcipitat. Idcirco oportet ut fervor erigat discretionem, et discretio regat fervorem. Imo justitia, si desit discretio, excedit modum et gignit crudelitatem, et nimia pietas parit dissolutionem : ideo discretio veraciter circumcidit, ne quid nimis aut plus fiat. Rursus Bernardus : De discretionis (inquit) spiritu scimus, quia nihil sic illum exstinguit quomodo voluntas propria, id est pertinacia, subvertens corda hominum, et rationis oculos claudens : quæ docet naturæ non parcere, nec acquiescere rationi, non obtemperare seniorum consilio vel exemplo, nec obedire prælato. Præterea Seneca, in libro de Quatuor principalibus virtutibus, ait : Si prudens esse cupis, in futura prospectum intende, et cuncta quæ possunt contingere, animo tuo propone; nihil tibi sit subitum, sed totum ante prospicias. Nempe qui prudens est, non dicit, Non putavi hoc fieri : quia non dubitat, sed exspectat; non suspicatur, sed cavet. Et denuo : Prudentis est examinare consilia, nec facili credulitate cito decipi; de dubiis quoque non definire, sed suspensam tenere sententiam; neminem fallere velle, et falli non posse. Hæc virtus stabilem efficit hominem. Hinc rursus asserit Seneca : Si prudentiam amplexaris, idem ubique eris; et prout rerum temporisque varietas exigit, ita te exhibebis.

Postremo de discretione Climacus diffuse ac profundissime scribit, inter cetera dicens : Discretio est cognitio certa voluntatis Dei in omni tempore, loco et re :

quam constat esse in iis tantum qui mundi sunt corde, ore et opere. Hoc tamen de discretione perfecta est intelligendum. Ponit autem Climacus tres gradus discretionis : Discretio, inquiens, in incipientibus est vera cognitio secundum se ipsos vel sui ipsorum. In mediis vero, id est proficientibus, est intellectualis sensus sine offensione discernens proprie bonum ex naturali et contrario, id est a differenti et malo. In iis autem qui perfecti sunt, est cognitio per illuminationem divinam, qua quis sui ipsius lucerna, id est illuminatione sibi concessa, valet aliis elucidare eorum obscura ac dubia. Discretio est tenebrarum lucerna, errantium a via salutari reductio, cæcitate palpantium illuminatio ; discretus est sanitatis inventor, et infirmitatis emundator. Hæc Climacus.

Hinc itaque veram in omnibus discamus et observemus discretionem, amplectamur prudentiam : quam humilitate, oratione, jejunio studeamus impetrare a Domino, et in Scripturis ac dictis Sanctorum, imo et in exemplis eorum. De qua in libro Proverbiorum suorum ait Cyrillus : Prudentia est præclarissima ars vivendi cum simplicitate et innocentia. Unde oportet semper addiscere, et in extremis oris fundum sapientiæ desiderabilius indagare. Finis namque prudentis, sapientia est. Ideo quanto ei efficimur viciniores, tanto eam avidius affectemus et amplectamur, quia in ea non proficere, est ab ea deficere.

IN SOLENNITATE
CORPORIS CHRISTI

ENARRATIO IN EPISTOLAM

EGO ACCEPI A DOMINO QUOD ET TRADIDI VOBIS, ETC. I Cor. XI, 23-29.

VAS electionis, divinus Apostolus, in hodierna epistola de amorosa loquitur venerabilis Eucharistiæ institutione, dicens :

Ego accepi a Domino, id est, ex divina revelatione didici, *quod et tradidi vobis,* id est, quod docui vos de fide, institutione, et cultu seu modo sumptionis hujus sacramenti : quod etiam nunc resumo et recito vobis ; *quoniam Dominus noster Jesus Christus in qua nocte tradebatur,* id est vespere noctis qua traditus est, captus, ligatus, et multiformiter cruciatus, *accepit* B *panem* triticeum et azymum, quo tunc utebantur Judæi in esu agni paschalis ; *et gratias agens* Deo Patri, *fregit* panem jam consecratum, id est species vel dimensiones panis, non corpus consecratum, *et dixit* discipulis : *Accipite et manducate* quod trado ; *hoc est corpus meum.* Hæc verba proferendo consecravit Salvator corpus suum. Sed an semel, an bis protulit verba hæc, et quando protulerit ea, quid etiam demonstret pronomen « hoc », et alia pene innumera circa hunc locum possunt C inquiri : quæ, quia super quartum Sententiarum copiose habentur, omitto. *Quod pro vobis tradetur,* id est, pro vestra redemptione morti exponetur, a Patre, a me ipso, a Juda, a Judæis : diversimode tamen, ut dictum est. *Hoc facite,* id est, A consecrationem hujus sacramenti continuate. Quod pertinet ad sacerdotes dumtaxat. Vel, « Hoc facite », id est, corpus meum accipite atque comedite, *in meam commemorationem,* id est ad memoriam actualem eximiæ dilectionis ac acerbissimæ passionis meæ, imo et omnium beneficiorum meorum. Quod pertinet ad omnes fideles. Hoc prædixisse videtur Psalmista, quum ait : Memoriam fecit mirabilium *Ps.* CX, 4, 5. suorum misericors et miserator Dominus ; escam dedit timentibus se.

Similiter, sicut de acceptione panis jam dictum est, *et calicem* cum vino quod erat in calice, Christus accepit, et sanguinem suum consecravit, *postquam cœnavit,* id est agno paschali comesto, *dicens : Hic calix,* id est contentum in calice isto, videlicet sanguis meus, qui verbis consecrationis prolatis continetur in calice, *novum testamentum est,* id est novæ promissionis stabilimentum. In veteri enim Testamento promittebantur bona temporalia et carnalia, in novo autem cœlestia et æterna. Vel, « novum testamentum », id est novæ ac evangelicæ doctrinæ seu novi Testamenti confirmativus. *In meo sanguine,* id est virtute et pretio effusionis sanguinis mei. Per effusionem enim sanguinis Christi, præparata sunt nobis bona cœlestia, et horum bonorum promissio stabilitur in

Matth. XXVI, 26 ; *Marc.* XIV, 22 ; *Luc.* XXII, 19.

Matth. XXVI, 27, 28; *Marc.* XIV, 23, 24; *Luc.* XXII, 20.

Cf. t. XXIV, p. 214 et s.

Cf. t. XXIII, p. 355 A et s.

fide et merito sanguinis Christi. Ipsum quoque novum Testamentum in sanguine Christi ratificatur, juxta illud ad Hebræos: *Hebr.* IX, 17. Testamentum in mortuis confirmatum est. *Hoc facite,* id est, calicem istum accipite et potate, *quotiescumque sumitis* eum, *in meam commemorationem :* sicut dictum fuit de corpore.

Sciendum vero, quod licet corpus et sanguis Christi dicantur pluraliter sacramenta, sicut quum orat Ecclesia, Purificent nos, Domine, sacramenta quæ sumpsimus, scilicet propter materialem diversitatem B specierum sub quibus continentur, formaliter tamen sunt unum sacramentum, loquendo de unitate perfecta et integrali. Nam ad eumdem finem et actum completum ordinantur, videlicet ad spiritualem animæ refectionem, in qua requiritur spiritualis cibus spiritualisque potus. Et quia hoc sacramentum cibus est animæ, cibum vero oportet essentialiter copulari cibando, idcirco Christus in Sacramento essentialiter continetur. Sub speciebus autem panis, est corpus Christi directe, videlicet C vi conversionis ; sanguis vero, anima et deitas, sunt ibi ex concomitantia naturali, eo quod non sint separata ab invicem. Simili modo sub specie vini est sanguis directe ; corpus autem, anima et divinitas, concomitanter.

Consequenter Apostolus, quasi exponens verba Christi immediate prædicta, subjecit : *Quotiescumque enim manducabitis panem hunc,* id est corpus Christi : quod dicitur panis per proprietatem, quoniam *Joann.* VI, 41, 51. alit (unde ait Salvator : Ego sum panis vi- D vus), item, quia sub accidentalibus formis panis continetur ; *et calicem,* id est contentum in calice sanguinem Christi, *bibetis ; mortem Domini,* id est Christi passionem, *annuntiabitis,* prædicando, commemorando, vel repræsentando, *donec veniat* judicare vivos et mortuos et sæculum per ignem, in die novissimo. Constat ergo, quod usque ad finem mundi durabit celebratio hujus sacramenti.

Itaque quicumque celebrans, vel a sacerdote accipiens, *manducaverit panem hunc* supersubstantialem, salutarem, cœlestem atque vivificum, *vel biberit calicem,* id est sanguinem, *Domini* Salvatoris, *indigne,* id est non in statu salutis et gratiæ, non reverenter et devote, non secundum institutionem Christi et ordinationem Ecclesiæ. Requiritur enim in sumptione et celebratione hujus superbeatissimi sacramenti actualis devotio, saltem pro aliqua parte temporis, quoniam Christus præcepit hæc fieri in commemorationem, id est in actualem memoriam, suæ passionis et caritatis. Nec dubium quin loquatur de memoria procedente ex caritate : quæ utique memoria non est sine actuali devotione. *Reus erit corporis et sanguinis Domini,* id est, sic confundetur, damnabitur et punietur, ac si Christum occidisset, ejusque sanguinem effudisset. Non tamen intelligendum est secundum omnimodam æqualitatem, sed secundum magnam similitudinem.

Præterea advertendum, quod dignitas sumendi hoc sacramentum, attendi potest dupliciter. Uno modo, ex parte sumentis : et sic potest homo digne accedere, quando videlicet non est sibi conscius de peccato mortali, ita ut de præteritis doleat, nec peccare mortaliter proponat, imo omne mortale firmiter vitare intendit, faciens quod in se est, et cum actuali devotione mentem suam disponens. Secundo, ex parte sumpti, videlicet sacramenti quod sumitur : cujus tanta est dignitas propter unitam Divinitatem, ut nullus viator tantæ valeat esse perfectionis, ut dignus sit ipsum accipere. Quatuor autem consideranda sunt in omni sacrificio, et maxime in celebratione Sacramenti altaris, videlicet : quis offert, ut homo propriam imperfectionem perpendat, confiteatur et corrigat ; cui offert, ut scilicet divinæ majestatis dignitas consideretur, et ita cum omni reverentia accedatur ; quid offert, ut qualitas sacrificii rite pensetur (hujus autem sacrificii tanta est dignitas, ut non solum hominum, sed etiam angelorum lin-

gua enarrando deficiat); et propter quid offertur. Si hæc diligenter pensentur, inæstimabilis erit fructus sacrosanctæ communionis, imo experimentalis, et omni admiratione dignissimus.

Probet autem se ipsum homo, id est, interiora sua studiose scrutetur, discutiat, purget, disponat, *et sic de pane illo edat,* id est, taliter examinatus ac præparatus corpus Christi manducet, *et de calice* sanguinem *bibat.* In primitiva namque Ecclesia dabatur hoc sacramentum sub utraque specie. Sed postea ordinatum est ne detur populo sub specie vini, propter periculum effusionis. *Qui enim manducat* corpus *et bibit* sanguinem Christi *indigne,* secundum sensum expositum, *judicium* reprobationis, id est meritum æternæ damnationis, *sibi manducat et bibit,* id est, communicando acquirit, quia mortaliter peccat, *non dijudicans,* id est non discernens, *corpus* et sanguinem *Domini,* id est, illud accipiens intimorate et irreverenter tanquam alium cibum.

Ecce quam terribiliter loquitur sanctus Apostolus, ut nos ab indigna communione cohibeat. Christus vero non minus terribiliter intonat, ut nos ab abstinentia communionis revocet, dicens : Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Quid ergo inter has horribiles comminationes eligendum atque agendum est misero peccatori (si enim dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, præsertim quum justus septies cadat in die), nisi ut se ipsum cum omni humilitate disponat pro viribus, confitendo, satisfaciendo, vitam quotidie emendando, Christi beneficia recolendo, et in sola misericordia Creatoris integra mente sperando? Porro, quamvis bonum sit, interim ab hoc sacramento abstinere ex timore et reverentia, propter propriam imperfectionem et periculi gravitatem, melius tamen est quotidie accedere ex ferventi amore et amicabili familiaritate atque fiducia. Actus enim caritatis dignior est actu timoris. Optimum vero est taliter vivere ut dignus sit homo quotidie sumere, proficiendo in vera caritate, et per consequens in omni virtute ac dono Spiritus Sancti. Hoc namque est incessabiliter communicare, loquendo de spirituali communione : qua Paulus primus eremita quotidie communicavit, qui tamen intra centum circiter annos, hoc sacramentum sacramentaliter nunquam accepit.

Joann. VI, 54. — 1 *Joann.* I, 8. — *Prov.* XXIV, 16.

SERMO PRIMUS

DE INSTITUTIONE ET DIGNITATE VENERABILIS SACRAMENTI EUCHARISTIÆ.

DOMINUS noster Jesus Christus in qua nocte tradebatur, accepit panem, et gratias agens benedixit ac fregit, deditque discipulis suis, dicens : Accipite et manducate ; hoc est corpus meum. I Cor. XI, 23, 24 ; Matth. XXVI, 26 ; Luc. XXII, 19.

Ecce verbum abbreviatum quod fecit Deus super terram. Ecce quam simplex narratio supernaturalis et incomprehensibilissimæ rei. Nonne mirum, quomodo toti mundo potuit hujus sacramenti fides persuaderi? Legitur apud Marcum : Exibant sui tenere cum, videlicet Jesum, dicentes, Quoniam in furorem versus est. Porro, sicut ex aliis Evangelistis potest perpendi, hoc fuit dum Jesus prædicavit Judæis ea quæ a Joanne scribuntur de sacramento corporis et sanguinis sui : Caro (inquiens) mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus ; qui manducat meam carnem,

Is. X, 23 ; *Rom.* IX, 28. — *Marc.* III, 21. — *Joann.* VI, 56, 57.

et bibit meum sanguinem, etc. Quæ verba carnalibus videbantur verba amentiæ
Joann. VI, 61. ac furoris, imo et nonnullis discipulorum ipsius Salvatoris, qui scandalizati ex verbis hujusmodi, abierunt retrorsum, dicentes : Durus est hic sermo, et quis potest eum audire ?

Denique unus sapientium sæculi hujus in mirabilibus sacramenti hujus permotus, confusus, dejectus, quippe qui spiritum Christi non habuit, sed solum ad naturales causas respexit : Mundum (ait) peragravi, varias sectas inveni, et nunquam tam fatuam reperi sectam sicut est secta Christianorum, quoniam Deum suum quem colunt, devorant dentibus. Hoc tu dixisti, sceleratissime ac maledicte Averroes, qui lege naturali voluisti esse contentus, et Aristotelis sequens doctrinam, asseruisti super orbem lunæ non posse esse neque accidere malum, nec malum culpæ, nec malum pœnæ. Hinc et diabolos esse negasti, quos tam copiosa ac evidens experientia esse ostendit. In omnibus quoque hominibus finxisti atque mentitus es eumdem numero esse intellectum : quod multo absurdius et irrationabilius est, quam quod sancta plebs christiana confitetur, eamdem numero essentiam esse in tribus superbenedictis increatis personis. Hinc justo judicio reliquit te Deus, et in irrationabilissimos errores labi permisit, ita quod affirmasti animas hominum instar brutorum esse mortales. Impietatem quoque
Gen. IV, 3 et seq. secutus es reprobi invidiosique Cain, qui in exordio sæculorum dixit ad fidelissimum Abel : Non est providentia neque judicium. Ita et tu negasti providentiam Dei ad inferiora hæc et ad humanos pertingere actus, nec homines desuper judicandos concessisti : per quod, quantum in te fuit, dedisti hominibus ansam sequendi concupiscentias absque freno. Postremo, stando in lege naturali et in Peripateticorum doctrina, non potuisti salvare ea quæ ubertim et clare patent ad sensum : ut quod interdum ex uno eodemque ore amentis, simul et semel diversa idiomata proferuntur, etiam illa quæ ipse amens antea nescivit nec didicit, nec cessante amentia valet proferre. Te ergo cum perfidiis contempto tuis, nos Christiani, in quibus solis est sapientia salutaris quæ de cœlo profluit, quæ confirmata est in nos, *Hebr.* II, 3, contestante Deo variis signis et portentis [4]. atque virtutibus, et Spiritus Sancti distributionibus : qui et Synagogam reliquit, quia in Christum non credidit, et mirabilia illa quæ olim in plebe Israelitica fecit, ad Ecclesiam transtulit Christi, in qua etiam ineffabiliter plura ac majora fecit miracula quam olim in Synagoga ; nos (inquam) Christiani, qui soli habemus vera ac propriissime dicta miracula, utputa soli omnipotenti Deo possibilia, certissime credimus omnia esse verissima quæ de hoc sacratissimo sacramento ait Scriptura et tenet Ecclesia, utputa quod Christus Sa- *I Cor.* I, 24. pientia Patris, Deus incarnatus, Ecclesiæ suæ instituit ac reliquit septem sacramenta tanquam medicinalia vasa, in quibus et per quæ, sicut per sensibilia signa, gratiose ac supernaturaliter nostram operatur salutem. Noverat namque Sapientia illa æterna, homini ex anima et corpore constituto esse connaturale, per naturalia et sensibilia ad divina et spiritualia manuduci, adjuvari ac erigi.

Præterea, hoc fidem nostram non mediocriter roborat, quod cuncta quæ credimus jam peracta, in libris Prophetarum Synagogæ legimus tam diu et copiose prænuntiata. In quibus et istud quod de sacramento hoc credimus, prophetatum agnoscimus, dicente de Christo in Psalmo sancto Psalmista : Erit firmamentum in terra in summis montium. Ubi alia habet *Ps.* LXXI, 16. translatio, Erit frumentum ; alia, Erit memoriale triticum. Translatio vero Chaldaica apud Hebræos quoque authentica : Erit (inquit) placenta tritici in terra, id est in militanti Ecclesia, quæ peregrinatur in terra, in summis montium, id est in capitibus sacerdotum.

Denique, sicut Deus providit ac contulit

homini in peccatis concepto, et cum fomite nato, ac per hoc spiritualiter mortuo ac
Ephes. II,3. filio iræ, sacramentum Baptismi, quo spiritualiter nascatur, et sacramentum Confirmationis, quo spiritualiter roboretur ac spirituali militiæ adscribatur; sic taliter nato et roborato consecravit, donavit, reliquit sacramentum quo spiritualiter reficiatur et crescat, ac convenientem et debitam spiritualis consistentiæ staturam ac mensuram adipiscatur. Et hoc est Eucharistiæ sacramentum, in quo non solum sicut in aliis sacramentis Christus per gratiam et virtutem multiplicemque effectum, sed etiam vere per essentiam substantialiter continetur. Etenim ut videmus, in omni ordine ac genere rerum in quo sunt plura per participationem ac imperfecta, est unum primum per essentiam et perfectum. Quumque plura, videlicet septem, sint legis evangelicæ sacramenta, ordinem inter se dignitatis habentia, gratiæ contentiva ac salutis operativa, oportuit unum consistere inter ea non solum participative gratiam habens et imperfecte gratiam continens, verum etiam essentialiter totius gratiæ fontem complectens, Verbum videlicet incarnatum, in cujus assumpta humanitate gratia formaliter et complete includitur. In ceteris vero sacramentis gratia non habetur nec inest secundum esse formale completum, quum sic soli rationali et intellectuali inhæreat creaturæ, quæ sola sanctitatis ac gratiæ est subjectum.

Qualiter autem insit aliis sacramentis, duæ sunt opiniones solennes. Quarum
Cf. t. XXIV, p. 53 B et s. unam sequuntur Alexander de Hales, Bonaventura, Guillelmus Parisiensis in Sacramentali, Scotus et alii multi. Unde Bonaventura in Scripto tertii refert, quod ipse dominus Guillelmus Parisiensis episcopus, in præsentia magistri Alexandri Parisiis in conventu Fratrum Ordinis S. Francisci, probavit Alexandri positionem. Aliam opinionem sequuntur Thomas, Albertus, Ægidius, Henricus, ac alii plures. Et prima quidem opinio ad intelligendum ac defendendum est facilior. Secunda vero dictis sanctorum Augustini, Bedæ et Patrum consonantior reputatur : propter quod magis consentio ei. — Amplius, quoniam Christus in hoc sacramento exhibetur nobis ut cibus, et cibum oportet realiter conjungi cibato, ideo recte sentit Ecclesia Christum in hoc sacramento realiter contineri.

Decuit autem Christum hoc instituere sacramentum in novissima Cœna, postquam protinus fuit tradendus ac morituros pro nobis. Ipse enim prænuntiatus fuit novus sacerdos, perfectus et verus, non *Hebr.* VII, 11, 12. imperfectus ac typicus ; secundum ordinem Melchisedech, non juxta ritum et ordinem Aaron ; novus quoque et perfectus legislator. Translato enim sacerdotio, necesse est et legis fieri translationem, ut in epistola ad Hebræos disputat ac demonstrat Apostolus. Translatis demum sacerdotio et lege, oportuit sacramenta et sacrificia variari. Quod totum Daniel compendiose prænuntiavit ac tetigit : In dimidio (dicens) hebdomadis deficiet oblatio et sacrificium. Loquitur namque de hebdomadibus annorum, quarum quælibet continet annos septem : in quarum ultima occisus *Dan.* IX, 27. *Ibid.* 26. est Christus, qui in dimidio illius hebdomadæ instituit Eucharistiæ sacramentum, et finem imposuit sacrificiis legis. Ultima quippe hebdomada illa si in duas partes dividatur, quælibet partium continet annos tres cum dimidio. Porro Christus vixit in carne mortali annis triginta tribus, et tanto plus sicut a nativitatis die usque in diem sanctam Parasceves. Sicque in dimidio illius hebdomadæ sacrificium et oblatio legis defecit quantum ad obligationem.

Præterea, quoniam Sapientia Patris, Ver- *1 Cor.* I, 24. bum æternum, propter nos exstitit incarnatum, ac semel in cruce voluit immolari, hinc variis modis nostræ providit saluti. Nec ei suffecit semel pro nobis immolari in cruce per mortis perpessionem, sed hanc quotidianam et perennem sui immolationem in mysterio in Missæ officio ejus infinita sapientia adinvenit, ejus immensa

clementia ordinavit, ejus caritas summa præfixit, qua et Dei Patris honorem generisque humani procuravit opem, gratiam ac salutem. Quod totum sic fieri decentissimum exstitisse ratio dictat desuper illustrata. Quæ quanto plus illustratur, tanto limpidius intuetur quam rationabile seu potius superrationabile, misericordissimum, sapientissimum amorosissimumque fuerit istud : ut et quotidie dominicæ passionis quasi recenter memores simus, caritatisque Dei ac pietatis suæ et liberalitatis ad nos assidue recordemur, recordandoque inflammemur, et meritum Christi abundantius participemus, consequendo effectus sacramenti istius, ut infra dicetur. De cujus institutione tantumdem sufficiat tetigisse.

Nunc de dignitate ejusdem aliquid pro viribus est tangendum. Quocirca pensandum, quod in sacramento isto aliquid est sacramentum tantum, videlicet ipsæ exteriores formæ sacramentales; aliquid res et sacramentum, utputa corpus et sanguis Christi; aliquid res tantum, ut ecclesiastica unitas, seu multiplex gratia sacramenti ejusdem. Idcirco nec anima Christi, nec deitas ejus ad istud pertinet sacramentum vel ad essentiam ejus directe atque ex vi conversionis, sed concomitanter. Conversio equidem panis directe terminatur ad corpus dominicum, et transsubstantiatio vini ad sanguinem. Attamen in utroque per concomitantiam continetur tam anima quam deitas Salvatoris. Sicque totus et integer Christus in sacramento isto sub utraque ipsius specie est, adoratur atque suscipitur.

Si ergo de sacramento isto loquamur quantum ad id quod directe et ex vi conversionis continetur in ipso, sic plane magna valde est dignitas ejus, utputa dignitas corporis Christi, quod in se ipso exsistit eximie dignum et sanctum et purum, ab omni labe peccati prorsus immune, ex purissimo sanguine sacratissimæ Virginis sumptum, a Spiritu Sancto supernaturaliter in instanti formatum. Cujus dignitas augetur ex hoc, quod a primo suæ formationis instanti, conjunctum fuit animæ Christi præ omni pura creatura ineffabiliter sanctæ, præelectæ et gloriosæ, atque intrinsece informatum et actuatum ab ea; cui item in omnibus obedientissimum fuit, in nullo militans contra illam. Verum ex hoc inæstimabiliter plus fuit dignificatum ac dignum, quod simul cum anima sua ab exordio suæ formationis fuit immediate conjunctum, hypostatice copulatum inseparabiliterque unitum Verbo æterno, et substantificatum ab ipso in esse ipsius Verbi personali et increato. Enimvero, teste Damasceno tertio libro, quum humanitas Christi comparatur ad Verbum æternum tanquam immediatum ipsius Verbi instrumentum animatum, conjunctum ac proprium; sic et corpus hominis cujuscumque se habet ad animam suam sicut animæ suæ instrumentum immediatum, proprium et conjunctum.

Si autem loquamur de sacramento Eucharistiæ quantum ad totum quod continetur in eo, sive directe sive concomitanter, sic utique penitus infinita est dignitas ejus, quum et sola Verbi persona dignitatis sit infinitæ, et ipsa Christi humanitas carior Deo sit et per consequens dignior toto residuo universo. Hinc divinus Dionysius libro de Ecclesiastica hierarchia, de hujus sacramenti excellentia protestatur, quod ad ipsum cetera sacramenta omnia ordinantur, et ipsum est complementum ac consummatio aliorum, in quo omnium divinorum plenitudo charismatum continetur: prout de iis undique multa conscripta sunt et leguntur. cap. III.

Quæ quum ita se habeant, consideremus attente, et tota profunditate qua possumus contemplemur, quantæ impudentiæ sit, quantæ insipientiæ, quantæ enormitatis et damnationis, tanto sacramento et ejus consecrationi ac immolationi indevote, irreverenter adstare, ipsum indigne suscipere, illud maculata conscientia celebrare, tractare aut aliis ministrare; quum et de sacerdotibus veteris Testamenti carnalia sacrificia offerentibus jusserit Dominus,

Lev. XXI,17. loquens ad Aaron : Homo de semine vestro qui habuerit maculam, non offeret panes Deo. Hinc S. Ambrosius ait in oratione de Sacramento ante celebrationem dicenda : Quanta cordis contritione et lacrimarum fonte, quanta reverentia et tremore, quanta corporis castitate et animi puritate illud divinum et cœleste sacrificium est celebrandum, o Domine, ubi caro tua in veritate sumitur, ubi sanguis tuus in veritate potatur, ubi ima summis junguntur, ubi et angelorum adest præsentia? Cum ingenti ergo et sollicita præparatione ad tantum accedamus sacramentum, nec sumpto sacramento efficiamur ingrati, imo quotidie magis devoti ac grati.

ENARRATIO IN EVANGELIUM

CARO MEA VERE EST CIBUS, ETC. Joann. VI, 56-59.

EVANGELIUM hodiernum de sacramento venerabilis Eucharistiæ loquitur evidenter, et non incongrue legitur. Itaque, sicut Joannes ait :

Dixit Jesus discipulis suis et *turbis Judæorum* in synagoga civitatis Capharnaum, quæ tunc fuit metropolis Galilææ : *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus.* Id est, sicut mortale corpus pane et vino, ex granis et uvis constantibus, vere nutritur, conservatur, et ad debitam quantitatem perducitur; sic anima immortalis corpore et sanguine Christi vere spiritualiterque reficitur, et in esse gratiæ conservatur, atque ad perfectionem virtutum, imo ad vitam gloriæ tandem perducitur, dummodo corpus et sanguinem Salvatoris digne accipiat. Quemadmodum enim nullus potest corporalem cibum ac potum accipere, nisi vivat vita naturæ; sic nemo potest corpus et sanguinem Domini digne suscipere, nisi vivat vita gratiæ. *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem* digne, ut tactum est, utpote non sacramentaliter tantum, sed spiritualiter quoque, *in me manet* sicut in capite per caritatem et gratiam, *et ego in illo* sicut in membro fideli ac mystico per unionem amoris, quia per caritatem amans est in amato, et econtrario. Unde caritas vocatur vis unitiva, quia conjungit amantem amato. Propter quod in prima sua epistola ait Joannes apostolus : Qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo. 1 *Joann.* IV, 16.

Denique corpus Christi potest homo tripliciter sumere. Primo, sacramentaliter tantum : et ita accipiunt qui indigne communicant, quoniam solum corpus et sanguinem seu solum sacramentum, non effectum ipsius, videlicet virtutem gratiamque, suscipiunt. Secundo, spiritualiter tantum : et ita accipiunt qui solo desiderio caritatis et sola fide formata illud accipiunt, per quod sacramenti hujus sortiuntur effectum : quæ susceptio necessaria est ad salutem. Unde sanctus loquitur Augustinus : Crede, et manducasti. Sicque omni hora possumus communicare. Tertio, sacramentaliter et spiritualiter, utpote qui sacramentum hoc et spiritualem ipsius sumunt effectum : et ita accipiunt qui digne communicant, puta in caritate et gratia existentes, quoniam in sumente hoc sacramentum condigne, requiritur actualis devotio.

Sicut misit me vivens Pater, id est Pater æternus, qui est substantialiter vivens et vita, vita utique actualissima, beatissima atque purissima, a quo omnis profluit vita. Est enim ipsa sapientia, ipsa veritas, et intellectus universaliter agens,

purusque actus. Misit autem Deus Pater Filium suum Christum per incarnationis mysterium, id est per hoc quod eum voluit incarnari, et humanam naturam conjunxit eidem, atque in omnibus ipsum secundum quod homo est, direxit ac movit, et quid ageret jussit. Propter quod Filius
Joann. XIV, 31. ait : Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio. *Et ego vivo propter Patrem,* id est, vitam meam humanam ordino ad Patris honorem et gloriam, tanquam ad honorem
Ibid. 28. gloriamque majoris, quoniam Pater major me est secundum quod homo sum : idcirco ad ipsum tanquam ad finem refero vitam meam. Vel sic : « Vivo propter Patrem », id est, a Patre tanquam a generativo principio vitam accepi increatam per generationem æternam, imo eamdem quam habet Pater, quemadmodum et eamdem essentiam, quia et vita Patris est ejus es-
Ibid. V, 26. sentia. Propter quod asseruit : Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio vitam habere in semetipso. Vitam vero humanam creatam, vitamque gratiæ et gloriæ certum est Christum accepisse a Patre, imo a tota superbeatissima Trinitate, et per consequens a se ipso secundum quod Deus est. Siquidem opera Trinitatis sunt indivisa, quum trium superessentialium personarum sit una natura et una potestas.

Et qui manducat me spiritualiter et condigne, *et ipse vivet propter me,* id est, vitam suam ordinabit finaliter ad honorem et gloriam meam, sicut servus fidelis. Vel, « vivet propter me », id est, vitam gratiæ et gloriæ obtinebit a me. Nam et gratia augetur in sumente condigne. Porro per hoc quod Veritas ait, Qui manducat me, patet quod non solum caro Christi, sed ipsemet Christus cibus est animæ. Propter quod ait idem : Ego sum panis vitæ. *Joann.* VI, 48. Nam quamvis sub specie panis ex vi conversionis et sacramenti, non sit nisi caro Christi ; tamen ex naturali concomitantia sunt ibi sanguis Christi et anima ejus atque divinitas, et per consequens totus Christus. Hæc enim non sunt ab invicem realiter separata. Similiter sub specie vini ex vi conversionis, sanguis Christi dumtaxat est, ex concomitantia vero naturali sunt ibi caro, anima ac deitas ejus.

Hic est panis qui de cœlo descendit, quoniam ipse Christus, qui est panis vitæ, descendit de cœlo, juxta illud : A summo *Ps.* XVIII, 7. cœlo egressio ejus. Descendit autem, non locum mutando, sed naturam humanam assumendo, ac visibiliter apparendo, et inter homines conversando, prout Baruch ait : Post hæc in terris visus est, et cum *Baruch* III, 38. hominibus conversatus est. *Non sicut manducaverunt patres vestri manna, et mortui sunt,* id est, panis iste cœlestis non sic nutrit aut cibus est sicut manna, quod qui manducaverunt, non solum corporaliter mortui sunt, sed et multi eorum spiritualiter perierunt. Nam panis ille non fuit gratiæ contentivus aut spiritualiter cibans, sed fuit figura hujus panis sacramentalis spiritualiter reficientis. Ideo subditur : *Qui manducat hunc panem* cœlestem et sacramentalem condigne, *vivet in æternum,* quia in hoc sæculo vivet per gratiam, et in futuro per gloriam.

SERMO SECUNDUS

DE INSTITUTIONE CELEBRITATIS FESTI SACRAMENTI EUCHARISTIÆ.

HÆC quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis. (Ex Missali.)

Quemadmodum sancti evangelistæ Matthæus, Marcus et Lucas verissime scribunt, Dominus noster Jesus Christus in Cœna novissima sacramentum dignissi-
Matth. XXVI, 26-28; *Marc.* XIV, 22-24; *Luc.* XXII, 19, 20.

mum sacratissimi corporis ac pretiosissimi sanguinis sui instituit, atque Apostolis sanctis, et sub eorum persona cunctis sacerdotibus, sacramentum hoc celebrandum ac prosequendum præcepit, dicendo : « Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis » ; vel, ut alibi legitur, Hoc facite in meam commemorationem, id est: in memoriam dilectionis meæ ad vos, et passionis meæ pro vobis, celebrate hoc sacramentum, illud consecrando, sumendo ac aliis porrigendo. Præsens ergo solennitas est de institutione sacramenti istius incomparabilis ac divinissimi.

1 Cor. xi, 24; *Luc.* xxii, 19.

Denique festum hoc celeberrimum instituit Romanus Pontifex Urbanus IV, cujus tempore floruerunt doctores egregii S. Thomas de Aquino et alii multi. Qui Urbanus fuerat ante canonicus et archidiaconus Ecclesiæ Leodiensis. Et erat tunc in Leodio quædam reclusa valde devota, nomine Eva, quæ ex revelatione divina agnovit, atque Urbano prædixit, de institutione præfata esse in Ecclesia festum futurum. Et (ut dicitur) prædixit Urbano quod ipse esset futurus Pontifex summus, ac festum istud instituturus. Quod etiam idem Urbanus in sermone seu epistola de festo hoc videtur tangere : Intelleximus, inquiens, dum in minori essemus officio constituti, quod fuerat quibusdam catholicis divinitus revelatum, festum hujusmodi esse in Ecclesia generaliter celebrandum. Insuper in epistola quam quarto pontificatus sui anno misit præfatæ reclusæ, inter cetera ait : Scimus, o filia, quod magno desiderio desideravit anima tua, ut solenne festum sacratissimi corporis Domini nostri Jesu Christi institueretur in Ecclesia Dei. Ideo tibi significamus nos ita egisse. Magnificet ergo anima tua Dominum, quia omnipotens Deus tribuit tibi desiderium cordis tui. — Itaque prædictus Pontifex summus præcepit festum hoc celebrari feria quinta post octavas Pentecostes : quoniam circa hoc tempus inceperunt gloriosi Apostoli ceterique fideles sub eorum regimine sacramentum hoc celebrare, consecrare, accipere et aliis dare. Legitur namque in Actibus Apostolorum, quod primi illi fideles ab Apostolis sanctis conversi, erant perseverantes in doctrina Apostolorum, et communicatione fractionis panis, id est perceptione sacramenti istius, et orationibus. Quum enim in die Pentecostes accepissent Apostoli Spiritum Sanctum, prædicaverunt eodem die et deinceps quotidie. Et circa hoc tempus princeps Apostolorum beatissimus Petrus voluit Jacobum Minorem esse episcopum Jerosolymorum. Et ab ipso Petro, Joanne et Jacobo Majore apostolis, ordinatus et consecratus est Jacobus ille Minor Jerosolymorum episcopus, atque (ut legitur) primus post Christum celebravit et consecravit hoc sacramentum : ut supra in sermone de eo dictum est plenius. Moxque post ipsum celebrare cœperunt ceteri Apostoli et Christi discipuli sacerdotes, ita quod circa tempus festi præsentis celebrare cœperunt hoc sacramentum : ideo rationabiliter est statutum ut in prætacta quinta feria solennitas ista agatur.

Act. II, 42.

Ibid. 1 et seq.

Præterea, ut fideles festivitatem hanc promptiori puriorique animo agant, prædictus dominus Papa copiosas indulgentias est largitus, videlicet : centum dies indulgentiarum universis vere pœnitentibus et confessis qui primis interfuerint Vesperis, et totidem qui Matutinis ipsius festi ; totidem quoque qui Missæ, et totidem qui secundis interfuerint Vesperis. Qui vero interfuerint Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ et Completorio, pro qualibet Hora dies indulgentiarum contulit quadraginta. Illis autem qui per octavas hujus solennitatis interfuerint officiis Matutinarum, Missæ, Vesperarum, ac ceterarum Horarum, pro qualibet die centum dierum indulgentiam concessit. Has indulgentias postmodum Papa Martinus duplicavit : quas et successor ipsius dominus Eugenius tantum auxit quantum prædecessor ipsius Martinus. Et quoniam sancta mater Ecclesia filios suos spirituales non decipit, pie firmiterque credendum quod indulgentiæ

istæ tantumdem valent ut pronuntiatur.

Præterea hoc sciendum, quod in hac solennitate merito sic auctæ sunt indulgentiæ istæ, quoniam celeberrima ista festivitas est de eo a quo omnes indulgentiæ efficaciam sortiuntur ac oriuntur. Indulgentiæ namque sunt remissiones pœnarum quæ culpis debentur. Et fiunt indulgentiæ istæ de spirituali thesauro Ecclesiæ : qui thesaurus est infinitum atque indeficiens meritum Christi. Qui thesaurus summo Pontifici tanquam generali, pleno et summo Christi vicario est a Deo commissus, ut secundum exigentiam seu condecentiam causarum ac temporum occurrentium, eum fidelibus gratiose eroget ac dispenset.

Quocirca pensandum, quod secundum rigorem justitiæ, pro uno mortali peccato imponenda esset pœnitentia septem annorum in pane et aqua; nec tamen secundum merum justitiæ rigorem pœnitentia illa sufficeret. Imo, ut sanctus ait Hieronymus, secundum meram justitiam non sufficeret totus mundus pro unius hominis mortali satisfacere culpa, quamvis mille annis abstineret in pane et aqua, eo quod mortale peccatum, quo Deus offenditur, inhonoratur ac spernitur, sit gravitatis quodammodo infinitæ : propter quod æterna et infinita ei pœna debetur et in inferno infligitur. Videmus namque in sæculo isto, quod quanto majoris dignitatis ac sanctitatis est is in quem peccatur, tanto peccatum in eum commissum, est gravius, et graviori dignum supplicio. Quum ergo Deus altissimus, omnipotens et æternus, sit dignitatis ac sanctitatis penitus infinitæ, certum est quod omne peccatum mortale sit quodammodo immensæ enormitatis. Itaque, secundum temperatum rigorem justitiæ, pro uno mortali peccato imponenda esset septem annorum pœnitentia, satisfactio seu abstinentia in pane et aqua. Sed quum homo sit fragilis creatura, prona ad malum, vitaque præsens sit brevis, indigemus magna et gratiosa Dei clementia. Idcirco Dominus noster Jesus Christus, Unigenitus Dei, misericordissime nobis providit atque subvenit, thesaurum meriti sui committendo summo suo vicario Romano Pontifici, ut merito Christi faciat indulgentias præfatas fidelibus.

Denique, quoniam indulgentiæ istæ non dantur nisi vere pœnitentibus et confessis, seu in caritate et gratia Dei exsistentibus, exhibere se debet unusquisque fidelium indulgentiarum istarum capacem, per veram contritionem et confessionem se præparando ad eas. Hinc præfatus Papa Urbanus, in sua bulla sive epistola, districte præcipit universis prælatis ut per se ipsos et alios, in dominica præfatum festum præcedente, videlicet in octavis Pentecostes, hortentur subditos suos ut per veram et puram confessionem, per eleemosynarum largitionem atque assiduas orationes, et per alia devotionis pietatisque opera, se disponant ad tanti celebrationem ac indulgentiam sacramenti. Itaque, quum tanta sit excellentia ac indulgentia festivitatis præsentis, justum ac decentissimum est ut Christiani in hoc festo et per ejus octavas præ solito ecclesiam et divina frequentent Officia, quantum eorum statui exstat possibile, nec omittant facere propter indulgentias tantas, quod non omitterent propter pecunias modicas. Idcirco non nimis faciliter se excusent.

Præterea, quoniam Christus sacramentum istud instituit in commemorationem suæ ad nos ardentissimæ dilectionis, et suæ pro nobis acerbissimæ passionis, propterea omnis vere christifidelis, non solum die isto sanctissimo et per ejus octavas, sed toto etiam anno in officio Missæ memor esse debet quantum Filius Dei ipsum dilexit, quanta pro ipso sustinuit, et qualiter ac propter quid istud saluberrimum instituit sacramentum. Quamvis ergo ubique et semper, specialiter tamen in Missa habere se debet timorate, reverenter, devote, et amoroso gratoque corde in Sacramenti præsentia stare ac Deo se præsentare. Ideo væ, et æternum væ insensatis, ingratis et perversis hominibus,

qui tamen indigni sunt homines appellari, quum sint diaboli membra ac servi. Væ (inquam) eis qui in ecclesia, præsertim in Missa, hinc inde lascive adspiciunt, libidinose concupiunt. Væ eis qui tunc confabulationibus vacant, et intimorate se habent. Conformiter væ viris ac feminis, juvenibus ac puellis, qui ita se ornant et vestiunt, quod intuentes provocant ad concupiscentias pravas. Et gravissimum væ eis, si ex proposito agant hoc : quia (ut sanctus testatur Hieronymus) si vir aut mulier se ornaverit, et vultus hominum ad se provocaverit, etsi nullum inde sequatur damnum, supplicium tamen patietur æternum, quia venenum attulit, si fuisset qui biberet. Nam (ut etiam loquitur B. Augustinus) qui in conspectu populi male agit, tantos quantum in ipso est, spiritualiter perimit, id est, ad peccatum induMatth. VII, 14. cit, a quantis conspicitur. O quam arcta est via salutis, et quam detestabilis est consuetudo ista infelix aperturæ togarum a latere uno super diploidem, ita ut corpus viri ante et retro circa pudicitiæ loca adspiciatur ! Quod quam provocativum sit, nullus sapiens nescit. Idcirco (juxta doctrinam Apostoli) cum metu, timore et tremore nostram operemur salutem ; et omni custodia custodiamus cor nostrum, potissime in divino Officio et in Missa.

Philipp. II, 12.

Prov. IV, 23.

Postremo, quoniam sacramentum istud in die Cœnæ a Christo est institutum, idcirco die illo esset hæc solennitas celebranda, si fieri congrue potuisset. Sed quia Ecclesia die illo circa alia occupatur, videlicet circa pœnitentium reconciliationem, circa sacri chrismatis confectionem, et adimpletionem mandati lotionemque pedum, et circa dominicam passionem ; idcirco Romanus Pontifex rationabiliter statuit hoc agi feria quinta post octavas (ut dictum est) Pentecostes. Itaque festum tam gloriosum cum omni devotione ac reverentia celebremus, et Christi accendamur amore, ejusque beneficiis grati esse conemur, vitando quæ displicent ei, et faciendo quæ ejus voluntati sunt placita. Ad laudem et gloriam Omnipotentis.

SERMO TERTIUS

DE GRATITUDINE EXHIBENDA, ET QUOMODO EX BENEFICIORUM MAGNITUDINE COLLIGATUR.

QUID retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi ? Ps. CXV, 12.

Ingratitudo grande et detestabile vitium est. Maxima autem ingratitudinis pars est, oblivio seu inconsideratio beneficii exhibiti. Alia ingratitudinis pars est, benefactori non pro posse rependere vicem. Sanctus ergo rex David multitudinem ac magnitudinem beneficiorum sibi desuper collatorum inspiciens, dixit : « Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi »? quasi dicat : Nihil condignum ei retriPs. XV, 2. buere queo. Denique ipse bonorum nostrorum non eget, et quidquid ei retribuere possumus, non nisi ab eo habemus, a quo omne profluit bonum. Itaque quilibet Christianus ne Christo exsistat ingratus, totis debet viribus considerare universa beneficia Dei, generalia et specialia, naturalia et supernaturalia, corporalia et spiritualia, temporalia et æterna, atque pro omnibus iis, totis præcordiis Deo regratiari, et se ei humiliter subdere, prompteque obedire, et quidquid a Deo accepit, videlicet corpus et animam, et quidquid habet, ad Dei honorem expendere. Quumque fecerit omnia ista, fateatur ex intimo corde quod nil condignum retribuit Deo, sicut et Christus

Luc. XVII, 10. in Evangelio loquitur : Quum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite : Servi inutiles sumus ; quod debuimus facere, fecimus. Ideo devotissima mente dicat : *Ps.* CXV, 12. Quid retribuam Domino pro omnibus quæ *Ps.* CII, 2. retribuit mihi ? Itemque : Benedic, anima mea, Domino, et noli oblivisci omnes retributiones ejus. Qui sic gratus esse studuerit Deo, majora plane beneficia sortietur ab eo, Christo protestante, qui loquitur : *Matth.* XXV, 29. Habenti dabitur, et abundabit ; non habenti autem, id est ingrato, et quod videtur habere, auferetur ab eo.

Præterea, inter omnia beneficia Salvatoris est maximum, quod ipse in Sacramento tribuit vere se ipsum. Sed ut excellentiam ac munificentiam beneficiorum unigeniti Filii Dei, quantum nobis possibile est, profundius intueamur, magisque grati esse nitamur, pensare oportet, quod magnitudo beneficii ex tribus perpenditur. Primo, ex parte benefacientis, quoniam quantum ille est dignior atque sublimior, tanto dona ejus sunt magis appretianda, reverentialius accipienda, diligentius custodienda : quemadmodum et videmus in mundo hoc, quod si imperator, rex aut princeps præstiterit alicui aliquod munus, valde hoc ponderat, appretiatur, regratiatur, custodit. Secundo attenditur magnitudo beneficii ex parte recipientis, qui quanto minus promeruit illud, et quanto inferioris est conditionis ac indigentiæ, eo benignius liberaliusque consistit benefacere ei, et beneficium ei collatum, tanto amplius est magnificandum. Tertio attenditur magnitudo beneficii ex propria ejus natura ac specie : ut quum dantur supernaturalia gratiæ dona, et maxime dum ipsemet omnium fons beneficiorum datur, ita quod idem est dator et donum, benefactor et beneficium.

Ex omnibus iis ostenduntur beneficia Christi esse incomparabiliter magna : quoniam ipse Christus benefactor et dator, est verus Deus, ideoque dignitatis, perfectionis et excellentiæ penitus infinitæ ; ejus quoque humanitas prælata est omni creaturæ. Nos autem quibus beneficia sua largitur, sumus creaturæ mirabiliter defectuosæ, vitiosæ, fragiles et ad omne malum pronissimæ, et per consequens maxime indigentes et tamen indignissimi beneficiis Dei. Nihilo minus indesinenter beneficia sua communicat nobis, sed et pretiosissima charismata gratiarum nobis largitur, et tandem corpus suum ac sanguinem nobis largiri dignatur. Hinc ait Papa Urbanus IV : Immensa divinæ liberalitatis beneficia exhibita populo christiano, inæstimabilem ei conferunt dignitatem. Denique olim sanctus Moyses legislator Judæorum, considerans multitudinem ac magnitudinem beneficiorum Israelitico populo in veteri Testamento divinitus concessorum, gloriando dixit : Non est alia *Deut.* IV, 7. natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut adest Dominus Deus noster nobis, seu cunctis obsecrationibus nostris. Unde et Psalmista locutus est : Quanta audivimus et cognovimus ea, et *Ps.* LXXVII, 3. patres nostri narraverunt nobis ; itemque, Non fecit taliter omni nationi. Multo plus *Ps.* CXLVII, 20. nos Christiani hoc dicere possumus tempore novi Testamenti ac gratiæ, in quo præ cunctis anteactis temporibus, Deus omnipotens et æternus liberalissime ac abundantissime benefecit, subvenit, donavit hominibus. Eis quoque in Sacramento præsentialiter et vere personaliter adest verus Deus et integer homo, atque se ipsum eis inæstimabili caritate ac liberalitate largitur in viaticum, in remedium, in alimentum, in subventionem atque salutem. Hinc ait Urbanus Papa : Unigenitus Dei Filius suæ divinitatis nos volens esse participes, naturam nostram assumpsit, ut homines deos faceret, factus homo. Et hoc insuper quod de nostro assumpsit, totum nobis contulit ad salutem. Corpus namque suum pro nostra reconciliatione in ara crucis hostiam obtulit Deo Patri, sanguinem suum fudit in pretium simul et lavacrum, ut redempti a servitute diaboli, a peccatis omnibus mundaremur. Et ut tanti beneficii jugis in nobis remaneret memoria, corpus suum in cibum, et sanguinem

suum in potum, sub specie panis et vini sumendum fidelibus dereliquit.

Porro de eminentia sacramenti hujus effatur : O pretiosum et admirabile convivium, salutiferum, et omni suavitate repletum ! Quid enim hoc convivio pretiosius esse potest, in quo nobis sumendus proponitur Christus, verus Deus ? Nullum utique sacramentum est isto salubrius, quo purgantur peccata, virtutes augentur, et mens omnium spiritualium charismatum abundantia adimpletur : in quo ad memoriam revocatur excellentissima caritas Christi
Ephes. v. 2. ad nos, ex qua pro nostra salute obtulit semetipsum Deo Patri per oblationem et hostiam in odorem suavitatis. Offerturque sacramentum hoc in Ecclesia pro vivis et mortuis, ut omnibus prosit, quod est pro salute omnium institutum. O divini amoris immensitas, divinæ pietatis superabundantia, divinæ affluentia largitatis ! Quam singularis et admiranda liberalitas, ubi donator venit in donum, et datum est idem penitus cum datore ! Quanta largitas, quum tribuit quis se ipsum !

Insuper de congruentia hujus festi ait Urbanus Papa : Convenit devotioni fidelium solenniter recolere institutionem tam salutiferi tamque mirabilis sacramenti, ut ineffabilem modum divinæ præsentiæ in Sacramento veneremur, et laudetur Dei potentia, quæ in sacramento eodem tot mirabilia operatur, atque de tanto beneficio persolvantur Deo gratiarum debitæ actiones.

Postremo, quanto majora et gratiosiora sunt beneficia Domini nostri Jesu Christi in nobis, et potissimum quo majus est beneficium istud, videlicet sacramentum Eucharistiæ, eo vitiosior ac damnabilior est ingratitudo nostra, si tantæ caritati, tantæ liberalitati ac pietati, tantisque beneficiis ejus inveniamur ingrati, ei videlicet inobedientes, perversi et negligentes atque carnales. Ei itaque grati, subjecti, uniti semper esse conemur, atque in Missæ officio unusquisque spiritualiter Sacramentum accipiat, fide et caritatis affectu illud complectendo et suscipiendo. Nec mirabilia Dei in sacramento hoc discutere quis præsumat, sed sufficiat nobis auctoritas sacræ Scripturæ et sanctæ Ecclesiæ, tamque innumerabilium Patrum sanctissimorum, et cetera omnia per quæ probatur fides christiana esse a Deo. Sufficiant nobis ad confitendum omnia quæ de hoc incomprehensibili sacramento sacrosancta docet Ecclesia : quanquam ad demonstrandum veritatem sacramenti istius, Deus omnipotens innumerabilia egisse miracula valde præclara, non ignoretur. Infinitæ autem potentiæ Dei adorandi et superexaltati nihil impossibile, nihil potest esse difficile ; et eadem potestate qua universum condidit mundum, agit quæ in hoc sacramento creduntur. Estque facilius, unum exsistens in aliud vertere et transsubstantiare, quam rerum naturas ac ordinem de nihilo produxisse. Verumtamen et tanta mirabilia in sacramento isto creduntur, quod nec summi angelici spiritus, nec Cherubim, nec Seraphim ea comprehendere queunt. Quid ergo miser homo talia perscrutari conatur aut penetrare, non advertens quod Salomon loquitur, Sicut qui *Prov.* xxv, multum comedit mel, non est ei bonum, 27. sic qui perscrutator est majestatis, opprimetur a gloria ? Ipsi Domino nostro Jesu Christo cum Patre et Spiritu Sancto honor et gloria in æternum.

AD RELIGIOSOS

SERMO QUARTUS

DE CONDIGNA DEBITAQUE AD VENERABILIS SACRAMENTI CELEBRATIONEM AUT SUMPTIONEM PRÆPARATIONE.

QUI manducat et bibit indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini. I Cor. XI, 29, 27.

Universaliter videmus, quod quanto quis in quacumque virtute exstat perfectior, tanto vehementius vitium virtuti illi contrarium abominatur. Porro Deus in omni sapientia et virtute infinite perfectus est. Hinc omnem iniquitatem, insipientiam turpitudinemque peccati mortalis ineffabiliter odit. Propter quod in libro Sapien-
Sap. XIV, 9. tiæ scriptum est : Odio sunt Deo impius et impietas ejus. Cui concinit Psalmista :
Ps. V, 7. Odisti omnes qui operantur iniquitatem. De quo Jeremias protestatur, inquiens :
Jer. XLIV, 22. Non poterat vos Dominus ultra sustinere propter malitiam studiorum vestrorum.
Deut. XXV, 16. Ipse plane (ut Moyses fassus est) aversatur omnem impietatem *. Quid ergo est se ad sacram præparare communionem, ad celebrationem condignam, nisi mentem expurgare, custodire et præservare ab omni labe peccati? Qui enim cum conscientia peccati mortalis communicare aut celebrare præsumit, eo ipso peccat mortaliter. Nec sufficit si quis dicat, Conscius mihi non sum de peccato mortali, nisi diligentiam debitam fecerit ad cognoscendum an sit in tali peccato, perscrutando sufficienter pro posse conscientiam suam, an in ea quid lateat culpæ mortalis. Hæc est ergo præparatio generalis ad omnem pertinens sacerdotem, ut taliter ante celebrationem conscientiam suam discutiat.

* injustitiam

Imo (ut sanctus asserit Augustinus) in omni sacrificio quatuor sunt pensanda, videlicet quis, quid, cui, quare. Quæ etiam ab omni presbytero antequam celebret, sunt attendenda.

Primo ergo, tu Christi sacerdos, considera temetipsum quis sis, hoc est, quam defectuosus et fragilis in natura. Ad quam considerationem spectat quod beatus Job ait : Homo natus de muliere, brevi vivens *Job* XIV, 1, 2. tempore, repletur multis miseriis ; qui quasi flos egreditur et conteritur, et fugit velut umbra, et nunquam in eodem statu permanet. Considera quoque quam culpabilis sis in vita, quam innumerabilibus vicibus quotidie peccas, saltem in venialibus, per omissionem et commissionem, per interiorum et exteriorum incustodiam sensuum, per irrefrenationem linguæ, per inexemplaritatem et scandalum, per cogitationes inutiles, per distractiones, levitates, negligentias etiam in divinis, per immoderantias cibi et potus, per inordinatas circa quæcumque creata affectiones. In iis et consimilibus multis adverte te quotidie toties esse culpabilem ac peccantem, ut nequeas numerare, nec singula possis attendere, imo exorare indigeas et exclamare ad Dominum : Delicta quis intelligit ? *Ps.* XVIII, 13. ab occultis meis munda me, Domine. Porro, si (quod absit) in nonnullis grossioribus excessisti, si in correptionibus et correctionibus seu admonitionibus exstitisti impatiens, si adversus præsidentem aliquo modo indignans, vel eidem minus prompte obtemperans, aut irreverenter

circa ipsum te habens, ac Christum in suo vicario colaphizans et conspuens ; si in factis tui confratris ac proximi et in imperfectionibus ac omissionibus ejus passionatus, amaricatus iratusque fuisti, et turbasti inspiciens insipienter te ipsum, *Luc.* VI, 41. videns hypocrita festucam in oculo fratris tui, trabem turbationis ac felleæ amaritudinis et pharisaicæ simulationis ac fictionis in proprio oculo non perpendens, aut subverso ordine caritatis, proprias iniquitates et culpas non ponderans, aliorum observasti, exaggerasti, revolvisti defectus, stulta curiositate deceptus, seu turbulenter, impetuose, inhoneste habendo te scandalizasti pusillos : super his dolorosius ingemisce, uberius plora, cordialius te accusa, acrius puni, vehementius sperne, custoditior esto. Attende quam parum profecisti in Ordine, quanta omiseris bona ; et efficaciter te emenda.

Secundo, perpende quid agas, quid offeras, seu quid in officio Missæ acturus sis, quid immolaturus. Intuere quod tanquam officiatus ac minister Ecclesiæ oblaturus sis Deo Patri unigenitum Filium suum, consecraturus, tractaturus atque sumpturus corpus et sanguinem Salvatoris, et pro tota Ecclesia et pro te ipso, ac pro aliis, vivis ac mortuis, oraturus. Considera veritatem ac dignitatem sacramenti ac sacrificii hujus (prout in præcedenti sermone expressum est) ; sicque vehementissime erubesce ac expavesce, manibus inquinatis Sanctum Sanctorum tractare, præstantissimum ac illibatissimum Christi corpus attingere, pretiosissimum ejus sanguinem polluto ore suscipere, Regem gloriæ Dominumque virtutum in anima deturpata, fœda et sordida hospitare. Attende quam vehementer beatissimus Joannes Baptista *Matth.* III, 14. verebatur, eum baptizando, extrinsecus ac modice attrectare. Et quomodo audes tu eum jam glorificatum consecrare, intus accipere, edere, et sanguinem ejus sacratissimum potare, nondum purgatus nec debite præparatus ? Qualiter ita obsurduisti, ut non exsuscitet neque perterreat te vox illa terribilis, metuenda tuba apostolicæ comminationis, « Qui manducat et bibit indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini » ? Cum omni igitur diligentia et pavore, cum omni puritate, reverentia ac fervore, cum summa custodia et compunctione te præpara, discute ; confitere, satisfac, et accede in plenitudine fidei, devotioneque alacri. Sic inchoa, ita prosequere, sic ora, sic offer, sic consecra ; et universa ac singula verba cum attentione ingenti distincte pronuntia. Deinde, expleto officio, ferventi ac devotissimo corde gratias age, gratus permane, atque in omni conversatione tua esto sollicitus ne offendas. Esto timoratus et custoditus, ne susceptam gratiam perdas, ne fructum amittas adeptum : et sic tota vita tua sit præparatio ad celebrandum continua. *I Cor.* XI, 29, 27.

Tertio, animadverte cui offeras sacrificium tantum. Et utique Deo Patri, Regi majestatis immensæ, omnium Creatori, cui cum tremore adstant universi cœlorum exercitus, quem Cherubim ac Seraphim vix audent adspicere, cujus comparatione totus mundus est tanquam pulvis et arena exigua, imo tanquam nihilum et inane. Et quomodo tu audebis te illi imparatum, immundum, distractum repræsentare, irreverenter hostiam sacram offerre, negligenter et cum tepore adsistere ? Itaque juxta prætacta, te præpara, te repræsenta, ac totum tuum officium exple. *Is.* XL, 15, 17.

Quarto, intende cur celebres celebrareque debeas. Nempe, propter easdem causas ob quas Christus se obtulit in cruce Deo Patri, tu quoque offerre eum debes eidem in altari, hoc est : primo ac principaliter pro tota Ecclesia, pro infidelium conversione, pro fidelium reformatione, pro universorum salute, pro occurrentibus causis et necessitatibus quibuscumque ; pro propinquis, commissis et benefactoribus tuis, fidelibusque defunctis, et pro quibus ex speciali causa vis exorare, atque pro tui ipsius condigna emendatione in omnibus. Ut ergo utcumque pro viribus tuis exsistas idoneus deprecari ac offerre

pro tantis ac talibus causis, satage et indefesse conare te ipsum Deo placitum exhibere, ei familiariter adhærere, ipsum intra te amorose complecti, sinceriter contemplari, omnique die magis ferventer diligere. Considera altitudinem divini consilii, dispositionem superbeatissimæ atque sanctissimæ Trinitatis, decretum æternæ ac infinitæ sapientiæ summi Dei super salvatione ac modo redemptionis generis humani, per incarnationem et passionem unigeniti Filii Patris æterni : tantam supergloriosissimæ ac sanctissimæ Trinitatis caritatem, clementiam, liberalitatem ad nos adspice, admirare, glorifica, venerare, collauda, et toto corde in Deum redi, ingredere, resolvere, quiesce, obdormi. In his delectare et jubila, ac indefesse te occupa; hæc indelebiliter imprime tuæ memoriæ, jugiterque rememora.

Præterea, quanto religiosum oportet sæculari homine esse spiritualiorem, perfectiorem ac custoditiorem in cunctis, tanto et te, o religiose sacerdos, oportet præ sæcularibus presbyteris excellentius præparare ad celebrandum divina mysteria. Illis magnum est servare omnipotentis Dei præcepta, Patrumque canones ac decreta, synodalia quoque statuta. Tu ultra hæc ad monastica vota, ad sacræ religionis mandata teneris, ad observantias etiam regulares adstringeris, ad perfectionem tendere obligaris. Si ergo vere cupis te ad celebrationem disponere, hoc primo omnium stude, ut ea quæ Ordinis tui sunt, et ad quæ ex professione teneris, diligenter irreprehensibiliterque observes (discretionem in omnibus tenens) : cui in profunda humilitate, honestissima patientia, gloriosa mansuetudine invicte permaneas, et succrescas. Horas canonicas attente persolvas, et quo dulcissimam ac dilectissimam Virginem, præstantissimam atque gloriosissimam Christi Matrem cordialius diligis, eo et Horas ipsius devotius legas. Obedientiæ sanctæ nil præferas ; quempiam scandalizare exhorre. Hoc quoque sollicite præcave, ne ullum temporis hujus incerti ac modici tibi pie indulti momentum infructuose pertranseas. Cum Deo in cordis tui arcano indesinenter stude miscere colloquia : quod est sine intermissione orare. Tempus tibi indultum reputa pretiosissimum donum. In eo negotiari, mercari, lucrari non cesses : quod est thesaurizare in cœlis. Cum magno illo Elia dic sæpe, cogita sæpius, contemplare sæpissime : Vivit Dominus, in cujus conspectu sto hodie. Sicque Judicem sempiternum tibi indesinenter præsentem, intentum, imminentem, semper advertens, in ejus præsentia te ubique et semper pure et reverenter, timorate et fructuose ac fervide habe. *Matth.* VI, 20. III *Reg.* XVII, 1.

Porro hoc fundamento posito et servato, si supererogare quid poteris, et ad celebrationem te disponere quiveris per exercitia altiora, per actus virtutum in termino excellentiæ, per heroicorum imitationes virorum, optime res gesta est. Oportet quippe a via purgativa incipere, et ab ea ad illuminativam viam ascendere, atque per eam ad viam perfectivam pertingere. Sunt namque in unaquaque virtutum trium ad quas te voto obligasti solenni, imo in ceteris quoque, tres gradus (ut alibi in plurimis declaratum est locis) : in quibus gradibus, si strenue proficere atque ascendere cures et satagas, experieris quemadmodum per observantiam regularem, per adimpletionem monasticæ professionis fidelem, per sollicitum quotidianum profectum perveniatur ad arcem contemplationis, ad perfectionem divini amoris, ad mysticam theologiam : quæ non est aliud quam donum sapientiæ secundum gradum suum perfectum, per quem stat mens depurata ac fervida in contactu Solis sapientiæ increatæ, hoc est in proxima dispositione ad actualem illuminationem supernam, ad vehementem ac validam inflammationem internam, ad continuam aut saltem assiduam visitationem, inundationem ac locupletationem Spiritus Sancti, habens indesinenter coram se quasi expansam regionem immensam luminis increati, in quam ingredi

intuitumque defigere potest ad libitum. Sicque transformatur tam valide in dilectum, in superdulcissimum Deum, ut sine inflammatione, alteratione ac quadam defectione, vix cogitare, loqui, audire valeat de eodem. Et ita elevatur frequenter ad raptum et ecstasim, etiam sæpe inopinate et absque sui ad hoc cooperatione, quasi sopita spiritus libertate, ita ut resistere nequeat, neque evadere : quod fit in profundissima misericordia Dei, præveniente et præstringente gratia Sponsi mentem hujusmodi. Qui supergratiosissimus et supersuavissimus Sponsus quum mentem luminosam ac amorosam cœperit apprehendere, deosculari, amplecti et intra se trahere, mox immensitate magnitudinis excellentiæ suæ in omni perfectione, in omni amabilitate, pulchritudine, gratiositate, sapientia et deliciositate sic vincit et convenientissime opprimit illam, ut tota defluat a se, et rapiatur in ipsum. Sic demum transfertur a tumultu distractionum ad jucunditatem et quietem silentii, fitque quasi dimidia hora silentium in cœlo, in throno hujuscemodi spiritus, introducti in serenissimum diem ex irradiatione Solis intelligentiæ causatum in thalamo mentis. Tunc amantissimus Domini habitat confidenter, et in eo quasi in thalamo tota die commoratur. Sic residet in pulchritudine pacis internæ, in degustatione pacis æternæ quæ omnem sensum exsuperat, atque in requie opulenta. Ita fit homo per prætactam perfectionem quasi secretarius et consiliarius Dei.

Apoc. VIII, 1. *Deut.* XXXIII, 12. *Is.* XXXII, 18. *Philipp.* IV, 7.

Ad hanc perfectionem appetendam, insequendam suoque modo obtinendam, adstringit te tua professio, o religiose sacerdos ac frater. Noli esse contentus angustiis tuis, neque dicas : Tam remote salio cum bacillo sicut cum baculo. Non diffidas, nec cesses : in via Dei non progredi, retrocedere perhibetur. Aptissima media habes pertingendi ad ista : utere eis sicut oportet. Omnia potes in eo qui te confortare paratus est, qui etiam te invitavit ad illa. Noli instar cancri nunc proficisci in anteriora, et paulo post per negligentiam, incustodiam, loquacitatem, distractionem, impatientiam retroire.

Philipp. IV, 13.

Væ dissolutis corde ac tepidis, qui in observantiis sacris remissi, et consolatiunculis vilibus inclinati, arida consuetudine transeunt ad divina, sic confitentur, sic celebrant, et paulo post ita se habent quasi nec confessi essent, nec celebrassent. Miseri isti ac stulti contumeliam irrogant sacramentis ac beneficiis Christi, qui quanto frequentius tanto negligentius participant sacris. Ideo non ditantur, nec spiritualiter impinguantur, imo potius segnes redduntur, leves ac garruli, in cibo et potu immoderati. Sed absint ista a nobis spiritualibus : et quam diligenter boni sæculares cavent peccata mortalia, tam diligenter caveamus venialia mala ; et quo frequentius, eo plus timorate ac fervide, magis compuncte et pœnitenter confiteamur ac celebremus, et pro communi bono Ecclesiæ ac defunctis incessabiliter exoremus. Ad laudem Dei.

SERMO QUINTUS

DE GRATIIS, FRUCTIBUS ATQUE EFFECTIBUS SACRAMENTI EUCHARISTIÆ.

QUI manducat hunc panem, vivet in æternum. Joann. VI, 59.

Transgresso primo parente præceptum Dei in paradiso, et ob hoc originali justitia denudato, infecta quoque ac perdita posteritate sua in ipso, decrevit justus ac

sapiens Deus non recuperare neque salvare genus humanum, nec illud sibi reconciliare, nisi per mediatorem cujus meritum esset ipsi acceptius, quam demeritum primorum parentum et omnium posterorum ipsorum displicens fuit et offensivum, vel saltem tam placitum et acceptum, quatenus sic satisfieret divinæ justitiæ. Porro talem mediatorem exhibere nequivit ex se genus humanum, quod jam totum perierat in sua radice ; nec pura aliqua creatura potuit tanti meriti esse, tantæ acceptabilitatis ac gratiæ coram Deo, tantæve dignitatis et efficaciæ coram eo. Hinc Deus gloriæ naturaliter pius, cujus natura est bonitas pura ac penitus infinita, qui quum iratus fuerit, misericordiæ recordatur, nec in ira sua continet misericordias suas : ubi creatura omnino deficit, et humanum auxilium defuit, impendit divinum, excogitans providensque de remedio efficaci, imo efficacissimo ; concedens, præbens ac mittens hominibus mediatorem prorsus idoneum, et certe, infinite magis potentem ac dignum ad reconciliandum, ad complacendum, ad redimendum atque salvandum, quam alter quicumque fuit ad offendendum et perdendum. Quumque talis mediator esse nequiverit pura creatura, statuit Trinitas adoranda unam increatam personam assumere naturam humanam ad suum hypostaticum, id est personale, increatumque esse, et illam suppositare seu substantificare in ipso, ut sic essent in una persona increata et incarnata duæ naturæ perfectæ, et una hypostasis seu unum suppositum, cui ratione humanitatis assumptæ conveniret promereri, atque ex parte Verbi assumentis seu Deitatis unitæ, infinita idoneitas, dignitas seu efficacia ad merendum. Siquidem persona illa incarnata, secundum naturam suam divinam fuit Deo Patri simpliciter infinite dilecta et accepta. Secundum naturam quoque humanam assumptam et Verbo æterno hypostatice junctam, fuit et est carior et acceptior Deo Patri quam totum universum. Nam et majus bonum communicatum est ei quam toti residuæ creaturæ, videlicet increatum hypostaticum esse Verbi, tanta quoque plenitudo gratiæ ac gloriæ et divinorum charismatum, quantam poterat capere natura creata. Hinc meritum Christi est indefectibiliter magnum, imo quodammodo infinitum : quod plene ac integre continetur in Sacramento altaris, in aliis vero sacramentis partialiter ac participative. Omnia namque Ecclesiæ sacramenta a virtute ac merito passionis Christi, imo et totius conversationis ejus sanctissimæ in hoc mundo, omnem suam virtutem et gratiam sortiuntur, præsertim a passione, utputa consummative : unde de latere Christi obdormientis in cruce fluxisse dicuntur. Itaque meritum Christi per Ecclesiæ sacramenta diversimode nobis communicatur, et per sacramentum Eucharistiæ tanquam per modum cibi reficientis, ac poculi recreantis ac temperantis.

Habac. III, 2.
Ps. LXXVI, 10.

Porro, sicut de modo exsistentiæ gratiæ in sacramentis sunt duæ opiniones solennes, ita de entitate et distinctione gratiæ sacramentalis sunt duæ solennes opiniones. Una, quod gratia sacramentalis a gratia gratum faciente realiter distinguatur, gratia quoque sacramenti unius a gratia sacramenti alterius : quam opinionem Thomas, Albertus et alii sequuntur. Alia, quod sola differant ratione, et quantum ad suos effectus.

Præterea, quoniam sacramentum hoc per modum cibi ac potus nobis proponitur ac confertur, hinc ea quæ corporeus cibus ac potus naturalis ac solitus operantur in corpore, hæc sacramentum hoc proportionaliter agit in anima. Quemadmodum ergo cibi et potus corporis gustum delectant, vires corporales reparant et confortant, deperditaque restaurant, vitam conservant atque continuant, humidum radicale a corruptione præservant naturalis caloris, materiam præbent debiti incrementi, calorem augent interius, et bonum causant calorem exterius : sic corporis et sanguinis Christi sacramentum, cordis oblectat palatum, vi-

res animæ auget, reparat et conservat, amissam devotionem recuperat, vitam gratiæ conservat in suo vigore ; profluvium lacrimarum, rorem imbris superni, aquam sapientiæ salutaris tuetur, ne igne concupiscentiæ aut flamma cupiditatis, vel fervore privati amoris lædantur, siccentur aut exstinguantur ; incrementum parit virtutum, caritatem inflammat, ac tantam confert tranquillitatem, exuberantiam et hilaritatem in corde, ut per redundantiam causet bonum ac hilarem apparatum in corpore.

De his posset grandis protrahi sermo, verum hic reor sufficere pauca ex pluribus tangi. Nempe si plene credamus fontem totius gratiæ in hoc sacramento realiter contineri, ipsumque Dominum Jesum Christum, verum Deum et hominem, ex incomprehensibili sua ad nos ardentissima caritate, tam increata quam infusa, atque ex sua superfluentissima liberalitate ac gratiosissima pietate se ipsum in sacramento hoc nobis offerre, largiter communicare, tanta quoque mirabilia in eo propter nos perpetrare : ambigere non valemus quin paratissimus sit gratiarum suarum charismata sumentibus sacramentum hoc copiose infundere, ac liberaliter valde conferre quantum in ipso est, hoc est, dummodo communicantes obicem non ponant, sed cum diligentia præparent se condigna ; potissimum quum Dominus ac Salvator tam seriose ac amorose, imo etiam cum horribili comminatione nos invitet ad hanc sacratissimam communionem : Nisi (inquiens) manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. *Joann.* VI, 54.

Si igitur vis gratiis, fructibus atque effectibus tanti sacramenti repleri, refici, jucundari, exuberare ac impinguari, diligentissime pensa altitudinem tanti mysterii, omnem caritatem, misericordiam, munificentiam Filii Dei, imo totius superdignissimæ Trinitatis, et quæ, quanta ac qualia Filius Patris æterni fecit, assumpsit ac pertulit pro tua salute ; et quod in hoc sacramento te visitare dignatur. Sicque ex horum consideratione accendatur cor tuum ad ipsum sincerissime redamandum, ad ipsum reverenter ac fervide suscipiendum, ad regratiandum ei totis præcordiis, ad honorandum eum totis viribus, ut incessanter sis sollicitus ne benignissimum ejus adspectum in ullo offendas, ne majestatem ejus immensam in aliquo inhonores, ne gratiosam ejus præsentiam a cordis tui hospitio usquam aut unquam repellas. Et breviter, ut multa paucis concludam, quum nihil ab ipso elonget, impediat, separet, nisi peccatum, esto summe sollicitus omnem vitare culpam, quantum humana sinit fragilitas. Etenim peccatum mortale effectus saluberrimos sacramenti istius totaliter impedit, ipsumque sumentem gravissimo involvit facinori ac diriori reatui. Venialia vero, præsertim grossiora, et quæ per negligentiam, incustodiam incuriamque contingunt, multum valde impediunt, minuunt, intercipiunt fructus salubres ac dulces Sacramenti cœlestis.

Si ergo ita sollicitus fueris semper omnem culpam vitare, omnem obicem removere, teque mundum receptaculum exhibere, senties et experieris certissime præclaros et gloriosos hujus sacramenti effectus. Intrabit ad te, et introibit in animam tuam, intellectum atque affectum, in viscera spiritus tui, Christus virtus et sapientia Dei Patris, cum effusione et communicatione opulentiæ suæ ; ostendet oculo tuæ mentis divitias gloriæ suæ, quemadmodum animæ S. Agnetis, quæ dixit : Ostendit mihi thesauros incomparabiles, quos se mihi daturum, si ei perseveravero, repromisit. Veniet ad te Sol sapientiæ cum emicatione largiflua illustrationis supernæ ; cum luminoso fulgore illuminabit oculos cordis, ut consideres atque intelligas mirabilia legis suæ, et habeas fidem cum rationibus credendorum ac depuratæ intelligentia mentis. Sic illuminatus ac spiritualiter introductus in sanctuarium Dei, in lucis incircumscriptæ abyssum, circumdatus lumine intueberis connexionem et ordinem, consonantiam, rationes, fun- *1 Cor.* I, 24. *Ps.* CXVIII, 18. *Ps.* LXXII, 17.

damenta ac firmamenta fidei tuæ; apparebitque tibi (et vere sic est) quod nihil sit rationabilius, nihil certius, nihil profundius assertionibus fidei christianæ, dum omnia comportantur. O quam repente ab adventu et coruscatione visitationis et illustrationis prætactæ, recedent ac fugient ab interioribus tuis nebulæ passionum, caligines inordinatarum affectionum, inquietudines passionum, tentationes circa mirabilia fidei, obscuritates errorum, et omnia erunt serena, tranquilla et jucunda in te ! Sic igitur ingrediens Christus in te, *Apoc.* III,20. cœnabit tecum, etiam ante prandium, et se ipsum proponet tibi in ferculum, di- *Cant.* V, 1. cens : Comede, amice, et bibe; et inebria- *Eccli.* XV,3. re, carissime. Comede panem hunc vitæ *Ps.* XXXIII, 9; I *Petr.* II, 3. et intellectus; degusta, et vide quam dulcis sim ego. Nullus corruptibilis cibus ita delectat et confortat, impinguat, extendit carnem mortalem, quemadmodum contemplatio, degustatio et interna ista refectio sapientiæ quæ est Christus, fidelissimam animam immortalem.

Porro ex ista tam lucida intuitione sapientiæ æternalis, protinus vehementer accendetur amore ipsius tuus affectus : et tunc vere deifice ac supernaturaliter in Christum mutaberis, secundum quod amor, præsertim supernaturalis, infusus, prædominans, transformat amantem in amatum. Quumque amatum hoc increatum, sit vere amabilitatis penitus infinitæ, ac simul immensæ efficaciæ ad trahendum ac rapiendum in se, ad alterandum inflammandumque apicem affectivæ, trahit sæpissime mentem amantis tam valide, tam prædominanter et gratiose in se, in divitias gloriæ suæ, in oceanum deliciarum beatitudinis suæ, quod apex mentis prorsus absorbetur atque demergitur in ipsam Deitatis abyssum, præ cujus admiratione, intuitione, dilectione, degustatione, complacentia, deficit prorsus a se ; tamque vehementer mens tota Deitati intenta est, quod omnes vires sensitivæ inferiores a suis actibus suspenduntur, harmonia velut congelatione quadam constringitur, corpus sopitur, membra rigescunt, motiva vis deficit, jacetque caro velut truncus immobilis, nec vivit homo tunc vita animali humana, sed intellectuali ac deiformi dumtaxat.

De his multa leguntur in libris de quibusdam sanctis personis, imo et nonnullis innocentibus præelectis puellis, quæ ad hujuscemodi perfectiones prorsus mirabiles ac divinas perductæ sunt, non solum interdum aut raro, duratione permodica, sed et valde frequenter, et per spatia longa, et quædam septies aut circiter omni die, in omni quoque sacra communione et celebratione, præsertim sub elevatione. Quod si quis ista non credat, in promptu est, etiam his diebus hoc demonstrare ad oculum. Jacent ac degunt hinc inde devotissimæ puellæ ac feminæ in sæculo et in cœnobiis, et forsitan aliqui viri, in quibus ista et similia aguntur et conspiciuntur, quibus Deus omnipotens et æternus incerta et occulta sapientiæ suæ demonstrat. *Ps.* L, 8. Quæ personæ per hujusmodi supernaturalia gratiarum charismata sunt utique evidens signum atque sufficiens argumentum veritatis fidei christianæ, eis potissimum qui experimentaliter aut aliter norunt qualiter hæc contingant. Nempe, per supernaturales hujusmodi unctiones, inflammationes, mysticas visiones, transformationes, illustrationes, degustationes et raptus, mens humana præcipue roboratur in fide, in catholica veritate, in ecclesiastica unitate, in quibus per hæc immobiliter stabilitur, et superclarissime certificatur.

Præterea, per ista sancti Doctores Ecclesiæ, beatissimi patres Hieronymus, Augustinus, Gregorius, Ambrosius, et alii innumerabiles sancti et illuminatissimi viri, in fidei veritate tam certi et immobiles sunt effecti : qui etiam sancti Doctores in libris suis, ad laudem et gloriam Creatoris, sibi hæc contigisse et concessa esse, seque ista et his majora expertos esse testati sunt. Imo gloriosus ille Hieronymus in Regula sua fassus est, se frequenter in hujusmodi raptibus fuisse absorptum, alienatum, sopitum per hebdomadas integras

sine interruptione. Talibus splendidissimis A stellis cœlum militantis Ecclesiæ innumerabilibus fuit ornatum. Tales habemus fidei nostræ testes. Et nunc nos qui credamus, vix tot sumus, quot tam idoneos et omni fide dignissimos testes habemus, quorum utique conversatio, fides, doctrina, per innumerabilia præclara ac soli Deo possibilia miracula copiosissime approbata est et confirmata. Hæc te latuerunt, o reprobe et infelix Averroes. Et plane si prætactos effectus et fructus gloriosissimi Sacramenti unquam saltem semel gustasses, nunquam tam blaspheme locutus fuisses. B

Itaque ad obtinendum hos effectus, ad degustandum fructus præfatos Sacramenti, nos strenue præparemus coram Altissimo : indesinenter timorati, custoditi ac fervidi persistamus, omnemque simulationem, duplicitatem, vanitatem, carnalitatem diabolicamque ambitionem (quam culpæ innumerabiles concomitantur) supremo detestemur horrore ; et coram Judice summo in cunctis sinceri simus ac justi, atque in sincerissimum affectum totius boni et honesti integre transformati, ac zelo divini honoris ac boni communis inexstinguibiliter inflammati. Ad laudem omnipotentis Dei.

IN FESTO

S. JOANNIS BAPTISTÆ

ENARRATIO IN LECTIONEM LOCO EPISTOLÆ

AUDITE, INSULÆ, ET ATTENDITE, ETC. Is. XLIX, 1-3, 5-7.

LECTIO ista ex Isaia propheta est sumpta, cujus omnia verba ibi ad litteram de Christo sunt scripta. Mystice vero, valde convenienter exponuntur de præclarissimo Christi membro ac milite, beatissimo ac sanctissimo Joanne Baptista, qui in donis gratiæ, efficacia prædicandi, sanctitateque vitæ, magnam cum Christo similitudinem habuit. Itaque ex persona sancti hujus Joannis nunc dicitur :

Audite, insulæ, id est homines in insulis habitantes. Porro insula dicitur regio seu provincia in medio aquæ seu maris sita ; suntque insulæ multæ ad fidem conversæ, ut Cyprus, Creta, Rhodus, Anglia, Hibernia, etc. *Et attendite, populi de longe,* id est, qui longe et in extremis mundi partibus habitatis : quorum etiam multi christiani effecti sunt, ut Indi, Hispani, Sueci. Quid autem advertere debeant, subditur : *Dominus ab utero vocavit me,* id est, Deus omnipotens per angelum Gabrielem nomen meum prænuntiavit, et mox quum processissem ex utero, instigavit patrem meum Zachariam ad insinuandum nomen meum per verba scripta. Similiter matrem meam Elisabeth excitavit ut nomen mihi imponendum proferret. Ait enim Lucas, quod Gabriel archangelus Joannis conceptionem et nativitatem Zachariæ prædicens, inter cetera ait : Vocabis nomen ejus Joannem. Die quoque octavo post nativitatem Joannis, quum venissent propinqui ejus ad circumcidendum Joannem, et vellent eum appellare nomine patris, Elisabeth dixit : Nequaquam, sed vocabitur Joannes. Quumque per signa interrogarent patrem ejus, scripsit, dicens : Joannes est nomen ejus. *De ventre matris meæ recordatus est nominis mei,* id est, exprimendo nomen meum modo prætacto, monstravit se memorem nominis mei. Vel, « De ventre matris meæ recordatus est nominis mei », id est, gratiose et misericorditer adfuit mihi in utero matris meæ, in quo sanctificavit me, et statim ex utero, quoniam semper conservavit me in gratia. Dicitur enim Deus recordari eorum, quibus gratiam suam largitur ; oblivisci vero, quos gratia privat, et juste finaliterque relinquit.

Luc. I, 13-17.

Luc. I, 59-63.

Et posuit os meum quasi gladium acutum, id est, sermonem justæ increpationis, et verba penetrativa vitiorumque resecativa præstitit mihi. Hoc ex Evangelio satis patet. Unde in Matthæo legimus S. Joannem dixisse Judæis : Progenies viperarum, quis ostendit vobis fugere a ventura ira ? Herodi etiam dixit : Non licet tibi habere uxorem fratris tui. *In umbra manus suæ,* id est in adjutorio potentiæ suæ, *protexit me* a ruina peccati, ita quod impiorum

Matth. III, 7.

Marc. VI, 18.

persecutio animæ meæ non nocuit, imo profuit, quoniam gratiam patientiæ tribuit mihi. Sic enim protegit Deus suos electos : non quod non permittat eos in mundo hoc tribulari, atque ab impiis trucidari, quum scriptum sit, Multæ tribulationes justorum ; sed quia in tribulatione dat patientiam, et per eam pro temporali tribulatione coronam donat æternam, juxta illud Jacobi : Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam quum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se. *Et posuit me sicut sagittam electam,* ita quod sicut electa sagitta a sagittante emissa, velocissime movetur, et recte pertingit ad signum, sic ego in omnibus a Spiritu Sancto promptissime motus sum, et audientium corda directe tetigi. *In pharetra sua,* id est potentia ac sapientia sua, *abscondit me,* id est, oculis hominum me subtraxit, ita quod in eremo latui, quousque placuit supersapientissimo omnipotentique Deo ut irem ad publicum gratia prædicandi ac baptizandi. Præterea sapientia ac potestas Dei recte per pharetram designantur, quia sicut ex pharetra sagitta projicitur, ita ex potentia et sapientia Dei homines justi ad opera sancta diriguntur atque moventur.

Ps. XXXIII, 20.

Jacob. I, 12.

Et dixit mihi : Servus meus es tu, Israel, quia Joannes fuit specialissimus servus Christi, utpote ejus præcursor, præco, baptista, propheta. Dicitur quoque Israel : vel quia de semine Jacob, qui alio nomine dictus est Israel, natus est ; vel quia excellens fuit contemplator divinorum, atque altissimam habuit revelationem de summa Trinitate in Christi baptismate, quia tunc vidit Spiritum Sanctum in specie columbæ super Christum descendentem ac quiescentem, audivitque vocem Dei Patris dicentis de Christo, Hic est Filius meus dilectus ; et ipsum Dei Unigenitum contrectavit ac baptizavit. Israel autem interpretatur vir videns Deum. *Quia in te gloriabor :* id est, per tuam prædicationem et sanctitatem gloriosus apparebo, et potestas ac excellentia mea innotescent hominibus ; hi quoque quos converteris ad me, majestatem meam venerabuntur.

Gen. XXXII, 28 ; XXXV, 10.

Joann. I, 32, 33 ; *Matth.* III, 13-17.

Et nunc dicit Dominus, formans me ex utero servum sibi, hoc est, in utero matris meæ Spiritu Sancto me implens ut sim idoneus Christi præcursor (juxta illud Lucæ, Spiritu Sancto replebitur ex utero matris suæ) : *Dedi te in lucem gentium,* id est, illuminatorem ac magistrum populorum te feci, *ut sis salus mea,* id est salutaris minister et instrumentum quo alios salvabo, quia per tuam prædicationem eos convertam, *usque ad extremum terræ,* id est fines mundi. Possunt autem per gentes gentiles intelligi. Et quamvis sacratissimus Christi baptista in propria persona non prædicavit gentilibus, sed Judæis, tamen quia doctrina ejus in Evangelio scripta, omnibus gentibus mundi est prædicata, nunc dicitur : Dedi te in lucem gentium, etc. *Reges videbunt, et consurgent principes,* id est, reges et principes ad fidem conversi, videbunt oculo interiori doctrinam et sanctitatem Joannis, atque ad ejus reverentiam se movebunt, imo ad Dei obsequium et honorem. Propter quod subditur : *Et adorabunt Dominum* Deum tuum, cui soli cultus latriæ est exhibendus, *quia fidelis est,* id est, fidelitatem conservans et implens promissa, juxta id Psalmistæ : Fidelis Dominus in omnibus verbis suis. Apostolus quoque : Fidelis (inquit) Deus qui non patietur vos tentari supra id quod potestis. *Et Sanctum Israel,* id est Deum sanctificatorem Israeliticæ plebis, seu sancti Jacob patriarchæ, qui alio nomine dicitur Israel, *qui elegit te,* o beate Baptista, in tantum quod dixit de te : Inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista.

Is. XLIX, 5.

Luc. I, 15.

Is. XLIX, 6.

Ibid. 7.

Ps. CXLIV, 13.

1 *Cor.* X, 13.

Gen. XXXII, 28 ; XXXV, 10.

Matth. XI, 11.

SERMO PRIMUS

QUAM SIT JUSTORUM AC REPROBORUM SERMO DIVERSUS; ET QUI SINT DIGNI FRUCTUS PŒNITENTIÆ.

JOANNES *erat lucerna ardens et lucens.* Joann. v, 35.

In his verbis Christus laudat felicissimum suum baptistam ac consanguineum a duobus : primo, a caritatis suæ fervore, quum ait, « Ille erat lucerna ardens » ; secundo, a sapientiæ suæ splendore, dum subdit, « et lucens ».

Denique in lectione exposita, quæ loco epistolæ in Ecclesia legitur hodie, S. Joannes Baptista multipliciter commendatur. Primo, quoniam Deus sibi nomen impo-
Luc. I, 13. suit, et antequam conciperetur, præcepit per angelum ut vocaretur Joannes : quod a principio mundi raro legitur contigisse. Aliquibus tamen Deus per angelos impo-
Gen. XVI, 11; XVII, 19. Cf. in *Luc.* I, 13. suit nomen, videlicet Ismaeli et Isaac filiis Abrahæ, ut patet in Genesi; item Samsoni. Josiæ quoque regis nomen diu prædixit
III *Reg.* XIII, 2. per Prophetam, ut legitur tertio Regum.
Is. XLV, 1, 4. Similiter per Isaiam prædixit nomen Cyri regis Persarum. In Evangelio autem legi-
Luc. I, 13, 31. tur hoc de Joanne et Christo. Secundo,
Ibid. 15. quoniam Deus in utero materno eum sanctificavit, imo (quod majus est) Spiritu Sancto implevit, et usu rationis miraculose prævenit, ut Lucas evangelista testatur, et in expositione lectionis expositum est.
Ibid. 41. Porro, dum virgo Christifera visitasset Elisabeth, exsultavit Joannes in utero ejus, quia cognovit præsentiam Filii Dei Salvatorisque mundi : sicque operante Spiritu Sancto, acceleratus fuit in eo usus rationis, ita quod nondum natus, Christi majestatem atque præsentiam est mirabiliter contemplatus. Idcirco sanctificatio ejus in utero, gratiosior fuit quam sanctificatio Jeremiæ prophetæ. Potuit itaque Joannes
Jer. I, 4, 5. dicere illud Jeremiæ : Factum est verbum Domini ad me, dicens : Priusquam te formarem in utero, novi te; et antequam exires de ventre, sanctificavi te, et Prophetam in gentibus dedi te.

Tertio, in lectione hac commendatur ab efficacia et excellentia gratiæ sibi concessæ in prædicando, quum ait : Posuit os *Is.* XLIX, 2. meum quasi gladium acutum.

Sed cur istud de Christo et Joanne refert Scriptura, quum de impiis dicat Propheta, Filii hominum, dentes eorum arma *Ps.* LVI, 5. et sagittæ, et lingua eorum gladius acutus; itemque, Gladius in labiis eorum? Et *Ps.* LVIII, 8. respondendum, quod per eamdem rem secundum diversas ejus proprietates et actiones, possunt contraria designari : quemadmodum per leonem ratione suæ fortitudinis et eminentiæ in animalibus, exprimitur Christus in Apocalypsi, quo legitur : Ecce vicit leo de tribu Juda. Per leonem *Apoc.* V, 5. quoque ratione suæ ferocitatis ac rapacitatis seu voracitatis, designat Petrus diabolum, quum dicit : Adversarius vester I *Petr.* V, 8. diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret. Quemadmodum etiam ait Paulus, Liberatus sum de ore leonis : II *Tim.* IV, 17. per leonem intelligens ferocem Neronem. Itaque homines vitiosi comparantur gladio, et os seu lingua eorum gladius dicitur, quoniam pungitiva, detractoria, vulnerativa et nociva proferunt verba, juxta illud Jeremiæ : Sagitta vulnerans lingua *Jer.* IX, 8. eorum; in ore suo pacem cum amico suo loquitur, et occulte ponit ei insidias. Et iterum ait Scriptura : Verba susurronis *Prov.* XXVI, quasi simplicia, et ipsa perveniunt usque 22. ad interiora ventris. Salomon quoque alibi : Si mordeat serpens in silentio, nihil *Eccle.* X, 11. eo minus habet qui occulte detrahit. Porro os justorum gladius nominatur, quoniam verba habent justi rigoris et invectivæ ac

caritativæ increpationis, quæ penetrant audientes, et resecant culpas, atque duritiam dividunt cordis ut gratiam Dei suscipiat emollitum. Hinc Ecclesiastes ait : Verba sapientium quasi stimuli, et quasi clavi in altum defixi. Sed et apud Jeremiam loquitur Deus : Numquid non verba mea sunt quasi ignis, et quasi malleus conterens petram ?

Eccle. XII, 11.

Jer. XXIII, 29.

Sed jam ex Evangelio demonstremus, quam vere Joannes dicat, Posuit os meum quasi gladium acutum. Itaque Matthæus ait : Videns Joannes multos Pharisæorum et Sadducæorum venientes ad baptismum suum, dixit eis : Progenies viperarum, id est filii serpentium, quis demonstravit vobis fugere a ventura ira, id est rigorem judicii divini evadere ? Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ. Et ne velitis dicere : Patrem habemus Abraham. Dico enim vobis, quoniam potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Jam enim securis ad radicem arboris posita est. Omnis ergo arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur. Et paleas (id est iniquos) Christus comburet igne inexstinguibili. Insuper verbis istis magni Joannis addit Lucas : Interrogabant eum turbæ, dicentes, Quid ergo faciemus ? Respondit : Qui habet duas tunicas, det non habenti ; et qui habet escas, similiter faciat. In quibus verbis omnem superfluitatem vestimentorum ac ciborum et potuum resecat, et opera misericordiæ perfecte ac spiritualiter docet. Porro, quoniam decens et justum est ut qui fortia prædicat, fortia operetur, et qui alios increpat rigorose, non palpet se ipsum (propter quod dixit Apostolus, Castigo corpus meum, et in servitutem redigo, ne forte aliis prædicans, ipse reprobus efficiar) ; hinc et sanctus iste Joannes sibi ipsi valde fuit rigorosus, et prorsus irreprehensibiliter vixit. Unde sancti evangelistæ Matthæus et Marcus scribunt de eo : Ipse Joannes habebat vestimentum de pilis camelorum, et zonam pelliceam circa lumbos suos ; esca autem ejus erat locustæ et mel silvestre. In quibus verbis de parcitate, paupertate ac austeritate victus ac vestitus excellenter laudatur. A pueritia quoque commoratus est in deserto, omni humano carens solatio. Præterea, quoniam rigori debet misceri discretio, et fervori prudentia, idcirco Joannes omni fuit discretione ornatus, et rigori pietatem commiscens, unumquemque secundum exigentiam proprii status informans, ut Lucas scribit.

Matth. III, 7-10.

Ibid. 12.

Luc. III, 10, 11.

1 *Cor.* IX, 27.

Matth. III, 4 ; *Marc.* I, 6.

Luc. I, 80.

Ibid. III, 3 et seq.

Quarto, in lectione ista laudatur Joannes a protectione pietatis divinæ, quum dicitur : In umbra manus suæ protexit me. Protegit enim Deus electos : quia etsi eos cadere sæpe permittat, non tamen deserit eos in ruina peccati, nec ab hoste occidi atque ad inferos trahi permittit, ut promerentur dum peccant ; sed misericorditer erigit eos, et cautiores surgere facit, ita quod casus cooperatur eis indirecte in bonum, quia post culpam custoditiores, humiliores, interdum quoque et ferventiores redduntur. Unde de electo ait Propheta : Quum ceciderit, non collidetur, quia Dominus supponit manum suam. In tribulationibus, tentationibus et adversitatibus ipsos tuetur, pœnitentiamque largitur, atque pro brevibus ac modicis tribulationibus æternam et copiosissimam felicitatem conferre dignatur. Propter quod ait Apostolus : Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam. Et Sapiens ait : In paucis vexati, in multis bene disponentur. Itemque : Deus dextera sua teget eos, et brachio suo defendet eos ; ideo accipient regnum decoris et diadema speciei de manu Domini. Sic Deus hunc gloriosum ac sublimem protexit Joannem, qui in omni adversitate mansit invictissimus, imo et victoriosissimus mente, carcerem et mortem pro Deo et justitia sustinens patientissime.

Is. XLIX, 2.

Ps. XXXVI, 24.

Rom. VIII, 18.

Sap. III, 5.

Ibid. V, 17.

Marc. VI, 17 et seq.

Quinto, laudatur hic S. Joannes, quia ad prædicandum nequaquam ingessit se, quousque Deus ei præcepit ire ad publicum et prædicare ac baptizare, ut Lucas scribit. Per quod ambitiosi et fatui homines

Luc. III, 2.

increpantur, qui ad aliorum præsidentiam ingerunt semetipsos, quum nec virtutibus polleant, nec vera sapientia decorentur, et volunt præesse antequam didicerunt subesse.

Itaque hunc gloriosissimum Joannem Baptistam singulariter diligamus, cordialiter honoremus, fideliter assequamur. Studeamus in caritatis fervore, in zelo justitiæ, in sapientia salutari semper proficere. Postremo, unusquisque pro posse suo proximos suos culpabiles, strenue cum discretione corripiat, pigros ad agilitatem hortetur. Proficientes quoque ad meliora sunt provocandi. Et jugiter Deum affectuosissime precemur, ut nos indesinenter defensare dignetur et conservare in bonis, atque perseverantiam dare finalem, sicut orat Propheta : Custodi me, Domine, ut pupillam oculi; sub umbra alarum tuarum protege me. Quoniam nec in momento persistere valemus in bono, nisi protegente et conservante nos Domino, a quo est omnis boni inchoatio, prosecutio et completio, Christo dicente : Sine me nihil potestis facere. Qui precibus et meritis electissimi sui baptistæ Joannis nostras dignetur suscipere preces, et omnem gratiam ad salutem necessariam impertiri : cui cum Patre et Spiritu Sancto honor, etc.

Ps. xvi, 8.

Joann. xv, 5.

ENARRATIO IN EVANGELIUM

ELISABETH IMPLETUM EST TEMPUS PARIENDI, ETC. Luc. i, 57-68.

HISTORIAM hodiernæ solennitatis, quæ est de nativitate beatissimi præcursoris Domini nostri Jesu Christi, Lucas sanctus evangelista in evangelio festi præsentis compendiose describit, dicendo :

Elisabeth impletum est tempus pariendi, id est, nonus mensis ei advenit, *et peperit filium* suum primogenitum ac unigenitum, puta Joannem. *Et audierunt vicini et cognati ejus, quia magnificavit Dominus misericordiam suam cum illa,* id est, quod Deus valde misericorditer fecit cum ea, concedendo ei filium supernaturaliter, non obstante naturali ejus sterilitate ac senio; *et congratulabantur ei,* ex dilectione qua eam et ejus diligebant maritum : nam sine querela et valde pacifice conversabantur Zacharias et Elisabeth inter suos vicinos atque propinquos. *Et factum est in die octavo* a nativitate Joannis, *venerunt circumcidere pucrum,* juxta legis præceptum : Infans octo dierum circumcidetur. De quo præcepto et rationibus ejus, dictum est in expositione evangelii festi de Circumcisione Christi. *Et vocabant eum nomine patris sui Zachariam.* Primogenitis namque, et præsertim unigenitis, solet apud multos nomen patris imponi. Istis autem vicinis et cognatis non erat spes quod Zacharias et Elisabeth amplius prolificarent. Quemadmodum autem in novo Testamento nomen imponitur in Baptismo, ita tunc in circumcisione. Sed quum circumcisio fuerit remedium contra originale peccatum, cur circumcisus est Joannes, qui in materno utero fuit sanctificatus, id est ab originali purgatus, et gratia Dei ornatus, imo Spiritu Sancto repletus? Respondetur, quod circumcisus est non ob indigentiam remedii, sed propter observationem præcepti; item ne alii scandalizarentur, quia non sciebant quod esset sanctificatus; et causa singularitatis vitandæ; et forte per circumcisionem illam valde pœnalem, in ipso aucta est gratia Dei.

Luc. i, 6.

Gen. xvii, 12.

Et respondens mater ejus Elisabeth, *dixit : Nequaquam* appellabitur Zacharias,

sed vocabitur Joannes. Quod enim Deus per A angelum præcepisset puerum sic esse vocandum, cognovit Elisabeth per spiritum prophetiæ, seu ex revelatione divina, quia hoc nulli homini nisi viro suo fuerat intimatum in templo, qui ex tunc mutus permansit : nisi dicatur quod scripto indicavit id conjugi suæ, quemadmodum paulo post indicavit id ceteris, sicut subjungitur. Forsitan enim quæ ei in templo fuerant revelata, per scripta indicavit suæ uxori. *Et dixerunt ad illam : Quia nemo est in cognatione tua qui vocetur hoc nomine :* id- B circo miramur, et irrationabile nobis videtur, quod vis eum ita vocari.

Innuebant autem patri ejus, id est, per signa sensibilia quærebant a Zacharia, *quem,* id est quo nomine, *vellet vocari eum.* Porro ex eo quod dicitur hic, « innuebant patri ejus », doctores eliciunt, quod Zacharias ob suam incredulitatem non solum mutus, sed et surdus fuit effectus : si enim audisset, non nutu sed verbo voluntatem ejus interrogassent. *Et postulans* nutu, non verbo, *pugillarem,* id est cala- C mum scriptoris, seu tabulam parvam quæ pugillo potest includi, *scripsit, dicens* verbo scripto, non vocali : *Joannes est nomen ejus.* Quasi dicat : Non ego, aut uxor mea, nomen infanti impono, sed nomen a Deo per angelum ei impositum pando. *Et mirati sunt universi* ibi præsentes, videntes tot insolita circa infantulum fieri.

Apertum est autem illico os ejus et lingua ejus : id est, ori et linguæ Zachariæ tunc restituta est pristina loquendi facultas ; nec dubium quin os ejus interim ape- D riebatur ad cibum et potum sumendum, non autem ad loquendum. Quemadmodum autem suæ incredulitatis demerito fuit loquela privatus, sic fidei suæ scripta confessione ac merito, loquelæ est restitutus. Ideo ait Ambrosius : Linguam quam incredulitas vinxerat, fides solvit. *Et loquebatur, benedicens Deum* benedictione laudis et gratiarum actionis, eo quod se ob suam culpam paternaliter castigavit, et pie cu-
Tob. XI, 17. ravit, juxta illud Tobiæ : Benedico te, Domine Deus Israel, quia tu castigasti me, et tu sanasti me. Ob alias quoque causas Dominum benedixit, ut infra in suo cantico tangit. Denique, quid post suam curationem primo locutus sit, Deum benedicendo, infra habetur. Nam dixit : Benedictus Dominus Deus Israel, etc.

Et factus est timor super omnes vicinos eorum, id est, super corda vicinorum Zachariæ et Elisabeth irruit timor. Visis enim et consideratis tot mirabilibus quæ circa parentes Zachariam et Elisabeth et miraculosam Joannis conceptionem ac nominationem contigerant, omnipotentiam atque justitiam Dei intuebantur in suis effectibus : idcirco propriæ fragilitatis et culpæ conscii sibi, expaverunt, sicut in Evangelio sæpius scriptum est, quod turbæ visis *Matth.* IX, 8; *Marc.* IV, 40; V, 15, etc. Christi miraculis, timuerunt. Siquidem homo propriæ infirmitatis et culpæ sibimet conscius, non immerito ex consideratione potestatis ac justitiæ Dei formidat. Propter quod Jeremias dicit : Magnus es, Domine, *Jer.* X, 6, 7. et magnum nomen tuum in fortitudine ; quis non timebit te, o Rex gentium ? Et sanctus Job loquitur : Deus, cujus iræ ne- *Job* IX, 13; XXIII, 15. mo potest resistere ; idcirco a facie ejus turbatus sum, et considerans eum, timore sollicitor. *Et super omnia montana Judææ,* id est Judæis in montanis seu urbibus et villis in montibus ædificatis commorantibus, *divulgabantur,* id est, publice dicebantur, *omnia verba hæc,* id est mirabilia jam prætacta, circa Joannem et ejus parentes peracta. Mirabilia namque et magna ac rara solent undique publicari, quia libenter talia audiuntur : nam nova placent et admirationem inducunt. Homo autem est animal naturaliter admirativum, scientiæ cupidum, dicente Philosopho : Omnes homines naturaliter scire desiderant.

Et posuerunt omnes qui audierant in corde suo, id est, in mentibus suis ista firmiter impresserunt, tanquam commemoratione dignissima, *dicentes* intra se vel unus ad alium : *Quis, putas, puer iste erit ?* ac si dicerent : Magnus et sanctus

ac valde notabilis fiet, et crescet in virum eximium, quoniam talia ac tanta mirabilia fieri non solent nisi circa personas valde electas. Ideo subditur : *Etenim manus Domini erat cum illo,* id est, supernaturalis operatio Dei et gratiosa ejus præsentia, fuerant cum Joanne in ejus miraculosa conceptione, sanctificatione et nativitate.

Et Zacharias pater ejus impletus est Spiritu Sancto, et prophetavit, dicens. Circa quæ scribit S. Ambrosius : Vide quam bonus Dominus, et facilis indulgere peccatis. Non solum ablata restituit, sed etiam insperata concedit : nam ille dudum mutus, prophetat. Denique, ante hanc horam fuerat Zacharias Spiritu Sancto repletus ; sed nunc impletus describitur, quia in hora hac in donis tam gratiæ gratum facientis quam gratis datæ, multum profecit, et spiritum prophetiæ modo sortitus est. Recte etiam prius dicitur Spiritu Sancto impletus, quam vaticinatus, quoniam prophetare est opus Spiritus Sancti, juxta illud Petri : Non voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines. II *Petr.* I, 21.

Itaque prophetavit, dicendo : *Benedictus* sit *Dominus Deus Israel.* Quod nunc ad litteram de unigenito Dei Filio specialiter dictum videtur. Nam subditur : *Quia visitavit,* id est, per incarnationem suam operari exorsus sive aggressus est, *et fecit,* id est, per passionem suam faciet et complebit, *redemptionem plebis suæ.* Loquitur enim Zacharias more prophetico, ponens præteritum pro tunc futuro. Christus quippe per suam passionem humanum genus salvare decreverat. Dicitur autem Deus universorum, specialiter « Dominus Deus Israel », id est Israeliticæ plebis, quoniam populus ille tunc Deum specialiter coluit, et legem ac alia diversa beneficia ab ipso accepit. Christus quoque ad redemptionem Judæorum se specialiter missum asseruit, dicens : Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel. Verumtamen in hoc versu potest per plebem Christi intelligi tota plebs electorum, quæ est populus Dei per prædestinationem æternam : imo et homines universi, qui sunt populus Christi per creationem, et pro quibus omnibus ipse satisfecit, eosque redemit sufficienter et quantum in ipso fuit. Itaque in principio cantici hujus Zacharias gratias refert Deo Dei Filio pro incarnatione et passione ipsius, et pro generali liberatione generis humani facta per ipsum. *Matth.* XV, 24.

SERMO SECUNDUS

DE ANGELICA VITA ET MIRABILI CONCEPTIONE S. JOANNIS BAPTISTÆ.

ECCE ego mitto angelum meum, et præparabit viam ante faciem meam. Malach. III, 1.

Ista sunt verba Christi, veri et incarnati Dei. In quibus duo de B. Joanne Baptista tanguntur. Primum est, dignitas ejus, quum dicitur, « mitto angelum meum ». Secundum est, ejus officium, quum subditur, « et præparabit viam ante faciem meam ». Itaque sanctissimus iste Christi præcursor, angelus nuncupatur, quia angelicam vitam duxit in terris. Nam ab exordio pueritiæ suæ, solus soli Deo vacavit in eremo, in qua die ac nocte intentus fuit supra humanas vires summo et incommutabili bono, Deo sublimi et benedicto, ipsum sincerissime contemplando, ardentissime diligendo, devotissime collaudando, affectuosissime exorando. Hæc fuit vita et occupatio ac delectatio ejus die ac nocte. Porro de cibo et *Matth.* XI, 10.

potu modicissimum quid accepit, nec cibum et potum sumendo a Dei laude et oratione cessavit; nec ita somno fuit oppressus, quin in ipso mens ejus frequenter intenderet Deo, ita quod dicere potuit illud *Cant.* v, 2. Canticorum : Ego dormio, et cor meum vigilat. Etenim quia purissimam habuit mentem, omni humilitate, virtute, pietate ceterisque virtutibus secundum supremum earum gradum repletam, æternus Sol sapientiæ, Deus omnipotens ac liberalissimus, fons totius bonitatis ac gratiæ, indesinenter ac copiosissime splenduit ei, illuminavit inflammavitque eum, et suorum infusionibus luminum tenuit eum in se erectum. Sicque quotidie ineffabiliter crevit in omni gratia, virtute ac dono Spiritus Sancti, in splendore contemplationis, in fervore sancti amoris, in vigore stabilitatis internæ in Deo. O excellentissimum ac præclarissimum virum, o deificatum *Deut.* XXXIII, 12. cœliformemque hominem, o amantissimum Dei, in quo Deus ipse quasi in thalamo requievit die ac nocte, et tanquam in throno!

Præterea, ut sanctitatem et excellentiam gloriosissimi Joannis Baptistæ fundamentaliter agnoscamus, recitare oportet quid de eo sanctus evangelista Lucas testetur. Itaque S. Lucas evangelium suum a sacratissimo isto incepit Joanne, eo quod ipse fuit præcursor Christi, et quia ex his quæ de Joanne leguntur, fides christiana non parum corroboratur, ea quoque quæ de Christo creduntur, credibiliora redduntur. In primis igitur Lucas describit, quando et qualiter Joannes Baptista fuit conceptus, *Luc.* I, 5-7. dicens, quod in diebus Herodis senioris *Matth.* II, 16. et Ascalonitæ, qui pueros trucidavit, fuit inter Judæos sacerdos nomine Zacharias, habens uxorem dictam Elisabeth. Erantque ambo justi ac virtuosi coram Altissimo, ambulantes in universis Dei præceptis, et irreprehensibiliter inter homines conversantes; nec tamen habebant aliquam prolem : cujus una exstitit ratio, quia Elisabeth ex sua naturali dispositione fuerat infecunda. Aliam quoque causam A ponit Evangelista, quoniam ambo senes fuerunt. Verumtamen ex divina præordinatione contigit ita : quoniam decentissimum fuit ut præcursor Christi supernaturaliter ex virgine nati, supernaturaliter nasceretur ex femina sterili, imo ex parentibus quorum uterque fuit ad prolificandum naturaliter tunc ineptus, quando ex eis est procreatus.

Insuper docet Lucas evangelista, quod eo *Luc.* I, 8-14. die quo Zacharias sacerdos ministravit in templo, et stetit coram altari, ponens in- B censum, videlicet sacrificium sic vocatum, super altare, apparuit ei archangelus Gabriel, stans ad dexteram partem altaris. Omnis autem multitudo populi stetit extra, in atrio templi orans. Zacharias vero repente et improvise adspiciens angelum in specie humana valde præclara ac splendida apparentem, turbatus est atque perterritus : quoniam naturale est fragilitati humanæ ex talibus superiorum ac cœlestium spirituum visionibus conturbari ac formidare. Sed angeli sancti hominibus appa- C rentes, statim confortant ac consolantur eos quos vident ex sua apparitione turbatos ac tremefactos; dæmones vero in specie angelorum aliquando, Deo permittente, apparentes hominibus, non eos consolantur ac roborant, sed magis ac magis perturbant. Et per hoc inter angelum bonum et malum docent sancti Patres esse discernendum. Hinc Gabriel dixit ad Zachariam : Ne timeas, Zacharia, exaudita est deprecatio tua, qua nunc pro Christi adventu, et interdum, imo et sæpe, pro D filio obtinendo exorasti. Et ecce Elisabeth uxor tua senex et sterilis per naturam, pariet tibi filium per Dei gratiam : quem filium vocabis Joannem, in cujus nativitate vehementer gaudebis mente et corpore; sed et alii multi in ejus nativitate gaudebunt, et tibi ac tuæ conjugi congaudebunt.

Deinde Lucas evangelista describit magnitudinem gratiæ S. Joanni collatæ. Nam angelus dixit ad Zachariam : Filius qui tibi nascetur, erit coram Domino Deo ma- *Ibid.* 15.

gnus, id est multum virtuosus, sanctus, sapiens et perfectus, multisque privilegiis ac dignitatibus decoratus, ita quod erit eximius tam in donis gratiæ gratum facientis quam in donis gratiæ gratis datæ. Nam ultra prædicta, erit Christi præcursor, præco, baptista, paranymphus, propheta et prædicator. Vinum et siceram non bibet, intelligendo per siceram omnem potum inebriativum, de materia quacumque confectum. Quid igitur bibit, nisi aquam aut rorem? Fuit enim nazaræus Dei, id est Deo consecratus per omne tempus vitæ suæ : idcirco a vino et sicera semper abs-
Num. VI, 4, 20. tinuit juxta legem. Et Spiritu Sancto replebitur in utero matris suæ : idcirco in utero fuit sanctificatus et confirmatus in bono, et ipsis virtutibus ac donis Spiritus
Luc. I, 16. Sancti excellenter ornatus. Et multos filiorum Israel convertet ad Dominum Deum patrum suorum, Deum verum et unum ac
Matth. III, 1, 2, 5, 6. trinum. Hinc Matthæus ait : In diebus illis venit Joannes Baptista prædicans in deserto Judææ, et dicens : Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum. Tunc exibat ad eum omnis Jerosolyma, et omnis Judæa, id est populus Judæorum communiter, et omnis regio circa Jordanem, et baptizabantur ab eo in Jordane, confitentes peccata sua. Sed et Lucas recitat quemadmodum audientes prædica-
Luc. III, 10-14. tionem S. Joannis Baptistæ, corde compuncti, interrogabant eum divisim, videlicet turbæ, deinde publicani, deinceps et milites. Ex quibus ostenditur, quod valde multos Judæos convertit. Multos quoque habebat speciales discipulos, viros virtutum : quorum nonnulli ex prædicatione ipsius conjunxerunt se Christo, et facti sunt ejus
Joann. I, 40 et seq. apostoli, inter quos fuerunt (ut legitur) Petrus, Andreas, Philippus, etc. Nec mi-
Eccli. XLVIII, 1. rum, nam verba ejus ardebant ut facula, et ipse fuit ut ignis ; sua quoque rigorosa atque sanctissima vita, prædicationem ipsius fecit efficacem, authenticam, fructuosam.

Deinceps addit Lucas evangelista, Ga-
Luc. I, 17. brielis verba describens : Et ipse Joannes præcedet ante illum, scilicet Christum, in spiritu et virtute Eliæ, id est, in tali virtute et gratia præcedet primum Christi adventum, in quali secundum ipsius adventum præcedet Elias, qui cum Enoch de paradiso egrediens, prædicaturus est contra Antichristi perfidiam, et fortiter ei resistet. Sic ergo Joannes Christum præcedet, parare (id est, ut paret) Domino plebem perfectam, id est, auditores suos faciat multum discretos ac virtuosos.

Consequenter Lucas evangelista describit incredulitatem Zachariæ, et justam ejus ob hoc castigationem. Et dixit Zacharias *Luc.* I, 18. ad angelum : Unde hoc sciam? id est, quo signo cognoscam vera esse quæ dicis de filio nascituro? Ego enim sum senex, et uxor mea processit in diebus suis, ita quod senes ac steriles sumus. Et respondit an- *Ibid.* 19, 20. gelus ei : Ego sum Gabriel, qui adsto ante Deum, id est, vultum Dei clare per speciem incessanter feliciterque contemplor, et quocumque me verto aut moveo, nunquam a Dei vultu immenso, ubique præsente, avertor ; qui a Deo missus sum ad annuntiandum hæc omnia tibi. Et ecce eris tacens, et non poteris loqui usque in diem quo hæc fient, videlicet usque ad diem circumcisionis pueri, quando (sicut prædixi) Joannes vocabitur, pro eo quod non credidisti verbis meis, quæ implebuntur in tempore suo. Sicque ob incredulitatem suam Zacharias loquela privatus est, accepitque signum a Deo, quamvis non tale quale optavit. Et juste in lingua punitus est, quia loquendo incredule, Deum offendit. Unde in libro Sapientiæ scriptum est : Per quæ quis peccat, per hæc et pu- *Sap.* XI, 17. nitur. Privatus est ergo loquela, ut qui discredendo fuit locutus, tacendo disceret esse verbis cœlestibus credulus.

Et dum hæc fierent, plebs exspectavit *Luc.* I, 21-25. foris Zachariam, admirans quod tam diu ultra solitum mansit in templo. Quumque egrederetur, nec posset loqui ad eos, cognoverunt quod visionem divinam, cœlestem aut angelicam habuisset in templo, præsertim quia et admirabilem alteratio-

nem viderunt in facie ejus ac gestibus. Innuebatque illis signo sensibili, ut essent contenti atque abirent. Quumque Zacharias redisset in domum suam, uxor ejus concepit ab eo. Quæ concepisse se sentiens, occultavit se mensibus sex, quia erubuit quod in senio suo concepit; valde tamen gaudebat de conceptu tam miraculoso.

Amplius, sicut dicunt doctores, S. Joannes conceptus est mense Septembri, octavo calendas Octobris, luna undecima, in æquinoctio autumnali; atque in mense *Luc.* 1, 26 et seq. sexto a conceptione B. Joannis, missus est angelus Gabriel ad Virginem gloriosam, ad annuntiandum Christi conceptionem in ea. Quæ protinus tunc concepit, moxque perrexit ad cognatam suam sanctam Elisabeth, et mansit cum ea per menses tres, videlicet quousque Joannes est natus, quem (ut in libro Justorum habetur) ipsa primo levavit. Itaque post tres menses illos Elisabeth peperit S. Joannem : quemadmodum in expositione præcedentis evangelii est narratum. Ideo textus evangelii hodierni cum expositione sua continuandus et annectendus est huic sermoni, videlicet qua- *Ibid.* 57 et seq. liter Elisabeth peperit. Quo facto, convenerunt ad eum propinqui et vicini ipsius, etc., sicut in Evangelio continetur. Quibus omnibus addit Lucas evangelista : Puer autem Joannes crescebat et confortabatur spiritu, ita quod spiritus seu anima ejus confortabatur in Spiritu Sancto per virtutes et dona ipsius. Eratque in deserto usque ad diem ostensionis suæ ad Israel, id est, quousque Deus ei præcepit ire ad filios Israel ad prædicandum Christi adventum, atque ad præparandum Domino Christo viam. *Luc.* 1, 80.

Ecce hæc est præsentis solennitatis historia, ex qua diligenter consideranti patet admiranda gloriosi Præcursoris excellentia, de qua in sequenti sermone magis dicetur. Valdeque decuit tanta mirabilia fieri circa nativitatem Joannis, ut per hoc prædicatio ac testificatio ejus de Christo, credibilior fieret et magis authentica. Itaque tam beatissimi viri et sanctissimi patris nostri gratiam et virtutes miremur ac imitemur, et vanam lætitiam ac vitia carnis, omnemque iniquitatem vitemus, et solo spirituali gaudio gaudeamus in Domino, virtuosis insistentes operibus, ad gloriam Omnipotentis.

SERMO TERTIUS

DE PRÆCONIIS EXCELLENTIISQUE S. JOANNIS BAPTISTÆ.

INTER natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista. Matth. XI, 11.

Sicut Matthæus evangelista prætacto scribit capitulo, quum sacratissimus Joannes Baptista ab Herode fuisset incarcera- *Matth.* XI, 2, 3. tus, et duos ex discipulis suis misisset ad Christum, ut interrogarent eum, Tu es qui venturus es, an alium exspectamus? ipse *Ibid.* 7-14. Dominus noster Jesus Christus post recessum discipulorum illorum cœpit gloriosum Joannem commendare coram plebe in multis, et tandem laudes ipsius brevi testimonio comprehendens, disseruit : « Inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista ». Quod testimonium verbis brevissimum, sententiis est immensum. Quis enim exprimere queat, quanta sequuntur de excellentia S. Joannis ex verbo isto? Si enim inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista, ergo nec Abraham Dei amicus, nec Moyses legislator, qui quotidie ore ad os loquebatur cum angelo, et clare, non per ænigmata, vidit Deum, nec David vir secundum cor Dei, *Is.* XLI, 8. *Num.* XII, 8. *Act.* XIII, 22.

IV *Reg.* II, 11. neque Elias in paradisum translatus, major fuit Joanne Baptista. O quantum præconium ore infallibilis Veritatis prolatum!

Sed nunc laudes et excellentiæ magni Joannis particularius sunt tangendæ. Porro de hac re devotissimus Joannis amator B. Bernardus sermonem composuit elegantem, decem excellentias seu honores Joannis sanctissimi ponens, quas breviter tangere, et alias superaddere volo.

Prima ejus excellentia est, gloriosa annuntiatio ejus, quia eodem angelo quo *Luc.* I, 11 et seq., 26 et seq. Virgini annuntiata est incarnatio Filii Dei, annuntiata est Zachariæ Joannis conceptio: quæ etiam annuntiata est in templo, quum Christi incarnatio annuntiata credatur in thalamo.

Secunda excellentia S. Joannis est, sanctificatio ejus in utero: quod in Scripturis *Ibid.* 15; *Jer.* I, 5. canonicis non legitur nisi de Joanne Baptista ac Jeremia; quanquam de Virgine gloriosa nullum sit dubium quin etiam præ Joanne repleta sit Spiritu Sancto in suæ utero genitricis. De hac re jam supra dicta sunt multa.

Tertia excellentia ejus est, exsultatio sua in ventre matris: quod de nullo Sanctorum in Scripturis invenitur divinis, præterquam de Joanne; quanquam de Christo sit certum quod anima ejus a primo suæ creationis momento quo unita est Verbo æterno, viderit Deum per speciem, et in gaudio beatificæ fruitionis incessabiliter fuerit. Joannes vero in utero tam miraculose et copiose illuminatus est a Spiritu Sancto, quod intellectualiter cognovit Dei Unigenitum esse jam incarnatum, atque in utero virginis Mariæ vere præsentem. Idcirco ex apprehensione seu cognitione tam ineffabilis boni, vehementissime est gavisus, quemadmodum Evangelista re- *Luc.* I, 41. fert, dicendo, Ut audivit salutationem Mariæ Elisabeth, exsultavit in gaudio infans in utero ejus: ita quod præ abundantia gaudii suæ mentis, facta est redundantia lætitiæ in corpus ipsius, sic quod Joannes in ventre matris etiam corporali quadam motione et inclinatione reverentiam Regi altissimo Jesu Christo exhibuit, sicut et postmodum in Baptismo. Hinc imperita *Matth.* III, 14. et contemnenda est eorum opinio qui dicunt, Joannem in utero non veraciter esse gavisum et usu rationis dotatum, sed per modum exsultantis solum se habuisse. Hoc namque evangelicæ Scripturæ non satis concordat, et dictis sanctorum patrum Ambrosii, Augustini, Maximi quoque episcopi, Bedæ et Bernardi aperte contrariatur.

Quarta excellentia ejus est, gaudium in sua nativitate, in qua parentes ejus et alii *Luc.* I, 14, 58. multi magnifice sunt gavisi. Et recte Deus sic ordinavit, quoniam sine peccato est natus. Ideo ejus nativitatem Ecclesia celebrat. Hinc in solennitate hac Christifideles singulariter gaudere deberent, gaudio utique spirituali. Sed heu, quanta est perversitas nostra, quanta est abusio hujus sæculi nequam! Nam omnia pervertuntur, et in festo isto quo omne carnale gaudium specialiter est spernendum, et spirituali jucunditate in sanctis operibus insistendum, miserrimi homines magis et præ solito ad carnales consolationes, vanitates insaniasque convertuntur, conviviis, potationibus, loquacitatibus, jocis, risibus et choreis vacantes. Nec ad ista sufficit eis dies tam longa, imo noctem quoque magna ex parte damnabiliter consumunt in istis. Sic, o miseri et perversi, beatissimum omnium Christianorum patronum honoratis Joannem, faciendo omnia ista quæ ei tam maxime displicent, spiritualeque gaudium in carnale vertentes? — Denique, sicut Bernardus in quodam tangit sermone, etiam paganis, id est Sarracenis, gaudiosa est ista solennitas. Nam S. Joannem tenent pro viro sanctissimo et magno Propheta. Unde in Alcorano, id est libro legis eorum, quam Mahometus infelix et pseudopropheta contulit, multa de Joanne sublimia sunt conscripta. Siquidem quinto Alcorani capitulo dicitur: Zachariæ Deum deprecanti ut sibi filium gratum honorificumque tribueret, quum orationes ante altare funderet coram Deo, angeli responderunt: Deus tuæ

petitioni satisfaciens, optimoque nuntio te lætificans, filium tibi promittit Joannem confirmantem verbum. Et erit vir bonus, ac virgo perseverans. Nunc ergo, o Christifideles, in virtuosis actibus spiritualique gaudio inde prodeunte, celebremus præclarissimi nativitatem Joannis.

Quinta excellentia ejus est, singularitas in conversatione, quia sub teneris suæ infantiæ annis, hominum fugit adspectus, *Luc.* I, 80. parentes et omnia dereliquit, eremum intrans, et ibi in montibus et speluncis cavernisque terræ et vallibus degens, solique Deo purissima et affectuosissima mente vacans. Corpus quoque suum quamvis immaculatum et sanctum, rigide tractavit, *Matth.* III, 4. vestimentum gerens de pilis camelorum, et zonam pelliceam circa lumbos. Hoc indumentum ejus unum et unicum fuit hieme et æstate. Esca autem ipsius erat locusta et mel silvestre. Quid inter hæc facimus, et quid ad ista dicemus, qui corpora nostra quæ tot vitiis servierunt, delicate tractamus, gulose implemus, curiose vestimus, imo et molliter atque superflue ea induimus, obscenis quoque voluptatibus ipsa polluimus, peccatis peccata adjicientes, quum tamen dicat Apostolus, *Galat.* V, 24. Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis? Emendemus igitur vitam, et S. Joannis sequentes vestigia, corpus nostrum subjiciamus rectæ rationis judicio, rationemque Deo, ut juxta divinæ legis præcepta conversemur in omnibus.

Sexta excellentia ejus est, novitas suæ prædicationis, quoniam nullus Sanctorum ante eum manifeste prædicavit regnum cœlorum cœlestisque regni felicitatem. *Matth.* III, 2. Sed ipse primus omnium dixit : Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum. Hinc in Evangelio ait Salvator : *Ibid.* XI, 13; *Luc.* XVI, 16. Prophetæ et lex usque ad Joannem; exinde regnum cœlorum annuntiatur.

Septima excellentia ejus est, quod Christum Dominum universorum meruit baptizare, baptizavitque illum qui solus ba- *Marc.* I, 8. ptizat in Spiritu Sancto, et a quo puritas omnis descendit. Et hoc fecit sacer Joannes cum ineffabili humilitate et obedientia admiranda. Siquidem antequam Christus ad ejus accessit baptismum, confessus est se esse indignum ut procumbens sol- *Marc.* I, 7. veret corrigiam calceamentorum illius. Christo quoque veniente ad se, admiratione et horrore concussus, dixit humillime : Ego a te debeo baptizari, et tu venis ad *Matth.* III, 14. me? Nihilo minus Christo dicente, Sine *Ibid.* 15. modo, acquievit et obedivit.

Octava excellentia ejus est, sublimitas revelationis sibi factæ de supergloriosissima Trinitate, quæ ei in Christi baptizatione magis evidenter apparuit quam Sanctorum alicui ante eum. Tunc namque vidit Joannes cœlos apertos, et Spiritum *Joann.* I, 32; *Matth.* III, 16, 17. Sanctum in specie columbæ super Christum descendere ac manere. Audivit et vocem Patris, dicentis : Hic est Filius meus dilectus. Quem Dei Unigenitum felix iste Joannes tunc contrectavit ac baptizavit.

Nona excellentia ejus est, testimonium Veritatis, quoniam ipsemet Christus Deus et homo, contestatus est de Joanne : Inter *Matth.* XI, natos mulierum non surrexit major, etc. 11.

Decima excellentia ejus est, assertio matris Ecclesiæ. Nam Romana Ecclesia omnium Ecclesiarum mater, magistra ac domina, in honorem Joannis Baptistæ, post Christi nomen, consecrata est et signata.

Insuper possunt et aliæ excellentiæ Joannis beatissimi assignari. Prima, quod sancti Prophetæ de ipso tam præclare locuti sunt; quia de ipso ab Isaia est prædictum : Vox clamantis in deserto, parate *Is.* XL, 3. viam Domini. In Malachia quoque : Ecce *Malach.* III, ego mitto angelum meum, et præparabit 1. viam ante faciem meam. Secunda excellentia ejus est, quod de nullo Sanctorum tantum scribunt sancti Evangelistæ in evangeliis suis, sicut de præelecto sanctissimoque Joanne, Christo excepto. Tertia est, spiritualitas sui amoris. Nam quamvis sciret Deum incarnatum inter homines conversari, nunquam tamen corporaliter legitur eum accessisse. In quo patet quam spiritualis fuit ejus dilectio. Quarta est,

gloriosum ejus martyrium, imo et fortitudo atque constantia ejus, qua nec Herodi pepercit, nec mortem pro Deo et æquitate expavit. Postremo, vir iste sanctissimus, virgo, doctor et martyr fuit : sicque tribus aureolis decoratur. Fuit item propheta et patriarcha, imo plus quam propheta, et patriarcharum finis ac vertex, sed et Christi præcursor. Et certe ab ejus laude condigna deficit lingua nostra. — Præterea in Joanne possumus profundissimam dispositionem increatæ sapientiæ Dei advertere. Nam vir iste tam sanctus, cujus exordia, utpote conceptio atque nativitas, tot mirabilibus præfulserunt, ad virilem perductus ætatem, et prædicans ac baptizans, nullum fecit miraculum, sicut Joannes evangelista manifeste habet; et hoc ideo, ut Judæi adverterent non ipsum Joannem sed Jesum esse veraciter Christum seu regem Messiam, de cujus miraculis Isaias propheta prædixit : Tunc aperientur oculi cæcorum, et aures surdorum patebunt ; tunc saliet sicut cervus claudus, et aperta erit lingua mutorum. Quæ omnia atque majora videbant a Jesu fieri Nazareno.

Marc. VI, 17 et seq.

Matth. XI, 9.

Ibid. 10 ; *Marc.* I, 2, 3.

Joann. X, 41.

Is. XXXV, 5, 6.

Itaque ex consideratione sanctitatis ac rigorosæ conversationis B. Joannis provocemur ad maturitatem in moribus, ad proprii corporis castigationem, ad zelum justitiæ, ad opera pietatis, ad contemplationem cœlestium, ad ferventem Dei nostri amorem, ad perseverandum in bonis, ad continuum profectum virtutum, ut omne tempus nostrum fructuose atque salubriter expendamus. Ad laudem, etc.

AD RELIGIOSOS

SERMO QUARTUS

DE AMICITIA MUTUA CHRISTI ET JOANNIS ; ET QUAM CONTEMNENDA SIT, QUAMQUE IMPEDIAT A DEO AMICITIA MUNDANA.

QUI habet sponsam, sponsus est ; amicus autem sponsi, qui stat et audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi. Joann. III, 29.

Ista sunt verba electissimi et sacratissimi Joannis Baptistæ de Christo, qui solus est propriissime sponsus Ecclesiæ atque cujuslibet animæ virtuosæ. Quumque Joannes propter varias et præclaras excellentias suas a Judæis Christus existimaretur et Sponsus, fassus est esse se amicum Sponsi istius, non Sponsum. Denique, sicut in exterioribus, sponsi amicus sponso congratulatur, ejusque vultum intuendo, eloquia audiendo, prosperitatem et jucunditatem pensando lætatur ; sic cœlestis et divinissimus iste Joannes Baptista Christum Dei Unigenitum, Deum verum veraciter incarnatum, non spiritualiter tantum, sed corporaliter quoque videndo et audiendo, ejus eminentiam considerando, præsertim dum eum baptizavit, gaudio gaudebat propter Christi præsentiam, loquelam et gloriam : quia tunc Christi majestas fuit Joanni gloriosissime manifestata. Nam vidit Spiritum Sanctum in forma columbæ super Christum descendentem et in eo manentem. Audivit quoque vocem Patris desuper intonantem : Hic est Filius meus dilectus. Fuit ergo benedictissimus iste Joannes Christi amicus, non qualitercumque, sed excellenter ac intime valde. Universis quippe fidelibus asserit Christus : Vos amici mei estis, si feceritis ea

C D

Joann. I, 32 ; *Matth.* III, 16.

Joann. XV, 14.

quæ ego præcipio vobis. Et certe non solum amicus, imo et filius Dei rite vocatur quicumque præceptum caritatis secundum Christi doctrinam adimplens : non solum Deum toto diligens corde et amicos sicut se ipsum, sed inimicos etiam sinceriter amans, et benefaciens odientibus se, pro persequentibus quoque et calumniantibus se exorans. Attamen qui evangelica Salvatoris observant præcepta, altiori modo amici ejus vocantur : quibus testatur, Jam non dicam vos servos, sed amicos. Porro sanctissimus iste Joannes excellentissimo modo fuit Christi amicus, qui et evangelicis nondum propalatis consiliis, eadem sublimissime adimplevit, non solum monasticam, sed et eremiticam ac anachoreticam ducens in terris vitam, vitam plane angelicam et cœlestem, supernaturalem, admirabilem, ineffabili modo divinam.

Matth. XXII, 37, 39 ; V, 44.

Joann. XV, 15.

Luc. I, 80.

Deinceps diligentius jam pensemus, cur Joannes dicatur Christi amicus. Et hoc per excellentiam grandem. Etenim sicut in veteri Testamento reges Israel leguntur habuisse singuli amicum, quemadmodum Chusai Arachites amicus exstitit David regis, et filius Nathan, Salomonis; sic Christus Dei electus, verus et summus Rex, amicum habere in terra elegit ac voluit fidelissimum Joannem Baptistam. Denique amicorum est eadem velle et nolle, sincera, speciali ac fervida dilectione mutuo affici, ita ut unus cupiat et procuret bonum alterius, non proprii intuitu commodi aut honoris, sed ex pura amicitia propter ipsum amicum, ut bene sit ei ; item sua secreta sibi invicem communicare, libenter et jucunde convivere, se ipsos sibi mutuo impertiri, atque pro invicem pati, dum causa expostulat. Propter hæc omnia fuit gloriosissimus sanctissimusque Joannes Baptista excellentissimus Christi amicus : quia a Christi voluntate nunquam fuit per mortale peccatum discordans. In venialibus quoque tam raro ac parum deliquit, quod post Christum et ejus virgineam Genitricem, nunquam in hoc puriorem habuit nec majorem. Imo quantum capax fuit natura humana, immunis fuisse videtur ab omni veniali culpa, citra omnimodam præservationem a culpa omni quacumque. Ad omnia etiam Christo placentia, ad omnia sancta, justa, pia, honesta, tam ardentissime ac instantissime afficiebatur, omnia quoque Christo displicentia, omnia fœda et prava tam vehementissime et incessabiliter abhorrebat, quod verissime fuit cum Christo eadem volens, et maximus ferventissimusque ipsius amicus : præsertim quia et venialia sua, si forsitan minutissima aliqua aliquando incidit, ita quotidie doluit, flevit, satisfecit et se afflixit, quasi magna incidisset peccata.

II *Reg.* XVI, 16.

III *Reg.* IV, 5.

Insuper Christus et Joannes mutuo afficiebantur sincerissima, specialissima et fervidissima dilectione. Et quamvis amor Christi divinus et increatus, non dicatur proprie affectivus aut affici, tamen de amore Christi creato, infuso, spirituali, est certum, propter varias causas quæ sunt rationes et incitamenta amandi, puta bonitas, similitudo, propinquitas, cognitio, beneficentia, etc. Virtus autem et sanctitas, gratia et perfectio in Christo et Joanne sublimiter præfulserunt ; et mente erant simillimi, carne quoque propinqui, et se invicem limpide cognoscentes, etiam nondum ex utero nati materno. Sed et maxima dona a Christo suscepit Joannes ; atque per prædicationem Joannis innotuit Christus, imo honorificentiæ Christi impendebat Joannes viribus totis se totum. Quis ergo queat concipere quam ardentissime amaverint se mutuo ? Quod etiam innotescit ex hoc quod de se invicem in absentia tam fidelissime ac reverentissime loquebantur, et unus alium tam mirifice extollebat, laudabat et glorificabat. Siquidem quum Joannes Christus ab hominibus putaretur, perhibuit se indignum solvere corrigiam calceamenti ipsius, et dixit : Illum oportet crescere, me autem minui. Quomodo autem Salvator magis commendare Joannem poterat quam dicendo, Inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista ? Sic demum Christus et Joannes

Luc. I, 41.

Joann. I, 20; *Marc.* I, 7.

Joann. III, 30.

Matth. XI, 11.

invicem cupiebant et procurabant unus alterius bonum affectu purissimo, non reflexo. Ad hoc quippe tendebat universa sanctissimi Joannis prædicatio, baptizatio, labor et conversatio, ut Christus ab omnibus cognosceretur ac coleretur.

Amplius, Christus et Joannes sua secreta mutuo communicaverunt : quoniam multa supernaturalia et secreta, multa saluberrima ac divina Christus revelavit Joanni, tam corporaliter eum affando quam spiri-
Luc. I, 41. tualiter illustrando. Siquidem Joanni nondum nato patefecit magnifice suam præ-
Matth. III, 15. sentiam ; et in baptismo dixit ad eum : Sine modo, sic enim decet nos implere omnem justitiam. Tunc et superbeatissimæ Trinitatis mysterium declaravit Joanni, et quod
Ibid. 11. ipsemet esset qui baptizaret in Spiritu Sancto, potestatem excellentiæ habens in Baptismo. Joannes quoque secretum suum
Ibid. 14. aperuit Salvatori, dicendo : Ego a te debeo baptizari, et tu venis ad me ? Spiritualiter vero cor suum effudit coram Christi deitate indesinenter.

Adhuc autem, Christus et Joannes libenter atque hilariter convixerunt. Et tamen potest quis sciscitari, quomodo sit hoc verum, quum Joannes non sit Christum se-
Luc. I, 80. cutus, imo a pueritia in solitudine mansit. Et respondendum, quod Joannes tanquam vir perfectissimus et spirituali amore plenissimus, de corporali Christi præsentia non curavit, nec aliquo sensuali affectu afficiebatur ad ipsum, nec corporaliter cum ipso appetiit conversari, sed altiori diviniorique modo jugiter ei convixit, et familiarissime ac dulcissime fuit ei conjunctus, spiritualiter eum contemplans, et in suæ divinitatis præsentia se ipsum incessanter constituens, coram eo deam-
III *Reg.* IX, 4. bulans, sicut David ambulavit coram Domino, imo cum ipso perambulans, quem-
Gen. V, 22, 24. admodum Enoch cum Deo legitur ambulasse. Unde et ipsi Apostoli ad corporalem Christi præsentiam et adspectum taliter afficiebantur, quod per hoc a plena Spiritus Sancti infusione impediebantur. Propter quod Veritas summa Christus Dominus dixit ad eos : Si non abiero, Paracletus
Joann. XVI, 7. non veniet ad vos. Ex quibus saluberrime edocemur : primo, quam parum curandum sit de corporali carorum præsentia, nisi forte causa necessaria eam requirat ; secundo, quam vehementer a sanctæ et spiritualis dilectionis puritate perfecta et perfectione, affectio impediat sensualis, dum et affectio ad mundissimam Christi humanitatem aliqualiter sensualis, impedivit a susceptione plenaria Spiritus Sancti Apostolos. Hinc inquietudo et impetus cordis ad exsistendum corporaliter cum dilecto, signum frequenter est magnæ imperfectionis et sensualis amoris. Et cur ad extraneorum seu non necessariorum afficimur præsentiam hominum ? Quare non sufficit nobis præsentia superdulcissimi Dei ubique præsentis ? Quid per multa diffundimur, quum unum sit necessarium ? *Luc.* X, 42. Hoc igitur unum intra nos exsistens, intus quæramus, in intimo cordis nostri intueamur, amplectamur ac veneremur, et indefesse custodiamus. — Adhuc autem, Christus et Joannes se mutuo impertiebantur, in tantum quod unus pro alio sustinuit mortem : Christus pro Joannis redemptione et salute, Joannes pro justitiæ defensione et Christi honore.

Studeamus ergo et nos sacratissimi patris ac principis nostri vestigia imitando, esse modis prætactis amici Christi, volendo per omnia quæ vult ipse aut quæ ipse vult nos velle, atque nolendo quæ displicent ei. Quidquid ergo virtuti, quidquid honestati, quidquid spirituali profectui aut divino contrariatur honori, penitus detestemur ac fugiamus : et in hoc ipso habeamus nos ordinate, ut quanto quid gravioris est culpæ, seu magis contrarium legi divinæ aut præceptis Ecclesiæ, seu statutis Ordinis nostri aut voluntati et jussioni superiorum nostrorum, tanto cordialius ac efficacius illud abhorreamus ac evitemus, ne Scribis assimilemur ac Pharisæis, quibus loquitur Dominus : Væ vobis, duces *Matth.* XXIII, 23, 24. cæci, excolantes culicem, camelum autem glutientes. Nec quis intromittat se corri-

pere alium in levioribus culpis, nisi primo in gravioribus corripiat et emendet se ipsum, recordans quod Christus effatur : *Luc.* VI, 42. Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, et tunc perspicies ut educas festucam de oculo fratris. Sed hujus oppositum agunt nonnulli, qui de parvis vim faciunt magnam, et de gravioribus nihil aut modice curant. Proni sunt quoque aliorum parva arguere, et se ipsos in majoribus palpare peccatis, nec æquanimiter ferunt si inde corripiantur. Quorum excæcata mens redeat ad se ipsam, seque in primis do- A ceat, examinet, increpet et castiget. Insuper, cum Joanne sanctissimo pure et irreflexe afficiamur ad Deum, et sui accendamur zelo honoris, ipsum totis viribus venerantes, alios quoque toto posse inducentes ad idem ; et quod verbis obtinere non possumus, precibus Deo fusis adipisci conemur. Sed et Deo convivere, hoc est, ei uniri et occupari in ipso atque cum ipso, eum laudando, orando, meditando, contemplando et amorose stringendo, sit summa delectatio nostra. Ad mortem quo- B que simus pro ipso parati.

SERMO QUINTUS

DE SOLITUDINE ET COLLECTIONE SPIRITUS ; ET QUAM ILLUMINATUS FUERIT JOANNES, UTPOTE SPIRITU SANCTO PLENUS.

I*N solitudine loquar ad cor ejus.* Osee II, 14.

Sicut in statutis Ordinis fertur Cartusiensis, suavitates psalmodiarum, baptismata lacrimarum, fervores orationum, subtilitates meditationum, excessus contemplationum, nulla re magis quam solitudine adjuvantur. Ad quod insinuandum Christus, cujus mens Deo per beatificam visionem intenta, nec publico impediri, nec *Matth.* XIV, 23. solitudine poterat adjuvari, oraturus ascendit solus in montem. Passione quoque *Ibid.* XXVI, 36 et seq. instante, relictis non solum undecim præelectis Apostolis, sed et tribus sibi familiarioribus, solus oravit. Philosophi etiam sunt fassi, quod anima quiescendo fit prudens. Atque de sapientia Ecclesiasticus *Eccli.* XXXVIII, 25. scribit : Qui minoratur actu, percipiet illam. Denique omnium horum causa est evidens. Quum enim virtus unita sit fortior quam dispersa, quanto cor hominis minus cum hominibus occupatur, et quanto minus circa exteriora sollicitatur, quanto minus variis speciebus depingitur, et quanto minus per diversa dividitur ; tanto intentius, stabilius, ferventius atque per- C fectius potest se occupare cum Deo, cum spiritualibus, interioribus ac divinis. Rursus, quanto quis plenius vitat peccandi occasiones, tanto eminentius vitat peccata ; et quanto vigilantius se applicat Creatori, tanto exuberantius visitatur, illuminatur et inflammatur ab eo, quemadmodum in Job asseritur : Si direxerit homo ad *Job* XXXIV, Deum cor suum, spiritum illius et flatum 14. ad se trahet. Unde et Jacobus apostolus monet : Appropinquate Deo, et appropin- *Jacob.* IV, 8. quabit vobis. Per Zachariam quoque Deus D hortatur : Convertimini ad me, et conver- *Zach.* I, 3. tar ad vos.

Porro qui in solitudine degit, a diversis et maximis peccandi occasionibus liberatur : quia nec audit nec profert verba inania, nec cum hominibus inordinate se occupat, habetque fortes ac varias incitationes ad bonum, ad devotionem, ad unionem cum Deo ex quieto et solitario loco, nec ab hominibus perturbatur, neque ab eis ad vitia trahitur. Ipseque locus et situs locorum, vasta deserti, concava vallium,

cacumina montium, defossa et plana terrarum, admonent solitarium Creatori intendere, cum illo solo se occupare, omnem cordis sui affectum, fidem totamque spem in eo dumtaxat defigere, atque in eo solummodo consolari ac delectari, Omnipotentis quoque majestatem, sapientiam, bonitatem, in suis speculari effectibus, sicque ad ejus contemplationem sinceram et anagogicam elevari.

Nunc igitur consideremus pro viribus, qualem vitam sacratissimus iste Joannes in eremo duxerit. Certe quo majoris erat capacitatis et aptitudinis ad influxus deificos, ad inundationes supernas, ad inflammationes internas, ad irradiationes Solis justitiæ, ad charismatum susceptionem cœlestium, ad unctiones Spiritus Sancti, ad raptum et ecstasim ; eo Sol sapientiæ, fons infinitæ munificentiæ, Deus opulentiæ illimitatæ, dator gratiæ universæ, abundantius, frequentius liberaliusque influxit, communicavit, infudit, largitus est electissimo suo Joanni. Deus etenim, cujus natura bonitas, cujus proprietas pietas, cujus liberalitas est immensa, cujus dilectio summa, cujus opulentia minorari non valet, comparatur infinito ac liquidissimo elemento quod influit, effluit, superfluit et supereffluit universis ; splendidissimo quoque soli, qui cunctis sui luminis susceptivis radios copiose infundit. Imo certissime Deus gloriæ infinitæ est una supersapientissima mens, una supersplendidissima infinitaque lux, cujus communicabilitas, liberalitas, opulentia, omnipotentia, pietas finem non habet, mensuram non recipit, omnem modum transcendit, et paratior est ad dandum, quam ulla creatura ad capiendum.

Denique quam singularissime ac excellentissime, quam diligentissime et ferventissime disposuerit atque aptaverit se gloriosissimus sanctissimusque Joannes ad hujus æternæ et immensæ lucis illuminationes et gratias, ad hujus superaltissimæ mentis contemplationes ardentissimosque amores, ad omnimodam sui cordis transformationem in Deum, ex Scripturis demonstratur canonicis. Primo, quoniam mansit in innocentia valde præcipua. Secundo, quia in utero matris purgatus fuit ab originali, tanta quoque virtutum perfectione et gratia decoratus fuit, quod repletus fertur Spiritu Sancto in utero, imo et usu rationis cognitioneque Christi valde miraculose præventus. Tertio, quia occasiones peccandi perfectissime devitavit. Quarto, quoniam adminicula proficiendi plenissime apprehendit. Quinto, quia officium ad quod divinitus fuerat præelectus, maximam perfectionem exegit. *Luc.* 1, 15.

Primo itaque istud ostenditur ex ejus innocentia. Homo etenim naturalem habet dispositionem, aptitudinem, imo et inchoationem innatam ad sapientiam ac virtutes. Nam et habitus habet innatos tam speculabilium quam agibilium, qui intellectus et synderesis appellantur. Et nisi corrumpatur, inficiatur et impediatur hæc aptitudo, multum confert homini ad profectum, in tantum ut etiam ex se ipso et lumine naturali multum possit proficere in virtutibus acquisitis, ac plurima invenire. Bonitas quoque complexionis confert ad profectum non parum. Quum itaque beatissimus Joannes innocentissimus manserit, atque egregiæ indolis et bonæ complexionis indubitanter exstiterit, certum est quod ex hac parte summe in deserto profecerit, concurrentibus aliis quæ tangentur.

Secundo ostenditur idem ex plenitudine gratiæ ac virtutum sibi in ventre genitricis infusa. Dum enim dona gratiæ excellenter perficiunt dona naturæ, fit homo aptissimus ad omnium divinorum incrementa charismatum. Iterum constat, quod sicut unum vitium sua mole ac suo demerito trahit ad aliud, sic una virtus et gratia sua sinceritate ac dignitate disponit et trahit ad aliam. Et quanto quis perfectiori gratia perornatur, tanto exuberantius desuper visitatur, impletur et ungitur, nisi per negligentiam suam obicem ponat, et paulatim evacuetur. Propter quod dixit

Matth. xxv, 29. Salvator : Habenti dabitur, et abundabit. Quum itaque dignissimus iste Joannes fuerit Spiritu Sancto repletus in utero, nec per negligentiam aliquam plenitudinem illam minuerit, patet quod ex hac parte summe et ineffabiliter profecerit in deserto.

Tertio idem probatur, quoniam occasiones peccandi perfectissime evitavit : quia nec sanctitate parentum, nec plenitudine gratiæ sibi collatæ, nec promissis angelicis ac divinis contentus, mox ut infantiæ annos egressus est, properavit ad eremum, B ut ab omni occupatione, allocutione, familiaritate, societate, retentione humana penitus absolutus, soli intenderet Creatori ; divitias, delicias et honores vitæ præsentis tanquam plurimarum occasiones culparum omnino abjecit, quum esset tam famosi, divitis ac nobilis filius sacerdotis.

Quarto idem ostenditur, quoniam adminicula profectus ac sanctitatis plenissime apprehendit. Adminicula enim hujusmodi sunt carnis afflictio et paupertas, solitudo, silentium, quies, continentia, et ab omni C cura terrena libertas. Ipse autem innocentissimum et sacratissimum suum corpusculum a pueritia ita tractavit, quasi uni- *Ibid.* III, 4. versa commisisset flagitia. Siquidem vestis ejus fuit asperrima, utpote pellis cameli. Victus etiam nonne tenuissimus exstitit, puta locustæ, melque silvestre et latex ? Sed et lectus ipsius nonne dura et nuda exstitit humus ? Porro silentium, quies et continentia, in summo gradu inerant ei.

Quinto idem ostenditur ex altitudine sui officii, quoniam præordinatus erat a Deo D ut Christum præcurreret, baptizaret, ostenderet, notificaret ; inter legem et Evangelium mediaret, Judæos ad Christum converteret, et prædicator esset idoneus. Ad quæ digne agenda, decuit eum in eremo summe proficere, et in omni virtute mirabilem eminentiam obtinere, ut inter viros esset Christo in sanctitate et perfectione simillimus.

Quis ergo nunc queat concipere, excogitare aut fari, qualiter puer iste patriarchalis, tam gratiosus, purus ac virtuosus, tam fervens et zelo justitiæ plenus, tam perfectissimus, diligentissimus ac divinus, sedens in medio vastissimæ eremi, in latitudine horrendi deserti, quotidie, imo omni hora sæpissime, desuper implebatur et superimplebatur ; quam radiosissime illuminabatur, quam validissime accendebatur, quam suavissime ungebatur ; quam profundissime, supernaturaliter ac frequenter rapiebatur in Deum, et absorbebatur in divitias gloriæ ejus ; quam admirabiliter ac valenter præveniebatur, et inopinatis excessibus ferebatur in principem luminum, in Dominum majestatis ; quam suavissime conquievit et obdormivit in dilecto et soporabatur cor ejus in eo, deficiens a se ipso, ipseque totus abstrahebatur a sensibus, et fluxit in universorum fontale principium ? O quam excellenter incerta *Ps.* L, 8. et occulta sapientiæ suæ manifestavit ei tunc Deus, quam vehementer in medita- *Ps.* XXXVIII, tione salubri exarsit ignis amoris sui in 4. Domino ! O quam limpide et profunde Deitatis contemplabatur abyssum, et superexaltatæ Trinitatis ingrediebatur caliginem ! Quam clare atque feliciter intuebatur ibidem superessentialis et supergloriosissimæ Trinitatis mutuam intuitionem et dilectionem, mutuam complacentiam et fruitionem, emanationem et communicationem ad intra, superbeatissimam et æternam consistentiam ejus !

Insuper, hæc omnia non solum inspicienda ac recolenda, sed etiam imitanda sunt nobis. Si enim ille adhuc puer tam innocentissimus, corpus suum sanctissimum taliter castigavit, quid nos corpori nostro sordidissimo, omnium vitiorum instrumento effecto, infectionibus pleno, facere et inferre oportet ? Qualiter illud castigare necesse est ? Sed heu, quanta est calamitas, imperfectio, imo et defectuositas nostra, qui corpori nostro deesse nil patimur, qui non solum sufficientia, sed superflua quoque et delicata expetimus, et nisi saturati ac laute refecti fuerimus, murmuramus, caput dolemus, cantare, vi-

gilare, Ordinisque labores ferre non possumus ; nec recordamur qualiter patres et prædecessores nostri vixerunt, qualiter
Philipp. IV, 13. omnia in confortante eos Domino potuerunt ? Sed resipiscamus a carnalitatibus, pusillanimitatibus et pigritiis nostris, ex-
Rom. XII, 1. hibeamusque corpus nostrum hostiam sanctam, viventem, Deo placentem. Silentio quoque, quieti castitatique mentis et cor- A poris operam demus sollicitam ; cellæ et solitudini debitum persolvamus, fructuose nos habendo ac deiformiter nos occupando ibidem, orando, psallendo, meditando, contemplando, ferventissime diligendo, et omnia ordinate agendo, nec unquam tepescendo, sed quotidie amplius exardescendo in istis. Ad laudem et gloriam Omnipotentis.

SERMO SEXTUS

QUIBUS PRÆEMINENTIIS ENITUIT JOANNES, ET QUOMODO SILENTII OBSERVATIONE IPSUM DEBEAMUS IMITARI.

ECCE ego mitto angelum meum, et præparabit viam ante faciem meam. Malach. III, 1.

De incomprehensibili et incircumscriptibili superessentialique Deo scriptum
Eccli. XLIII, 35. est in Ecclesiastico : Quis enarrabit eum sicuti est ab initio ? Hoc et de amantissimo Dei felicissimoque isto Joanne possumus dicere. Siquidem quæ de ipso in Scripturis leguntur canonicis (de quibus possent, largiente Domino, plurimi sermones facillime compilari), sunt singularia et excellentissima valde, et hoc ab initio suæ annuntiationis usque ad finem suæ felicissimæ
Luc. I, 13 et seq., 26 et seq. passionis. Ab angelo Gabriele, a quo et Christus, denuntiatus est nasciturus, a sanctis parentibus natus est, a matre duplici sterilitate impedita conceptus est, in utero purgatus est ab originali peccato atque repletus Spiritu Sancto. Nondum natus, Christi novit præsentiam, et vehementer gavisus est super eam. In innocentia mansit ; usum rationis sortitus, mox
Ibid. 80. ingressus est eremum ; ibi solitariam, monasticam, eremiticam, anachoreticam divinissimamque vitam duxit, corpusculum suum sanctissimum dirissime castigavit.
Ibid. III, 2 et seq. Deinde, circa tricesimum vitæ suæ annum, Deo revelante ac imperante, venit ad pu- B blicum, cœpitque prædicare, congregavit discipulos, populum baptizavit ; prædicando, baptizando, testificando, viam Christo paravit, ad ejus notitiam populum inducendo, atque ut ei obedirent hortando. Deinde Regem gloriæ meruit baptizare, Dominum majestatis meruit contrectare, viditque cœlos apertos, et Spiritum Sanctum in specie columbæ super Christum descendere ; sed et Dei Patris vocem meruit tunc audire, et Unigenitum Dei humanatum palpare, sicque superbenedictæ Tri- C nitati medius esse, atque tam evidentem de ea ostensionem primus accipere. Regem demum incestuosum imperterrite repre- *Marc.* VI, 17 et seq. hendit, et pro Deo ac justitia carcerem et mortem victoriose sustinuit.

Denique dictus est angelus, nuntius Verbi æterni, præco Judicis summi, patriarcha eximius, propheta altissimus, imo amplius *Matth.* XI, 9. quam propheta a Christo expressus, doctor et prædicator egregius, victoriosissimus martyr, purissimus virgo, monachorum exordium, eremitarum exemplar, D anachoretarum magister, forma virtutum, totius perfectionis exemplum, splendor Sanctorum, excellentissimus homo, consanguineus Salvatoris, amicus Dei, paranymphus Sponsi cœlestis, legis Evangelii-

que horizon. Quis unquam audivit talem, aut quis conspexit ei consimilem? Unus est et unicus valde, nec habet secundum, de quo non immerito aureum illud os S. Joannes Chrysostomus est locutus : Conversatio sacrosancti Joannis Baptistæ omnium vitam fecit apparere velut culpabilem. Quemadmodum namque si videris albam vestem, dicis, Satis est candida vestis ista ; si autem eam posueris juxta nivem, incipit tibi sordida apparere, etiam si sordida non sit : sic quantum ad comparationem S. Joannis, omnis pene homo videbatur immundus.

Porro recte per omnia dictus est angelus, qui tam angelicæ fuit vitæ in carne mortali, vitamque cœlestibus civibus proximam duxit. Quid enim est vita angelicorum in summo cœlo spirituum, nisi in primis vultui Creatoris indesinenter per contemplationem purissimam beatificamque intendere, æternæ et infinitæ bonitatis amore fervere, increata dulcedine plene ad libitum frui, in summo bono immobilitari, cum summa reverentia adsistere Deo, promptissima mente obedire ac deservire Altissimo ; deinde quæ Dei sunt aliis nuntiare, inferiores purgare, illuminare, perficere, excedentes quoque arguere, et homines multipliciter adjuvare ad gratiam ac salutem ? Hæc omnia gloriosissimus egit Joannes Baptista in præsenti hac vita. Erat quippe æternæ Veritatis contemplator altissimus, simplicissimæ Deitatis inspector præcipuus, adorandæque Trinitatis speculator sublimis ; mysticam theologiam fuit summe expertus, nec solum per similitudines symbolicas, imo per spirituales similitudines, et sæpissime per anagogicum lumen contemplabatur omnium fontem bonorum superpulcherrimum Deum, atque ad tam sincerissimos contemplationum raptuumque excessus et fervores in præsenti perductus est vita, quod inter contemplationem patriæ, quæ est per speciem, et contemplationem viæ communem, quæ est per fidem, contemplatio ejus medio se habuit modo. Insuper Creatoris sui inæstimabiliter æstuabat amore, caritatis implebatur ardoribus, et novis assidue dilectionis sanctæ renovabatur ac penetrabatur incendiis. Flamma amoris purissimi omnia intima ejus suavissime ussit ; atque innumerabilibus vicibus inflammabatur in Deo, et quasi in continuis stetit ardoribus caritatis ; supernis quoque consolationibus uberrime recreabatur, et veræ Deitatis dulcedinem copiosissime experiebatur ; orationibus et laudibus Dei, meditationibus divinorum occupavit se jugiter, nec in cibo, potu somnoque tenuissimis cessavit ab istis ; secretissimam et quietissimam duxit vitam, nullum temporis spatium infructuose expendens, et jugiter magis fervens. Deinde Deo jubente orsus est prædicare, et prædicando, alios purgare, illuminare, perficere, corripere, castigare, totisque viribus pro communi omnium laborare salute, et verbis ac factis, fama, exemplo, baptismo, prædicatione universos Christo adducere, legique evangelicæ eos parare.

Quum ergo signifer cœlestis, angelicus et divinus iste Joannes, universarum magister virtutum, ac totius perfectionis exemplar, sit omnium religiosorum et maxime solitariorum specialissimus, dilectissimus præstantissimusque patronus, magister, institutor, pater et ductor, eum præcordialissime diligamus, frequenter recogitemus, assidue invocemus, specialiter veneremur, infatigabiliter imitemur. Non diligamus mundum neque quæ mundi sunt ; soli Deo placere, cor purum jugiter exhibere, reverentialiter semper servire toto posse perseveranter conemur. Os nostrum operculo sancti ac diligentis silentii sit reclusum, et ab apertione ad loquacitatem aut quodcumque illicitum verbum semper servetur clausum, ne per ostium oris irrefrenationemque linguæ ruant in thalamum cordis immunditiæ multæ et graves culpæ. Nempe sicut urbs patens et absque murorum ambitu, in quam undique ruunt hostes et debacchantur ad libitum, sic religiosus qui non didicit in loquendo cohibere spi-

1 *Joann.* II, 15.

Prov. XXV, 28.

ritum suum : quia in animam ejus incidunt inanes vitiorum turbæ, phantasmatum inquietudo et vanitas, invisibiles hostes interiora depopulantes, gratia spoliantes, devotionis spiritum exstinguentes, atque a spirituali retrahentes profectu, et misero illudentes. Certe vir linguosus non dirigetur in terra. Et cur hoc, nisi quia in multiloquio non deest peccatum, et qui multis utitur verbis lædit animam suam? Idcirco qui inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala. Quoties ista audimus, legimus et cantamus? Nec prodest, nec emendamus nos, nec obtemperamus Scripturis statutisque Ordinis, sed ubertim in nobis impletur quod Salomon profitetur : Stultus verba multiplicat; et, Totum spiritum suum profert stultus. — Scienti et non facienti, peccatum est illi. Idcirco emendemus nos fervide, quum melius sit viam justitiæ ignorare quam agnitam non servare. Bona consuetudo est altera quædam natura, facitque jucunde ac facillime operari. In observatione ergo silentii, imo in omni observantia regulari, faciamus nobis consuetudinem bonam, nec unquam pigritiæ aut tepori cedat cor nostrum. Postremo, beatissimi Joannis exemplo, simus in cibo, potu somnoque sobrii, vestitu humili, parco ac duro contenti, et corpus nostrum disciplinis, vigiliis, jejuniis et omni pœnitentiali labore discrete castigemus et coarctemus. Orationibus quoque, psalmodiis, meditationibus sanctis, recordationi dominicæ passionis, examinationi conscientiæ propriæ, contemplationibus divinorum quotidie magis ac magis devote, perfecte, stabiliter insistere enitamur. Ad laudem et gloriam omnipotentis Dei. Amen.

Ps. CXXXIX, 12.
Prov. X, 19.
Eccli. XX, 8.
Prov. XIII, 3.
Eccle. X, 14.
Prov. XXIX, 11.
Jacob. IV, 17.
II *Petr.* II, 21.

IN FESTO

SS. PETRI ET PAULI APOSTOLORUM

ENARRATIO IN LECTIONEM LOCO EPISTOLÆ

MISIT HERODES REX MANUS, ETC. Act. XII, 1-11.

LECTIO ista refert quemadmodum princeps Apostolorum beatissimus Petrus ab Herode fuerit incarceratus, atque ab angelo liberatus. Verumtamen de hac re seu liberatione non est hodierna solennitas, sed festum S. Petri ad Vincula. Legitur tamen hodie lectio ista, quia de S. Petro et ejus persecutione pertractat, et quoniam in Scriptura canonica non invenitur quod nunc loco epistolæ magis apte legatur. Itaque scribit Lucas evangelista :

Misit Herodes rex manus, id est potestatem sui exercitus. Iste fuit Herodes Agrippa, filius Aristobuli, filii Herodis Ascalonitæ qui occidit infantes. *Ut affligeret quosdam de Ecclesia* primitiva, id est aliquos Christianos. *Occidit autem,* id est, decollari fecit, *Jacobum* Majorem, filium Zebedæi, *fratrem Joannis* apostoli, *gladio :* quod qualiter et propter quid gestum sit, infra in sermone de S. Jacobo apostolo referetur. *Videns autem quia placeret Judæis* incredulis (quorum exstitit princeps) occisio Jacobi, *apposuit apprehendere,* id est capere, *et Petrum* tanquam capitaneum et prælatum omnium Christianorum. *Erant autem dies Azymorum,* id est festivitatis paschalis, quæ septem diebus duravit in quibus vescebantur Judæi panibus azymis, id est non fermentatis : infra quos Judæi non facile aliquem occiderunt, propter reverentiam festi illius, quod celebrabant in memoriam liberationis patrum suorum de Ægypto. *Quem quum apprehendisset, misit in carcerem, tradens* eum *quatuor quaternionibus militum* ad *custodiendum.* Sicut centurio appellatur qui centum præest militibus, ita quaternio, qui quatuor militibus præest. Sicque sub quatuor istis quaternionibus erant sedecim milites, ac per hoc viginti simul fuerunt, præter custodes carceris. Commisit enim tam multis custodiam Petri, ne aliquo modo evaderet. Nam multa mirabilia noverat a S. Petro esse peracta : ideo caute fecit eum servari, quemadmodum proditor Judas de Jesu dixit Judæis : Ducite eum caute, ne scilicet vestris e manibus elabatur. *Volens post Pascha producere eum populo,* id est obstinatis Judæis præsentare, ut ad eorum voluntatem occideretur. *Et Petrus quidem servabatur in carcere. Oratio autem fiebat sine intermissione ab Ecclesia,* id est cunctis fidelibus Petri incarcerationem scientibus, *ad Deum pro eo,* ut liberaretur de manu Herodis : quoniam magis necessarius fuit Ecclesiæ, tanquam princeps Apostolorum et prælocutor eorum, in verbis quoque et factis potentior, imo celeberrimus in miraculis.

Quum autem producturus eum esset

Matth. II, 16.

Marc. XIV, 44.

Exod. XII, 15.

Herodes, id est populo præsentaturus ad mortem, *in ipsa nocte,* diem quo hoc facere voluit præcedente, *erat Petrus dormiens* (non enim timore mortis turbatus fuit aut impeditus a somno, ut moris est incarceratis) *inter duos milites, vinctus catenis duabus; et custodes ante ostium custodiebant carcerem,* ita quod humana industria aut virtute non valebat evadere. *Et ecce angelus Domini adstitit,* id est, coram Petro stetit, *et lumen refulsit in habitaculo* carceris. Angelus quippe cum splendido vultu apparens, carcerem illustravit; solus tamen Petrus lumen illud adspexit. *Percussoque latere Petri, excitavit eum, dicens : Surge velociter. Et ceciderunt catenæ de manibus ejus,* angelo eas dissolvente.

Dixit autem angelus ad eum : Præcingere, id est, cinge te. Ut enim Scholastica refert historia ex verbis Bedæ, S. Petrus deposuit cingulum suum propter molestiam carceris, ut tunica pedes operiente, frigus temperaret nocturnum. Per quod datur exemplum ac documentum devotis, quod tempore corporalis molestiæ, licet eis aliquid de propositi sui relaxare rigore. Insuper, secundum Cassianum, quoniam Elias et Petrus cingulis usi leguntur, IV *Reg.* I,8. monachi in deserto cingulis utebantur. *Et calcea te caligas tuas,* id est, calceamenta tua indue. Dicuntque aliqui, quod caliga nunc sumitur pro genere calceamenti non habentis corium super pedem : quod quidam vocant sandalium. Sed in communi usu loquendi caliga pro crurium indumento accipitur. *Et fecit* Petrus *sic. Et dixit illi* angelus : *Circumda,* id est obvolve, *tibi vestimentum tuum :* quod forsan de pallio dicitur; *et sequere me. Et exiens* carcerem, *sequebatur eum,* videlicet angelum, *et nesciebat quia verum est* veritate rei, id est reale aliquid, *quod fiebat per angelum* circa se, scilicet eductio ista de carcere. *Existimabat autem se visum videre,* id est visionem imaginariam horum habere. Unde videtur quod non plenarie vigilavit. Nam et aliqui in somno surgunt et ambulant.

Transeuntes autem primam et secundam custodiam, id est custodes per duo loca divisos : qui somno erant oppressi, aut tali cæcitate percussi quali et Syri sub Eliseo, aut alio modo impediti divina virtute, ne Petrum egredientem sentirent, et prohiberent; *venerunt ad portam ferream :* quæ (ut dicitur) fuit in atrio carceris atque exterior; *quæ ducit ad civitatem* Jerusalem. Ex quo elicitur quod carcer extra urbem fuit, aut in parte ejus exteriori. *Quæ ultro aperta est eis* virtute divina per angelum. *Et exeuntes* per ferream portam, *processerunt vicum unum,* urbem intrando, *et continuo discessit angelus ab eo,* id est, repente disparuit. *Et Petrus ad se reversus,* id est compos mentis effectus, et proprium actum advertens, *dixit : Nunc scio vere* per experientiam et ad sensum, *quia misit Dominus angelum suum, et eripuit me de manu Herodis, et de omni exspectatione plebis Judæorum* meam occisionem desiderantium. Utitur autem Petrus in omnibus stilo ornato et eleganti, et sæpe difficili, semperque sententioso. IV *Reg.* VI, 18.

SERMO PRIMUS

DE MAGNIFICENTIIS ET PERSECUTIONIBUS B. PETRI APOSTOLI.

CONSTITUIT eum dominum domus suæ, et principem omnis possessionis suæ. Ps. CIV, 21.

Verba ista ad litteram scripta sunt de Pharaone rege Ægypti, et Joseph patriarcha. Qui quum exposuisset Pharaoni som- *Gen.* XLI, 15 et seq.

nia sua, constitutus est ab eo præpositus sui palatii et dominus totius Ægypti, ita quod secundus fuit a Pharaone, utpote supremus post eum. Unde ut in Genesi legitur, Pharao rex dixit ad Joseph : Tu eris super domum meam, et ad oris tui imperium cunctus populus obediet; uno tantum regni solio te præcedam. Ecce constituo te super universam terram Ægypti, et absque tuo imperio, non movebit quisquam manum aut pedem in tota terra Ægypti.

Gen. XLI, 40, 41, 44.

Porro omnia ista allegorice exponuntur de Deo Patre Rege æterno, et Filio ejus Jesu Christo incarnato, cujus manifesta figura fuerat sanctus Joseph. Per Ægyptum quoque designatur hic mundus. Quemadmodum itaque Pharao præfecit Joseph suo regno atque palatio, et omnibus quæ habebat, sic Deus Pater Christum hominem omni creaturæ præfecit, secundum quod ipse testatur : Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra. Constituit quoque Deus Pater Christum dominum domus suæ, id est totius Ecclesiæ : de qua ad Timotheum scribit Apostolus, Scias quomodo te oporteat conversari in domo Dei, quæ est Ecclesia Dei vivi.

Matth. XXVIII, 18.

I *Tim.* III, 15.

Insuper verba ista adhuc mystice valde convenienter exponuntur de Christo et S. Petro. Christus namque constituit beatissimum Petrum dominum domus suæ, id est prælatum, hierarcham ac summum pontificem totius universalis Ecclesiæ peregrinantis in terra. Nam generalem, supremum ac plenum suum vicarium fecit eum. Sicque uno regni solio Christus Petrum præcedit, quoniam Christus est dominus principalis, Petrus vero dominus vicarialis. Fecit etiam Petrum principem totius possessionis suæ, quoniam plenitudinem utriusque potestatis, videlicet spiritualis ac sæcularis, contulit ei : ita quod dispositio regnorum mundi in certo casu ad summum spectat Pontificem, similiter dispensatio ecclesiasticorum bonorum. Ideo, sicut universi Ægyptii obedire Joseph fuerant obligati, sic homines cuncti in hoc mundo viventes, tenentur obedire Pontifici summo, Petri successori atque vicario.

Præterea, sicut Dominus noster Jesus Christus reliquit Petrum suæ potestatis ac prælationis vicarium, sic etiam suæ tribulationis et persecutionis et laborum suorum, imo et crucifixionis suæ, dimisit eum successorem præcipuum. Quantas enim tribulationes et persecutiones pertulerit sacratissimus Petrus, quos etiam in prædicando ac itinerando labores habuerit, partim in libro Actuum Apostolorum descriptum est, et partim in aliis libris. Sed et Joannes refert qualiter Christus Petro genus sui prædixit martyrii : Quum senueris, inquiens, alius te cinget, id est, in cruce ligabit. Quod (ut Evangelista ibi exponit) Christus dixit, significans qua morte Petrus clarificaturus fuerat Deum. Simon quoque magus multas persecutiones intulit S. Petro, et contra eum frequenter incitavit Antiochenos ac alios multos, præsertim Neronem imperatorem, atque nonnullos Romanos : ut infra in sermonibus aliis referetur.

Joann. XXI, 18.

Ibid. 19.

Amplius, quoniam S. Petrus fuit universorum sui temporis Christianorum fidelissimus pastor, piissimus et affectuosissimus pater, summus prælatus; non dubium quin Christianis, qui suo tempore in Judæa et aliis locis crudelissime occidebantur, injustissime opprimebantur, undique fugabantur, et variis affligebantur tormentis, valde cordialiter ac amare condoluit, tanquam pater et magister ac prælatus filiis, discipulis et subjectis. Nec minus compatiebatur obstinatis Judæis, ceterisque incredulis : nam omnes homines sibi fuerunt commissi. Si ergo Paulus apostolus dixit veraciter, Tristitia mihi magna est et dolor continuus cordi meo pro fratribus meis Judæis; non dubium quin gloriosissimus totius Ecclesiæ pastor Petrus hoc dicere potuit, qui tam singulariter in caritate arsit fraterna, imo ut in Itinerario suo B. Clemens testatur, immensam habuit caritatem ad omne genus humanum.

Rom. IX, 2, 3.

Porro, sicut in Actibus scriptum est, quum Petrus curasset claudum a nativitate, infideles impiissimique Judæi posuerunt eum aliosque Apostolos in custodia publica. Et similiter alibi legitur, quod quum S. Petrus tot operaretur miracula in Jerusalem, cives posuerunt infirmos in plateis, in lectulis et grabatis, quatenus Petro veniente, saltem umbra ipsius obumbraret quemquam illorum, et sanarentur. Tunc infelices incorrigibilesque Judæi rursus invidia inflammati, incarceraverunt sanctissimum Petrum ceterosque Apostolos. Quumque ab angelo essent educti de carcere, nec a prædicatione cessassent, superiores Judæorum adduxerunt eos ad suum concilium, interrogaveruntque eos cur a prædicationibus suis nequaquam cessarent. Quibus Petrus magna auctoritate et constantissima mente respondit : Obedire oportet Deo magis quam hominibus. Et tunc flagellaverunt Apostolos. Estque probabile quod S. Petrum multo acrius flagellaverunt quam alios, quoniam principalis fuit et dux verbi seu prælocutor.

Act. III, 1 et seq. *Ibid.* IV, 3. *Ibid.* V, 15. *Ibid.* 18. *Ibid.* 19 et seq. *Ibid.* 29. *Ibid.* 40.

Similiter in lectione hodierna docetur, quam crudeliter Herodes Agrippa Petrum incarceravit, ita quod vinctus fuit duabus catenis, et per omnes dies illius solennitatis paschalis sedit sic captus et aggravatus compedibus. — Postremo contra Simonem magum, magnum ac longum habuit Romæ conflictum. In quo quum in omnibus prævaluisset, et Simon ille nequissimus esset exstinctus, tam ipse Petrus quam Paulus a Nerone sunt interfecti, ut infra dicetur.

Ibid. XII, 1 et seq.

Quoniam ergo princeps Apostolorum tanta sustinuit, discamus exemplo ipsius patientiam veram ac stabilem in omni adversitate habere, et caritate Dei ac proximorum fervere, pro salute etiam nostra ac proximorum incessabiliter laborare. Attendamus documenta beatissimi Petri, in prima sua dicentis epistola : Animas vestras castificate, id est, puras efficite, in obedientia caritatis; in fraternitatis amore, simplici ex corde diligite invicem attentius, deponentes omnem malitiam et dolum et simulationem et invidias et detractiones. Iterum ait ibidem : Hæc est gratia, si propter conscientiam Dei sustinet quis tristitias, id est injurias, patiens injuste. Quæ est enim gratia, si peccantes et colaphizati suffertis? Si autem benefacientes sustinetis, hæc est gratia apud Deum. In quibus verbis docet princeps Apostolorum, magnum non esse, si quis patienter ferat correctiones sibi pro suis peccatis inflictas, sed si absque suo demerito affligatur. Quid ergo dicturi sunt, qui pro suis excessibus correpti sive correcti, impatientes fiunt, murmurant, indignantur, detrahunt, ulcisci minantur? Idcirco sunt dæmonum filii. Imo nonnulli ad tantam perversitatem labuntur, quod nec verbis corripi volunt, sed libere et impune peccare, non attendentes quam ineffabiliter vulnerent animas suas, quantis excæcationibus involvantur, et quam acerbissima inferni mereantur supplicia sempiterna. Resipiscant ergo miserrimi, et correptiones atque correctiones tanquam vitiorum et interiorum vulnerum suorum saluberrimas medicinas cupiant, ament et amplectantur, potius cupientes in præsenti vita castigari, quam æternaliter condemnari.

I Petr. I, 22; II, 1. *Ibid.* II, 19, 20.

Itaque beatissimum patrem, doctorem et principem nostrum S. Petrum cum omni fiducia et amore rogemus ut oret pro nobis, gratiamque vivendi juxta sua exempla ac documenta nobis impetrare dignetur, quatenus post vitam istam incertam, fallacem, defectuosam, brevissimam, cum ipso æternaliter feliciterque regnemus.

ENARRATIO IN EVANGELIUM

VENIT JESUS IN PARTES CÆSAREÆ PHILIPPI, ETC. Matth. XVI, 13-19.

HODIERNO in evangelio describit sanctus evangelista Matthæus in quanta excellentia, potestate et gratia Dominus Jesus constituit gloriosissimum Apostolorum principem Petrum. Idcirco evangelium illud legitur hodie. Et quamvis sit hodie solennitas Petri et Pauli, Ecclesia tamen in divino Officio specialiter commemorationem facit de S. Petro tanquam de principali, et cras de S. Paulo. Itaque Matthæus dicit :

Venit Jesus in partes, id est ad loca vicina, *Cæsareæ Philippi,* id est civitatis quam Philippus filius Herodis Ascalonitæ vocavit Cæsaream, ad honorem Tiberii Cæsaris; *et interrogabat discipulos suos,* puta Apostolos, non ex ignorantia, sed ut eos instrueret, sicut magistri suos solent interrogare discipulos, *dicens : Quem dicunt homines esse Filium hominis?* id est, quid dicunt et sentiunt turbæ de me, et quem dicunt me esse? *At illi dixerunt : Alii* dicunt te esse *Joannem Baptistam :* sicut Herodes Antipas frater prædicti Philippi, qui Herodes audiens famam Christi, dicebat : Quem ego decollavi Joannem, ipse surrexit a mortuis, et ideo virtutes operantur in illo. *Alii autem* dicunt te esse *Eliam.* Nam sicut sacerdotes et alii multi suspicabantur Joannem Baptistam esse Eliam, propter vitæ austeritatem et eremiticam mansionem similitudinemque vestitus, atque justitiæ zelum ; sic aliqui putaverunt Dominum Jesum esse Eliam, propter miraculorum excellentiam, imperterritamque mentis constantiam, et insuperabilem veritatis attestationem. *Alii vero* dicunt te esse *Jeremiam,* propter conversationis tuæ sanctitatem, quoniam Jeremias sanctificatus fuit in utero matris. *Aut unum ex Prophetis.* Putabant namque aliquem præcedentium Prophetarum surrexisse a mortuis, juxta illud Lucæ : Dicebatur a quibusdam, quia Propheta unus de prioribus surrexit.

Marc. VI, 16, 14. *Jer.* I, 5. *Luc.* IX, 8, 19.

Dicit illis Jesus : Vos autem quem me esse dicitis? id est, vos qui melius aliis scitis miracula mea, et doctrinam meam auditis quotidie, quid sentitis de me? *Respondens Simon Petrus, dixit.* Petrus ceteris principalior atque ferventior, pro omnibus dat responsum : *Tu es Christus,* id est rex Messias, mundi Salvator, in lege et Prophetis a Deo promissus ac prænuntiatus, *Filius Dei* unigenitus, Patri æterno coæternus, consubstantialis et æqualis. Itaque Filius es Dei *vivi,* qui essentialiter vita est, in quo idem sunt esse, vivere et intelligere.

Respondens autem Jesus, dixit ei : Beatus es nunc in spe, beatitudine viæ et gratiæ, imo gratiæ specialis ac meriti magni, *Simon Bar Jona,* id est filius Joannis. Petrus enim proprio nomine a principio Simon vocatus fuit, filius viri qui dicebatur Joannes. Unde secundum Joannem, Christus ait ad eum : Simon Joannis, diligis me? Vel, « Bar Jona », id est filius columbæ, utpote adoptivus filius Spiritus Sancti, qui et per columbam significatur. *Quia caro et sanguis non revelavit tibi,* id est, nullus Judæorum te docuit, nec a te ipso agnoscis, quod protulisti, videlicet quod ego sum Christus, Filius Dei vivi. *Sed Pater meus qui in cœlis est,* ille cor tuum illuminavit ad intelligendum quod ego sum Christus, Filius Dei. *Et ego dico tibi,* id est, tuæ fidelissimæ confessioni vicem rependo et mercedem retribuo : *Quia,* id est quod, *tu es Petrus,* id est firmus in

Joann. XXI, 15-17.

I *Cor.* x, 4. fide, ac principalis : et a me Petra Petrum te voco, sicut a me Christo aliquis dicitur christianus, quoniam mei qui Petra sum, dignus confessor exsistis. Sic ergo imposuit ei Christus nomen novum, propter fidei suæ confessionem. *Et super hanc petram* quam confessus es, videlicet su-
Is. xxviii, 16 ; *Ps.* cxvii, 22 ; *Act.* iv, 11. per me ipsum, qui lapis sum angularis ; vel, « super hanc petram », id est hujus fidei firmitatem ; *ædificabo Ecclesiam meam,* id est, populum fidelem catholicum, spiritualiter per dona gratiæ fundabo ac confirmabo : quos per caritatem, fidem et gratiam mihi conjungam, ut in me sint unum mysticum corpus, una domus, unus populus, et una Ecclesia. In hac igitur fide, quod Jesus est Christus, Filius Dei, fundatur et salvatur Ecclesia : præsertim quum in nomine Christi, tota superbeatissima Trinitas intelligatur, videlicet Pater ungens, Filius unctus, Spiritus Sanctus unctio. Hinc Joannes in prima sua Canoni-
I *Joann.* v, 1. ca : Omnis (inquit) qui credit quod Jesus est Christus, ex Deo natus est. Porro ad hoc quod aliquis vere et salubriter credat Jesum esse Christum, oportet quod credat vera esse omnia quæ docuit Christus, habeatque fidem formatam, ne quod fide asserit, opere neget.

Et portæ inferi, id est vitia et errores tentationesque diaboli, quæ ducunt ad inferos ; vel, « portæ inferi », id est tribulationes vitæ præsentis persecutionesque tyrannorum, quæ ob suam acerbitatem comparantur portis inferni ; *non prævalebunt adversus eam,* id est, Ecclesiam non poterunt a fide avertere, nec eam in toto destruere, nec eam impugnare, quia semper aliqui boni in Ecclesia permanebunt, et ipsa Ecclesia usque ad finem mundi durabit. Ecclesia quippe præsertim consistit in electis et bonis fidelibus, qui vere sunt membra Christi. Impii autem sunt membra diaboli.

Et tibi dabo claves regni cœlorum. Sicut in corporalibus, clavis vocatur instrumentum quo rite janua aperitur, ita in spiritualibus, scilicet sacramento Pœnitentiæ, clavis appellatur potestas qua obstaculum ingrediendi regnum cœleste aufertur. Hoc autem obstaculum duplex est, utpote : macula, quæ est ipsa culpa, et reatus, qui est obligatio ad pœnam, eo quod nondum satisfactum sit pro peccato. Clavis ergo prout nunc sumitur, est potestas ligandi et solvendi, qua ecclesiasticus judex indignos a regno excludit, et dignos ad illud admittit. Quæ potestas est in Deo Trinitate per auctoritatem primam et summam, in Christo homine per excellentiam quamdam creatam, in ministris Ecclesiæ per instrumentalem administrationem. Denique quidam dixerunt, quod sint duæ claves realiter condistinctæ, puta : scientia, per quam discernit sacerdos quis dignus sit regno, et quis indignus ; et ipsa potestas admittendi ad regnum et excludendi ab illo : sic tamen, ut scientia dicatur clavis minus principalis, atque in ordine ad aliam clavem, sine qua nec clavis esset. Et ista videtur fuisse opinio Magistri, quarto libro Sententiarum. Alii probabilius dicunt, quod et communius nunc tenetur, quod non ipsa scientia, sed auctoritas utendi scientia ad discernendum modo prætacto, sit clavis : quæ auctoritas potest esse absque scientia, et econtra, quemadmodum in sæcularibus judiciis quidam habent auctoritatem judicandi secundum regulas juris, qui non habent juris scientiam, et aliqui econtra habent scientiam juris, non habentes auctoritatem exercendi judicium. Certum est autem quod scientia requiratur ad debitum usum clavis istius. Itaque clavis est una secundum essentiam, et bina secundum efficientiam. Idcirco Christus pluraliter dixit : Tibi dabo claves regni cœlorum.

Et quodcumque ligaveris super terram, id est, quemcumque a regno juste excluseris, servando rectum processum et debitum clavium usum : quia ultimo Ecclesiasticæ hierarchiæ capitulo divinus Dionysius loquitur, quod sacerdotes uti debent virtutibus hierarchicis sibi collatis, secundum quod Deitas moverit eos,

quoniam agens instrumentale efficaciam non sortitur nisi prout a principali agente movetur. Propter quod dicit Apostolus : II *Cor.* XIII, 10. Secundum potestatem quæ data est mihi in ædificationem, et non in destructionem. *Erit ligatum et in cœlis,* id est, ratum erit et approbatum coram Deo. *Et quodcumque solveris super terram,* id est, quemcumque in Ecclesia a peccatis absolveris, et regno dignum censueris, *erit solutum et in cœlis,* id est, Deus illum absolutum judicabit, et regno condignum, servato (ut dictum est) recto processu, ut vere pœnitens et contritus atque confessus absolvatur, non alius.

Denique, secundum Thomam et alios solennes doctores, potestas illa ligandi et solvendi realiter idem est quod character sacerdotalis, qui est Ordo, sumendo Ordinem pro uno de septem sacramentis Ecclesiæ. Et juxta hoc Christus dedit Apostolis potestatem præfatam in Cœna, quando Apostolos constituit sacerdotes, dicendo : Hoc facite in meam commemorationem. *Luc.* XXII, 19. Hinc omnis sacerdos habet potestatem ligandi atque solvendi secundum ejus essentiam ; non tamen habet exsecutionem ipsius, quia non habet subditos in quos agat, videlicet quia jurisdictionem non habet. Unde secundum doctores super quartum Sententiarum, ad hoc quod sacerdos aliquem possit absolvere, exigitur duplex potestas, videlicet ordinis et jurisdictionis. Verumtamen in casu necessitatis extremæ, omnis sacerdos potest quemcumque peccatorem ab omni peccato absolvere.

SERMO SECUNDUS

QUOD PETRUS ET PAULUS DUÆ OLIVÆ DUOQUE SINT LUMINARIA MUNDI ; ET DE VITA EORUMDEM.

Hi sunt duæ olivæ et duo candelabra lucentia, in conspectu Domini terræ stantes. Apoc. XI, 4.

Verba ista de beatissimis viris Enoch et Elia ad litteram scripta sunt : quæ de gloriosissimis viris Petro et Paulo mystice possunt aptissime explanari. In primis equidem constat, quod in Scripturis sacris homo frequenter arbor vocetur, quia in multis similitudinem habet cum arbore : quoniam instar arboris crescit paulatim in altum, atque in annis infantiæ ac adolescentiæ viret, in juventuteque floret ac fructum producit, deinde in senio quasi arbor successive decrescit, arescit ac deficit. Floret quoque in scientia proficiendo, fructificat vero quæ bona sunt exsequendo. Hinc ait sacratissimus Joan- *Matth.* III, 10. nes Baptista, Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur : per arborem significans hominem.

Insuper, propter diversas arborum proprietates, homines diversis arboribus comparantur ac designantur. Oliva autem est arbor fructuosa, et dulcem producit fructum, oleum quoque derivatur ex ea. Hinc ait Propheta : Ego autem sicut oliva fructifera in domo Dei. *Ps.* LI, 10. Certumque est quod per oleum pietas designetur. Itaque, sic præstantissimi isti apostoli Petrus et Paulus vocantur duæ olivæ, quia virtuosis operibus erant plenissimi, et innumerabiles homines spiritualiter genuerunt in Christo, eos convertendo ad fidem ; omni etiam caritatis, pietatis dulcedinisque internæ affectu copiosissime redundabant : imo in caritatis, pietatis ac suavitatis affectum corda eorum quasi omnino videbantur conversa, quia tam ferventer, tam

laboriose et indesinenter pro totius mundi conversione et salute satagebant orando, flendo, prædicando, scribendo, sanctissime conversando, deceptoribus resistendo, persecutiones multas gravissimas sustinendo, innumerabilia quoque faciendo miracula, et suos discipulos, viros sanctos per diversa mittendo regna.

Amplius, recte duo isti Apostoli candelabra nuncupantur lucentia, quoniam instar candelabrorum candelas accensas super se habentium et adstantes illuminantium, ipsi universum mundum illuminaverunt, et nunc usque illuminant per sua sanctissima scripta, perfecta exempla, merita gloriosa, orationes assiduas. De virtutibus autem et excellentiis horum sublimium Apostolorum, superius dicta sunt multa in sermonibus de festis eorum, quæ etiam possunt pro ista solennitate servire, nec decet ea modo repetere. Itaque de divinissimis istis Apostolis dici potest illud *Gen.* I, 16. Geneseos : Fecit Deus duo magna luminaria : luminare majus ut præesset diei, luminare minus ut præesset nocti. Quemadmodum ergo Deus in machina mundi et in regione cœlesti constituit duo luminaria magna, videlicet solem ut præsit diei, et lunam ut præsit nocti ; ita in militanti Ecclesia, quæ frequenter in Evan- *Matth.* XIII pluries, et alibi. gelio appellatur regnum cœlorum a Christo, posuit luminaria duo magna : luminare majus, videlicet Petrum, ut præesset diei, id est populo Judæorum, in quibus fuit notitia et cultus unius Dei ; et luminare minus, utpote Paulum, ut præesset nocti, hoc est plebi gentilium, qui ignorantiam Dei habentes, caligine idololatriæ fuerunt operti. Unde et Paulus ipse protestatur : *Galat.* II, 8. Qui operatus est Petro in apostolatum circumcisionis, operatus est et mihi inter *I Tim.* II, 7. gentes. Ad Timotheum quoque, doctorem gentium se appellat. Porro B. Petrus dicitur luminare majus, non quod S. Paulus fuerit in sapientia minor, aut quod lumen suæ sapientiæ ac doctrinæ a Petro acceperat, vel quod docuit pauciores, sed quoniam major exstitit Paulo potestate prælatica et jurisdictione, utpote prælatus, pastor et præsul totius universalis Ecclesiæ, Apostolorumque princeps. Videtur quoque in miraculis fuisse potentior, quia et umbra corporis sui curavit *Act.* V, 15. infirmos. Quis vero eorum sanctitate fuerit major, et an in sanctitate fuerint æquales, ei est committendum de quo Salomon loquitur : Spirituum ponderator est Do- *Prov.* XVI, 2. minus.

Sed jam de horum beatissimorum martyrio Apostolorum aliquid breviter est tangendum. Verumtamen primo exponam quomodo intelligendum sit quod Petrus dicitur præfuisse Judæis, et Paulus gentilibus. Hoc namque per appropriationem quamdam est dictum, quoniam misso Spiritu Sancto S. Petrus præ ceteris Apostolis docuit et convertit Judæos, ut patet in Actibus Apostolorum, et per diversas civitates Judææ, Galilææ atque Samariæ transivit prædicando hinc inde solis Judæis, præsertim per quatuor annos. Postmodum prædicavit et gentilibus, quia (ut dictum est) toti præsidebat Ecclesiæ, universasque oves suas, imo totum genus humanum, Christus ei commisit ac subdidit : Pasce (inquiens) oves meas. Paulus *Joann.* XXI, 17. vero statim post suam conversionem prædicavit gentilibus. Nihilo minus diu ac copiose prædicavit Judæis, diversis in locis, ut patet in Actibus. Scripsit quoque epistolam ad Hebræos. Et quum primo intrasset Romam, statim congregavit Ju- *Act.* XXVIII, 17 et seq. dæos, prædicavitque eis, et multos eorum convertit, ut in Actibus legitur.

Itaque de beatissimo Petro id primo sciendum, quod juxta prætacta, per quatuor annos prædicavit undique in Judæa, nusquam fixam sibi constituens sedem certumque locum. Post hoc in Antiochia sedem episcopalem sibi constituit, et septem ibidem præfuit annis. Ex quo enim Christus eum toti præfecit Ecclesiæ, potuit sibi sedem erigere ubicumque sibi complacuit. Quumque in Antiochia et Judæa Simonem magum penitus superasset, et Simonem illum Romam esse profectum

audisset, disposuit se ut iret ad Romam, cœpitque paulatim illic proficisci, et undique prædicavit in via per urbes et alia loca, atque innumerabiles homines hinc inde convertit. Nam et fama præcucurrit eum ubique, et homines certatim confluebant ad eum ut prædicationem ejus audirent, ita quod sæpe circa vesperam urbes ingrediens, quum optaret parum quiescere, non permittebatur pausare, turbis ad eum confluentibus undique. Et hoc fuit propter creberrima et innumerabilia ejus miracula, quia quocumque venit, curavit infirmos. Quæ omnia in Itinerario S. Clementis plenius recitantur.

Denique quarto anno Claudii imperatoris legitur S. Petrus Romam venisse, et viginti quinque annis sedit ibidem in cathedra pontificii summi. Atque ut liberius orationi, prædicationi et contemplationi posset vacare, duos sibi assumpsit coadjutores, videlicet S. Linum et S. Cletum, qui exteriora expediebant : quorum unus intra muros Romæ, alius extra muros sedebat. Nam innumerabiles ex variis mundi partibus ad Christum conversi, confluebant ad Romam, ut principem Apostolorum et totius Ecclesiæ summum viderent Pontificem, pleniusque instruerentur ab ipso. Itaque infra præfatos viginti quinque annos sanctissimus Petrus multos valde convertit in Roma et extra eam ; et per diversas partes ac urbes Italiæ, Hispaniæ, Galliæ, Germaniæ, Africæ, suos direxit discipulos, per quos innumerabiles gentilium turbæ convertebantur ad Christum. Legitur quoque in Martyrologio Sanctorum, quod gloriosissimus Archiapostolus tres ex discipulis suis, quos ad prædicandum direxit, in via defunctos, per contactum sui baculi suscitavit : in quo vere patet admiranda excellentia ejus. Siquidem quarto libro Regum legitur, quemadmodum magnus ille propheta Eliseus discipulum suum misit cum baculo suo ad suscitandum puerum mortuum, nec tamen ex contactu baculi Elisei fuit puer ille resuscitatus, sed Eliseo personaliter veniente, et super defunctum puerum illum sæpius procumbente seque expandente, ac exorante, tandem puer surrexit.

IV *Reg.* IV, 29 et seq.

Insuper, quam graves ac multas persecutiones, tribulationes, vulnerationes, contumelias, Vas electionis, sanctus ac sapientissimus Paulus apostolus sit perpessus, ipse in suis epistolis partim digessit, et partim in Actibus Apostolorum descriptum est. Ter etenim a gentilibus virgis cæsus est, id est publice flagellatus ; a Judæis vero quinquies, ita quod qualibet vice triginta novem ictus accepit. Semel lapidatus est a Judæis, sic quod eum putabant exstinctum. Ter quoque naufragium passus est, et sæpe fuit incarceratus ac dire ligatus. At vero, prout sanctus refert Hieronymus in libro de Viris illustribus, vicesimo quinto post Christi passionem anno S. Paulus Romam missus est vinctus, videlicet anno Neronis imperatoris secundo ; et per duos annos sub Nerone tunc mansit in Roma vinctus, non tamen clausus, sed libere ibat in urbe, et contra Judæos disputavit, plurimosque Judæorum convertit atque gentilium. Postmodum a Nerone dimissus, prædicavit in partibus occidentis ; deinde rediit Romam, et cum beatissimo principe apostolici agminis Petro prædicavit in urbe, ita quod maxima pars Romanorum, etiam nobilium et domesticorum imperatoris, credebat in Christum. Pincernam quoque Neronis nomine Patroclum, S. Paulus suscitavit a mortuis.

II *Cor.* XI, 23-28 ; *Act.* passim.

Præterea, quum Simon magus per maleficia sua decepisset Neronem et plurimos Romanorum, in tantum quod eum pro deo colebant, gloriosi apostoli Petrus et Paulus ad Neronem introeuntes, omnia maleficia Simonis magi ei exposuerunt. Tunc coram imperatore et Romanis facta est magna et longa disceptatio et lis inter sanctos Apostolos et sceleratissimum illum magum. Quumque magus ille jactaret se posse mortuos suscitare, convocaverunt Romani beatissimum Petrum et Simonem

magum, concorditer definientes ut ille occideretur qui mortuum suscitare non posset. Et mortuo quodam allato, dum Simon magus eum non valuisset resuscitare, S. Petrus eum in Christi suscitavit virtute. Quumque Romani vellent occidere magum, Petrus prohibuit, dicens : Christus nos docuit ut bonum pro malo reddamus. Tandem Simon magus dixit se velle in cœlum ascendere, et coram imperatore ac Romanis cœpit volare. Tunc Paulus dixit ad Petrum : O Petre, cur tardas? Tuum est imperare, meum orare. Perfice quod cœpisti : jam enim vocat nos Dominus. Statim ergo S. Petrus dæmones adjuravit ut corruere magum permitterent, moxque Simon magus corruens, fractis cervicibus exspiravit. Ob hoc Nero indignans, præcepit Apostolos truA cidari, et Petrum sanctissimum tanquam extraneum crucifigi, Paulum tanquam civem Romanum decapitari. Porro S. Petrus ex profundissima humilitate reputavit se indignum taliter crucifigi sicut Christus Dominus ejus fuerat crucifixus, petiitque capite deorsum verso crucifigi. Et factum est ita. Quum igitur crucifixus fuisset, aperuit Deus adstantium oculos, videruntque angelos juxta Petrum apostolum stantes. Petrus vero de cruce populo prædicavit. Deinde devotissime alloquens Christum, et fideles ei commendans, tradidit spiritum. Sicque gloriosi Apostoli sunt uno die martyrio coronati : quorum patrocinia invocemus, documenta sequamur, præcepta implere semper conemur, ut eorum imitando vestigia, beatitudinem consequamur æternam.

Matth. v, 44.

B

SERMO TERTIUS

DE SEPARATIONE APOSTOLORUM PETRI ET PAULI TEMPORE MARTYRII ; ET DE TRIBUS QUÆ IN FESTIS SANCTORUM VENIUNT CONSIDERANDA.

In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum. Ps. XVIII, 5.

Quemadmodum in Decreto habetur, Italia, Hispania, Gallia, Africa et Germania a principe Apostolorum beatissimo Petro fidem acceperunt catholicam : non quod in omnibus regnis his gloriosissimus Petrus personaliter fuerit atque docuerit, sed quia in Roma residens, et toti Ecclesiæ præsidens, suos discipulos ad hæc regna direxit ; nec solum ad regna ista, nam et S. Marcum evangelistam ad Alexandriam misit, urbem præcipuam in Ægypto. Sed et ipse præclarissimus Petrus in omni Judæa, Galilæa et Samaria Evangelium Christi disseminavit, deinde in Antiochia, et ab ea usque ad Romam. Denique in exordio suæ primæ epistolæ loquitur :

C

D

Petrus, apostolus Jesu Christi, electis advenis dispersionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ et Bithyniæ. Ecce quam longe et late, quam variis mundi partibus ac populis prædicavit archiapostolus Petrus. Quomodo autem gloriosum Vas electionis, ferventissimus Paulus apostolus, undique discurrebat prædicando, in ejus patet epistolis atque in Actibus Apostolorum. Merito ergo cantatur de eis : In omnem terram, etc. Et quoniam tempore illo Romani monarchiam mundi tenebant, decentissimum fuit ut Petrus apostolus, totius mundi prælatus, in Roma, capitanea hujus sæculi urbe, sederet : cui et Paulum Christus in solatium junxit. Quumque populum Romanum magna ex parte convertissent ad Christum, et Simonem magum, Neronis imperatoris fiduciam ac patronum, penitus

1 *Petr.* I, 1.

Ps. XVIII, 5.

superassent, ab ipso Nerone adjudicati sunt morti. Quo facto, mox obstinati Judæi perfidique pagani irruerunt in eos sicut lupi in agnos, et verbis atque verberibus multiplicem eis contumeliam intulerunt. De hoc divinus et affectuosissimus Dionysius in epistola sua ad Timotheum de passione et transitu horum Apostolorum sic loquitur : O frater mi Timothee, si vidisses agones consummationis eorum, defecisses præ lacrimis, præ tristitia et dolore. Quis enim non fleret, quando egressum est præceptum sententiæ ut Petrus crucifigeretur, Paulus decollaretur? Vidisses tunc turbas Judæorum et gentilium multitudines percutientes eos, illudentes eis, exspuentes in facies eorum. Ipsi vero Apostoli tranquilli manserunt tanquam agni innocentes et mansueti. Adveniente autem terribili tempore consummationis eorum, quum separarentur ab invicem, ligaverunt columnas mundi, non utique absque fratrum gemitu et ploratu. Dixitque Paulus Petro : Pax tecum, fundamentum Ecclesiæ et pastor ovium et agnorum Christi. Petrus quoque ad Paulum : Vade in pace, prædicator bonorum et mediator ac dux salutis justorum. Quum autem elongassent eos ab invicem, secutus sum magistrum meum Paulum : non enim in uno vico occiderunt eos. Porro in illa hora tristitiæ plena, dicente carnifice Paulo, Collum para, B. Paulus suspexit in cœlum, muniens frontem et pectus suum signo crucis, et dixit : Domine mi Jesu Christe, in manus tuas commendo spiritum meum. Et tunc absque tristitia et compulsione extendit collum, et suscepit coronam.

Ps. xxx, 6.

Consequenter divinus Dionysius refert quoddam valde mirabile, dicens : Attende miraculum, vide prodigium, frater dilecte. Nam post mortem illorum, vidi eos invicem manu ad manum intrantes portas urbis, indutos veste luminis et coronis claritatis ornatos. Non autem ego solus vidi eos, sed et Lemobia pedisequa Sertis regis, quæ discipula erat Pauli. Et quum A educeretur Paulus ad mortem, egrederetur urbem, occurrit ei illa cum lacrimis. Cui Paulus : Noli flere, inquit, sed da mihi velum quo operitur caput tuum, et statim illud tibi restituam. Amputante autem carnifice caput Pauli, beatissimus Paulus in ipso ictu explicuit velum et collegit proprium sanguinem illo in velo, ligavitque velum et obvolvit et tradidit feminæ illi. Et reverso carnifici militi dixit S. Lemobia : Ubi dimisisti magistrum meum Paulum? Qui ait : Cum socio B suo jacet extra urbem in valle Pugilum, et velo tuo velata est facies ejus. Ipsa vero respondit : Ecce nunc intraverunt Petrus et Paulus induti veste præclara, coronas fulgentes et luce radiantes in suis habentes capitibus. Et protulit velum sanguine cruentatum, monstravitque ei. Propter quod opus conversi sunt multi ad fidem.

Præterea divinus et amorosus Dionysius beatissimorum Apostolorum occisionem deplorat, dicendo : Væ mihi! jam cessavit C concursus discipulorum vestrorum Romam venientium et quærentium vos, o gloriosi Apostoli. Jam nemo dicturus est : Eamus et videamus doctores nostros, et interrogemus eos qualiter nos regere oporteat Ecclesias nobis commissas, et interpretabuntur nobis præcepta Domini nostri Jesu Christi et eloquia Prophetarum. Jerusalem et Roma prava amicitia æquales factæ sunt in malo : Jerusalem crucifixit Christum, et Roma interemit ejus Apostolos. Jerusalem autem servit ei quem D interfecit, Roma solennizando glorificat quos peremit.

Præterea, prout sanctus docet Bernardus, tria sunt quæ in festis Sanctorum pensare debemus. Primum est, auxilium Sancti cujus solennitas celebratur, utpote, quod potens sit subvenire cultoribus et precatoribus suis, pius quoque et pronus ad succurrendum. Si enim adhuc vivens in sæculo isto potens fuit et pius ac pronus ad auxiliandum, multo magis nunc regnans cum Christo potestatem ha-

bet et pietatem ad suffragandum. Idcirco ipsum fiducialiter invocare debemus ut oret pro nobis, indulgentiam nobis et gratiam et salutem impetrando a Domino. Hi autem præclarissimi apostoli Petrus et Paulus valde potentes sunt apud Altissimum, tanquam præcipui ejus amici, sed et visceribus pietatis, caritatis ac liberalitatis prorsus plenissimi sunt : ideo eos singulariter diligere debemus ac venerari et invocare. Imo et universi Apostoli apud Deum valde exstant potentes, suntque piissimi. Ipsi etenim senatores sunt cœlestis ac supernæ Jerusalem, triumphantis Ecclesiæ atque palatii Regis æterni, et amici ac secretarii ejus. Ideo decet ut quilibet Christianus eligat sibi unum Apostolum in patronum, eum videlicet ad quem magis afficitur, illumque quotidie in speciali habeat honore et commemoratione ac invocatione.

Secundum quod in Sanctorum festis debemus attendere, est exemplum Sancti cujus solennia celebramus, videlicet : quam virtuose et exemplariter vixit, quanta sustinuit, quam humilis, mansuetus, pius, justus, constans, discretus caritativusque fuit, et qualiter diem clausit extremum. Nec debemus ista ad hoc solum perpendere ut ea sciamus aut aliis ea valeamus referre, sed ut ædificemur et provocemus nos ipsos ad imitandum Sanctorum vestigia in omni virtute et gratia. Itaque in omni festo Sanctorum, pensemus quam diligentes coram Deo fuerunt, quam custoditi ac timorati in omnibus ne ipsum offenderent; quam ferventes et infatigabiles exstiterunt in Dei obsequio, quam assidui in orationibus fervidis, in meditationibus sanctis, in discussione conscientiarum suarum, in castigatione quotidianarum venialium culparum, quas etiam valde ponderaverunt, et in se ipsis vindicaverunt jejunando, sua corpora flagellando, in orationibus vigilando, cilicia deferendo, seque in planctibus cruciando. Denique omnia ista in sanctissimis istis apostolis Petro et Paulo copiosissime invenimus. Fuit certe in eis omnium virtutum perfectio, omnis boni exemplum; et quum summi essent per gratiam, humillimi tamen erant intuendo suam præteritam culpam. Consideremus ergo labores et fatigationes eorum, tentationes, persecutiones et tribulationes innumeras quas pro Christo, pro fide, pro justitia sunt perpessi : sicque ex eorum intuitu efficiamur ferventes et agiles in divinis, certi quod bonorum laborum gloriosus est fructus; in adversis quoque et asperis patientes, scientes quod per multas tribulationes oporteat nos intrare in regnum cœlorum, quod item omnes qui volunt pie vivere in Christo, persecutionem patientur, ita quod renuit esse de numero electorum, qui renuit pati tribulationes justorum. Ecce sanctissimi isti Apostoli, electissimi Dei et amantissimi Christo, quanta sustinuerunt in sæculo isto : qui etiam in abstinentia valde magna atque in multa vixerunt inopia. Unde in Itinerario S. Clementis habetur, quod cibus beatissimi Petri fuit panis siccus cum olivis et raro cum oleribus, vestitus ejus fuit tunica simplex cum pallio humili.

Sap. III, 15. *Act.* XIV, 21. II *Tim.* III, 12.

Tertium nobis in festis Sanctorum considerandum, est confusio propria : quia de negligentiis et perversitatibus, de ingratitudinibus et peccatis nostris multis et magnis, imo innumerabilibus, verecundari et contristari vehementer debemus, eo quod Sancti quos colimus, similes nobis, passibiles fragilesque per naturam fuerunt, et tamen per gratiæ Dei auxilium atque per propriæ diligentiæ studium, ad tantam devenerunt perfectionem et gloriam. Cur ergo non solum difficilia, sed et impossibilia nobis videntur ea quæ gesserunt et passi sunt? Cur de auxilio Dei diffidimus, non advertentes exhortationem Pauli dicentis, Accedamus * cum fiducia ad thronum gratiæ ejus, et quod ait Psalmista, Prope est Dominus omnibus invocantibus eum, omnibus invocantibus eum in veritate?

* Adeamus *Hebr.* IV, 16. *Ps.* CXLIV, 18.

His tribus a sancto assignatis Bernardo,

addi potest et quartum, videlicet magnitudo felicitatis et gloriæ Sancti cujus peragimus festum, ut ex consideratione præmii tam immensi pro labore tam brevi ac modico, accendamur ad opera virtuosa viriliter prosequenda, tribulationes quoque vitæ præsentis libentius toleremus, pensantes illud Apostoli : Id quod in præsenti leve et modicum est tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis; itemque, Non sunt (inquit) condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam.

II *Cor.* IV, 17.

Rom. VIII, 18.

Sic ergo horum sublimium Apostolorum cum spirituali jucunditate celebremus solennia, et eorum beatitudini congratulemur ex corde; ea quoque vitemus quibus graviter offenduntur, choreas, spectacula, loquacitates, detractiones, gulam, incontinentiam, fraudes, mendacia, perjuria, imo et juramenta non necessaria, ac ceteras præceptorum transgressiones. Sed heu, heu! vitia ista in hoc solennissimo festo a multis præ solito fiunt, et spiritualis jucunditas in carnalem conversa est : sicut et supra in sermone de B. Joanne Baptista est tactum. Sed hi (precor) Deum discant habere præ oculis, æterna quoque supplicia Acherontis, et juxta præhabita documenta, se emendent in omnibus. Ad laudem Omnipotentis.

Cf. p. 198 B'.

AD RELIGIOSOS

SERMO QUARTUS

QUANTUM FERVOREM ET REVERENTIAM HABUERIT AD CHRISTUM PETRUS ; ET DE CAVENDA PRÆSUMPTIONE.

CONSTITUIT eum dominum domus suæ, et principem omnis possessionis suæ. Ps. CIV, 21.

Ecclesiastica dignitate atque ecclesiasticæ potestatis plenitudine, miraculorumque gloria, Dominus noster Jesus Christus sacratissimum Petrum præ cunctis Apostolis, imo præ Sanctis omnibus honoravit. Nec dubium quin contulit ei sapientiam et virtutes in tanta excellentia, quod per eas fuit ad tantæ præsidentiæ exsecutionem omnino idoneus.

« Constituit » ergo « eum dominum domus suæ », id est prælatum ac præsidem, judicem et rectorem totius militantis Ecclesiæ, quemadmodum super Marcum sanctus scribit Hieronymus : Cœnaculum grande stratum, est universalis seu tota Ecclesia. Dominus domus istius est Petrus apostolus. Constituit quoque eum « principem omnis possessionis suæ », hoc est hierarcham supremum universi populi christiani, de quo Pater loquitur Filio : Postula a me, et dabo tibi gentes hereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ. Hanc hereditatem et plebem Dominus et Salvator se ipso redemit et emit, quam post resurrectionem suam Petro commisit regendam : Pasce (inquiens) oves meas. Porro sacratissimus Petrus et quicumque ejus successor, vocatus est dominus domus Dei sive Ecclesiæ, prout principes et prælati dicuntur domini subditorum suorum dominatione ordinata, quæ ad bonum atque salutem subditorum refertur, quæ est dominatio prælaticæ administrationis seu dignitas præsidentialis, non autem dominatione fastus et inordi-

Marc. XIV, 15.

Ps. II, 8.

Joann. XXI, 17.

natæ superpositionis seu impiæ libertatis, qua quis propria libertate propriique intuitu commodi ac honoris aliis præst. Hinc in Regula sua sanctus scripsit Hieronymus : Non nobili Bartholomæo, sed vili piscatori B. Petro traditur principatus monarchiæ totius mundi. Unde Anselmus in exordio epistolæ de Incarnatione Verbi sic scribit Romano pontifici : Patri ac domino universæ Ecclesiæ in terra peregrinantis. Et per hanc distinctionem faciliter concordantur variæ auctoritates quæ sibi invicem contrariari videntur.

Præterea, quoniam beatissimus Petrus princeps fuit apostolici chori et totius præsul ac doctor Ecclesiæ, omnia verba ejus ac facta, nobis sunt præcipue ponderanda ac diligentissime consideranda. Nam et verba ejus incaute prolata, et facta ejus non recta, valent nobis permaxime ad cautelam, ad ædificationem, instructionem et admirationem. Nempe, quod Christo passionem suam prænuntianti dixit seorsum, Domine, propitius esto tibi, nam hoc non erit : pandit nobis magnitudinem sui fervoris ad Christum, quamvis tunc nondum satis spiritualis ac puri ; et item, quanta tunc fuit imperitia ejus atque simplicitas, quoniam necdum cognovit ex lege et Prophetis Christum esse passurum. Ex quibus nostra inflammatur ad Christum dilectio, et fides instruitur, eo quod sancti Apostoli et summus iste Apostolus usque post Christi passionem et resurrectionem tam imperiti, idiotæ ac simplicissimi erant. Quomodo ergo postea tantam repente sortiti sunt notitiam omnium Scripturarum, gratiamque linguarum, constantiam et fervorem, miraculorum quoque virtutes, ita ut facerent copiose quæ soli sunt possibilia Creatori omnipotenti ? Rursus, quod in Cœna Christo suos pedes lavare volenti locutus est, Non lavabis mihi pedes in æternum, ostendit quam summam et admirandam habuit reverentiam et humilitatem ad Salvatorem, ut et nos ita agamus. Nec solum ad Christum, sed ad ejus quoque vicarium spiritualem

Matth. xvi, 22.

Joann. xiii, 8.

patrem nostrum habere debemus humilitatem et reverentiam grandem, tanquam ad eum qui nobis Christi repræsentat personam.

Porro, quod Christo Apostolorum ruinam prædicenti, Petrus respondit tam fervide quam incaute, Et si omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor ; informat nos quam periculosum sit quemquam de viribus suis præsumere, aut aliis se præferre, inconsiderateve loqui. Idcirco vitemus hæc omnia, et propriam infirmitatem, defectuositatem, instabilitatem pensantes, solius Dei innitamur auxilio, in ejus bonitate speremus, ejus opem et gratiam in cunctis præsupponamus. Et quamvis in spe nostra esse debeat certitudo et firmitas ex parte objecti ipsius spei, hoc est ex consideratione pietatis ac gratiæ Dei, ex qua parte non erit defectus adeptionis rei quam speramus ; tamen ex parte propriæ fragilitatis et insufficientiæ, debet spei nostræ esse admixtus timor prudentialis, quia ex hac parte potest contingere nostræ salutis defectus. Propter quod præclarissimus Archiapostolus iste, in prima sua hortatur Canonica : Incolatus vestri tempore conversamini in timore. Paulus quoque : Cum metu, inquit, timore et tremore vestram salutem operamini. Unde quemadmodum grana inter duas conteruntur molas, superiorem et inferiorem, ita cogitationes cordis nostri inter spei confidentiam et timorem molendæ sunt, quatenus ex intuitu pietatis ac adsistentiæ Dei speremus de meliori, ex consideratione autem propriæ infirmitatis et defectuositatis vereamur quotidie de pejori, præsertim quum ignoremus an amore digni simus an odio, an præsciti vel prædestinati.

Matth. xxvi, 33.

I Petr. i, 17.

Philipp. ii, 12.

Eccle. ix, 1.

Amplius, quod Petrus Christo sibi contradicenti atque dicenti, Dico tibi, antequam gallus in hac nocte vocem bis dederit, ter me negabis, non acquievit nec credidit, sed respondit, Et si oportuerit me mori tecum, non te negabo ; ostendit quod ex inconsideratione, incautela et indiscretione nascatur immansio proprii

Matth. xxvi, 34.

Ibid. 35.

sensus, imo et indocilitas. Quod prorsus cavendum est religiosis potissime, qui superiorum suorum judicio magis quam proprio acquiescere obligantur, scientes quod quasi peccatum ariolationis sit reluctari, et quasi idololatriæ scelus acquiescere nolle ; quanquam S. Petrus verba illa ex pertinacia cordis non dixerit, sed ex nimietate quadam amoris et inconsideratione propriæ infirmitatis : ut si quis prælatum suum tam fervide diligat, ut asserat se malle occidi cum eo, quam separari ab ipso. Non igitur absolute quis dicat, affirmet, præsumat, se nunquam in illud vitium ruiturum. Nihilo minus humiliter dicere potest et debet, se in gratia Dei confidere quod Deo auxiliante non corruet.

I *Reg.* xv, 23.

Præterea, quod Petrus in Christi passione tam graviter cecidit fugiendo, negando, abjurando, perjurando, anathematizando ; docet nos quam ineffabiliter valde lamentanda ac misera sit humana natura auxilio gratiæ destituta, et sibi ipsi paulisper relicta. Quod etiam patuit in magno illo Elia, qui timore Jezabel fugit, et ivit quocumque spiritus * eum ferebat ; atque in Moyse præclecto, qui post tam miranda prodigia, tam copiosa miracula, post tanta omnipotentiæ Dei experimenta, incredulus fuit Deo ad aquas Contradictionis. David quoque sanctissimus, nonne post tanta vaticinia, oracula et miracula, post tot opera virtuosa, quum jam grandævæ esset ætatis, in adulterium homicidiumque delapsus est, nec post plurimos dies tam enormem suam advertit ruinam, quousque a Nathan propheta fuit admonitus ? Quis ergo jam potest præsumere sive inaniter gloriari, ac stulta securitate resolvi ? Ideo advertamus ac impleamus quod Vas ait electionis : Qui stat, videat ne cadat. — Rursus, in prætacta Petri ruina merito admiremur dispensationem judiciorum sapientiæ Dei et viscera misericordiæ ejus : cur scilicet tam præelectum ac summum Apostolum permisit tam subito graviterque prosterni, et quod tam graviter lapsum, tam repente misericordissime adspexit, compunxit, convertit, et ei majora quam ante contulit gratiarum charismata. Cur autem tam eum quam Paulum permisit tam graviter transgredi, scitis, videlicet ut in propria culpa discerent fragilitatem humanam et compassionem ad alios, misericordiamque eis desuper impertitam, proximis impertiri. Unde et nos quo gravius lapsi sumus, eo propriam defectuositatem et fragilitatem frequentius recolamus atque humilius fateamur, et aliis misericordiores ac indulgentiores esse curemus.

Matth. xxvi, 56, 69-74 ; *Marc.* xiv, 66-71.

III *Reg.* xix, 3.

* voluntas

Num. xx, 10-13.

II *Reg.* xi, 4, 15.

Ibid. xii, 1 et seq.

I *Cor.* x, 12.

At vero per hoc quod excellentissimus Petrus post Christi resurrectionem ter a Christo interrogatus, Simon, diligis me plus his ? tam caute humiliterque respondit, Domine, tu scis quia amo te ; docet nos ut post casum nostrum cautiores custoditioresque simus, præcaventes ne recidivemus, et in pristinum relabamur periculum.

Joann. xxi, 15-17.

Ibidem.

Postremo per hoc quod gloriosissimi patres, magistri ac principes nostri Petrus et Paulus post lapsus suos tam compunctissimi, humillimi, ferventissimi, fructuosissimi fuerunt, non solum ad tempus breve, sed usque ad terminum vitæ suæ, informant nos, ut quanto per omissionem et commissionem gravius sæpiusque peccavimus, eo toto tempore vitæ nostræ humiliores, compunctiores, ferventiores ac fructuosiores permaneamus, quatenus ubi abundavit iniquitas, superabundet et gratia, et contritio nostra nostris peccatis sit adæquata, et per quæ peccavimus, per hæc sponte puniamus nos ipsos.

Rom. v, 20.

Sap. xi, 17.

Infinitam itaque Omnipotentis misericordiam in gloriosissimis istis Apostolis consideremus, miremur, laudemus ac veneremur, atque eorum intuitu confidamus in omni pietate Altissimi, nec de spirituali desperemus profectu : imo sanctissimorum horum intercessione ac meritis Apostolorum conemur impetrare a Domino omnem gratiam ad implenda ea quæ dicta sunt opportune. Ad laudem et gloriam Dei.

SERMO QUINTUS

QUOD PETRUS PASTOR RECTORQUE SUMMUS FUERIT ECCLESIÆ, ET QUOD OCTO GRADIBUS DOCUERIT ASCENDERE IN CŒLUM.

TU es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Matth. XVI, 18.

Christus fons sapientiæ, cujus est omnia pulchriformiter ordinare, ordinate distinguere, distincte locare, attingens a fine *Sap.* VIII, 1. in finem fortiter, atque disponens cuncta suaviter, Sponsam suam, Ecclesiam, nolens in terra relinquere inordinatam, imo volens eam optime esse dispositam, antequam in cœlum conscendit, loco sui ipsius præfecit ac reliquit ei unum in summum pastorem, in unicum caput ac præsulem, tribuens ei plenariam potestatem et jurisdictionem super gregem dominicum mundumque universum. Hic unus est beatissimus Petrus, cui tam specialiter locutus *Joann.* XXI, est Dominus : Pasce oves meas. Ecce quam 17. admiranda est dignitas Petri, quam sublimis est excellentia ejus et cujuslibet sui legitimi successoris Romani Pontificis. Tanta certissime, ut Paulus apostolus, Vas æternæ electionis, in sua fateatur epistola : *Galat.* I, 18. Deinde post annos tres ascendi Jerosolymam videre Petrum, et mansi apud eum diebus quindecim. Qualis et quantus est iste, propter quem videndum divinus ille apostolus Paulus tam longum et laboriosum arripuit iter, quum undique esset tam multipliciter occupatus? Unde et tempore passionis amborum, volante Simone mago in aere, diabolo eum ferente, Paulus clamavit : Quid moraris, o Petre? Tuum est imperare, meum orare. Cognoverunt ergo gloriosi et benedicti Apostoli prædignissimum Petrum esse eorum principem et prælatum.

Hinc S. Cyrillus Alexandrinus patriarcha, in libro Thesaurorum disseruit : Ipsi beati A Apostoli in Evangelio atque Epistolis affirmaverunt, in omni doctrina Petrum esse loco Christi in ejus Ecclesia, Petro locum præstantes in omni concilio et synagoga, in omni electione et confirmatione *. Idcirco et * *alias* affirmatione membra maneamus in capite nostro apostolico, Romanorum Pontificum throno, a quo nostrum est quærere quid credere et quid debeamus tenere, ipsum venerantes et ipsum rogantes pro omnibus, quia ipsius solius est reprehendere, corrigere, statuere, disponere, solvere et ligare loco B illius qui ipsum ædificavit, et nulli alii quod suum est plenum, sed ipsi soli donavit cui omnes jure divino caput inclinant, et primates mundi tanquam ipsi Domino Jesu Christo obediunt. Hinc quoque in sermone de Apostolis sanctus asserit Augustinus : Quis piscatorem crederet Apostolorum fieri principem, regibusque obsistere, reges sanctificare, et regnis omnibus imperare, mundum legibus refrenare, dæmones pedibus conculcare? Magna potestas est ejus, quia totius orbis obtinet C principatum. Hinc ait Chrysostomus : Christus Petrum orbis terrarum inthronizavit magistrum. Theophilus quoque in persona Christi ad Petrum : Te, inquit, nunc dirigo ad orbis pontificatum. Beda etiam super illud Joannis, Intuitus eum (videlicet Petrum) Jesus, testatur : Intuitus est eum *Joann.* I, 42. non exterioribus oculis solum, sed et æterno divinitatis adspectu vidit cordis ejus simplicitatem et animi sublimitatem, cujus merito toti esset præferendus Ecclesiæ. Et iterum Beda nominat Petrum totius D Ecclesiæ præsulem. Verumtamen omnis excellentia ista ad dona gratiæ gratis datæ pertinens, non suffecit Petro sanctissimo

ad salutem, nisi et dona gratiæ gratum facientis accepisset a Deo.

Præterea contemplemur, quam superglo-
riosa sit omnipotentia sapientissimi Crea-
toris, quam pulchre ac mirabiliter cuncta
disponat, et quanta sit virtus gratiæ ejus.
Nempe, quam sancte dedit Joanni vivere
in deserto, tam sancte dedit et Petro vi-
vere in sæculo in medio hominum, in
turbis Judæorum atque gentilium, a qui-
bus perverti non potuit, sed eos copiose
convertit, et inter tot occupationes exter-
nas, in summa compunctione, devotione
ac fervore permansit : tam incessanter ac
valide sol sapientiæ, fons caritatis, Deus
altissimus coruscavit, inflammavit, influ-
xit, operabatur in Petro, tantaque fuit vir-
tutum ejus perfectio. Tanti igitur patris,
magistri ac principis nostri intueamur
doctrinam, sectemur exempla, invocemus
subsidia. Quemadmodum enim de civitate
Ezech. XL, 31, 34, 37, 49. Ezechieli in visione ostensa asseritur, quod
per octo gradus ascendebatur ad eam, ita
beatissimus Petrus in secunda Canonica
sua docet nos per octo virtutum gradus
ad Jerusalem cœlestem ascendere, dicens :
II *Petr.* I, 5-8. Vos autem curam omnem subinferentes,
ministrate in fide vestra virtutem, in vir-
tute autem scientiam, in scientia autem
abstinentiam, in abstinentia autem patien-
tiam, in patientia autem pietatem, in pie-
tate autem amorem fraternitatis, in amore
autem fraternitatis caritatem. Hæc enim si
vobiscum adsint et superent, non vacuos
nec sine fructu vos constituent in Domini
nostri Jesu Christi cognitione. Porro, quam
Ibid. 9. necesse sit ista habere, subjungit : Cui
enim non præsto sunt hæc, cæcus est, et
manu tentans, oblivionem accipiens pur-
gationis veterum suorum delictorum. De-
bemus ergo bona ista peragere, et virtutes
has possidere.

Et primo oportet habere fidem, quæ est
oculus mentis et summæ radius veritatis,
rationem inclinans ad consentiendum cre-
dendis auctoritate veritatis divinæ, finem-
que ultimum, quem semper intendere et
ad quem jugiter tendere debemus, nobis

A demonstrans. Hinc justus ex fide vivere *Habac.* II, 4; *Hebr.* X. 38. perhibetur. Verum, quoniam fides sine *Jacob.* II, 20, operibus mortua fertur, et quia pro fidei 26. defensione oportet nos ad mortem esse paratos, debemus in fide ministrare (hoc est exercere seu exsequi) virtutem, id est opera virtuosa, quibus fides viva, formata et pulchra reddatur; item virtutem, id est fortitudinem, quæ est virtus cardinalis faciens opera ardua viriliter aggredi, nec propter pericula mortis ea relinquere, ut impleatur quod ait Salvator : Nolite timere *Matth.* X, B eos qui corpus occidunt. Sed quia in exse- 28. cutione operum bonorum ac fortium, necessaria valde est discretio modum in omni bono præfigens, opportunumque locum et tempus observans, ut ordinate omnia I *Cor.* XIV, fiant sitque rationabile obsequium no- 40. *Rom.* XII, 1. strum ; propterea in virtute ministrare debemus scientiam. Verumtamen ne discretio ista sub specie boni in remissionem, dissolutionem et carnalitatem vertatur, et ne quis ex sua extollatur scientia, et aliis lautius vivere quærat, sicut (proh dolor !) C multi nunc faciunt, debemus in scientia ministrare abstinentiam. Verum ne quis ex abstinentiæ labore et corporali afflictione ad tristitiam seu impatientiam provocetur, debemus in abstinentia ministrare patientiam, ut impleamus quod præcipit Christus : Quum jejunatis, nolite fieri *Matth.* VI, sicut hypocritæ tristes. Et quia interdum 16. abstinentiam patienter exercentes, aliis quoque sunt rigorosi, ne id immoderate agamus, debemus in patientia ministrare pietatem ad alios. Et ne pietas ista ex sola D veniat naturali affectione, debemus in pietate exercere amorem fraternitatis, id est fraternam dilectionem habere, atque ex ea pietatis opera adimplere. Sed quoniam amor proximi descendere debet ex amore Dei, ut proximos diligamus quoniam ad Dei imaginem sunt creati, Christi sanguine liberati, et propter æternam beatitudinem facti, et quoniam Deus præcepit proximos *Ibid.* XXII, diligi ; hinc in amore fraternitatis carita- 39. tem ministrare debemus : sicque per gradus hos ad æternitatis ascendere templum,

quemadmodum sacratissimi apostoli Petrus et Paulus præexcellenter fecerunt. Nam et Petrus abstinentissimus fuit, pane solo cum olivis contentus, et raro utens oleribus, ut in Itinerario fertur S. Clementis. Erat quoque immensam habens dilectionem ad homines universos, pro eorum conversione et salute summe sollicitus ac laborans, et suos sanctos discipulos ad aliorum conversionem undique mittens, atque divino amore totus succensus. Insuper profundissima Petri humilitas in hoc patuit evidenter, quod instar Christi magistri ac domini sui noluit verso sursum capite crucifigi, sed pedibus suis sursum sitis ; et suspensus sic, devotissime dixit : Te, Domine Jesu, imitari desideravi, sed erectus crucifigi non usurpavi. Tu semper erectus, excelsus et altus, ego autem peccando sum incurvatus. Tu, Domine, mihi es omnia, totum quod es, mihi est totum, et nihil aliud mihi nisi tu solus. Gratias ago tibi spiritu toto quo vivo, quo te intelligo, quo interpello. O quam admiranda fuit ista humilitas, quam summa devotio, quam ferventissimus amor ! Vere quo major fuit beatissimus Petrus, eo amplius se humiliavit in omnibus, non suam, sed Christi gloriam quærens. Ecce quomodo simul stant summa humilitas et summa magnanimitas : quia ambæ istæ virtutes excellentissime erant in Petro, qui et columbina simplicitate ac sapientiali sincerita fuit totus miro modo repletus, patientissimus etiam in adversis, et quum stetit ante præfectum judicandus, non expavit, nec pallore vultus ejus perfusus est, imo instar solis resplenduit.

Tam præstantissimi ergo Apostoli sanctam simplicitatem, nobilissimam magnanimitatem, virtuosissimam sinceritatem, constantissimam patientiam ac victoriosam fortitudinem fideliter imitemur, ut longe in æternum a nobis sint omnis duplicitas, detestanda hypocrisis, omnis fraus et vulpina calliditas, omnis adulatio atque deceptio ; et quidquid veritati vitæ, veritati doctrinæ, veritati justitiæ contrariatur, cordialiter fugiamus. Postremo cum gloriosissimis istis Apostolis simus ad omnem tribulationem et ad moriendum pro Christo parati, et tales nos esse monstremus, æquanimiter sustinendo persecutiones et adversitates morte minores, in quibus grates referamus Domino Deo nostro, in præsenti vita nos paternaliter castiganti. Siquidem summo protestante Apostolo, si quid patimur propter justitiam, beati. Hoc solum maxime vereamur, et indefesse præcaveamus, ne Creatorem nostrum in aliquo offendamus, nec ejus inhonoremus præsentiam. Propter quod intus et extra, in omni sensu, verbo et facto, intellectu et voluntate, simus incessabiliter custoditi ac præmuniti, virtutibusque armati. Ad laudem et gloriam Domini Dei nostri.

I *Petr.* III, 14.

SERMO SEXTUS

QUOD PAULUS FIDEM, SPEM ET CARITATEM CETERASQUE VIRTUTES DOCUERIT, ET EXEMPLO MONSTRARIT.

Job VII, 1.

BONUM certamen certavi. II Tim. IV, 7. Quemadmodum ait Scriptura, militia est vita hominis super terram. Alia autem littera habet, Tentatio est vita hominis super terram : et redit in idem, quoniam homines in hac vita continue impugnantur ab hostibus suæ salutis, dæmonibus, mundo et carne, ab improba voluntate et acie vitiorum : quibus indesinenter reluctari oportet atque fideliter

prævalere, ut sit homo miles Dei, alioqui erit servus diaboli. Propter quod Paulus
II *Tim.* II,5. fatetur : Non coronatur nisi qui legitime certaverit. Denique ipse Paulus, egregium vas divinæ electionis, gentium doctor, verbo et opere, sermonibus et exemplis in omni virtute nos specialissime et vere plenissime instruit. Quis sic laboravit, ita cucurrit, tantum fructificavit ut ipse, qui ab Jerusalem usque Illyricum, deinde per diversas regiones, provincias, territoria, replevit innumerabiles homines Evangelio Christi, die ac nocte non cessans, et instar ignitissimi ferri calidissimique carbonis, divini honoris zelo ac fraternæ salutis desiderio ardens, et pro causis tam piis omni modo sibi possibili elaborans ? Insuper, quis pro his causis tanta sustinuit sicut ipse ? Ipsemet ad Corinthios suas tribulationes ac persecutiones enumerat :
II *Cor.* XI, 25, 24, 23, etc. Ter (inquiens) virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci ; a Judæis quinquies quadragenas una minus accepi, in carceribus sæpe fui ; et cetera quæ nostis.

Amplius, quis post Evangelistas ita instruxit omnem populum christianum ut ipse, cujus epistolæ sunt omnium Ecclesiarum divitiæ ? Ipse in omni virtute nos instruit, ad omnem profectum hortatur, ad perfectionem nos animat ; in fide christiana nos firmissime roborat suæ conversionis historia, suis miraculis, variis argumentis, allegationibus Scripturarum, descriptionibus supernaturalium effectuum Spiritus Sancti qui experimentaliter patuerunt, præsertim in primitiva Ecclesia.

Præterea, quanta sit fidei virtus, quam mirabilia operetur, quam necessaria sit
Hebr. XI. ad salutem, docet hinc inde, potissime in epistola ad Hebræos. Similiter roborat nos in spe ; et ut desiderio ac spe æternæ felicitatis viriliter ac ferventer agamus, copi-
Ibid. X, 35. ose nos exhortatur : Nolite (inquiens) amittere confidentiam vestram, quæ magnam
Ibid. IV,16. habet remunerationem ; et denuo, Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ ejus, ut misericordiam consequamur ; itemque,

A Spes non confundit ; et, Gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei ; et, Spe salvi facti sumus. Et iterum ait : Deus dedit spem bonam et consolationem æternam in cordibus nostris. Docet quoque quemadmodum spes sit præcipuum laborandi incitamentum, quia qui arat, qui triturat, aut similia agit, in spe fructus percipiendi laborat. Docet etiam quam certa sit spes futurorum bonorum, ex perceptione præsentium munerum, ex abundantia gratiarum Spiritus Sancti per Ecclesiam lon-
B ge ac late diffusa : ita quod pignus futuræ felicitatis et arrham cœlestis hereditatis accepimus. Exuberantia namque supernaturalium munerum Spiritus Sancti (tam in donis gratiæ gratis datæ quam gratiæ gratificantis) quam in se ipsis ubertim experiuntur virtuosi Christifideles, miro modo certificat eos in fide et spe. Amplius, sicut ipse caritate erat plenissimus, ita ad caritatem ferventissime nos hortatur, caritatisque excellentiam et ejus præ omni virtute ac dono necessitatem,
C subtilius luculentiusque describit, præsertim ad Corinthios : Si linguis (inquit) angelorum loquar et hominum, caritatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans. Caritas patiens est, benigna est ; caritas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non irritatur, non quærit quæ sua sunt.

Hæ sunt tres virtutes summæ et theologicæ seu divinæ, quarum immediatum objectum est Deus, per quas anima Deo desponsatur, unitur, assimilatur : quia
D quod Deus cognoscit per essentiam, et cives cœlestes per speciem, hoc et nos per fidem cognoscimus, quantum ad ea quorum notitia naturalem rationem transcendit. Sicque cognitio fidei est beatificæ visionis inchoatio et participatio quædam : in qua cognitione proficimus, in dono sapientiæ incrementum sumendo, per quod desuper gratiose ac limpide illustramur, ita ut ea quæ fidei sunt, anagogice contemplemur. Et quoniam summa summeque necessaria virtus est caritas, sine qua

Rom. V, 5. *Ibid.* 2. *Ibid.* VIII,24. II *Thess.* II, 16. I *Cor.* IX,10. *Ephes.* I,14. I *Cor.* XIII, 1, 4, 5.

quidquid aliud habuerimus, nihil spiritualiter erimus, sine qua pro fide comburi atque miracula operari nil prodest ; idcirco in omnibus et præ omnibus caritatem cum suis proprietatibus habere ac possidere curemus, ita quod patientes, benigni, mites, humiles, tractabiles, communicativi, benevoli exsistendo ostendamus nos caritatem habere : sicque aliorum scandala, offensas et casus, tanquam propria mala vitemus. Hinc enim monet nos ferventissimus et illuminatissimus Pau-
Ephes. v, 1, 2. lus : Estote imitatores Dei sicut filii carissimi, et ambulate in dilectione sicut et Christus dilexit nos.

In omnibus his præbuit se ipsum Paulus apostolus in exemplum, qui tam infatigabiliter laborando, discurrendo, prædicando, patiendo, demonstravit se fidem veram et spem certam habere ; qui et tam ferventissimus fuit in caritate fraterna, ut
Rom. ix, 3. diceret, Optabam anathema esse a Christo pro fratribus meis Judæis : quum tamen ab illis atrociores sustineret persecutiones. Imo quo gravius a perfidis, ingratis et excæcatis hominibus affligebatur, eo amplius illorum errori, excæcationi, insaniæ, periclitationi condoluit, nec suam curavit injuriam, sed illorum deflevit perversitatem. In quibus omnibus eum efficaciter sequi non differamus, et invicem in omni caritate, patientia, pietate, mansuetudine nos portemus, ut conversatio nostra sit mutuo exemplaris, atque pacifica, quieta, dulcis, fervida et honesta, sicut nos sanctus iste Apostolus admonet :
Ephes. iv, 32, 31, 29. Estote (inquiens) invicem benigni, misericordes, donantes invicem sicut et Deus in Christo donavit vobis. Omnis amaritudo, ira, indignatio et clamor tollatur a vobis cum omni malitia ; omnis sermo malus ex ore vestro non procedat. Ecce quomodo in omni virtute morali nos instruit. De virtutibus demum intellectualibus ad-
Coloss. i, 9, 10. monet nos, dicendo : Impleamini agnitione voluntatis Dei, in omni sapientia et intellectu spirituali, ut ambuletis digne Deo, per omnia crescentes in scientia Dei.

Præterea felicissimus Paulus apostolus bonum certamen certavit, id est, virtuosorum certaminum multitudinem viriliter expedivit, et victoriose devicit. Et quidem ante suam conversionem certavit malum certamen, prælians contra Christum, persequens Christianos. Propter quod dictum est ei a Christo : Quid me persequeris ? Durum est tibi contra stimulum calcitrare. Quis enim restitit Deo, et habuit pectoris pacem ? Et quis est iste pastor qui resistat vultui Dei ? Porro, post suam conversionem certavit certamina optima, tanquam fidelissimus Christi miles, contra ejus adversarios infatigabiliter dimicans, regnum Salvatoris, id est militantem Ecclesiam, ab hostibus suis defendens, pro communi servorum Christi salute congrediens, omniumque Ecclesiarum sollicitudinem gerens continuam. Certavit itaque Paulus primo contra Judæos incredulos, quos in Damasco et in Jerusalem ac undique confutavit ; deinde contra gentiles, contra principes et tyrannos, contra magos ac philosophos, et contra diversos hæreticos ; sed et contra invisibiles hostes tam acerrime concertavit, ut diceret : Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus spirituales nequitias ; et rursus, Impedivit nos Satanas. Certavit et contra proprium corpus, quod nuditate, fame, siti, laboribus manualibus, vigiliis supra modum, itinerationibus, aliisque diversis afflictionibus castigavit, atque in animæ servitutem redegit.

II Tim. iv, 7. *Act.* ix, 4, 5. *Job* ix, 4. *Jer.* xlix, 19. *II Cor.* xi, 28. *Ephes.* vi, 12. *I Thess.* ii, 18. *II Cor.* xi, 27, 26. *I Cor.* ix, 27.

Postremo et nos pusilli, exemplis ac documentis tanti Apostoli excitati, animati, accensi, studeamus certare legitime : in primis contra proprias passiones, tentationes, negligentias, loquacitates, pigritias, culpas et consuetudines pravas, ut vincamus, abnegemus et vitaliter mortificemus nos ipsos, sacram nobis violentiam inferentes, quoniam regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud. Unusquisque quoque adversus ea vitia singulare ac indefessum assumat certamen, ad quæ proniorem se experitur. Deinde con-
Matth. xi, 12.

tra mundi vanitates, contra diabolicas tentationes, contra hominum improbitates pugnemus, ut nec prosperis nec adversis, nec blandimentis nec comminationibus ad peccandum trahamur, neque sub specie boni a diabolo superemur, nec hominum importunitate, imperfectione seu exercitatione vincamur, ad indignationem, aspernationem, iram, impatientiam, querimoniam seu temeraria judicia delabendo; sed in omnibus perseveret cor nostrum constans in Domino. Atque in omnibus A præliis istis Dominum instanter ac devotissime invocemus, in sola pietate ipsius cum omni humilitate semper speremus ; passionem recolamus dominicam, et nostra assidue præmeditemur novissima, tantoque fortius insistamus actibus sanctis, quanto acrius impugnamur : imo et ante certamen præparemus cor nostrum ad prælium. In die quoque bonorum memores simus malorum, et econverso, quatenus regia via semper tendamus ad Dominum, cui honor et gloria in æternum. *Eccli.* XI, 27.

IN SOLENNITATE
VISITATIONIS B. V. MARIÆ

Enarrationem lectionis loco epistolæ, Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris, etc., *cum suo sermone, require supra in solennitate Conceptionis gloriosissimæ semper virginis Mariæ.*

ENARRATIO IN EVANGELIUM

EXSURGENS MARIA, ABIIT IN MONTANA, ETC. Luc. I, 39-47.

IN evangelio isto sanctus evangelista Lucas sententiosissime scribit, qualiter Virgo dignissima, Unigenito Dei concepto, profecta sit ad visitandum cognatam suam sanctam Elisabeth, quam noverat concepisse Christi præcursorem. Itaque Lucas ait :

Exsurgens Maria a loco in quo Gabriel archangelus ei annuntiaverat Christi conceptionem. Quum enim Maria dixisset ad
Luc. I, 38. angelum, Ecce ancilla Domini, etc., angelus statim discessit ab ea, et tunc ipsa exsurgens a loco illo, et a suæ orationis ac contemplationis quiete, *abiit in montana,* id est per loca montuosa et aspera (per quæ difficilis est processus in ascendendo) quibus Judæa est plena, *cum festinatione.* Ex quo constat, quod ex conceptu recenti non fuit gravata neque afflicta, ut aliarum moris est feminarum, sed potius alleviata, agilior atque jucundior facta. Nec mirum, quia portantem se portavit, videlicet Christum, qui teste Apostolo ad
Hebr. I, 3. Hebræos, est splendor gloriæ, portans omnia verbo virtutis suæ. Perrexit ergo « cum festinatione », quia secundum Ambrosium, non libenter fuit diu in publico, et frequenter videri a multis, displicuit ei. Et quia jam plena fuit gaudio spirituali ac sanctæ devotionis fervore atque dilectionis ardore, celeriter movebatur ; itemque ex dilectione præcipua sanctæ cognatæ, cui optavit congaudere et obsequi, et tam eam quam fetum ipsius desideravit ex Christi Filii sui præsentia amplioribus gratiæ donis perfundi, sicut et factum est. *In civitatem Juda,* id est urbem pertinentem ad regnum ac tribum Juda. Et per civitatem hanc, quidam intelligunt urbem Jerusalem, quæ fuit metropolis in Judæa : per quam urbem dicunt sanctam transisse Mariam versus urbem in qua habitavit Elisabeth, quam dicunt fere per quatuor aut quinque milliaria fuisse ultra Jerusalem, veniendo a Nazareth, a qua venit virgo Maria. Verumtamen per civitatem Juda, potest intelligi civitas in qua demorabantur parentes S. Joannis. *Et intravit in domum Zachariæ, et salutavit Elisabeth :* juxta illud Ecclesiastici, Amicum salutare *Eccli.* XXII, non confundaris. Atque (ut ait Ambrosius) [31]. prior salutavit cognatam. Fuit namque humillima : quoniam decet ut omnis virgo sit tanto humilior, quanto est castior, ne forte

per suæ elationis demeritum mereatur tentari, et a Deo relinqui ac cadere.

Et factum est, ut audivit salutationem Mariæ Elisabeth, exsultavit infans, puta Joannes, *in utero ejus.* De qua exsultatione dicta sunt multa paulo ante, in sermonibus de beatissimo Joanne Baptista. Est quippe tenendum, quod miraculose cognovit Filii Dei incarnationem atque præsentiam, et ex tanti apprehensione boni gavisus est vere et vehementer, imo tam fortiter, quod gaudium mentis redundavit in corpus, motuque corporis ostendit suam lætitiam ac honoravit Christi præsentiam. Hinc dicit Ambrosius, quod sicut Elisabeth sensit adventum Mariæ, sic Joannes Christi.

Cf. p. 198 C et s.

Et repleta est Spiritu Sancto Elisabeth, id est majori gratia gaudioque dotata, quum ad eam venisset Genitrix Christi portans in utero Salvatorem, quam fuerat ante, præsertim quia infantulum suum in utero suo senserat exsultasse ex Virginis sanctæ et Christi præsentia. Nihilo minus ante hanc horam fuit sancta Elisabeth plena Spiritu Sancto, secundum aliquem gradum plenitudinis hujus. Imo perfecta et sancta mulier fuit ante hanc horam, quum Lucas dicat, quod ambo, videlicet Zacharias et ipsa, erant justi ante Deum, incedentes in omnibus justificationibus ejus, id est observantiis mandatorum, sine querela. Sed consuetudo Scripturæ est, ut dicat hominem Spiritu Sancto repleri, dum gratia notabiliter exuberantiori repletur. Unde in Actibus etiam asseritur : Quum orassent, motus est locus in quo erant, et repleti sunt omnes Spiritu Sancto : quod de primis illis fidelibus qui in die Pentecostes repleti fuerunt Spiritu Sancto, est dictum.

Luc. I, 6.

Act. IV, 31.

Itaque, sancta Elisabeth tam miraculosam proprii fetus exsultationem, Christi quoque et ejus Matris sanctissimæ præsentiam venerandam advertens, totis in Deo gloriabatur præcordiis, et magis quam ante repleta est Spiritu Sancto, spiritumque prophetiæ accepit. *Et exclamavit voce magna,* id est devota et affectuosa : imo ex plenitudine devotionis et gaudii interioris prorupit in vocem ingentem, quia ut ait Salvator, Ex abundantia cordis os loquitur. *Et dixit : Benedicta tu inter mulieres,* id est præ cunctis feminis a Deo plus benedicta, quia majoribus gratiæ donis impleta, virgo et mater, imo et mater Filii Dei effecta, mater proprii Creatoris : sicque Deo Patri es comparentalis, unum et eumdem cum illo filium habens. *Et benedictus fructus ventris tui,* videlicet Christus quem concepisti, qui, in quantum Deus, est essentialiter benedictus, id est sanctus, omni benedictione et laude dignissimus, totiusque gratiæ ac benedictionis collator. Porro Christus secundum suam humanitatem est benedictus, id est omni dono gratiæ ac gloriæ summe repletus, in tantum quod tota capacitas mentis creatæ in eo repleta est gratia. De hoc fructu in Isaia habetur : In die illa erit germen Domini, id est Filius Dei, in magnificentia et gloria, et fructus terræ sublimis; atque in Psalmo : Benedictus qui venit in nomine Domini.

Matth. XII, 34.

Is. IV, 2.

Ps. CXVII, 26.

Et unde hoc mihi, id est, ex quibus meritis meis istud mihi contingit, *ut veniat Mater Domini mei,* videlicet Jesu Christi, qui verus est Deus, *ad me?* quasi dicat, Indigna sum tanta dignatione ac visitatione dominæ meæ, Matris Domini mei. Quod et secundum aliquas considerationes sic fuit, præsertim considerando Mariam quantum ad excellentiam dignitatis ac gratiæ sibi collatæ, et ipsam Elisabeth quoad id quod fuit per naturam, vel in quantum fuit minus sancta quam Virgo beata, et inferior ea. *Ecce enim,* o Maria, *ut facta est vox salutationis tuæ in auribus meis,* id est, statim quum salutationem tuam audissem, *exsultavit in gaudio,* id est, exuberanter gavisus est, *infans in utero meo.* Salutatione etenim Mariæ a matre Joannis audita, illuminata est miraculose ratio S. Joannis actuali cognitione incarnationis atque præsentiæ Christi. Unde secundum Ambrosium, exsultavit ratione

mysterii, haud dubium quin incarnationis Filii Dei. Circa hæc dicit vir doctissimus Nicolaus de Gorra : Ecce quantæ virtutis est beatæ salutatio Virginis, quæ contulit gaudium, contulit et Spiritum Sanctum, revelationem quoque divinorum secretorum prophetiæque actum. Quod intelligendum reor de collatione per modum causæ meritoriæ, quia Maria sua tam humili visitatione, tam affectuosa salutatione, promeruit sanctæ Elisabeth bona illa præfata.

Insuper, sicut et Beda fatetur, Elisabeth non nisi revelante Spiritu Sancto cognovit Mariam virginem Dei Filium concepisse angelo nuntiante, ac angelo credidisse, suum quoque infantem in utero ob Christi præsentiam exsultasse. Hinc super Ezechielem ait Gregorius : Simul de præterito, præsenti et futuro per prophetiæ spiritum tacta est sancta Elisabeth, quæ B. Mariam promissionibus angeli credidisse cognovit, et Matrem Domini nominans, quod Redemptorem portaret in utero, intellexit ; et quum omnia ei dicta, perficienda prædixit, quid etiam in futuro sequeretur, expressit.

Hinc subditur : *Et beata quæ credidisti,* id est, credendo tam ineffabile et incomprehensibile mysterium, scilicet Dei Filium Deum verum ex te incarnandum, æternam beatitudinem promeruisti, et jam in spe et inchoatione beata es beatitudine viæ, quæ tam altam contemplationem profundamque fidem habes de Deo et Christi mysteriis. Hinc asserit Augustinus, quod virgo Maria fuit felicior Christum per fidem spiritualiter concipiendo, puta credendo, quam eum corporaliter ventre con-

A cipiendo. *Quoniam perficientur ea quæ dicta sunt tibi a Domino.*

Et ait Maria : Magnificat anima mea Dominum. Tanquam dicat : Tu, o Elisabeth, me valde magnificas, sed anima mea magnificat, id est, magnum, gloriosum, omnipotentem, piissimum esse fatetur Dominum, a quo quidquid boni in me est, mihi esse pie donatum profiteor : ideo ei regratior, et mente, ore ac opere ejus magnitudinem, id est infinitam dignitatem perfectionemque, veneror. Nec ait, Magni-
B fico, sed, Magnificat anima mea Dominum, ad insinuandum quod ex præcordiali id agat affectu, sicut et Ecclesiasticus vir ait: Laudabit usque ad mortem anima mea *Eccli.* LI, 8. Dominum. Et in Psalmo : Benedic, anima *Ps.* CII, 1, 2. mea, Domino. *Et exsultavit spiritus meus,* id est mens mea seu animus, vel anima mea secundum quod rationalis, *in Deo salutari meo,* id est objecto et causa meæ salutis. Porro anima et spiritus realiter idem sunt, sed ratione sunt differentes : quoniam anima dicitur in quantum corpus
C animat, informat, vivificat ; spiritus vero vocatur ob suæ subtilitatem naturæ, et quoniam contemplatur cœlestia. Postremo, gaudium spirituale, de quo nunc loquitur S. Maria, ex cognitione et dilectione veri ac boni procedit, videlicet Dei et beneficiorum ac promissorum ipsius. Quanto itaque gloriosissima Virgo in contemplatione Dei erat sublimior, et in ejus amore ferventior, quanto etiam præclariora sibi a Domino beneficia esse collata cognovit, atque majorem esse beatitudinem præpa-
D ratam, eo vehementius gloriabatur in Deo tanquam in causa, objecto et fine.

SERMO PRIMUS

QUANTUS SIT HONOR EXHIBENDUS DEI MATRI, CUM IMITATIONE VIRTUTUM EJUS.

BENEDICTA *tu inter mulieres.* Luc. I, 42.

Quemadmodum Virgo gloriosa ceteris feminis sanctis et benedictis est sanctior, et omni gratia plenior, ita justum et condecens est ut de ea solennior atque frequentior agatur in Ecclesia Dei festivitas. Hinc Romanus pontifex Urbanus VI, undecimo sui pontificatus anno, instituit ut de visitatione Virginis sacræ, qua suam visitavit cognatam Elisabeth, solennitas in Ecclesia observetur, et inde per octavas habeatur memoria, in profesto quoque a fidelibus jejunetur. Et ut fideles festum hoc promptiori ac ferventiori celebrent corde, contulit easdem indulgentias observantibus solennitatem, præsertim vere pœnitentibus et confessis, tam in ejus profesto quam in festo et per octavas ipsius, quas Papa Urbanus IV contulit observantibus solennitatem de institutione sacramenti Eucharistiæ, utpote : centum dies indulgentiarum exsistentibus in Vesperis primis, et totidem exsistentibus in Matutinis festi ipsius, sed et totidem exsistentibus in officio Missæ, ac totidem exsistentibus secundis in Vesperis. Exsistentibus vero in Prima, Tertia, Sexta, Nona, Completorio, pro qualibet Horarum illarum dies contulit quadraginta. Exsistentibus autem in officio Matutinarum, Missæ, Vesperarum et aliarum præfatarum Horarum per octavas, pro qualibet die præstitit indulgentias centum dierum. Quumque præfatus Urbanus VI, ante executionem institutionis prædictæ festi præsentis, viam fuisset universæ carnis ingressus, successor ipsius Bonifacius Papa institutionem illam exsecutioni mandavit. Tantam ergo solennitatem devotissime celebremus, quatenus et nos a benignissima Virgine, Christi Genitrice, visitari spiritualiter mereamur, atque in hora mortis ab ea defendi ac suscipi.

Denique in libro Esther legitur, quod Assuerus rex, cognito quod Mardochæus Judæus fecisset sibi quamdam fidelitatem præcipuam, volens ob hoc Mardochæum illum magnifice honorare, dixit ad Aman, quem cunctis imperii sui præfecit principibus : Quid debet fieri viro quem rex honorare desiderat? Respondit : Homo quem rex vult honorare, debet indui vestibus regiis, et imponi super equum qui de sella regis est, et accipere regium diadema super caput suum, et primus de principibus regis teneat equum ejus, et per plateas civitatis incedens, clamet et dicat : Sic honorabitur quemcumque rex voluerit honorare. Si ergo tantum promeruit Mardochæus honorem pro fidelitate quam regi exhibuit Assuero, quis queat concipere, aut quis valebit exprimere, quantis sit digna venerationibus sacratissima virgo Maria, quam omnium Rex sæculorum immortalis, invisibilis, Deus Dei unigenitus Filius, sibi elegit atque assumpsit in matrem, quæ et sibi ab exordio nativitatis suæ ex ea, usque ad passionem et mortem suam in cruce, cum inæstimabili caritate et summa fidelitate jugiter adstitit? Ipsa itaque digna fuit indui vestibus regiis, id est excellentissimis gratiæ ac virtutum ornatibus, sicut in Psalmo de ea dicitur Deo : Adstitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate. Digna etiam fuit accipere regium diadema in capite suo, quemadmodum in Apocalypsi refertur : Signum magnum apparuit in cœlo, mulier amicta sole, et luna sub pe-

Esther VI, 2 et seq.

Ibid. 7-9.

I *Tim.* I, 17.

Ps. XLIV, 10.

Apoc. XII, 1.

dibus ejus, et in capite ejus corona stellarum duodecim. Quod de Virgine gloriosa spiritualiter explanatur. Insuper poni debet hæc Virgo sanctissima super equum qui de sella regis est : per quem equum convenienter intelligitur chorus seu ordo prædicatorum ac prælatorum, quorum est nomen Dei undique circumferre ac aliis nuntiare. Idcirco universitas horum debet Virginem Christiferam spiritualiter ad subditos deportare, excellentiam ac sanctitatem Virginis benedictæ illis insinuando. Primus quoque de principibus regis, hoc est Pontifex Romanus, qui est summus Christi vicarius, omniumque prælatorum ac principum sæculi hujus pater, prælatus atque hierarcha, debet hunc equum tenere, id est prædicatores et prælatos dirigere, et per eorum ora clamare ac dicere : Hoc honore condigna est Virgo præelecta, genitrix vitæ, quam Rex cœlorum Christus Filius ejus vult honorare et ab omnibus honorari.

Præterea, honor debetur præcipue dignitati ac sanctitati, sed et principio originali ac beneficentiæ liberali. Primo igitur beatissima virgo Maria honoranda est nobis ratione suæ dignitatis : quæ dignitas est maternitas Dei, per quam comparentalis est Patri æterno, id est parens ejusdem filii cujus et ille est pater. Per hanc dignitatem mirabilem excellentior omni pura est creatura, et cunctis creatis prælata, utpote domina angelorum, regina cœlorum, imperatrix, mater et advocata omnium hominum. Itaque quanto dignior est, tanto et honorabilior est, nec possumus eam sufficienter laudare ac venerari. Unde, sicut post Deum ipsa exsistit dignissima, sic post Deum debemus eam potissime honorare, diligere et laudare. Hinc apud religiosos consuetudo habetur laudabilis, ut quoties eam nomine suo quod est Maria, audiunt nominari aut nominant, cum capite suo reverenter inclinent. Secundo honoranda est nobis ratione suæ excellentissimæ sanctitatis, quæ talis ac tanta est, ut nullius puræ creaturæ sanctitas ei valeat comparari. Imo, ut devotus ait Anselmus, tanta emicuit puritate, ut sub Deo non possit major intelligi. Si ergo quilibet Sanctus, quilibet angelicus spiritus honorandus est nobis suam ob sanctitatem, quam incomparabiliter magis venerari debemus Mariam sanctissimam, summa sub Deo puritate ac sanctitate splendentem? Tertio honoranda est nobis ratione suæ principativæ proprietatis, videlicet quoniam spiritualis mater est omnium nostrum : quia per eam reformati reparatique sumus, sicut per Evam perditi fuimus et damnati. Ipsa etenim peperit nobis Salvatorem ac redemptorem, cujus sanctissimum corpus ex ejus purissimis est sumptum sanguinibus. Quarto, ratione suæ liberalissimæ beneficentiæ. Ipsa equidem est benefactrix nostra largissima, indeficiens atque piissima, fidelissima et amorosissima, a qua tot bona suscepimus, a tantis periculis erepti præservatique sumus, quæ jugiter orat pro nobis, et varia gratiarum charismata impetrat nobis. Nam et Deus gloriæ naturaliter infiniteque bonus, regnum misericordiæ ei commisit, et ipsa omni pietate et misericordia inæstimabiliter est impleta. *Gen.* III, 6.

Sed quomodo eam venerari debemus? Utique ad ejus honorem jejunando, eam Angelica salutatione assidue salutando, ipsam laudando ac invocando, ad ejus reverentiam inclinando, genua flectendo, et totum corpus in terram humiliter prosternendo, Horas ejus legendo, et divina Officia in ejus solenniis frequentando. Verumtamen nec ista sufficiunt, nisi et sacratissimæ Virginis imitemur virtutes, humilitatem, patientiam, caritatem, devotionis affectum, et cetera sancta opera ejus, ne et ipsa dicat de nobis : Homines isti labiis me honorant, sed cor eorum longe est a me ; imo operibus me offendunt ac inhonorant, dum Christi Filii mei transgrediuntur præcepta. Propterea consideremus, amplectamur, sectemur virtutes et opera sancta ipsius; pensemus quantum ipsa per suam profundissimam humilitatem com- *Is.* XXIX, 13; *Matth.* XV, 8.

Luc. I, 48. placuit Deo, qui humilitatem ancillæ suæ A respiciens, provexit eam in propriam ma-
Ibid. II, 51. trem, et factus filius ejus, se ipsum subdidit ei. Consideremus viscera misericordiæ Virginis sacræ : quod neminem ad se confugientem, quantumlibet vitiosum, turpem, vilem, ingratum ac impium, aspernatur, abjicit, derelinquit, dummodo ejus auxilium deprecetur ex corde ac fixe, seque emendare conetur. Idcirco et nos misericordes ac placabiles simus, quantumcumque offensi aut inhonorati fuerimus ; caritatem quoque, mansuetudinem, B puritatem dominæ et reginæ nostræ intueamur fideliter, ac perseveranter sectemur ad laudem Altissimi.

Quum Julianus imperator sceleratissimus pergeret cum exercitu suo ad præliandum adversus Persas, et venisset ad civitatem Cæsaream, in qua præsul fuit tunc S. Basilius, comminabatur eidem Basilio, viro sanctissimo, quod in reditu suo civitatem ejus funditus dissiparet. Quumque abisset, sanctus præsul Basilius convocavit universum populum suum, præci- C piens eis ut tribus diebus jejuniis ac orationibus insistentes, postularent auxilium Dei contra impiissimum imperatorem. Quibus adhuc ita agentibus, vidit B. Basilius in visione Virginem gloriosam in medio cœlestis militiæ stantem atque dicentem : Vocate mihi Mercurium, ut eat et interficiat Julianum. Erat autem Mercurius ille, miles et martyr cujus corpus cum armis suis fuit in ecclesia S. Basilii conditum. Evigilans ergo felix Basilius, introivit ecclesiam, et non invento corpore S. Mercurii martyris, credidit visioni, et ivit ad populum suum, narravitque eis visionem. Qui gavisi sunt valde, et gratias Deo retulerunt devotas. Paulo post Basilius ad ecclesiam rediens, corpus S. Mercurii ejusque lanceam sanguine madidam reperit, egitque gratias Deo immensas. Quumque S. Basilius cum populo festivitatem ageret per quatuor dies, venit unus ex Juliani ministris, et dixit omnibus : Quum esset Julianus secus fluvium Euphraten, quidam ignotus miles cum armis suis adveniens, eum lancea sua valido atque terribili impetu perfodit, ac statim disparuit. Ille vero miserrimus Julianus diram et horribilem vociferationem emittens, cum blasphemo exspiravit clamore ; nam dixit : Vicisti, Galilæe, vicisti.

SERMO SECUNDUS

DE HUMILITATE AC DISCRETIONE B. MARIÆ, ET QUOMODO SIT IMITANDA.

RESPEXIT Dominus humilitatem ancillæ suæ : ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Luc. I, 48.

Ista sunt verba Mariæ Christiferæ, Deo, Dei Filio, devotissimo corde regratiantis super universis beneficiis ejus, præsertim de hoc quod ex ea dignatus est incarnari, ejusque filius fieri. Propter quod Virgo sanctissima prophetico spiritu adimpleta, prædixit se ab universis mundi nationibus beatificandam, laudandam ac maxime honorandam, tanquam veri Dei veram paren- D tem. Prævidit quippe in spiritu, prædicandum esse Evangelium Christi Filii sui per totum mundum, et mundum esse creditu- *Marc.* XVI, 15. rum in Christum.

Præterea, ex evangelio hodierno multa eliciuntur saluberrima documenta. Primum est, maxima Virginis gloriosæ humilitas, quæ quum Dei Mater esset effecta, nihilo minus properavit ad suam co- *Luc.* I, 39 et seq. gnatam, visitavitque eam et ministravit eidem. Non igitur dedignentur prælati et alii superiores ire ad inferiores, ut eis mi-

nistrent, succurrant, adsistant, præsertim A dum infirmantur. Hinc in Ecclesiastico
Eccli. VII, 39. scriptum est : Non te pigeat visitare infirmum, ex hoc enim in dilectione firmaberis. Unde Christus in die judicii reprobis
Matth. XXV, 43. est dicturus : Infirmus fui, et non venistis ad me. Ubi per se infirmum, intelligit membra sua, videlicet fideles pauperesque infirmos. Et iterum in Ecclesiastico dici-
Eccli. III, 20. tur : Quanto major es, humilia te in omnibus. Secundum est, magna sanctissimæ virginis Mariæ discretio : quæ licet esset actibus vitæ contemplativæ dedita et in- B hærens, et in secreto suo talibus libentissime vacans, nihilo minus transivit in publicum, et per iter tam longum visitavit cognatam suam jam gravidam. Per quod edocemur, ut dum fraterna exigit caritas et proximorum necessitas, personæ devotæ et contemplativam vitam amantes, exercitia sua contemplativa ad tempus interrumpant, et opera bona vitæ activæ assumant, proximis succurrendo, seu alia quæ eis injunguntur aut ab ipsis rationabiliter postulantur agendo. Tertium documentum C est, ut feminæ cognatis suis prægnantibus exemplo Virginis sacræ obsequiosas se præbeant.

Insuper, per hoc quod beatissima Domina
Luc. I, 39. nostra cum festinatione perrexit, docentur puellæ ac feminæ non diu extra domum manere, si possint vitare, et rationabilis causa aliud non requirat, nec fabulari in publico. Pertinent namque ad sexum femineum pudor, timor, custodia, taciturnitas, et esse in domo. Propter quod in Ecclesia-
Eccli. XXVI, 19, 18. stico habetur : Gratia super gratiam, mulier D sancta et pudorata et tacita. Quocontra de
Prov. VII, 10-12. femina mala Salomon ait : Mulier vaga et garrula, quietis impatiens, nec valens in domo consistere pedibus suis, nunc foris, nunc in plateis, nunc juxta angulos insidians. De talibus quoque ait ad Timotheum
1 *Tim.* V, 13. Apostolus : Discunt circuire domos, non solum otiosæ, sed et verbosæ et curiosæ, loquentes quæ non oportet. Compescendæ sunt ergo a spectaculis et choreis, a loquacitatibus, audaciis atque discursibus.

Denique ex hoc quod Virgo beata primo salutavit Elisabeth, discant fideles etiam *Luc.* I, 40. eos qui inferioris sunt gradus primo salutare et pie affari, discamusque omnes mutuo nos humiliare ac honorare, juxta illud Apostoli : Honore invicem prævenientes. *Rom.* XII, 10. Ex hoc quoque quod ad salutationem Ma- *Luc.* I, 41. riæ exsultavit Joannes in utero matris suæ, et ipsa mater ejus repleta est Spiritu Sancto, docetur quam magna sit virtus Sanctorum, et quanta sit vis in verbis salutationum, orationum ac prædicationum eorum. Ideo unusquisque roget devotos ut orent pro se, et virtuosorum prædicationes libenter accedat diligenterque audiat, quatenus ex fervidis verbis talium accendatur.

Insuper ex eo quod sancta Elisabeth dixit Mariæ, Unde hoc mihi, ut veniat Mater *Ibid.* 43. Domini mei ad me? instruimur qualiter homines virtuosi ea in se ipsis considerent, in quibus aliis inferiores consistunt : sicque unus se subjicit alteri, et se invicem præferunt sibi ; propter quod mutuo pacifice conversantur, dulciter et caritative convivunt. Econtra inter superbos *Prov.* XIII, semper sunt jurgia. Quamvis etenim virgo 10. Maria, absolute loquendo, fuit multo præstantior quam Elisabeth sua cognata, in aliquibus tamen videbatur Elisabeth major Virgine gloriosa. Nam senior erat ac ditior, multum famosa, et sacerdotis eximii uxor ; Maria vero erat juvencula fabro lignario desponsata, nec opulenta. Verum sancta Elisabeth excellentiis suis postpositis, consideravit se ipsam quoad ea in quibus inferior fuit Virgine sacra, videlicet in quantum culpabilis, fragilis, defectuosa ex se et minor in gratia ; sed Virginem benedictam consideravit ut gratia plenam, ut Christi Matrem, ut præstantissimam creaturam, et electissimam atque carissimam Dei. Ideo juxta has considerationes, reputavit se indignam visitatione Mariæ. Juxta hunc sensum Paulus dixit se mini- 1 *Cor.* XV, 9. mum Apostolorum, et indignum vocari apostolum ; imo et primum seu maximum peccatorum : Venit (inquiens) Jesus in 1 *Tim.* I, 15.

hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum.

Conformiter et nos faciamus. Perpendat unusquisque propria mala aliorumque bona, penset sui corporis vilitatem, immunditiam, fœditatem, et suæ animæ fragilitatem. Intueatur quanta mala commiserit, quanta bona omiserit, quam frequenter et graviter peccet quotidie; quam ingrate, irreverenter, incustodite et vitiose se habeat coram Deo, etiam sæpe in divino Officio; itemque, quod boni nil habeat a se ipso, sed ad omne malum proclivus sit. Qui ista pensaverit vigilanter, quotidie abhorrebit superbiam, spernet se ipsum, displicebitque sibi salubriter; alios vero honorabit ac præferet sibi, quia si mali quid perpetraverunt, cogitabit quod pœnituerunt fortasse : idcirco eos temere judicare non festinabit. Sed, proh dolor! multi sunt excæcati, oppositum hujus agentes, et si quid eminentiæ sit in eis, hoc intuentur, et magis quam est ponderant; sic gloriantur et extolluntur de hoc, quasi id habeant a se ipsis, non pensantes quod
1 *Cor.* IV, 7. sapientissimus dicit Apostolus : Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Porro alios considerant quoad ea in quibus forsitan eis sunt inferiores, quamvis secundum veritatem, simpliciterque loquendo, sint eis multo meliores, perfectiores et honorabiliores : ut si unus forsan sit ditior aut carne nobilior, aut ingeniosior, eloquentior sive formosior (quæ bona sunt fortunæ sive naturæ, per quæ homo non complacet Deo, nec alicujus sunt reputationis respectu donorum gratiæ ac virtutum), is talis præfert se alteri, quia pauperior, ignobilior, obtusior, infacundior sive deformior est, quamvis sit multo humilior, timoratior, devotior, atque in donis sapientiæ, scientiæ, intellectus et consilii major. Idcirco injuste et stulte se præfert, fatue judicat, damnabiliter intumescit. Denique occulta aliorum bona nescimus, et quales sint in prædestinatione Dei, penitus ignoramus. Cur ergo nos ipsos præferimus eis, qui ignoramus an simus in caritate et gratia, et in prædestinatione vel reprobatione divina? Sit igitur unusquisque timoratus semper et humilis; imo aliorum consortio se arbitretur indignum. *Eccle.* IX, 1.

Postremo, infinitam bonitatem, perfectionem et beatitudinem Dei pensantes, omnemque ejus circa nos misericordiam et beneficentiam ponderantes, magnificemus cum Christifera Virgine Dominum, et gloriemur in eo : ita ut in sanctitate et justitia ei jugiter serviamus, et factis magis quam verbis protestemur ac demonstremus quam vere et summe metuendus, honorandus ac diligendus sit Dominus Deus noster omnipotens; ac per hoc alios ædificemus atque ad Dei timorem, amorem ac reverentiam inducamus. Ideo namque ait Salvator : Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est. Qui vero ita non faciunt, sed impie conversantur, et scandalizare alios non verentur, Deum quantum in ipsis est spernunt, parvi faciunt atque commaculant. Nam quantum in ipsis est, per opera sua ostendunt Deum non esse timendum, amandum ac venerandum; alios quoque ad Dei inhonorationem aspernationemque incitant. Unde per Ezechielem prophetam frequenter facinorosis Judæis improperat, quod nomen suum polluerint inter gentes. O quam ingrati sunt tales proprio Creatori! Sed imitemur Virginem summam, Deum totis magnificantes præcordiis; nec tamen quidquam condignum nos agere opinemur, quoniam ipse in infinitum majori dignus est reverentia et amore quam ei quispiam valeat exhibere. Hinc in Ecclesiastico scribitur : Terribilis Dominus et magnus vehementer et omnipotens super omnia opera sua. Glorificate Dominum quantumcumque poteritis, supervalebit adhuc. Benedicentes Dominum, exaltate illum quantum potestis : major est enim omni laude. *Luc.* I, 74, 75. *Matth.* V, 16. *Ezech.* XXXVI, 20; XLIII, 8, etc. *Eccli.* XLIII, 30-33.

Legitur quod quidam Judæorum puer a pueris Christianorum coævis suis inductus

est ad hoc, quod cum eis ecclesiam intrans, corpus Christi cum ipsis a sacerdote acciperet ; ac domum reversus, id patri suo retulit : qui ob id indignans ac furens, proprium filium in ardentem projecit fornacem. Quo cognito, mater pueri ad fornacem currens, puerum cupiebat extrahere : quod dum non posset, miserabiliter ejulabat, ita quod Christiani vicini accurrentes, et quid causæ esset videntes, retracto igne, invenerunt puerum quasi super plumas mollissimas discumbentem. Quumque puerum extraxissent et Dominum benedixissent, patrem pueri in fornacem jactaverunt. Qui ab igne statim consumptus est, in tantum ut vix aliquid de ossibus ejus videretur mansisse. Interrogaveruntque puerum quomodo in igne mansit illæsus. Respondit : Illa Domina veneranda sedens cum puerulo in gremio suo posito, in cathedra, in basilica ubi de mensa panem accepi, pallio suo operuit me et defendit ab igne. Tunc puer cum matre sua christianus effectus est. Multi quoque Judæi in illa urbe hoc miraculo fuerunt conversi. Ad laudem Altissimi.

AD RELIGIOSOS

SERMO TERTIUS

DE VISITATIONE B. MARIÆ GAUDIOSA AC UTILI ; ITEM DE SOLITUDINIS, SILENTII COELESTIUMQUE APPETITIONIS COMMENDATIONE.

EXSURGENS *Maria, abiit in montana cum festinatione.* Luc. I, 39.

Concepto in se Unigenito Dei, purissima Virgo, non corpore jam gravata, sed mente exhilarata, abiit cum festinantia in montana, ad visitandum sanctam Elisabeth. Quemadmodum enim de sua supernaturalissima fecundatione gaudebat in Domino, et præcordialissimas grates retulit ei, sicut in suo testata est cantico, Magnificat (inquiens) anima mea Dominum, et exsultavit spiritus meus in Deo salutari meo ; sic supernaturali fecundationi suæ cognatæ Elisabeth congaudebat in Deo. Quamvis autem imprægnatio Elisabeth erat supernaturalis et miraculosa, quoniam duplicem habuit causam infecunditatis, utpote ingenitam sterilitatis causam et senectutem ; nihilo minus fecundatio Mariæ dulcissimæ multo supernaturalior et incomprehensibilior fuit. Primo, quia incognita fuit viro. Secundo, quia personam præsubsistentem concepit. Tertio, quia non qualemcumque talem concepit personam, sed Deum verum : quod omni mirabili mirabilius est. Denique de sua tam supernaturalissima fecundatione gloriabatur Maria, non tantum in quantum fecundatio illa fuit admirabilis et præclarissima exaltatio suæ personæ, sed specialiter valde, in quantum fuit inchoatio salvationis generis humani totius.

Luc. I, 46, 47.

Abiit igitur mente jucundissima, cum alacritate devotissima, in montana. Sed unde abiit ? Utique a loco in quo sedit contemplationi orationique assidue vacans, in quo et annuntiatio ei facta fuit dominica. Quamvis ergo pudicissima esset, et in suo secreto libentissime latitaret (quippe in quo inæstimabiles sentiebat ubertim consolationes divinas), atque ad exercitia vitæ contemplativæ esset indicibili modo aptissima ; nihilo minus caritate eam impellente, pietate movente, ratione

dictante, a suæ mansionis et quietis ac contemplationis secreto exsurgens, iter ad cognatam suam arripuit, ut ei congratularetur, deserviret, spiritualiterque prodesset. Nempe, quantum Mariæ et Christi *Luc.* 1, 56. in ea concepti præsentia, ac trium mensium permanentia, seni Elisabeth et infantulo suo in ea latenti contulerint, constat ex hoc, quod ex primo benedictæ Mariæ ad Elisabeth sanctam ingressu mox illuminatus, ratione præventus, et miro modo *Ibid.* 41. gavisus est sanctus infans Joannes, ejusque mater Elisabeth repleta est Spiritu Sancto, et gratia revelationis propheticæ tacta. O quantum in sacratissima juvencula Maria Christifera ædificabatur quotidie vetus Elisabeth ! Quantum oratio et hospitatio quotidiana præstantissimæ Virginis profuerunt Elisabeth et ejus infantulo ac marito ! Quantum gratiæ incrementum meruit omni die Elisabeth, tam amorose ac reverenter tamque humillime tractando sanctissimam Virginem, potissime propter Christi in ea præsentiam, et quoniam Unigenitum Dei eam noverat concepisse !

Nunc ergo trahamus hæc omnia ad nostram informationem ; atque ut valeamus salubriter surgere et exire, ac alios fructuose accedere, discamus in primis cum sapientissima ac devotissima Virgine bene et virtuose sedere, et in cellæ secreto libenter hilariterque quiescere, ibique a fonte gratiarum haurire ac intus colligere, quod loco et tempore opportunis effundamus communicemusque proximis, non solum loquendo, sed et per morum venustatem, silentii gravitatem, operum irreprehensibilitatem, exemplares et fructuosos eis nos exhibendo, juxta quod princeps I *Petr.* IV, 10. monet Apostolorum : Unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes ; et item, *Ibid.* II, 12. Ex bonis operibus vestris vos considerantes, glorificent Deum. *Prov.* V, 16. Sicque juxta Salomonis doctrinam, deriventur fontes nostri foras. Atque ut jubet *Matth.* V, 16. Salvator : Luceat lux nostra coram hominibus, ut videant opera nostra bona, et glorificent Patrem. Nonne lux pulchra est morum honestas, condecentia gestuum, venustas compositionis membrorum corporisque totius, incessus maturitas, actuum quoque bonorum alacritas ? Hæc est exterior pulchritudo moralis, quæ intuentes delectat, inspicientes ædificat. Nil igitur levitatis, insolentiæ nihil, nec inquietudo motuum corporis in nobis appareat.

Porro, qualiter debeamus virtuose sedere et delectabiliter residere in cella, docet Jeremias sanctus, dicendo : Sedebit solitarius et tacebit, quia levabit se super se. *Thren.* III, 28. Solitariorum ergo, imo et omnium religiosorum est, sedere, tacere, et se super se levare. Sedere (inquam), id est, a mundi hujus tumultibus ac mundanis operibus prorsus quiescere, corporaliter quoque in mansiuncula sua quantum convenienter fieri potest, libenter manere, et discursus exitusque vitare : quoniam in suo secreto potest quis Deo multo quietius, purius, stabilius ac devotius esse intentus. Foras autem egresso cito occurrent evagationum et inquietudinum occasiones. Hinc quidam devotus disseruit : Fons et origo omnium bonorum est, monachum jugiter in sua cella sedere. Nam et sancto protestante Antonio, quam mortiferum est piscibus extra aquam manere, tam periculosum est monacho extra cellam tardare. Experientia quoque docet, quod quanto quis diligentius vitat occasiones egrediendi de cella, tanto in brevi libentius ac delectabilius manet in ea. Si autem consuetudinem sibi facit egrediendi de facili, velociter incipit eam horrere. Denique nec in ipsa cella debemus hinc inde sine rationabili causa moveri, aut in exterioribus superflue occupari, nec inane quid curiosumve agere, sed magis ad meditandum, orandum, scribendum, legendum, psallendum contemplandumque sedere, stare sive quiescere, nisi alicui manualis operatio alia injungatur, necessaria sit aut incumbat.

Insuper debemus tacere, quoniam sancti Patres observationem silentii inter obser-

vantias regulares statuerunt de præcipuis unam, ejusque violationem mox graviter satis puniendam sanxerunt per propriæ culpæ proclamationem et disciplinæ publicam in capitulo susceptionem : quum tamen non nisi pro enormibus valde excessibus soleant homines virilis ætatis dorso nudari et virgis cædi. Pravissimum ergo est in religioso, silentium faciliter frangere, verbisve paucis sine necessitate et licentia uti frequenter. Ex quo detestabili usu homo sic excæcatur, quod quamvis frequenter per pauca verba suum revera frangit silentium (quum omnis oratio intelligibilem ex se habens sensum sine licentia dicta, fractio silentii sit censenda), non tamen attendit hoc, nec suam inde culpam fatetur, nec suscipit disciplinam. Videat qui talis est, quomodo id a mortali valeat excusari. Quidam vero pro eo quod sæpius fregerunt silentium, non nisi semel suam culpam proclamant, dicendo in generali, Fregi silentium ; quum deberent vices, loca et personas exprimere. Isti non custodiunt ab angustiis et contaminationibus animas suas, quia non refrenant os suum, nec sua labia moderantur, et sæpe sunt aliis occasio similis culpæ, distractionis, inquietudinis, indevotionis, scandalizantque plurimos. Redeant ergo prævaricatores isti ad cor, et linguas suas custodiant, in visu omnique sensu se ipsos cohibeant. Præterea, sicut coram hominibus tacemus ore a verbis, sic mente coram Deo sileamus a cogitationibus vanis, infructuosis, phantasticis ac perversis, atque ab omni affectione non bona, a desideriorum pravorum tumultu, a recordationibus injuriarum, a recidivatione interiorum culparum.

Prov. XXI, 23.

Is. XLVI, 8.

Præterea, quum homo solus, sit deus aut bestia, ne in cella bestialiter maneamus, in ea levemus nos super nos, non per elationem extollendo nos ipsos, nec præsumendo de meritis nostris, aut magnifice sentiendo de nobis, sed adspirando ad Deum, contemplando æterna, gustando quam dulcis est Dominus, considerando

Thren. III. 28.

I *Petr.* II, 3.

quam summe et infinite bonus, amabilis, speciosus, potens, sapiens, pius, justus, perfectus et felix sit Dominus Deus conditor noster, eumque totis viribus diligendo, et intra nos caritatis brachiis amplectendo, atque ad ejus claram intuitionem, felicem fruitionem, sempiternam ac securissimam possessionem ferventissime anhelando, ut cupiamus dissolvi et esse cum Deo ; omnique hora, quam indesinenter propinquamus ad naturalem corporis mortem, tam incessanter ac fervide approximemus ad beatificam animæ vitam : et hoc per exercitia actuum præfatorum continua.

Philipp. I, 23.

Præterea, quum taliter cum beatissima virgine Maria in secreto sederimus, et actibus vitæ contemplativæ immorati fuerimus, exsurgamus dum causa requirit, obedientia exigit, ratio postulat, ad opera vitæ activæ, ad consulendum, auxiliandum serviendumque proximis ; nec cum illis diutius quam oportet et expedit maneamus, sed ad secretum nostrum regredi festinemus, ubi in abscondito faciei Dei Deo vacemus.

Postremo, abeamus in montana, ad virtutum cacumina, ad spirituales profectus, ad theorias cœlestes, ut quotidie in omni humilitate, patientia, mansuetudine, devotione, dilectione, constantia, puritate, justitia, pietate, proficere omni cum diligentia enitamur : et stet unusquisque indesinenter super cordis sui custodiam, examinetque frequenter ac vigilanter conscientiam suam, quam et expurgare, ornare, excolere non moretur. Verumtamen non sic ad prætacta cellæ ac contemplationis exercitia afficiamur, ut ea debito caritatis aut obedientiæ præferamus. Idcirco, dum jusserit præsidens, aut indigens frater rogaverit, cum gloriosa Virgine protinus exsurgamus, euntes ad opera quæ jubentur ac postulantur : quum nec otium contemplationis, nec lacrima compunctionis, nec fervor orationis extra obedientiam Deo complaceant, aut contra caritatis fraternæ debitum grata et accepta sint ei.

Habac. II, 1.

Itaque gloriosissimæ Virgini affectuosas preces fundamus, ut et nos ipsa visitare dignetur, gratiam et virtutes ad implenda A omnia nunc prædicta nobis piissime impetrando. Ad laudem et gloriam Omnipotentis.

SERMO QUARTUS

QUOMODO DIVINAM ERGA NOS DIGNATIONEM ADMIRANDO, DEBEAMUS HUMILIARI IN RECEPTIONE VENERABILIS SACRAMENTI ET HUJUSMODI VISITATIONIBUS.

UNDE hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me? Luc. I, 43.

Ista sunt verba sanctæ Elisabeth, de corporali Christiferæ Virginis adventu ad se admirantis, gloriantis, gratiasque agentis, et se tanta dignatione ac gratia recognoscentis indignam, præsertim quia ex
Luc. I, 41. primo Mariæ occursu tanta in se Elisabeth mirabilia sensit, utpote infantuli sui in suo utero exsultationem, sui ipsius a Spiritu Sancto repletionem, revelationem propheticam. Et certe grandis fuit ista dignatio, ista humilitas, pietas ista in Virgine benedicta, quod non obstante omni excellentia sua, potissime quum jam facta esset veri Dei Genitrix vera, per tam longa itinera venit visitare Elisabeth maritatam et cognitam viro. Hac dignati-
Matth. III, one, humilitate et pietate venit postea 13. Christus ad Joannem Elisabeth filium, ut susciperet ejus baptismum. Et proportionabiliter, sicut Elisabeth ad Mariam, ita
Ibid. 14. Joannes dixit ad Christum : Ego a te debeo baptizari, et tu venis ad me? Quis igitur nostrum in tantum poterit elatione D propria excæcari, aut tantum de cetero reputare se ipsum, ut putet se nimis magnum ad accedendum et suo obsequio confovendum quoslibet alios?

Denique, si Elisabeth a Maria sanctissima visitata, præ admiratione gratiarumque actione atque lætitia locuta est ei,
Luc. I, 43. « Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me? » quanto magis nos pauperculi et pusilli, Christo ad nos in Sacramento B quotidie venienti dicere ex profundissima humilitate et præcordialissima gratiarum actione debemus : Unde hoc mihi, ut veniat Dominus meus, Dei Patris unicus Filius, ad me? Insuper, quandocumque experimur nos desuper visitari, et insolita gratia quadam perfundi, divinæ pietatis dignationem et misericordiam circa nos admirantes, et gratias intimo corde agentes, dicamus nos spiritualiter visitanti : Unde hoc mihi, ut veniat Dominus meus ad me? Ex hac quippe radice sanctus Job
C Domino dixit : Quid est homo, quia ma- *Job* VII, 17. gnificas eum? Aut quid ponis erga eum cor tuum? Et Psalmista : Domine, quid *Ps.* CXLIII, 3. est homo, quia innotuisti ei? aut filius hominis, quia reputas eum? Itemque : Quid est homo, quod memor es ejus? aut *Ps.* VIII, 5. filius hominis, quia visitas eum? Nonne si præpotens rex aut præsul eximius descendat ac visitet pauperem, pauper ille, si probus est, visitatione tali se fatetur indignum? Hinc centurio dixit Christo : Non sum dignus ut intres sub tectum *Matth.* VIII, meum. 8.

Præterea Deus omnipotens accedit et visitat nos, non solum dum caritatem, gratiam et virtutes nobis de novo infundit, sed etiam dum infusas auget ac perficit, aut speciali quodam lumine nos perfundit ad contemplandum sublimiter, ad delectandum sinceriter, ad amandum ferventer. Propter quod de obediente ministro ait Salvator : Si quis diligit me, ser- *Joann.* XIV, monem meum servabit; et Pater meus 23.

diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. Unde et Chri-
Act. II, 1 et seq. stus in die Pentecostes dicitur misisse Apostolis Spiritum Sanctum, quem jam
Joann. XX, 22. ante utique habuerunt, sed non in plenitudine tanta, neque ad tot effectus, sicut ex die illo ac postea. Verumtamen specialissimo ac dignantissimo modo venit ad nos in Sacramento altaris, non solum per suos effectus, sed substantialiter quoque Deus incarnatus, qui in hostia sacra totus continetur, tractatur ac sumitur. Si ergo Elisabeth Virginem gloriosam cum tam summa reverentia, cum tam profunda humilitate, cum tam fervida dilectione, cum tam præcordiali gratiarum actione suscepit : quanto magis debemus Deum propter nos hominem factum, cum summa veneratione in Sacramento accipere, cum ferventissima dilectione complecti, cum omni reverentia contrectare, cum humilitate plenissima sumere, et gratias ei agere infinitas ; thalamum quoque cordis nostri ei servare immaculatum, ne phantasmatibus vanis et inutilibus phantasiis nostra anima depingatur, ne extraneis speciebus formetur, ne viliter occupetur, potissime in divinis, et ne noster inficiatur affectus, aut cor passione aliqua obruatur, præsertim ne rancor, discordia, divisio locum sortiatur in nobis, ne per hæc gratiosissimam Christi præsentiam mereamur amittere ? Propterea hospitem istum dignitatis ac majestatis immensæ, apud nos et in nobis incessanter servare infatigabiliter laboremus, faciendo jugiter quæ eum delectant, ut sunt opera caritatis, pietatis, pax, concordia, humiliatio magna, contemplatio divinorum, omniumque actus virtutum. Quod si ita egerimus, semperque grati ac diligentes fuerimus, libenter valde manebit nobiscum, et gratiarum suarum charismata augebit in nobis atque perficiet, qui per Salomonem testari di-
Prov. VIII, 31. gnatus est : Deliciæ meæ esse cum filiis hominum ; et per Joannem in Apocalypsi,
Apoc. III, 20. Ego sto ad ostium et pulso.

Præterea, si ita egerimus, abundanter ac celeriter valde crescemus in omni virtute, præsertim in caritate et dono sapientiæ : ita quod Deus in corde nostro quasi in thalamo tota die morabitur, et inter humeros nostros quiescet ; in intellectu nostro quasi in Cherubim resplendebit, in affectu nostro superiori quasi in Seraphim incalescet, in memoria quasi in throno residebit cœlesti. Tunc suavissime consolabitur corda nostra, et gratiosissime mentem nostram præveniet, excessibus quoque inopinatis, repentinis, validissimis rapiet eam aliquando in se, ita ut nec ipsa queat resistere, sed defluens atque deficiens a se ipsa, tota transeat, transformetur, absorbeatur in dilectum, et lucis immensæ intueatur abyssum, et igne amoris superamabilissimi Dei totaliter incendatur, ita ut ei non sapiat nisi Deus, et cum Sponsa decantet : Læva ejus sub capite meo, et *Cant.* II, 6. dextera illius amplexata est me. Tunc anima tam piissime desuper visitata, videbit *Is.* LX, 5. et affluet, et mirabitur majestatem Dei in se, dignationemque ejus ad se ; et dilatabitur cor ejus amplitudine caritatis, in tantum ut omnes, etiam inimicos, in se comprehendat, universorum salutem cordialissime appetendo, atque pro cunctis toto affectu rogando. Denique, quanto tunc Deus gratiosius agit nobiscum, quanto splendidius cor nostrum illustrat, et suæ divinitatis altitudinem infinitam clarius ei ostendit, tanto limpidius anima propriam conspicit parvitatem, vilitatem, defectuositatem et culpam. Unde et tanto profundius se ipsam humiliat, gratissima ac humillima loquens : Unde hoc mihi, ut veniat *Luc.* I, 43. Dominus meus ad me, et taliter agat mecum ? Tunc certe in mente omnia sunt serena.

Si autem prædictis objiciatur, quod sanctus Job loquitur, Si venerit ad me, non *Job* IX, 11. videbo eum : quomodo ergo poterimus visitationi Dei grates referre, præsertim quum sine revelatione certo scire non valeamus quod simus in caritate, aut aliquid caritati inseparabiliter junctum habeamus ? Respondetur, quod teste Aposto-

I *Cor.* II,12. lo, electi spiritum non hujus mundi, sed spiritum qui ex Deo est habent, ut sciant *Rom.* VIII, 16. quæ eis a Deo donata sunt ; et, Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod filii Dei sumus. Ut sciant (inquam) scientia sufficienti et satis probabili, quamvis non penitus certitudinali. Verum quo supernaturaliores, gratiosiores et intensiores virtutum infusarum operationes, sapientiæ contemplationes, caritatis inflammationes, raptus et ecstases operatur Spiritus Sanctus in cordibus devotorum, eo probabilius et quodammodo certius B sciunt se desuper visitari, et gratiose ac supernaturaliter agi, ita ut subinde de hoc ambigere nequeant, quia quod sentiunt revelationi quodammodo æquipollet.

Postremo, ut mereamur ad ista pertingere, sicque perfectionis arcem contingere, et tale a Spiritu Sancto testimonium intus percipere, elaboremus interiora nostra ab omni passionum impetu et irrefrenatione restringere, a privato prorsus A purgare amore, ab omni mundana affectione esse immunes ; quotidianas vitare negligentias, defectuositates, pigritias ; vires animæ, corporis membra sensusque omnes secundum Dei præcepta ac Scripturarum regere documenta ; singula verba in Horis, psalmodiis et Missis, distincte, attente, devote proferre, et quasi ex proprio corde cum ingenti affectu et gustu interno formare. Atque in primis sacrosanctæ Virginis humilitatem intueamur, discamus, sectemur, quæ sicut cunctis indicibiliter sanctior erat ac dignior, ita et ineffabili gradu fuit universis humilior. Inspiciamus ergo et perspiciamus assidue defectuositates, ærumnas, negligentias, immunditias, sordes et culpas, errores, ignorantias, indigentias et instabilitates nostras. Ex quarum omnium vivaci intuitu humiliemus et vilipendamus nos in immensum, et in sola Creatoris misericordia jugiter confidamus. Ad laudem et gloriam ejus.

SERMO QUINTUS

DE CAVENDA VANITATE ; ET QUOMODO B. MARIA MULTIFARIAM MAGNIFICAVERIT, ID EST, MAGNIFICENTISSIME HONORAVERIT, DOMINUM.

MAGNIFICAT *anima mea Dominum, et exsultavit spiritus meus in Deo salutari meo.* Luc. I, 46, 47.

Quum beatissimam Virginem, utpote Dei Matrem, sancta Elisabeth præclarissimis et condignis extolleret laudibus, ipsa sapientissima atque humillima Virgo nequaquam mente elata est, aut aliqua vanitate tacta, neque inaniter gloriata ; sed Deo omne bonum adscribens, et dona incomparabilia sibi supernaturalissime præstita, tanto plenius ac devotius ei attribuens, quo amplius conditionem excedebant fragilitatis humanæ, non se ipsam magnificavit, sed omnis boni datorem, et in eo C dumtaxat gavisa est, præcordialissimas ei retribuens grates : « Magnificat », inquiens, « anima mea Dominum ». Nec ait, Magnifico Dominum, sed, Magnificat anima mea Dominum, insinuans magnificationem illam ex intimo sui cordis prodire affectu, et ad superiores animæ vires potissime pertinere, quæ a corporis communione sunt liberæ, utpote potentiæ inorganicæ separatæ.

Ex his docemur in primis, ut omnem vanitatem et laudem humanam atque inD ordinatam lætitiam cordialiter fugiamus, nec appetamus coram hominibus apparere, sed magis nesciri, neque oblatis lau-

dibus inaniter delectemur. Imo, quo ab hominibus magis quis reputatur, laudatur, honoratur, eo plus expavescat occulta Dei judicia, ne forte non sit talis ut æstimatur, et ex hoc vehementius confundatur ac pereat (præsertim quum certus non sit se in caritate consistere) ; et item, ne forte in vita hac suam miser mercedem recipiat ; et rursus, quia judicia Dei tunc occultiora sunt, quando electis in præsenti vita eveniunt prospera ; et etiam, quoniam soli Deo debetur omnis honor et gloria, dicente
I *Tim.* I, 17. Apostolo : Regi sæculorum immortali, invisibili, soli Deo honor et gloria. Ideo nemo sibi usurpet quod Creatori debetur,
Is. XLII, 8. qui per Isaiam fatetur : Ego Dominus, hoc est nomen meum ; gloriam meam alteri non dabo. Itaque quo amplius quis famatur, honoratur aut laudatur, eo plus se ipsum in cunctis humiliet, Deumque roget ut talis sit aut protinus fiat coram ipso, qualis ab hominibus esse putatur. Præterea evidens signum quod quis humanis laudibus, honorificentiis, rumoribus non inflatur, est si nec vituperiis, injuriis, diffamationibus irritetur, tristetur, aut a bonis actibus retardetur. Ideo cum apostolo
II *Cor.* VI. 4, 8. Paulo exhibeamus nos Dei ministros per
I *Cor.* IV, 12. diffamiam et bonam famam, et dum maledicimur benedicamus, nec alterius improbitate vincamur, ad iram, impatientiam, rancorem aut turbulentiam corruendo : imo adversis multo plus quam prosperis delectemur, scientes quod misericordia Dei in tribulationibus maxime adsit.

Præterea sacratissima virgo Maria Deum magnificavit mente, ore et opere, totoque corpore et omnibus corporis sui membris, tota anima et omnibus viribus ejus. Incircumscriptibilem enim et invariabilem Deum magnificare, est ejus majestatem, perfectionem gloriamque cognoscere, venerari, extollere.

Magnificavit ergo magna et summa Maria Deum mente, id est intellectu, voluntate, memoria : quia per intellectum infinitam excellentiam Dei splendide contemplabatur et omnibus incomparabiliter præferebat, alia nil reputans Divinitatis respectu, et Deum reputans superbeatissimum atque interminabiliter magnum in semetipso. Magnificavit quoque Deum voluntate, eum super omnia sincerissime diligendo, ferventissime desiderando, affectuosissime constringendo, et quidquid divino amori contrariatur aut dissidet, totis respuendo præcordiis. Conformiter magnificavit Deum memoria, jugiter recordando ipsius, et omnes recordationes inutiles a sua excludendo memoria, in qua versabatur ac deambulabat cum Domino in latitudine cordis sui.

Ore etiam suo Deum magnificavit perfecte, nunquam loquens nisi licita, salubria et honesta ; psalmis quoque, hymnis et orationibus semper insistens, et verba consolatoria ac instructiva aliis proferens.

Opere autem Deum magnificavit, non solum omne opus pravum vitando, imo etiam in sanctitate et justitia Deo incessabiliter serviendo, irreprehensibiliter conversando, exemplarissime se habendo : sicque toto posse eum honorando in cunctis, nec aliquid offensivum unquam agendo, nec unquam per omissionem peccando.

Adhuc autem magnificavit Deum toto corpore suo, quod rationi in cunctis subegit atque in animæ servitutem redegit, cultuique divino plenissime mancipavit ; nec unquam illud occupavit illicite. Similiter magnificavit Deum omnibus suis membris, exhibens ea arma justitiæ Deo, nec indecenter unquam quidquam adspiciens, nec aliquo sensu abutens. I *Cor.* IX, 27. *Rom.* VI, 13.

Magnificavit demum tota anima sua Deum, quam spiritualissime occupavit, et Creatori in sacrificium quotidie obtulit, ab omni carnali et sæculari affectu servans eam prorsus immunem. Omnibus item animæ suæ viribus Deum magnificavit, quia per appetitum sensitivum, concupiscibilem et irascibilem nunquam movebatur contra rationis judicium ; habuitque passiones universas plenissime reformatas, ad nihil sensibile unquam mota, nisi secundum censuram sapientiæ et ordinem

caritatis ; omnium etiam interiorum exteriorumque sensuum actus habuit rite dispositos ac ordinatissime moderatos.

Sic ergo dignissima Virgo fuit justissima, quoniam quidquid fuit et quidquid a Creatore accepit, hoc ei per devotissimum famulatum, per reverentissimam subjectionem, per ordinatissimam reductionem, per omnimodam magnificationem ipsius jam tactam rependit.

Insuper, specialiter magnificavit et magnificentissime honoravit Deum Dei Filium ex se incarnatum, cui ex purissimis suis sanguinibus ministravit humanæ carnis substantiam, servile cinctorium, divinitatisque templum, de quo Filius dixit : *Joann.* II, 19. Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud. Hoc quippe (ut Evangelista *Ibid.* 21. adjecit) dixit de templo corporis sui. Nec possumus æstimare quam humillime, reverentialissime, affectuosissime Deo incarnato Filio suo in omnibus etiam corporaliter ministravit, lac virgineum præbuit, materna impendit obsequia.

Studeamus ergo et nos, quantum Deo præstante valemus, modis prætactis Dominum magnificare, sanctificare, honorificare et beatificare, ita ut verbis et factis et omni modo nobis possibili protestemur ac demonstremus Deum super omnia incomparabiliter esse magnum, sanctum, honorabilem et beatum : utpote verbis atque operibus ipsum reverendo in cunctis, et alios inducendo ad idem, quantum in nobis est. Quod totum ad nos religiosos *II Cor.* II, 15. valde specialiter spectat, ut simus Christi bonus odor ubique, et omnes ædificentur in nobis, sitque conversatio nostra ad invicem omnino caritativa, quieta, pacifica, exemplaris, faceta, ut quicumque adspexerit nos, glorificet Deum in nobis, et provocetur ad meliora. Ideo custoditi simus in omni sensu, fructuosi in verbis, morigerati in universis, quia per exteriora de interioribus judicatur, quemadmodum *Eccli.* XIX, 26, 27. in Ecclesiastico legitur : Ex visu cognoscitur vir, et ab occursu faciei cognoscitur sensatus. Amictus corporis et risus dentium et incessus hominis enuntiant de illo, id est, qualis sit intus ostendunt. Itaque tam summe et incomparabiliter afficiamur ad Deum, ut ad nihil aliud afficiamur, nisi in eo et propter eum. Tam cordialiter quoque delectemur in contemplatione et cultu et laudibus Dei, et occupando nos circa ipsum, ut extra eum delectari et consolari renuat anima nostra. *Ps.* LXXVI, 3, 4. Sicque cum Maria dignissima exsultet spiritus noster in Deo, id est in contemplatione et dilectione ipsius, in orationibus et laudibus ejus, imo in omni opere bono ei placente.

Postremo quilibet nostrum canticum istud Mariæ Deiferæ devotissimum ac compendiosissimum dicere et cantare potest propria in persona hoc modo. Magnificat *Luc.* I, 46-55. anima mea Dominum, ejus magnitudinem, perfectionem et eminentiam recognoscendo, extollendo, laudando ac venerando, sicut ait Psalmista : Magnificate *Ps.* XXXIII, 4. Dominum mecum. Et exsultavit spiritus meus, scilicet anima mea rationalis, simplex et spiritualis, in Deo salutari meo, id est in Deo in quo salus mea consistit. Quia respexit humilitatem ancillæ suæ, id est animæ, quæ Creatori suo ministrando, ejus ancilla est. Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Quicumque etenim Deo fideliter servit, et cujus humilitas seu humilis recognitio propriæ parvitatis ac vilitatis accepta est Deo, a cunctis electis beatus asseritur : nunc quidem in merito et spe, postmodum in præmio et re, si perseveraverit usque in *Matth.* X, 22. finem. Quia fecit mihi magna qui potens est, id est, Deus omnipotens multa et magna beneficia mihi largitus est, maxime Unigenitus Dei, in hoc quod propter me dignatus est incarnari, in mundo conversari, crucifigi, qui et in Sacramento se ipsum quotidie tribuit mihi. — Verum de sensu et excellentia cantici hujus, et qualiter unusquisque in propria possit persona illud proferre, super Lucam plenius *Cf.* t. XI, p. 393 Cets. scripsi.

Itaque intuitu et amore Virginis glorio-

sissimæ, canticum tam præclarum decantemus assidue cum devotissima intentione, tam in Virginis summæ persona quam in nostra ; et cum congratulatione et gratiarum actione reminiscamur quam magna Deus donavit benedictæ Mariæ, præsertim Unigenitus Dei, qui ejus se filium fecit, et quam magna præstitit omnibus nobis per eam, ipse qui est æternaliter vivens et gloriosus.

IN FESTO
S. MARGARETÆ VIRGINIS
ET MARTYRIS

SERMO UNICUS

DE VITA S. MARGARETÆ VIRGINIS ET MARTYRIS, ET QUAM SIT POTENS AD IMPETRANDUM A DEO.

SICUT sol oriens in mundo in altissimis Dei, sic mulieris bonæ species in ornamentum domus suæ. Eccli. XXVI, 21.

In his verbis beatissima Christi martyr, sponsa ac filia Margareta, a duobus laudatur. Primo, quoniam in se fuit omni virtutum luce repleta. Secundo, quoniam sicut sol ornat atque illuminat mundum sensibilem, sic ipsa sacratissima Margareta domum suam, id est Ecclesiam, cujus ipsa filia fuit et membrum, illuminavit sua virtuosa exemplarique vita, sua
II *Cor.* II, 15. sacra legenda seu fama, qua ubique bonus est Christi odor, sua sapientissima locutione ad præsidem a quo fuit martyrizata, et suo patientissimo ac victorioso martyrio. Sed nunc ejus virtutes et laudes et excellentiæ seriatim sunt prosequendæ ad gloriam Sponsi sui.

Prima ergo laus ejus, est virtuosa contemptio atque relictio bonorum fortunæ ac naturæ, in quibus eminebat. Erat enim illustris, opulenta, pulcherrima, et præses eam sibi optavit in uxorem accipere. Siquidem filia fuit Theodosii patriarchæ gentilium, qui eam plurimum odiebat, quoniam ipso invito fuerat christiana. A Quumque pasceret oves suæ nutricis, et præfectus tam speciosissimam vidisset puellam, in ejus exarsit amorem. Et tamen electa hæc virgo omnia illa contempsit, videlicet tantam divitiarum deliciarumque copiam et honores tam magnos, ut Christum mereretur sponsum habere, et Deo posset pura ac libera mente vacare.

Secunda laus ejus, est fortitudo, patientia atque constantia in passione. Quum enim præfectus eam ad deorum sacrificia hortaretur, ipsa dixit : Christum adoro. B Cui præfectus : Cur crucifixum adoras ? Et illa : Unde scis quod Christus sit crucifixus ? Respondit præfectus : Ex libris Christianorum. Et Margareta : Quum in iisdem libris legatur resurrectio et gloriosa ascensio ejus in cœlum, quæ perversitas quod unum credis, non aliud ? Quumque diceret Christum sponte pro mundi salute passum, indignatus præses, eam incarceravit, et die sequenti, sacrificare nolentem fecit in equuleo suspendi, deinde virgis crudelissime cædi, ferreisque pectinibus usque ad C ossium nudationem dilaniari : ita quod sanguis de toto ejus virginali ac sancto corpusculo tanquam de fonte emanavit

purissimo, in tantum quod impius præ- A ses chlamyde vultum suum operuit, ne tantam sanguinis effusionem conspiceret. Tunc fecit eam denuo incarcerari ; et petente beatissima Margareta, dæmon visibiliter apparuit sibi : quem pedibus conculcavit. Sequenti die præsentata præfecto, et sacrificare idolis spernens, præside præcipiente exuitur, et corpus ejus usque ad intestina ardentibus combustum est facibus, cunctis qui aderant admirantibus quod tenerrima puella posset tam crudelissima ferre tormenta. Deinde jussit eam B in vase frigida aqua pleno ligari, quatenus ex commutatione pœnarum cresceret ei augmentum doloris.

Tertia laus ejus, est virtus miraculorum quæ in ejus passione fiebant. Quum enim posita esset in dolio aqua frigida pleno, subito mota est et contremuit terra, ad demonstrandum quam impiissime contra puellam sanctam atque tenerrimam ageretur, trementeque terra virgo exivit de dolio illo illæsa. Eadem hora visis tantis prodigiis, quinque millia adstantium gen- C tilium sunt conversa, et pro fide Christi decapitata. Metuensque præfectus ne et alii converterentur, præcepit sacratissimam Margaretam subito decollari. Ipsa vero orandi spatio impetrato, oravit pro se et pro persecutoribus suis, et pro agentibus sui memoriam, specialiter quoque ut feminæ in partu periclitationem patientes, eamque invocantes, prolem illæsam emitterent. Tunc vox de cœlo insonuit, quod ejus oratio esset ab Altissimo exaudita. Surgensque ab oratione, capite pro Christo truncata est, et gloriosa martyr effecta.

Præterea de hac virgine sancta in diversis libris ac visionibus multa leguntur sublimia : quod sit apud Deum præcipue potens ad succurrendum tam vivis quam mortuis, et specialiter pia ac prona ad exaudiendum ac suffragandum ; quod item multas animas de purgatorii liberavit pœnis. Idcirco hanc inclytam, victoriosam ac præamabilem Christi sponsam, amicam ac filiam, singulariter diligamus ac deprecemur, ejusque patientiam, constantiam et fervorem sectemur ; sed et prospera mundi ejus exemplo despicere, et nulla adversa formidare discamus. Pensemus quam brevis, fallax et vitiosa sit præsens vita : ideo eam vilipendamus cum suis divitiis, deliciis atque honoribus, ut æterna valeamus tormenta evadere, angelicamque beatitudinem nunquam finiendam acquirere, ad laudem et gloriam Salvatoris.

IN FESTO

B. MARIÆ MAGDALENE

Enarrationem epistolæ, Mulierem fortem quis inveniet? *habes pulchre in Dionysii commentariis super Proverbiorum libro, capitulo ultimo, cum triplici elucidatione.*

ENARRATIO IN EVANGELIUM

ROGABAT JESUM QUIDAM DE PHARISÆIS UT MANDUCARET CUM ILLO, ETC.
Luc. VII, 36-50.

EVANGELIUM istud hodie legitur, quia in eo de felicissima Maria Magdalene multa scribuntur. Itaque Lucas dicit :

Rogabat Jesum quidam de Pharisæis, quorum secta fuit inter Judæos solennis, tamen tempore Christi fuerunt pro maxima parte hypocritæ, Christoque invidentes, eo quod fama, sapientia, eloquentia atque miraculis ipsos præcessit. Et vocabatur Pharisæus hic Simon, ut infra in textu habetur. *Ut manducaret* Jesus *cum illo,* scilicet Pharisæo. *Et ingressus domum Pharisæi, discubuit,* id est, cum ipso comedit.

Et ecce mulier quæ erat in civitate illa in qua Christus cum Pharisæo discubuit, *peccatrix,* quia hucusque fuit multis ac gravibus peccatis assidue serviens et intenta. Denique secundum Gregorium, Augustinum et Bedam, mulier ista fuit Maria Magdalene : quod etiam super Matthæum ex Evangelio evidenter probavi, quamvis nonnulli oppositum dixerint. Itaque Maria Magdalene, ut asserit Beda aliique communiter, Christum bis unxit. Primo, in principio suæ conversionis in civitate quadam Galilææ : de qua unctione jam loquitur Lucas. Secundo, in Bethania in domo Simonis leprosi, sabbato Ramis palmarum, prout Joannes scribit. *Joann.* XII, 1, 3.

Ut cognovit quod Jesus accubuit, id est, manducans fuit, *in domo Pharisæi* præfati, *attulit,* id est, secum portavit, *alabastrum unguenti,* id est vas saxeum factum de marmore candido, in quo unguenta optime conservantur. In hoc vase habuit Maria Magdalene unguentum. *Et stans retro secus,* id est juxta, *pedes ejus,* quoniam propter peccata sua reputavit se prorsus indignam coram Christi facie apparere, ejusque vultum adspicere : quemadmodum publicanus nec oculos suos audebat ad cœlos levare ; *lacrimis cœpit rigare pedes ejus.* Nam ex contritione interna, humilitate præcipua, devotione præfervida, se ipsam in terram circa pedes Christi prostravit, et super eos lacrimas uberes ac calidas fudit. *Et capillis capitis sui tergebat* pedes Salvatoris : per quod eum honoravit ut potuit, et pedes ipsius adspersos pulveribus, quoniam nudis incessit pedibus, optavit mundare, ut sic aptiores essent ungi. Fuit enim ex Christi prædicatione conversa, compuncta ac valide inflammata, atque de suis excessibus *Luc.* XVIII, 13.

Cf. t. XI, p. 282 C et s.

in tantum contrita, quod non erubuit coram convivantibus non vocata intrare, seque in terram prosternere, et tam abundantissime flere, quod pedes Domini suis lacrimis irrigavit. *Et osculabatur pedes ejus* ex dilectionis fervore. Fiducialius quoque accessit ad pedes, tanquam ad infimas corporis partes. Osculabatur igitur pedes Christi, quasi regratians eis, qui eum ferebant per cujus prædicationem ipsa fuit conversa. *Et unguento ungebat* pedes Christi, quia unguentum istud fuit refrigerativum ac corporis delinitivum, et boni odoris.

Videns autem Pharisæus qui vocaverat eum, id est, qui Christum invitavit ad prandium, omnia ista quæ fecit hæc mulier, *ait intra se,* id est cogitavit, *dicens* verbo mentali : *Hic* Jesus quem invitavi, *si esset propheta :* cujus est ex revelatione divina cognoscere aliorum secreta ; *sciret utique,* Deo revelante, *quæ* in proprio nomine, *et qualis* in conversatione, *est mulier quæ tangit eum,* pedes ipsius irrigando, tergendo, osculando, ungendo, *quia,* id est quod, *peccatrix est,* id est, sciret eam vitiis plenam : ideo non permitteret se tangi ab ea ; quod quia permittit, constat quod nesciat qualis sit, ideo nec propheta est. Ista fuit intentio Pharisæi istius, qui taliter cogitando multipliciter valde peccavit. Primo, false ac temerarie judicando, quia tam Christum quam Mariam judicavit in hoc facto culpabilem. Secundo, vitiose indignando, quia tam Christo miserenti quam mulieri pœnitenti fuit indignans. Tertio, culpabiliter reprehendendo. Nam Christum de actu misericordiæ, et Mariam de actibus pœnitentiæ reprehendit. Quarto, dupliciter mentiendo : quia non sequitur, ut si quis propheta exsistat, idcirco omnia aliorum gesta cognoscat ; nec ista Maria jam fuit peccatrix secundum Pharisæi intentionem, sed per intimam contritionem jam fuit justificata ac divino amore succensa. Verum, ut sanctus dicit Gregorius, vera justitia habet compassionem ; falsa, indignationem. Unde si ista Maria Pharisæi se pedibus prostravisset, eam forsitan calcibus repulisset.

Et respondens Jesus, non verbis, sed cogitationibus Pharisæi. Per quod ostendit se plus quam prophetam, non solum facta, sed et cogitationes alterius propalando. *Dixit ad illum : Simon, habeo tibi aliquid dicere.* Ecce Christus virtutum et totius discretionis magister, Pharisæum reprehensurus, dulciter eum familiariterque affatur ; et nominatim exprimens eum, capit benevolentiam ejus, et facit eum intentum : ad innuendum quod qui alium cupit corripere, caritative ac pie hoc facere debet, nisi alterius duritia incorrigibilitasque oppositum exigant. Ideo scriptum est : Corripiet me justus in misericordia et increpabit me. *At ille ait : Magister, dic.* *Ps.* CXL, 5.

Deinde Christus ponit parabolam, quæ secundum sensum superficialem, non habet difficultatem ; sed spiritualis intelligentia ejus tangenda est. Est autem parabola ista de quodam piissimo creditore et debitoribus duobus pauperibus. Ait itaque Christus : *Duo debitores erant cuidam fœneratori : unus debebat denarios quingentos, et alius quinquaginta. Non habentibus illis unde redderent, donavit utrisque,* id est, ambobus debita illa dimisit. Mystice per fœneratorem intelligitur Deus omnipotens, liberalissimus dator omnis boni, atque justissimus ultor omnis peccati : qui dicitur fœnerator duplici ratione : primo, quia pro culpa exigit satisfactionem infligitque pœnam ; secundo, quia pro donis naturæ et gratiæ quæ nobis largitur, exigit famulatum, gratiarum actionem et debitum usum eorum. Porro debitores sunt, qui pro suis peccatis tenentur satisfacere Deo, vel pro bonis a Deo sibi collatis tenentur ei servire ac gratias agere. Et per debitorem quingentorum denariorum, intelliguntur qui vel gravius peccaverunt, vel plura ac majora beneficia sunt sortiti ; per debitorem vero quinquaginta denariorum, designantur qui vel minus transgressi sunt, aut beneficia minora adepti. Isti non habent

unde restituant seu persolvant, quoniam ex se ipsis seu propriis viribus secluso auxilio gratiæ Dei, nequeunt satisfacere Deo aut ei condigne servire. Sed si veniam poscant, et quod in se ipsis est faciant, Deus ignoscit aut suscipit servitutem ipsorum. Imo et ampliora gratiarum charismata ipsis largitur.

Deinde Christus volens concludere Pharisæum, interrogat eum : *Quis ergo eum plus diligit?* id est, quis horum duorum debitorum fœneratorem istum magis diligere obligatur? *Respondens Simon, dixit : Æstimo.* Sobrie loquitur Pharisæus, timens ex propriis verbis convinci a Christo, cujus sapientiam noverat esse magnam. *Quia is cui plus donavit,* id est, cui magis indulsit ac præstitit fœnerator. Nam quanto quis plura aut majora beneficia accepit ab aliquo, tanto plus eum amare tenetur. *At ille,* scilicet Christus, *dixit ei : Recte judicasti,* id est, veraciter respondisti, et verum a falso discrevisti.

Et conversus ad mulierem, id est, faciem suam vertens ad Mariam juxta pedes suos prostratam, *dixit Simoni,* parabolam præinductam ad propositum applicando : *Vides hanc mulierem?* id est, diligenter eam adspicere debes, et opera ejus perpendere, ut cognoscas quam virtuose et amorose se habuit circa me. *Intravi in domum tuam,* invitatus a te : et tamen *aquam pedibus meis non dedisti ; hæc autem,* ex quo intravit hanc domum, *lacrimis rigavit pedes meos.* Quasi dicat : Tu nec exteriori aqua, quæ in promptu habetur, pedes meos lavisti aut lavari fecisti, quum tamen cognoscas quod Abraham et Lot dixerunt ad angelos, quos in principio homines esse putabant : Lavate pedes vestros. Hæc autem mulier aqua proprii corporis, videlicet lacrimis ab interiori defluentibus, lavit pedes meos. *Et capillis suis tersit,* quos tu nec linteo tergere curasti. *Osculum,* quod pacis et amicitiæ est signum, *mihi non dedisti* in vultu ; *hæc autem ex quo intravit, non cessavit osculari pedes meos :* quo patet quod multo affectuosius atque humilius se habuit circa me quam tu. *Oleo caput meum non unxisti,* quum tamen capite nudo incedam, et ob solis adustionem deceat caput meum refrigerativo oleo ungi ; *hæc autem unguento unxit pedes meos,* qui capite inferiores sunt loco ac dignitate : sicque ipsa plus appretiata ac venerata est pedes meos, quam tu caput meum.

Gen. XVIII, 4 ; XIX, 2.

Propter quod, videlicet, quia tàm amorose, reverenter ac humiliter se habuit circa me, *dico tibi : Remittuntur ei peccata multa,* id est, universa ipsius peccata, quæ multa sunt, remissa sunt ei a me auctoritative, secundum quod Deus sum, et ministerialiter, secundum quod homo sum : peccata namque mortalia, quantum ad culpam pariter dimittuntur ; *quoniam dilexit multum :* fervor etenim dilectionis, est spiritualis ignis peccata consumens. Propter quod Salomon protestatur : Universa delicta operit caritas. Ideo et Petrus jubet : Ante omnia mutuam in vobis caritatem habete continuam, quoniam caritas operit multitudinem peccatorum. — Circa hæc possent difficultates satis acutæ moveri : de quibus pertranseo, quoniam super Lucam eas induxi ac solvi, et quia pro simplicioribus ista scribuntur, brevitatique studeo.

Prov. X, 12.

I Petr. IV, 8.

Cf. t. XI, p. 555 B et s.

Cui autem minus dimittitur, minus diligit. Hoc frequenter sic accidit, quod qui minus graviter peccaverunt, tardius convertuntur, et post conversionem remissius seu pigrius habent se, quam qui post graviora convertuntur peccata : quia non putant sibi tam necessariam arduam virtutum exercitationem, et laboriosa pœnitentiæ opera, ut hi qui graviora incurrerunt facinora : qui quanto enormius se peccasse reminiscuntur, tanto frequenter fiunt post conversionem suam ardentiores ac instantiores in actibus sanctis. Propter quod ait Apostolus : Ubi abundavit delictum, superabundat et gratia. Verumtamen non est consequens nec Christus vult dicere quod semper sit ita, videlicet quod plus diligant Deum, aut gratiam ha-

Rom. V, 20.

beant ampliorem, qui peccaverunt enormius, et majorem sunt indulgentiam consecuti. Non enim latro qui Christum in cruce oravit, veniamque obtinuit, factus est ferventior Petro. Nec universaliter ita est, quod minus diligant Deum, quibus minus dimissum est : quia nec virgo Maria, cui nulla dimissa est culpa, nec Joannes evangelista, cui minus dimissum est quam Mariæ Magdalene, minus dilexerunt Deum quam Magdalena. Imo de Virgine beatissima certum est, quod ineffabiliter plus Deum dilexit quam illa, quia aliunde fuit ei major ratio diligendi. Multi quoque in innocentia permanentes, valde ardentius Domino servierunt, quam quidam peccatores gravissimi post suam conversionem, ut patet de sanctis Gregorio et Bernardo.

Dixit autem Jesus *ad illam,* scilicet Magdalenam : *Remittuntur tibi peccata tua* universa. Siquidem larga Dei Patris pietas veniam non dimidiat. Et quod ait Salvator, « Remittuntur tibi peccata tua », si intelligatur de remissione quantum ad culpam, exponendum est per modum præteriti, id est, Remissa sunt : quoniam remissio peccatorum atque infusio caritatis et gratiæ simul sunt tempore, in eo qui de mortali pœnitet culpa. Si vero accipiatur de remissione quantum ad pœnam, exponi potest per modum præsentis : quia ut aliqui dicunt, quando Christus verba hæc protulit, indulsit Mariæ Magdalene peccata sua, quantum ad pœnas eis debitas, plene sive totaliter, propter ardentem ejus ad Christum dilectionem, et vehementem suorum vitiorum detestationem, ac maximam contritionem. Remissio quippe mortalis peccati, quantum ad culpam seu Dei offensam, aut nulla est, aut totalis ; sed remissio pœnæ, communiter fit per partes, nec tota simul, quamvis interdum fiat tota simul, ob æstuantem caritatis ardorem, ingentem peccati pudorem, præcordialem contritionem, confessionis humilitatem, vitiorum detestationem : ad quod etiam in confessione cooperatur vis clavium, et oratio et absolutio sacerdotis.

Et cœperunt qui simul accumbebant, id est, cum Christo ad mensam sedebant ac comedebant, *dicere intra se,* id est cogitare cum aspernatione Christi : *Quis est hic qui etiam peccata dimittit ?* ac si dicant : Nimis extollit se ipsum, et blasphemare videtur, quum Deo sit proprium peccata dimittere. Quamvis enim Christus non dixerit, Remitto tibi peccata tua, sed, Remittuntur, etc. ; ipsi tamen verba ista sic acceperunt quasi dixisset, Remitto, etc., quia frequenter Christus loquebatur de se ipso quasi de alio in tertia persona. Sed quoniam Christus verus est Deus, dimisit peccata per auctoritatem, ut dictum est. Accumbentes vero, ex errore suo quo male senserunt de Christo, cogitaverunt adversus eum.

Dixit autem ad mulierem. Non enim respondit ad cogitationem illorum perversam, quia ut ait Gregorius, Cœlestis medicus ægros respuit quos de medicamine deteriores fieri videt. *Fides tua te salvam fecit,* id est, merito fidei a peccatis tuis es liberata. Fides namque est fundamentum virtutum atque principium actuum meritoriorum, quum sit quasi oculus mentis ad ultimum dirigens finem, et illum menti ostendens. Hinc juxta Scripturas, Justus ex fide vivit ; et, Sine fide impossibile est Deo placere. Nec obstat quod ante dixit Salvator, multa esse peccata Mariæ dimissa quia dilexit multum : quoniam ad eumdem meritorium actum, fides, spes caritasque concurrunt : fides tanquam finem ostendens, spes tanquam præmium præstolans, caritas ut actum præcipiens aut item eliciens. Nunc quoque est mentio de fide formata, quæ caritatem includit. *Vade in pace,* id est, in mentis tranquillitate persiste, quousque ad pacem æternitatis pertingas.

Rom. I, 17. *Hebr.* XI, 6.

Postremo posset hic quæri, quis magis teneatur Deum diligere et ei regratiari, innocens vel peccator conversus. Ad quod super Lucam circa hunc locum respondi ; idcirco dimitto.

Cf. t. XI, p. 557 B.

SERMO PRIMUS

DE CONVERSIONE B. MARIÆ MAGDALENE, DE IPSIUS VIRTUTE ET LAUDIBUS, ET QUÆ IN PECCATIS HOMINEM TENEANT.

MULIEREM fortem quis inveniet? Prov. XXXI, 10.

Sapientissimus Salomon sciens feminei sexus fragilitatem, et rationis in eis debilitatem, atque ad omne malum proclivitatem, non immerito dixit : « Mulierem fortem », id est virtuosam et stabilem, sapientem atque invictam, « quis inveniet? » tanquam dicat : Difficile est et rarum reperire hujusmodi feminam, comparative loquendo, quia de multis vix una est, et de plurimis paucæ. In veteri equidem Testamento fuerunt perpaucæ; sed in novo Testamento, B quod est tempus totius pietatis ac gratiæ, fuerunt multa millia hujusmodi feminarum, quæ quamvis per naturam fragiles et defectuosæ fuerunt, tamen per gratiam Dei virtuosæ fuerunt et valde perfectæ, sexum cum vitiis superantes, omnibus concupiscentiis renuntiantes : quæ in carne vitam duxerunt angelicam, in omni castitate et puritate servientes Altissimo; quarum multæ in perpetua permanserunt virginitate. Imo et innumerabiles fuerunt tales, non solum divina præcepta, sed C evangelica quoque observantes consilia, quæ religionem ingressæ sunt claustralem, et quod majus est, multæ earum solitariam vitam duxerunt. Denique omnium talium feminarum fortissima fuit gloriosissima virgo Maria, atque post eam amantissima ac familiarissima Christi discipula, præelecta Maria hæc Magdalene, quæ tantis a Deo vivo et vero est decorata virtutibus, tantis gratiis exaltata, tantis privilegiis honorata, ut certe ab ejus præconio omnis deficiat lingua hominum in hac vita. Ve- D rumtamen adjuvante omnipotente Domino, hujus præamandæ atque sanctissimæ A Mariæ Magdalene laudes, virtutes et excellentias aliqualiter tangere jam tentabo.

Prima virtus, laus et excellentia ejus est, sua repentina, admirabilis ac perfecta conversio. Quum enim cunctis mortalibus plena esset peccatis, carnalibusque deliciis tota exposita et intenta, in tantum ut proprio nomine perdito, vocaretur peccatrix; *Luc.* VII, 37. ex Christi prædicatione subito et insperate compuncta est, vehementer accensa, valenter ac plene conversa, ita quod juxta multitudinem ac magnitudinem vitiorum suorum fuit multitudo et magnitudo contritionis, compunctionis satisfactionisque suæ. Præterea, perfectio conversionis beatissimæ Mariæ Magdalene ex multis perpenditur quæ solent homines ad peccata inducere et in peccatis tenere. Primum est corporis pulchritudo; secundum, affabilitas ac dulcedo in conversatione humana : per quas homo placet et amabilis fit hominibus, ac frequenter ad peccata allicitur, imo allicit. Tertium est nobilitas generis, quæ sæpe superbiam parit. Quartum est opulentia rerum, quam carnis voluptas consequi solet. Quintum est irrefrenata libertas. Sextum est prava societas. Septimum, consuetudo iniqua. Octavum, adolescentia seu juventus. Omnia ista fuerunt in Maria Magdalene. Fuit namque valde formosa et eloquens, atque in humano convictu suavis, affectuosa ac hilaris. Fuit quoque nobilis, imo illustris, utpote ex regia stirpe descendens. Fuit etiam plurimum dives, et domina castelli nomine Magdalum, a quo et Magdalena est appellata. Erat item male libera, utpote utroque parente orbata, nec fuit qui eam compesceret. Sed et libidinosorum consor-

tio abundavit, et propter prædicta multi in ejus concupiscentiam exarserunt. Vitiosæ demum consuetudini diu servierat, et adolescentula fuit. Quum ergo tot haberet incitamenta peccandi, tot retinacula in peccatis, tot impedimenta salutis : quis unquam putasset eam tam subito atque plenarie convertendam? Verum, ut ait Salvator, Spiritus ubi vult spirat. Estque unum gratiæ genus, quod non solum inclinat ad bonum, sed omne quoque boni obstaculum, omnem obicem tollit. Et quos Deus prædestinavit, hos et vocat, convertit et applicat sibi. Insuper perfectio conversionis sacratissimæ hujus Mariæ pensatur ex termino ad quem, hoc est ex dispositione suæ mentis, ad quam per suam conversionem devenit. Nam sicut ante suam conversionem fuit in septem peccatis mortalibus quasi extreme, ea tam frequenter et affectuose seu fervide iterans et exercens, ita quod indesinenter toto cordis affectu vitiis et concupiscentiis serviebat, sine mensura ac reservatione transgrediens; ita post suam conversionem pervenit ad virtutes præfatis peccatis contrarias, secundum supremum gradum earum : incessabiliter cum omni fervore insistens fuit excellentissimis actibus harum virtutum, ita quod sicut ante fuerat superbissima, valde gulosa, acediosa, lasciva, etc., sic postmodum facta est humillima, sobriissima, ferventissima, castissima ac spiritualissima.

Joann. III, 8.

Rom. VIII, 30.

Marc. XVI, 9.

Secunda virtus et excellentia ejus est, admiranda satisfactio ejus in primordio suæ conversionis : de qua satisfactione jam in expositione aliqua tacta sunt. Mox etenim ut inspirante superpiissimo Deo, peccata sua attendit, et mente ad Deum conversa est per contritionem præcordialem fervidumque amorem, properavit ad eum quem peccando offenderat, Dei Unigenitum, Deum incarnatum : et quantum contra eum se extulit per tumorem superbiæ, tantum se ei humiliavit, coram ipso se prosternendo humillime; et quantum male glorificavit se et in deliciis fuit, tantum coram Christo se ipsam afflixit, intime dolendo atque tam copiose plorando, quod lacrimis suis pedes rigavit illius. Denique tam ineffabiliter de suis doluit culpis, et tantum coram Deo de suorum turpitudinibus vitiorum erubuit, quod non obstante sui generis dignitate prænobili, nec adolescentia aut opulentia, non vocata coram tot discumbentibus introivit, et in eorum præsentia tantum se humiliavit, tam copiose flevit, et cetera quæ in evangelio isto scripta sunt egit. Etenim mens ejus ita fuit absorpta divino amore, contritione interna, compunctione amara, et sancto de suis peccatis pudore coram Deo, quod de humana confusione, irrisione, aspernatione non curavit, imo nec exteriora attendit. Interea in illo convivio implevit felix hæc Magdalena quod postmodum docuit Paulus apostolus, dicendo : Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ et iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem. Quemadmodum enim ante peccaverat per oculos suos, hinc inde vagissime ac lascive adspiciendo, ita nunc satisfecit per oculos suos, tam uberrime lacrimando. Et sicut caput suum vitiose ornavit per proprios crines, sic nunc suis capillis optime usa est, per eos tergendo pedes Christi, quos lacrimando rigavit; caputque suum humiliter dejecit in terram ac deornavit per capillorum suorum dispersionem ac decolorationem, quod ante pompose erexit ac vane ornavit per crines. Rursus, unguento quo ante fuit abusa pro sui corporis suavi odore, virtuose nunc usa est pro pedum Christi refrigeratione et unctione. Manibus quoque suis quibus abusa fuit per libidinosos contactus, nunc bene usa est, per eas tergendo Domini pedes. Postremo, quemadmodum totum corpus suum exposuit vitiis, sic totum illud modo prostravit pietati et excellentiæ Salvatoris. Hinc dicit Gregorius : Quot ante in se habuit carnis oblectamenta, tot postmodum de se invenit holocausta. Nam per quæ ante offenderat Deum, per ea honoravit nunc eum.

Luc. VII, 37, 38.

Rom. VI, 19.

Apoc. XVIII, 7.

Tertia laus et excellentia ejus est, quod universi quatuor Evangelistæ tanta conscribunt de ea, tamque solennem de ea efficiunt mentionem. Imo de nulla femina tanta conscribunt sicut de ea, excepta Virgine gloriosa. Unde in evangelio hodierno sanctus evangelista Lucas verbis paucis expressit multa et magna nimis præconia de hac felici Maria, de qua in evangelio S. Joannis frequens ac laudibus plena fit mentio.

Quarta laus et excellentia ejus est, quod tam familiarissima fuit Christo, tamque fidelissime ac inseparabiliter ei adhæsit a suæ conversionis exordio. Ubique enim secuta est Salvatorem, in Judæa, in Galilæa
Luc. x, 39. atque Samaria; et ubique ad pedes ejus sedere nitebatur dum potuit, ut verba suæ sanctissimæ prædicationis audiret attentius. Ex dilectione quoque et familiaritate hujus Mariæ, Christus Dominus domum
Ibid. 38. suæ sororis, videlicet Marthæ, in hospitium
Joann. xi, 1 et seq. suum eligere est dignatus. Sed et fratrem ejus Lazarum suscitavit a mortuis. Denique eam ubique non solum dulciter excusavit, sed et favorabiliter valde laudavit, utpote : primo in isto convivio in domo
Luc. vii, 44-46. Pharisæi peracto, in quo obsequia sibi ab ea exhibita, tam distincte enumeravit, ut sibi acceptissima esse monstrarit, eamque prætulit Pharisæo, et quod esset purgata a vitiis atque incensa ardoribus divini amoris, est contestatus. Secundo excusavit collaudavitque eam in domo Marthæ suæ sororis, negligentiam et desidiam huic Ma-
Ibid. x, 40. riæ imponendo, dicentis : Domine, non est tibi curæ quod soror mea reliquit me solam ministrare? Cui Christus respondit : Maria optimam partem elegit, etc. Tertio, *Luc.* x, 42. in convivio facto in domo Simonis leprosi in Bethania, sabbato Ramis palmarum, ubi quum proditor et alii quidam indignarentur Mariæ de unguenti effusione super *Matth.* xxvi, 8. caput Domini Jesu Christi, Salvator ipse respondit pro ea : Quid (inquiens) molesti *Ibid.* 10. estis huic mulieri? opus enim bonum operata est in me. Insuper Christo in sua passione fidelissime adfuit, et ei inæstimabiliter condolebat, cum lacrimis sequebatur eumdem crucem suam propriis humeris bajulantem, et ultima recessit a cruce. Prima quoque rediit ad Christi sepulcrum, *Joann.* xx, 1. in quo eum ungere fuit parata. Ecce quanta erat hujus beatissimæ mulieris ad Christum dilectio atque fidelitas.

Verum ne sermo hic nimium protrahatur, quæ restant dicenda, sequenti reserventur sermoni. Atque in præinductis sacratissimam Mariam Magdalene sectemur. Primo, ut audiendo verba Christi per os prædicatorum aut vicariorum seu devotorum suorum, compungamur, pœniteamus et inflammemur; deinde ad Christum in dextera Patris residentem, per fidem ac caritatem accedamus, veniam postulantes, et per vitiorum nostrorum deplorationem pedes ipsius ungentes, ut gratiam consequamur, et gloriam adipiscamur æternam precibus ac meritis gloriosissimæ Mariæ Magdalene : cujus hoc die patrocinia invocemus, eamque post Virginem, Christi Matrem, præcipue diligamus ac veneremur.

SERMO SECUNDUS

DE COMMENDATIONE MARIÆ MAGDALENE A MAGNITUDINE SAPIENTIÆ ET EMINENTIA SANCTITATIS.

MARIA *optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Luc. x, 42.

In his verbis Christus Mariam Magdalene sanctissimam de duobus commendat. Primo, de magna sapientia ejus, eo quod tam saluberrime irreprehensibiliter-

que elegit. Nam bene eligere est actus prudentiæ, per quam homo discernit inter bonum et malum, inter bonum quoque et melius. Excellentis ergo sapientiæ fuit actus, quod Maria hæc optimam partem elegit. Secundo, Christus eam commendat de magnitudine sanctitatis, eo quod optimæ parti adhæsit. Sed quæri potest, quæ sit optima pars quam elegit Maria. Et respondendum, quod hæc optima pars, est id de quo statim ante hæc verba ait Salvator : Porro unum est necessarium. Hoc etenim unum summe necessarium, est de quo loquitur Jeremias : Pars mea Dominus, dixit anima mea ; et Psalmista, Dominus pars hereditatis meæ et calicis mei. Itaque optima pars quam elegit Maria, est unus ac simplicissimus Deus, seu Deo pura mente vacare, et ei jugiter adhærere, juxta id Psalmistæ, Adhæsit anima mea post te ; et, Mihi adhærere Deo bonum est. Hanc elegit Maria, videlicet Deum summum et incommutabile bonum contemplari atque diligere, et circa ipsum occupari : quod fecit post suam conversionem usque ad Christi passionem ; postmodum vero multo perfectius egit hoc ipsum, quemadmodum nunc ex ejus virtutibus atque præconiis ostendetur. — In præhabito autem sermone de quatuor est laudata.

Luc. x, 42.

Thren. III, 24.

Ps. XV, 5.

Ps. LXII, 9.

Ps. LXXII, 28.

Cf. p. 253 A et s.

Itaque quinta laus ejus est, quod præ universis Christi discipulis, tam Apostolis quam ceteris, et præ omnibus feminis sanctis quæ eum fuerunt secutæ, ipsum Dominum Jesum Christum sepultum tertio die a sua passione, celerius quo potuit, utpote summo mane dum adhuc tenebræ essent, ardentius audaciusque quæsivit, ac ungere concupivit. Apostolis quoque Petro et Joanne ac ceteris feminis sanctis a sepulcro recedentibus Christi, ipsa manserat ibi, stetitque juxta illud plorans ac mœrens : et quam ardentissime suum dilexit magistrum ante ipsius passionem, post passionem ejus taliter demonstravit.

Marc. XVI, 1, 2; *Joann.* XX, 1.

Joann. XX, 10, 11.

Sexta laus et excellentia ejus est, quod Christus in die suæ resurrectionis ei primo apparuit, juxta illud Marci : Surgens Jesus mane, prima sabbati, apparuit primo Mariæ Magdalene. Apostolorum quoque suorum eam fecit apostolam, dicens ad eam : Vade ad fratres meos, id est Apostolos, et dic eis : Ascendo ad Patrem meum. Venit ergo Maria, nuntians discipulis : Quia vidi Dominum. Hoc quoque ad ejus spectat præconium, quod quum staret plorans ad monumentum, et introspiceret illud, vidit duos angelos in albis sedentes, unum ad caput, et alium ad pedes, ubi positum fuerat corpus Jesu.

Marc. XVI, 9.

Joann. XX, 17, 18.

Ibid. 11, 12.

Septima laus, virtus et excellentia ejus est, sua vita sanctissima quam post Christi ascensionem et Spiritus Sancti missionem duxit in terra, usque ad tempus quo eremum est ingressa. Quum enim in die Pentecostes cum Apostolis aliisque utriusque sexus præelectis personis accepisset Spiritum Sanctum, omnia sua vendidit, et pretium coram Apostolis posuit, atque per tempus permanens in Judæa sub Apostolorum regimine, in omni conversata est sanctitate. Tandem infideles obstinatissimique Judæi, eam cum sua sorore B. Martha, et fratre suo Lazaro, sanctoque Maximino, uno de septuaginta duobus Christi discipulis, cui princeps Apostolorum beatissimus Petrus commendavit Mariam Magdalene, ac aliis multis sanctis fidelibus navi imposuerunt, omnesque illos sine gubernatore et remige per mare ejecerunt, et navigare fecerunt a se, ut scilicet omnes submergerentur ; sed Deo disponente, et ejus angelo deducente, devenerunt Massiliam : ubi quum nullus eos hospitio vellet accipere, sub quadam porticu permanserunt in omni paupertate et patientia.

Act. II, 1 et seq.

Octava laus ejus est, eminentia mirabilium quæ patravit. Quum enim felicissima hæc Maria esset Massiliæ, et populo ad sacrificia idolorum confluenti prædicasset fidem et legem Christi, nec tamen ab infidelibus ipsa et alii qui secum erant Christifideles hospitarentur, ipsa bis per noctem in visione mirabili apparuit conjugi principis illius provinciæ, increpans eam quia sanctos illos Christianos non bene

tractaret : præcipiens quoque ut suo persuaderet marito, necessaria vitæ illis Sanctis communicare. Quod dum mulier illa suo marito indicare negligeret, B. Maria Magdalene tertia nocte rursus per visionem tam uxorem quam ejus maritum horribiliter objurgavit. Tunc territi ambo, Mariam Magdalene ac reliquos Sanctos illos susceperunt hospitio, ac refecerunt. Quadam vero vice dixit ad eam princeps prædictus : Ecce prædicationibus tuis ego et conjux mea obediemus, si nobis filium a Deo quem prædicas, obtinueris. Oravit ergo pro eis. Quumque conjux principis esset imprægnata, vir ejus, juxta consilium Mariæ Magdalene, voluit navigare Romam ut Petrum videret ac audiret apostolum, et plenius instrueretur ab eo. Porro conjux ejus importunis ab eo precibus impetravit ut navigaret cum ipso. Quumque essent super mare, et gravissima oriretur tempestas, irruit in eam repente dolor parturientium, et inter angustias parturiens filium, exspiravit. Tunc vir ejus mœstissimus a nautis obtinuit quod corpus suæ uxoris cum infantulo in colle quodam eminente in medio maris depositum esset. Post hæc vir Romam veniens, a beatissimo Petro in fide plenissime est instructus, atque ab ipso ad Jerosolymæ partes ductus, ubi omnia loca in quibus Christus prædicavit, miracula fecit, passus est et ascendit, Petrus eidem viro ostendit. Qui expleto biennio per mare revertens, et colli præfato propinquans, viso ibi puerulo, illuc applicuit; puerumque amplectens, locutus est : O Maria Magdalene, quam felix essem, si et mulier hæc respiraret. Et ecce mulier illa quasi a somno evigilans, dixit : Magni es meriti apud Deum, o Maria Magdalene, quæ mihi in partu et ceteris necessitatibus adstitisti. Deinde dixit marito : Quemadmodum S. Petrus tibi ostendit omnia loca sacra, sic et Maria Magdalene ad eadem me deduxit, et cuncta monstravit. Tunc vir ineffabili gaudio plenus, cum uxore Massiliam rediit, et coram Maria Magdalene tam ipse quam conjux se prosternentes, cuncta quæ eis contigerant, retulerunt; et a B. Maximino susceperunt Baptisma, atque in urbe sua omnia idolorum templa destruentes, Christi ecclesiam construxerunt ibidem, ac S. Lazarum, Mariæ fratrem, elegerunt concorditer atque fecerunt loci illius episcopum. Post hæc, beatissima hæc Maria cum sua societate ad civitatem pervenit Aquensem, cujus populum ipsa cum ceteris præfatis per multa convertit miracula : in qua S. Maximinus factus est præsul. Postremo, etiam post obitum suum multis fulsit miraculis. Nam et militem sibi devotum, in prælio sine confessione occisum, suscitavit a mortuis : qui facta confessione, et corpore Christi sumpto, iterum obdormivit in Domino.

Nunc igitur hujus beatissimæ feminæ imitemur vestigia, despiciendo ista terrena ac carnalia vitia universa, quatenus Deo sancto, vero et immortali adhæreamus et obsequamur jugiter mente pura. Deploremus quotidie vitia nostra, et de hoc quod Dominum Deum creatorem nostrum toties tamque enormiter inhonoravimus atque offendimus, vehementissime doleamus; et pro nostris excessibus, omnia quæ nobis occurrunt adversa æquanimiter patiamur; omnique hora, per orationes devotas et meditationes salubres levemus corda nostra ad Deum, ut ipse in omnibus nos tueri et gubernare dignetur, ad laudem nominis sui.

SERMO TERTIUS

DE EREMITICA CONVERSATIONE B. MARIÆ MAGDALENE, ET QUOMODO SIT IMITANDA.

SUB umbra illius quem desiderabam, sedi, et fructus ejus dulcis gutturi meo. Cant. II, 3.

Quum electissima Christi discipula, sanctissima Maria Magdalene, per aliquot annos ex fervore caritatis fraternæ animarumque zelo, pro infidelium conversione fortiter laborasset, prædicando, hortando, miracula faciendo, tandem cupiens Sponso cœlesti libera ac quietissima mente vacare, et in solo Deo quiescere, ac uni illi quod solum necessarium est, jugiter sine interruptione quantum possibile est in hac vita, per contemplationem purissimam fervidissimumque amorem intendere, a cunctis recedens hominibus, vastissimam eremum est ingressa.

Luc. x, 42.

Itaque, de octo excellentiis ejus in præinductis sermonibus, quod Dominus dedit conscripto, nunc de reliquis ejus excellentiis aliquid est tangendum. Nona ergo excellentia ejus est, solitaria et eremitica vita quam per triginta annos in aridissimo duxit deserto privato omni humano solatio, ubi tot annis cunctis hominibus fuit incognita. Idque non modicum auget ejus præconium, quod ipsa in novo Testamento prima hoc arduissimum atque altissimum vitæ genus aggressa est, quum esset et fragilis sexu, et tenera nobilisque matrona. Unde omnium eremitarum ac anachoretarum magistra, mater et exemplar effecta est. Denique in illo deserto nec aqua fuit, nec arbor, nec herba humano esui apta : ex quo innotescit, quod non terrenis, sed cœlestibus alimoniis eam Deus ibi nutrire decrevit.

Cf. p. 253 A' et s., 256 C et s.

Decima excellentia ejus est, excessus contemplationum ipsius in vita præfata, in qua ad tam angelicam puritatem, ad tam cœlestem perfectionem a Spiritu Sancto perducta est, quod quotidie septies, secundum Horas canonicas, ab angelis sanctis elevabatur in aere, atque cœlestium agminum suavissimos cantus etiam auribus audivit corporeis : sicque per singulos dies cœlestibus refecta consolationibus, nequaquam corporalibus eguit alimentis. O præelectissimam Christi discipulam, o amantissimam Dei sponsam, o beatissimam mulierem, quæ in carne mortali et in hoc sæculo nequam, tam angelice, tam supernaturaliter, tam divinissime vixit, cui cives cœlestes tam familiares fuerunt, quæ in Dei amore tam ineffabiliter arsit, et in caritatis sanctæ fervore quotidie tam excellenter profecit ; quæ luci inaccessibili tam intime fuit conjuncta, tam profunde immersa, tam splendidissime, stabiliter ac deliciose intenta ! Denique, quum caritatis fervori seu perfectioni correspondeat essentiale præmium Sanctorum in patria, quis possit excogitare aut fari, quantum beatissima hæc Maria creverit seu incrementum meruerit omni hic die in felicitate æterna, in Dei beatifica visione, in fruitione ejus prorsus dulcissima ? Quid enim aliud egit die ac nocte per annos illos triginta, nisi Deo vacare, eum laudare, orare, contemplari, diligere quasi continue, omnique hora validius ipsum amare, intensius inflammari, ita quod tota resolvebatur ac transformabatur in Deum ? Ecce hæc fuit nobilissima ac felicissima occupatio ejus die ac nocte.

Undecima excellentia ejus est, gloriosa et miraculosa consummatio ejus. Quum enim per triginta annos habitasset in eremo, et sacerdos quidam non remote ab ea in eadem eremo manens, Deo ejus oculos

aperiente, quadam die vidisset qualiter angeli descendentes eam quotidie elevabant in aere, se Deo commendans, perrexit ad speluncam super quam angeli descenderant atque Mariam hanc reportaverant. Quumque ad jactum lapidis propinquasset speluncæ, non potuit ultra procedere, sed stupida reddebantur crura ipsius. Adjurans ergo dixit : Per Deum adjuro te qui in illa moraris spelunca, ut dicas mihi an rationalis sis creatura. Respondit B. Maria Magdalene : Meministi de famosa illa peccatrice quæ pedes Salvatoris lacrimis lavit? Et ille : Utique. Cui Maria : Ego sum (inquit) illa ; et quoniam Deo revelante scio me cito migraturam de sæculo isto, vade, dic Maximino episcopo, ut proximo die Resurrectionis dominicæ, hora qua ad Matutinas surgere solet, oratorium solus ingrediatur, et ibi me inveniet. Quumque Maximinus episcopus juxta sacerdotis relationem hora præfixa oratorium introisset, invenit beatissimam Mariam Magdalene in choro in medio angelorum stantem et duorum cubitorum spatio a terra levatam, extentisque brachiis exorantem ; splenduitque vultus ejus ut sol. Convocato autem præfato sacerdote omnique clero, B. Maria Magdalene corpus et sanguinem Christi cum maxima lacrimarum inundatione suscepit ; deinde ante altare devotissime se prosternens ac orans, tradidit spiritum. Et protinus suavissimus odor ibi diffusus est, qui per septem dies duravit. Præfatus demum episcopus sacratissimum Mariæ hujus corpusculum, diversis conditum aromatibus, cum ingenti sepelivit honore, atque post mortem suam se juxta eam sepeliri præcepit.

Ecce quantum hanc suam carissimam A Magdalenam Christus honoravit altissimus. Ipsa plane est pœnitentiæ forma, pœnitentiumque exemplar, vas ineffabilis misericordiæ Dei, honor et gloria populi christiani, quæ cunctis fidelibus post beatissimam Christi Matrem est singulariter diligenda, honoranda et invocanda : quam qui bene considerat, desperare non potest. Sed imitemur virtutes ipsius, vilipendamus omnem prosperitatem terrenam, et ad cœlestem beatitudinem toto properemus cordis affectu : quoniam teste Apo-
B stolo, mundus transit et concupiscentia ejus. Nec aliquid est tam stultum, sicut propter hujus brevissimæ vitæ divitias, delicias et honores, summum et incommutabile bonum quod Deus est, perdere, æterna felicitate privari, et ultra hoc perpetuam illam infernalem calamitatem ac pœnam mereri ac adipisci. I *Joann.* II, 17.

Fuit clericus nomine Stephanus, qui ad tantam vitiorum enormitatem devenerat, quod nec verba exhortationis aut correptionis volebat audire. Verumtamen in
C beata hac Magdalena magnam habebat devotionem, ejus quoque vigiliam jejunavit festumque coluit. Cui semel in visione apparuit hæc Maria inter duos stans angelos, eumque increpans quod tam impie conversaretur, dixitque : Surge et pœnitentiam age, quia nec ego te deseram, donec Deo fueris reconciliatus. Qui mox tantam sibi infundi gratiam sensit, quod cœnobium intravit, atque in eo perfecte se emendavit. In cujus morte visa est beatissima hæc Maria juxta feretrum cum
D angelis adstitisse, ejusque animam quasi columbam cum laudibus in cœlum tulisse. Ex quo probatur quam bonum sit et salubre, beatissimam Magdalenam in honore habere. Ad laudem Dei.

AD RELIGIOSOS

SERMO QUARTUS

QUAM VARIIS AD SE MODIS TRAHAT DEUS ANIMAS ; ET QUID SIT IN CELLAM VINARIAM INTRODUCI.

INTRODUXIT me rex in cellam vinariam, ordinavit in me caritatem. Cant. II, 4.

Variis modis allicit et conjungit sibi omnipotens Deus animas hominum in hac vita. Quosdam etenim homines post expurgationem ab originali, præservat a peccatis mortalibus, in innocentia eos custodiens, et faciens eos sibi servire desiderio felicitatis æternæ, aut (quod perfectius est) ex puro Deitatis amore, eo quod Deus in se ipso sit summe honorabilis atque amabilis, non intuitu præmii seu ex reflexione aliqua ad mercedem. Aliquos vero permittit innocentiam perdere et ad tempus errare ; et tamen quia electi sunt, tempore desuper præstituto eos reducit, et quosdam per tribulationes et adversa, quibus dat vexatio intellectum : in quibus impletur quod per Osee prædixit, Sepiam viam tuam spinis. Quosdam vero reducit timore damnationis æternæ : in quibus timor servilis fit initium sapientiæ ; qui dicere possunt Deo : A verbis tuis formidavit cor meum. Alios reducit et allicit spirituali et occulta quadam dulcedine et consolatione interna : quorum corda superpiissime prævenit et compungit, ac miro fervore succendit. Illuminat namque corda eorum ad intuendum quam scelerate vixerunt, quam graviter Dominum offenderunt, quam ingrati suo fuerunt Creatori, ita quod peccata eorum ipsis incipiunt displicere in quantum fuerunt inhonorativa offensivaque Dei. Et per spirituales suavitates, quas eis infundit, retrahit eos a voluptatibus pravis. Et hic modus conversionis est altior. Sicque convertit beatissimam Mariam hanc Magdalene : quæ quum esset juvencula, speciosa, nobilis, opulenta, omni se dedit voluptati ; sed adspirante ac radiante in ea Spiritu Christi, subito est compuncta, dulciter affecta, vehementer contrita, ac deinceps ducta in cellam vinariam, in sanctuarium Dei, in torrentem voluptatis divinæ.

Quæ est ista cella vinaria ? Certum quod per eam intelligi possit militans, et multo aptius, triumphans Ecclesia, in quibus vinum Spiritus Sancti potatur, id est, divinæ bonitatis affluentia degustatur, summæ bonitatis amore cor inebriatur, increatæ beatitudinis atque dulcedinis participatione rationales spiritus copiose reficiuntur. Rursus, cella vinaria fuit cœnaculum istud grande, in quo gloriosi Apostoli aliique discipuli una cum sanctis mulieribus, quarum una fuit beatissima ista Maria, susceperunt Spiritum Sanctum in copia maxima, in plenitudine inaudita, in participatione dulcissima : unde subito spiritualiter ac feliciter inebriati, cum tanto impetu sunt egressi, cum tanto cœperunt prædicare fervore, tantam ostenderunt constantiam, quod adversarii fabulabantur : Quia musto pleni sunt isti. Iterum, cella vinaria fuit illa deserti spelunca, ubi triginta annis morata est Magdalena, nulli hominum interim visa, vitam agens cœle-

Is. XXVIII, 19. *Osee* II, 6. *Ps.* CX, 10. *Ps.* CXVIII, 161. *Cant.* II, 4. *Ps.* LXXII, 17. *Ps.* XXXV, 9. *Act.* I, 13, 14. *Ibid.* II, 1 et seq.

stem in terris : ubi quotidie dulcedine contemplationis supernæ, fervore dilectionis, delectatione melodiæ angelicæ, adspectu, deportatione, consortio angelorum sanctorum, tanquam suavissimis ac fortissimis vinis eatenus est repleta, quod alimenta alia non quærebat. Adhuc autem cella vinaria est bona conscientia, mensque devota, in quibus spirituales deliciæ continentur, et variæ refectiones confortationesque animæ. Cella quoque vinaria est sapientiæ donum, in quo mystica theologia sicut actus in habitu continetur, et delectatio gustatur secreta. Imo et cella vinaria est quæcumque congregatio virtuosa : in qua multiplex vinum est, id est diversa charismata Spiritus Sancti, quoniam unusquisque proprium donum tanquam speciale vinum habet a Deo, quo dono et alium potest potare, id est aliquo modo ei prodesse.

I Cor. VII, 7.

Itaque in omnes cellas istas vinarias introduxit Rex cœlestis, Christus Dominus, hanc electissimam suam discipulam Mariam Magdalene. Introduxit quippe eam primo in militantem ac primitivam Ecclesiam : quia quæ antea fuerat membrum Synagogæ ac Satanæ, operante Unigenito Dei facta est virtuosa persona Ecclesiæ primitivæ ex Judaismo conversæ, ac vivum ac optimum membrum Christi. Primo namque magna peccatrix, facta est sancta, eximia, tamque excellens in sanctitate quantum ante abundavit in vitiositate.

Deinceps in die sancto Pentecostes introducta est a Rege Christo in cellam secundam vinariam, utpote in grande illud cœnaculum, in quo tunc tanto exuberantius repleta est Spiritu Sancto, quanto ad ejus copiosam susceptionem fuit magis disposita, hoc est, in fide, compunctione, devotione, dilectione præclarior. Si enim ante Christi passionem tam familiarissima, compunctissima et devotissima fuit Salvatori, imo si in conversionis suæ exordio tanta repleta est contritione, quod coram convivantibus non erubuit introire, seque coram Christo prosternere, et sua deflere peccata ; tanta quoque compunctione, quod suis lacrimis lavit pedes Salvatoris ; tanta item dilectione, quod dictum est de ea, Remissa sunt ei peccata multa, quia dilexit multum ; tanta demum devotione, quod sorore ejus Martha circa frequens obsequium occupata, ipsa ad pedes Christi sedebat, tota aviditate verbis ejus intenta, et optimam jam eligens vitam : quanta fuit ejus compunctio, contritio, devotio et dilectio post Christi resurrectionem, quum surgens a morte ei primo apparuisset, et sæpius eum vidisset, atque in cœlum conspexisset ascendere ? Quum ergo tam speciali excellentia fuerit in die Pentecostes ad abundantissimam Spiritus Sancti infusionem aptata, palam quod exuberantissima ejus susceperit charismata ; et ex illo die et deinceps in omni fervore, devotione, sapientia, perfectione mirabiliter valde præfulsit. Quod etiam ex ejus probatur Legenda : quoniam dum cum quibusdam magnis utriusque sexus Sanctis devenisset Massiliam, ipsa præ omnibus illis prima orsa est Christum constantissime prædicare, et in visione principi terræ ejusque conjugi miro modo apparuit, comminationes exhortationesque fecit, et puerum impetravit eis a Domino, atque cum principissa illa conversa et in mari periclitata, mirabilissima egit, ac suis miraculis et doctrinis multos convertit ad Christum.

Luc. VII, 47. *Ibid.* X, 38-42. *Marc.* XVI, 9 ; *Joann.* XX, 11-18 ; *Matth.* XXVIII, 9 ; *Act.* I, 9. *Cf.* p. 256 D' et s.

Post hæc introducta est a Rege in cellam illam vinariam, deserti speluncam, in qua triginta annis mundo incognita, cœlestibus consolationibus refectionibusque divinis tanto copiosius refovebatur, quanto plus deerant ibi humana solatia, quia neque aquarum fluenta, nec herbæ, nec arbores erant ibidem. Ipsa vero quotidie septem horis canonicis ferebatur in aera angelicis manibus, et cœlestium agminum gloriosos dulcissimosque concentus audivit, etiam corporalibus auribus. De quo Sancto aut Sancta legitur quid æquale ? quanquam magna legantur de beatissima Maria Ægyptiaca, sanctoque Paulo primo eremita.

Insuper introducta est in cellam vinariam, id est sinceræ conscientiæ mansionem, mentisque devotissimæ thalamum. Nam rediit ad se ipsam, discussit et ex-
II *Cor.* I, 12. purgavit conscientiam suam, et gloria ejus fuit testimonium conscientiæ suæ, quod de suis excessibus tam efficaciter et complete pœnituit, atque post suam conversionem tam perseveranter, fructuose et sancte se habuit.

Studeamus ergo et nos cum affectuosissima hac Maria introduci in præfatas cellas vinarias, ut simus viva membra B Ecclesiæ, et a Spiritu Sancto regamur, moveamur et perficiamur in omnibus. In religione quoque, quæ utique rite vocatur cella vinaria, vere religiose jugiter conversemur ; et in cellulis nostris, tanquam in cellulis vinariis, cœlesti consolatione spiritualique gaudio recreemur, angelico consortio delectemur, contemplationis dulcedini immoremur, supernorum inunda-
Cant. VIII, 2. tione charismatum tanquam vino condito et malorum granatorum musto perfunda-
Prov. IX, 5. mur, potemur et inebriemur, bibentes C vinum quod Sapientia miscuit nobis, quod
Zach. IX, 17. germinat virgines, quum in vino materiali
Ephes. V, 18. sit luxuria virginum corruptiva.

A Postremo, ut hæc consequi mereamur, introeamus quotidie, imo omni die frequenter, secretum conscientiæ nostræ, et redeamus ad cor, ad habitaculum nostræ *Is.* XLVI, 8. mentis, vivaci perscrutatione inspicientes an quid Dei offensivum in nostris resideat cordibus, an quid veræ religioni, sanctæ caritati, spirituali profectui contrarium egimus, an negligentiæ et torpori dedimus locum, an linguæ incontinentes fuimus, an vagi corde ac sensibus, an in cibo, potu, somno superflui, an impetum passionum sequendo, longe a recta discessimus ratione, an juxta nostræ vocationis exigentiam ac nostræ professionis tenorem, spirituali profectui condignam præstitimus operam, an scandalizavimus seu inquietavimus quemquam. Et in quocumque horum aut consimilium invenerimus nos esse culpabiles, protinus pœniteamus et castigemus nos ipsos, veniamque poscamus et confiteamur plenarie, satisfaciamus pro posse, de cetero talia omni cum vigilantia mentis caventes, et coram Altis- *Mich.* VI, 8. simo in omnibus timorate ac custodite, ferventer ac sincerissime, incessabiliter ambulantes, ad laudem et gloriam ejus. Amen.

SERMO QUINTUS

CONTRA LAPSUM IN PECCATA, ET QUOD DELICTA NOSTRA NEQUAQUAM PARVI PENDENDA SINT ; DE JUDICIO ITEM TEMERARIO CAVENDO.

EXUI tunicam meam, quomodo induar illa ? Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos ? Cant. V, 3.

Hortatur nos Paulus apostolus ad Colos-
Coloss. III, 9, 10. senses : Exspoliate vos veterem hominem cum actibus suis, et induite novum qui renovatur in agnitionem Dei. Hoc est quod
Ephes. IV, 22. etiam ad Ephesios monet : Deponite vos secundum pristinam conversationem veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris. Hoc est, vos ipsos se-

D cundum esse vetustæ infectionis ac pravitatis relinquite, et corpus quantum ad carnales ejus concupiscentias vitiosaque opera amovete et mortificate : prout rursus Paulus hortatur, Mortificate (inquiens) *Coloss.* III, membra vestra quæ sunt super terram. 5. Unde præcipit et Salvator ut manum, pe- *Matth.* V, dem, oculum scandalizantes abscindamus 29, 30. aut eruamus : non utique substantialiter ipsa membra, sed usum eorum illicitum.

Itaque, juxta hunc sensum ait in Canti-

Cant. v, 3. cis Sponsa : « Exui tunicam meam », id est carnem mortalem, quæ est animæ tegumentum ac vestis (de qua in sua Canonica *Judæ* 23. loquitur sanctus apostolus Judas, Odientes eam quæ carnalis est maculatam tunicam); hoc est, carnalia desideria operaque immunda deserui : « quomodo induar illa ? » id est, qualiter ad pristina illa peccata revertar ? quasi dicat : Non licet; quum vulnera repetita sint graviora, et recidivantes per ingratitudinem suam mereantur ut peccata indulta eis, secundum quemdam *Matth.* modum, Christo testante, denuo imputen- B *xviii*, 32-35. tur. Propter quod in secunda sua epistola II *Petr.* ii, princeps Apostolorum disseruit : Si refu- 20-22. gientes coinquinationes mundi, iis rursus implicati sunt, facta sunt eis posteriora deteriora prioribus. Melius enim erat eis, non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem retrorsum reverti. Contigit enim eis illud veri proverbii : Canis reversus ad vomitum suum, et sus lota in volutabro luti. Quibus consonat illud Sa- *Prov.* xxvi, lomonis : Sicut canis qui revertitur ad 11. vomitum suum, sic stultus qui iterat stul- C titiam suam. Nempe, quemadmodum id quod vomendo ejicitur, rursus insumere valde est abominabile, fœtens ac turpe, sic peccata per pœnitentiam expiata, recidivando reiterare. Hinc Sponsa adjecit : *Cant.* v, 3. « Lavi pedes meos », id est, affectiones meas purgavi, « quomodo inquinabo illos ? » tanquam dicat : Prorsus irrationabile impiumque consistit ut rursus maculem eos. Isti sunt pedes de quibus Petro asseruit *Joann.* xiii, Christus : Qui lotus est, non indiget ni- 10. si ut pedes lavet. Affectionibus quippe D purgatis, vitantur peccata, et opera fiunt bona.

Præterea, quamvis hæc verba in persona cujuslibet hominis veraciter pœnitentis atque in bono inchoato perseverantis possint proferri, aptissime tamen in persona sacratissimæ Mariæ Magdalene, quæ post primam suam ad Christum conversionem nequaquam recidivavit, omnemque pristinam carnalitatem, carnalem affectionem vitiosamque operationem omnino A vitavit : imo quo ante erat carnalior, mundanior, superbior, curiosior, vanior, eo deinceps facta est spiritualior, divinior, humilior, simplicior, timoratior, ita quod ubi abundavit malitia, abundavit et gratia. *Rom.* v, 20. Et istud nobis religiosis est potissimum imitandum, qui ex nostra professione tenemur ad morum conversionem, ne rursus prioribus passionibus, vanitatibus, perversitatibus involvamur, sed quo in sæculo eramus magis gulosi, lascivi, rebelles, acediosi, verbosi, indomiti, eo nunc simus plus sobrii, casti, obedientes, fervidi, taciturni et fracti.

Denique omnia quæ de sanctissima Maria Magdalene in evangelio hodierno leguntur, ad nostram informationem proficiunt eminenter. Quod enim de suis excessibus tam cordialiter pœnitebat, quod coram convivantibus ingredi, flere, seque *Luc.* vii, 37, prosternere et pedes Christi propriis lacri- 38. mis lavare et capillis suis eos extergere non erubuit, instruit quantum de nostris debeamus vitiis verecundari, dolere ac lamentari ; quam item humiliter nos ea confiteri oporteat, non palliare aut excusare. Verumtamen hujus oppositum agunt multi, qui licet passionibus suis sordescant ac agitentur, et in observantiis regularibus defectuosi sint valde, æquanimiter tamen ferre nec valent nec volunt quod publice proclamentur aut accusentur ; imo nec præsidentis correptionem et correctionem gratanter ac æquanimiter ferunt, quia non volunt contemptibiles apparere : quod ex defectu contingit humilitatis. Verum quo aliquis clarius inspicit fœditatem peccati et honestatem virtutum, eo de suis dolet plus culpis, atque humilius se accusat. Id quoque quod ipse de se sentit ac profert, ab aliis sibi dici non dedignatur.

Stemus igitur cum Maria Magdalene retro secus pedes Jesu, locum eligentes humiliorem, et indignos nos arbitrantes in Dei apparere conspectu cum tantis deformitatibus et criminibus, coram quo tam indecenter, tam inobedienter, tam turpiter habuimus nos frequenter ; exemplo

Luc. XVIII, 13. publicani, qui pravitatum suarum multitudinem magnitudinemque perpendens, non audebat oculos suos ad cœlum attollere, sed percutiebat pectus suum dicendo quæ scitis. Hoc spiritu dixit et Esdras : *I Esdr.* IX, 6. Deus meus, confundor et erubesco levare faciem meam ad te, quoniam iniquitates nostræ multiplicatæ sunt super caput nostrum, et delicta nostra creverunt usque ad cœlum. — Quod igitur peccata nostra quotidiana sic parvi pendimus, dissimulamus et pertransimus, quid aliud pandit, nisi quod parva aut modica est illuminatio cordis nostri, parva contritio, parva aut nulla humilitas? Si quis coram rege terreno stans, loquens, ministrans, irreverenter haberet se, impudenter circumspiceret undique, verba proferret corrupte et inattente, nonne rex judicaret se magis offendi quam honorari, et omnes qui adsisterent, magnam censerent talem offensam? Cur ergo parvi pendimus quod in Horis, psalmodiis, orationibus, celebrationibus tam distracti intimoratique sumus, imo distractionibus sæpe non reluctamur, sed diutius immoramur, subinde quoque hinc inde adspiciendo, aut libros inspiciendo, aut manibus quid tractando, evagationes haurimus et ingerimus mentibus nostris? *Jer.* XLVIII, 10. Sed vitemus hæc mala, quum maledictus sit qui opus Dei efficit negligenter, imo ut Hieronymus transtulit, fraudulenter. Quid autem est opus Dei facere fraudulenter, nisi aliquid debitæ diligentiæ in Officio divino habendæ Deo subtrahere? *Hebr.* XII, 28. Idcirco cum omni diligentia, cum metu et reverentia Domino ministremus. Insuper provoluti pedibus Christi, indulgentiam atque in omni tentatione subventionem affectuosissime ac instantissime deprecemur ; nec immoremur cogitationibus vanis, pravis, lascivis, sed protinus occurrentibus eis inde nos avertentes, spiritualia militiæ nostræ arma apprehendamus, orationes et lacrimas ac dominicæ passionis memoriam, novissimorum quoque præmeditationem, atque divinæ præsentiæ considerationem sapientialem.

Præterea summe vitemus ne Simonis Pharisæi reprehensibilitates ac vitia incidamus. Ipse enim multipliciter fuit culpabilis. Primo, temerarie non solum de Maria, sed etiam de Christo judicando. Mariam etenim hanc judicavit adhuc esse peccatricem, quum tamen per contritionem justificata jam esset ; Christum quoque judicavit imprudenter et erronee se habere, quia permisit se tangi ab hac muliere. Secundo, injuste indignando tam Christo suscipienti, quam Mariæ tam humiliter accedenti. Nec vera erant quæ dixit. Temeraria ergo vitemus judicia, præsertim de interioribus proximorum, et dubiosa interpretemur in melius. Constat quod quanto quis pronior, audacior, incautior et stolidior est judicando de aliis, tanto fit excæcatior ad se ipsum et in se ipso, nec videt infelix miserias suas iniquitatesque proprias. Qui autem superiores suos Christi vicarios fatue judicant, Simonis Pharisæi sequuntur vestigia, qui optima Christi gesta judicavit illicita. *Luc.* VII, 39.

Postremo isti judicatores stolidi aliorum, nec Christi nec Apostolorum verba verentur aut reverentur, quum Christus locutus sit : Nolite judicare, et non judicabimini ; in quo enim judicio judicaveritis, judicabitur de vobis. Paulus quoque : Tu (inquit), quis es qui judicas alienum servum? Et Jacobus : Qui judicat fratrem suum, judicat legem ; si autem judicas legem, non es factor legis, sed judex. Hi ergo non sunt veraciter, sed fallaciter ac simulatorie justi. Quum enim (teste Gregorio) vera justitia habeat compassionem ; falsa, dedignationem : si judices isti usurpatorii essent veraciter justi, compaterentur fratri in aliquo delicto præoccupato, non statim ad indignationes ac stultas dijudicationes prorumperent, præsertim quum scriptum sit : In quo alium judicas, te ipsum condemnas. Verum quidam melancholici, duri, tristes, rancorosi, radice amaritudinis intus infecti, et felle passionum suarum obtenebrati, sub aliqua specie boni suas palliant perversitates, *Matth.* VII, 1, 2. *Rom.* XIV, 4. *Jacob.* IV, 11. *Rom.* II, 1.

nec valent se refrenare. Sed fugiamus hæc mortis venena, et cum Maria hac benedicta intime perspiciamus propria mala, humiliemusque animas nostras : et quo majorem pietatem nobis exhibuit Deus, quanto diutius distulit ultionem, quanto gratiosius pro tot pravitatibus nostris retribuit nobis A tot bona, tanto ardentius eum jugiter diligamus ; faciamusque semper aliquid boni, pensantes quod Christus bona facta Mariæ hujus tam diligenter enumerat ; atque cum ipsa in assidua compunctione, devotione, custodia persistamus, omne recidivum caventes.

SERMO SEXTUS

DE PERFECTIONE CARITATIS ; QUOMODO DEI AMOR CUM AMORE PROPRIO PUGNET ; ET ITEM DE QUATUORDECIM OPERATIONIBUS CARITATIS.

FULCITE *me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Cant. II, 5.

Diversi effectus caritati in amoris Cantico adscribuntur, utpote unire, convertere, liquefacere, languidum facere, vulnerare, etc. Ad laudem ergo devotissimæ ac amorosissimæ Mariæ Magdalene, ad summæ et increatæ caritatis honorem, atque ad nostram ædificationem, de hac materia nunc aliqua sunt dicenda. Quum enim tota utriusque Testamenti Scriptura ad caritatem nos copiosissime ac potissimum exhortetur et obliget, eamque supra C omnes virtutes extollat, et nostram in ea constituat perfectionem, in tantum ut sine ea nihil sit validum, nil Deo acceptum, nec homo spiritualiter vivat, aut aliquid reputetur, debemus de caritate libentissime audire et loqui. *I Cor.* XIII, 1-3.

Porro perfectio consistit in actu, non in habitu. Idcirco in actuali Dei amore perfectio ponitur, ita quod ille perfectus censetur, qui in caritate Dei perfectus est. Verum quum Deus ex propria bonitate infinite amabilis sit, non potest pura creatura perfecte diligere Deum, neque in Dei amore esse perfecta, considerando perfectionem dilectionis divinæ ex parte objecti, videlicet bonitatis amabilitatisque Dei, qui in infinitum amabilior est quam a pura queat creatura amari. Sed dicitur B homo perfectus in caritate seu actuali Dei dilectione ex parte subjecti, scilicet ejus qui diligit, quando in vita præsenti tam sincere, plene et fixe diligit Deum, quod nihil cupiditatis aut privati amoris manet in eo, nec passionum immoderantia eum a Deitatis retardat amore. Venenum quippe divini amoris, est amor privatus seu improbus amor sui in se. Profectus vero amoris divini, est minoratio amoris privati. Perfectio autem divini amoris, est exstirpatio privati amoris plenaria. Quumque amor divinus seu caritas fuerit perfecta in homine, varios ac divinos saluberrimosque effectus habet in eo.

Primus est, mentem Deo unire. Et quum Deus sit fons omnis vitæ, caritas mentem Deo uniendo, dicitur eam spiritualiter vivificare, ita quod per caritatem sortitur homo vitam gratiæ a fonte vitæ. Hinc secundus caritatis effectus est, spiritualis vivificatio atque expulsio mortis culpæ seu peccati mortalis. Tertius est, hominem facere Deo acceptum, et ad promerendum vitam æternam idoneum, quum D sit Deo unitus, et in eo spiritualiter vivens. Hinc scriptum est : Quia beneplacitum est Domino in populo suo. Et deliciæ ejus sunt, esse cum filiis hominum. Quartus est, quia facit hominem esse Dei amicum, conformando voluntatem humanam *Ps.* CXLIX, 4. *Prov.* VIII, 31.

voluntati divinæ in volendo omne bonum honestum, et in nolendo seu detestando quidquid est virtuti contrarium ; facitque hominem desiderare ut Deus ab universis ac singulis debite ac plenarie honoretur. Amicorum equidem est eadem velle et nolle. Hinc scriptum est : Mihi nimis honorati * sunt amici tui, Deus. Quintus, quoniam facit hominem esse Dei filium adoptivum, assimilando eum supernaturaliter divinæ naturæ, quæ est caritas increata, cujus supernaturalis similitudo ac nobilissima participatio est caritas ista infusa. Filiorum namque est assimilari naturæ parentis. Hinc in Deuteronomio locutus est Moyses : Filii estote Domini Dei vestri. Et Christus in Evangelio : Sitis (inquit) filii Patris vestri qui in cœlo est.

Ps. CXXXVIII, 17.
* honorificati
Deut. XIV, 1.
Matth. V, 45.

Sextus, quod animam hominis efficit Dei sponsam per spiritualem amplexum, fidelem adhæsionem, et supernaturalem ac virtuosam fecundationem a Deo. Hinc Cantica canticorum de quacumque anima amorosa veraciter exponuntur. Septimus, quod facit hominem Christi membrum, ita quod regitur ac movetur Spiritu Christi et Christo connectitur. Octavus, quod efficit hominem esse templum ac habitaculum Spiritus Sancti, quia qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo. Nonus, quia incorporat hominem mystico corpori Christi sive Ecclesiæ, ita quod membrorum Christi commembrum efficitur, et proximis suis conjungitur, unumque cum eis asseritur, quia per caritatem, secundum Apostolum, sumus invicem membra. Christus quoque oravit : Pater sancte, serva eos in nomine tuo quos dedisti mihi, ut sint unum sicut et nos. Decimus, nam mentem amantis transformat in Deum, quum sit virtus conformativa, tendens atque ingrediens in dilectum. Ponit namque cor amantis quodammodo extra se ipsum, et alienat illud a se, evehens et transponens ac mutans illud in eum quem diligit. Hinc divino Dionysio contestante, amor divinus ecstasim facit, quia non sinit amantem esse sui ipsius, sed ejus quem diligit : quemadmodum Paulus apostolus ait quibusdam, Non estis vestri, sed ejus qui dilexit vos.

I *Joann.* IV, 16.
Ephes. IV, 25.
Joann. XVII, 11.
De Divin. nom. c. IV.
I *Cor.* VI, 19.

Undecimus est, amantem Deo indissolubiliter colligare, ita ut fiducialiter dicat : Quis nos separabit a caritate Dei ? Caritas namque spirituale est vinculum. Idcirco quo amplius crescit ac invalescit, eo amantem Deo fortius indivisibiliusque constringit, atque continuam quamdam ipsius recordationem et affectionem parit in mente amantis, ita quod nec prospera nec adversa eam a Divinitatis possint separare amore : imo si occiderit Deus amantem aut occidi permiserit, nihilo minus speraret in eo, quemadmodum inclytus quidam martyr in suppliciis constitutus, disseruit : Non est rex præter Christum, pro quo si millies occidar, mihi de corde eum auferre non poteritis. Imo, quemadmodum ignis fortius agit dum suum sibi applicatur contrarium, sic caritas fortius fervet dum quis amantem a Deo conatur avertere.

Rom. VIII, 35.
Job XIII, 15.

Duodecimus est, amantem præ magnitudine affectionis vulnerare amore dilecti, quemadmodum scriptum est : Vulnerata caritate ego sum ; et denuo, Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa. Nempe ipsa vis aculeusque amoris affectivam amantis nonnunquam sic penetrat, tamque impetuose accendit, transfigit atque transverberat, ut desideriorum suorum ebullitiones, gestus ac signa reprimere nequeat, celare aut dissimulare non valeat, sed intra se ferveat, æstuet ; et si sæpius interrumpatur, tamen paulo post fortior prædominantiorque revertitur.

Cant. II, 5, juxta LXX.
Ibid. IV, 9.

Tertiusdecimus est, amantem præ amore languidum reddere. Post vulnerationem quippe sequitur languor. Propter quod Sponsa ait in Canticis : « Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo. » Hic languor est mœror de carentia claræ ac beatificæ inspectionis dilecti ac plenæ fruitionis ipsius, desideriumque suspiriosum et anxium ad perfectam, perpetuam ac securam superdilectissimi Dei possessionem : quem quanto amans nunc

Ibid. II, 5.

per fidem ac sapientiæ donum limpidius contemplatur, eo ad facialem ipsius intuitum vehementius inflammatur, ita ut di-
Rom. VII, 24. cat : Infelix ego homo ! quis me liberabit
Ps. CXLI, 8. de corpore mortis hujus ? Et rursus : Educ de carcere animam meam ad confitendum tibi. Interdum quoque Sponsus ille cœlestis gratiosam et dulcem sui præsentiam, contemplationisque lucem et fervoris alacritatem subtrahit dispensative amanti, qui tunc præ desiderio reditus ac præsentiæ pristinæ Sponsi, languet, mœret, affligitur, extra ipsum renuens consolari, et
Ps. XII, 1. orans : Usquequo, Domine, oblivisceris me in finem ? Usquequo avertis faciem tuam a me ?

Quartusdecimus est, a se ipso deficere atque defluere præ amore, sicque sibi ipsi mori in dilecto. Infirmitatem enim mors concomitatur. Intuens etenim Deus se tam fervidissime desiderari ab amatore sincero, se ipsum illi subinde tam gratiose ostendit, tam munificenter communicat, tam familiariter applicat, ut amator ferre non valeat, sed præ admiratione ac dilectione superamabilissimi Dei defluat a se ipso, totaque mente transeat et feratur, imo et absorbeatur in dilectum, et in opulentiam majestatis ac gloriæ ejus demergatur liquefactus et resolutus a se, atque in illo obdormiens ac quiescens, superbeatissimam quoque Trinitatem contemplans, et mutuam ejus intuitionem, dilectionem, complacentiam, fruitionem, consistentiam speculans.

Ecce omnes isti sanctæ dilectionis effectus in beatissima Maria Magdalene excellenter fuerunt : quæ in caritatis et pietatis affectum tota fuit quasi conversa, tota spiritualis, cœlestis, divina effecta ; cujus vita in isto exsilio, præsertim in eremo, fuit angelis proxima et semibeata. Nam quasi incessanter fuit actualiter Deo per contemplationem, dilectionem, laudem et orationem intenta.

Postremo, quum tam nobilissimos ac saluberrimos habeat in homine caritas actus, studeamus fortissime in caritate indesinenter proficere, omnem carnalem et sæcularem affectum, omnem privatum amorem radicitus abdicando, omnem negligentiam pigritiamque vitando, omnes levitates, dissolutiones, evagationes penitus fugiendo, et omne opus Dei exsequendo quotidie cum reverentia ac diligentia ampliori. Sanctissimam quoque Mariam Magdalene, et inter omnes Sanctos post Mariam Christiferam, ut credo, altissimam, semper in speciali habeamus honore, memoria et dilectione, eamque quotidie invocemus atque salubriter imitemur. Ad laudem et gloriam Creatoris.

IN FESTO

S. JACOBI APOSTOLI

Enarrationem epistolæ, Jam non estis hospites, etc., *cum suo sermone, require in festo Cathedræ S. Petri.*

ENARRATIO IN EVANGELIUM

ACCESSIT AD JESUM MATER FILIORUM ZEBEDÆI, ETC. Matth. XX, 20-23.

EVANGELIUM hoc hodie legitur, quia in eo de beato apostolo Jacobo aliqua recitantur. Itaque Matthæus dicit :

Accessit ad Jesum mater filiorum Zebedæi, videlicet uxor Zebedæi, nomine Maria, soror Virginis gloriosæ, *cum filiis suis* Jacobo et Joanne, *adorans* eum, adoratione latriæ, si credidit eum esse Deum, vel adoratione duliæ, utpote magnam ei reverentiam exhibens, tanquam Prophetæ potissimo, et sapienti sanctoque viro ; et forte in terram prostravit se coram ipso ; *et petens aliquid ab eo,* quoniam sua adoratione insinuavit se aliquid desiderare : quod tamen non statim expressit, sed sua humiliatione benevolentiam Christi capere, eumque delinire optavit, ut sic magis exaudiretur ab ipso. Verumtamen Marcus
Marc. x, 35. ait, quod ipsi filii accesserunt ad Jesum, dicentes : Magister, volumus ut quodcumque petierimus, facias nobis. Quod ideo dictum est, quoniam instigantibus filiis, mater petitionem proposuit. Siquidem matrem suam putabant honorandam a Christo tanquam materteram ejus.

Dixit ei Jesus : Quid vis ? Non ex ignorantia hoc Christus petivit, sed ut ad verba mulieris congruum daret responsum, vel ut se expediret de ea. *Ait illi,* scilicet Christo : *Dic,* id est, dicendo concede et fac, *ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, et alius ad sinistram,* id est, tibi collaterales ceterisque majores exsistant, *in regno tuo,* id est in regno cœlesti. Unde et latro dixit in cruce : Domine, memento mei, quum veneris in regnum tuum. Cognoverunt enim Apostoli et feminæ sanctæ Christum sequentes, ex quotidiana ipsius prædicatione, quod regnum cœleste promisit fidelibus, non regnum terrenum. Idcirco non arbitror verum quod aliqui dicunt, feminam istam ejusque filios petisse regnare cum Christo in sæculo isto. *Luc.* XXIII, 42.

Respondens autem Jesus, dixit, non matri, sed filiis, a quibus scivit matrem esse inductam : *Nescitis quid petatis,* id est, quam inordinate rogetis, non advertitis. Nam de carnali propinquitate ad Christum præsumebant, atque ex quadam elatione petisse videntur, optantes coapostolis anteferri, et volentes summi esse in præmio, qui adhuc imperfecti et parvi fuerunt in merito. Et quantum ad hoc, tenebant typum eorum qui ad dignitates petunt ecclesiasticas promoveri propter consangui-

nitatis propinquitatem. *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum,* id est sustinere passionem quam sustinebo? *Dicunt ei : Possumus,* id est, pro veritate fidei, pro Deo, pro justitia mortem pati parati sumus. Hoc incaute dixisse videntur, de propriis viribus præsumendo : sicut et Petrus in Cœna, Paratus sum tecum in carcerem et in mortem ire. Nam passione instante, omnes fugerunt a Christo.

Luc. XXII, 33.

Matth. XXVI, 56.

Ait illis : Calicem quidem meum bibetis, id est, propter me patiemini et tribulationes multas habebitis, aut etiam martyrium tolerabitis, per effectum vel affectum. Nam Jacobus pro Christo occisus est gladio. Joannes autem promptissimum habuit animum patiendi pro Christo, pro quo et in fervidissimi olei missus est dolium, deinde in exsilium. *Sedere autem ad dexteram meam et sinistram,* juxta sensum prætactum, *non est meum dare vobis,* id est, non pertinet ad me judicem justum, qui sine personarum acceptione secundum merita reddo, dare tantum præmium vobis talibus quales adhuc estis, videlicet imperfectis et defectuosis, *sed quibus paratum est a Patre meo,* id est virtuosis et sanctis, ad hoc a Deo Patre electis et prædestinatis. Sed nonne Jacobus et Joannes de illorum numero fuerunt, utpote gloriosi Apostoli, ipsis quoque Prophetis majores? Quomodo ergo non fuit Christi dare Jacobo et Joanni hanc sessionem? Dicendum quod non fuit Christi dare eam illis eo modo quo eam petebant, videlicet ratione consanguinitatis, et secundum dispositionem in qua tunc adhuc fuerunt : quia ut dictum est, imperfecti erant et defectuosi, nec tanto adhuc præmio digni.

Act. XII, 2.

Apoc. I, 9.

II *Par.* XIX, 7; *Rom.* II, 11, etc.

SERMO PRIMUS

QUOD NULLA EST VIRTUS HOMINIS SINE DEO; DE LAUDIBUS QUOQUE ET VITA B. JACOBI APOSTOLI.

OCCIDIT Herodes Jacobum, fratrem Joannis, gladio. Act. XII, 1, 2.

Dominus noster Jesus Christus consanguineum suum beatum apostolum Jacobum multis gratiis privilegiisque ornavit. Prima est, quoniam trium Apostolorum Christo magis familiarium fuit unus. Petrus equidem et Joannes ac Jacobus iste præ reliquis Apostolis Christo familiares fuerunt, ut ex Evangelio comprobatur, quia Salvator ad sua secreta eos magis vocavit: quia transfigurationi ejus in monte Thabor, et suscitationi puellæ filiæ Jairi interfuerunt; similiter, passione instante hos tres assumens, cœpit coram eis contristari atque pavere, et ad eos ter rediit, quum orasset. Magnum omnino fuit tanti regis, tanti magistri, utpote unigeniti Filii Dei, esse tam familiarem discipulum. Secunda laus et gratia ejus est, quod inter Apostolos primus pro Christo sustinuit mortem.

Matth. XVII, 1, 2. *Luc.* VIII, 51. *Marc.* XIV, 33 et seq.

Act. XII, 2.

Tertia laus ejus est, instantia quam habuit in prædicando. Nam primo prædicavit in Judæa atque Samaria, deinde in Hispaniam est profectus, in qua dum se parum proficere cerneret, rediit in Judæam. Et in isto possumus considerare, quam mirabilia ac terribilia sint judicia Dei. Propter quod dixit Propheta : Venite et videte opera Dei, terribilis in consiliis super filios hominum. Ecce enim gloriosus iste apostolus Christo tam familiaris, ejusque consobrinus, in Hispania prædicans, non nisi novem homines ibi convertit, imo (ut ait Joannes Beleth) unum dumta-

Ps. LXV, 5.

xat ; quum tamen Apostoli alii in regnis gentilium ad quæ profecti sunt, tot millia converterint, et post mortem hujus Apostoli per miracula circa ejus corpus exanime facta, tam multi in Hispania sint conversi. Deinde per ejus discipulos, innumerabiles ibi ad fidem perducti sunt salutarem. Porro aliquid simile huic legitur *Act.* xvi, 6, 7. in Actibus Apostolorum : Vetati sunt (inquit Lucas) Paulus et Silas a Spiritu Sancto loqui verbum Dei in Asia, et non permisit eos Spiritus Jesu. Et tamen postea, Deo inspirante, prædicaverunt in ea. Ex quibus ostenditur, quam nihil valeat homo sine gratia Dei, et quod infructuosa sit prædicatio exterius sonans, nisi misericorditer adsit Spiritus Sanctus intus docens. Propterea prædicator Deum debet affectuosissime deprecari, ut audientium corda illustrare, movere, inflammare dignetur, ad laudem et gloriam nominis sui. Nec debet prædicator de efficacia sua præsumere, neque de fructu prædicationis suæ inaniter gloriari. Audientes quoque Deum exorent, ut ipse eorum erudiat corda, detque eis verbum prædicationis audire salu- *Joann.* vi, 44. briter. Hinc Filius Dei fatetur : Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus tra- *Ibid.* 45. xerit eum ; itemque, Omnis qui audivit a Patre, et didicit, venit ad me. Hinc quo- *Ps.* xciii, 12. que Psalmista loquitur Deo : Beatus homo quem tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum.

Quarta laus et gratia ejus est, fructuosa victoria qua Hermogenem maximum magum devicit. Quum enim B. Jacobus ab Hispania reversus, prædicaret denuo in Judæa, Hermogenes magus præcipuus discipulum suum Philetum misit ad Jacobum, ut eum coram Judæis convinceret ac deceptorem probaret. Sed Jacobus superavit Philetum, qui sancti Apostoli prædicatione audita et visis ejus miraculis compunctus est corde, rediitque ad Hermogenem, asserens se velle fieri discipulum Jacobi. Indignatus Hermogenes, magicis suis artibus fecit Philetum immobilem. Quo cognito, Apostolus misit ei sudarium suum. Quo quum tactus fuisset, solutus est, et insultans Hermogeni, properavit ad Jacobum. Tunc Hermogenes dæmones adjuravit ac misit, ut Jacobum cum Phileto sibi adducerent vinctum. Qui ad Apostolum venientes, ululare cœperunt in aere. Quibus præcepit Apostolus ut Hermogenem sibi vinctum adducerent, sed illæsum. Quo facto, Hermogenes stetit confusus. Sed Apostolus jussit Phileto ut eum dissolveret. Visis tot mirabilibus, Hermogenes est conversus, omnesque libros suæ magicæ artis projecit in mare, atque ad Jacobum rediens, coram ipso prostravit se, et tenens pedes ipsius, dixit : Animarum liberator, accipe pœnitentem, quem invidentem ac detrahentem diu sustinuisti. Cui libenter indulsit Apostolus, pleniusque eum instruxit. Quumque baptizatus fuisset, cœpit in Dei timore et omni virtute proficere ; atque in brevi ad tantam pervenit perfectionem, quod etiam Deus per ipsum multa fecit miracula.

Præterea, ex hoc facto certissimum accipi potest christianæ fidei argumentum. Tanta namque est frequentia et excellentia mirabilium quæ in evangelica lege ad christianæ fidei facta sunt robur ac probationem, quod subtiliores ac doctiores adversarii nostræ sanctissimæ fidei, Porphyrius, Celsus, ac alii quidam, aliam invenire evasionem non potuerunt, nisi quod asseruerunt facta esse hujusmodi signa arte opeque magica. Quum ergo expertissimi magi visis mirabilibus discipulorum Christi, sint sæpe conversi, utpote certissime cognoscentes talia facta non esse nec fieri posse magica arte, constat quod falsum ac frivolum sit quod dicunt præfati. Unde et in Actibus fertur de Simone mago, *Act.* viii, 13. quod visis miraculis Philippi diaconi, stupens admirabatur, adhæsitque ei. Postmodum videns quod per impositionem *Ibid.* 18-20. manuum Apostolorum dabatur Spiritus Sanctus, obtulit copiosam pecuniam Petro et Joanni apostolis, dicens : Date et mihi hanc potestatem, ut cuicumque manum imposuero, accipiat Spiritum Sanctum.

Cui sincerissimus justissimusque Petrus apostolus dixit : Pecunia tua tecum sit in perditionem, quia donum Dei existimasti pecunia possideri. Unde et postea duo fratres S. Clementis, discipuli Simonis magi, Nicetus et Aquila, visis S. Petri miraculis, et cognitis Simonis magi versutiis, ipso relicto, facti sunt S. Petri discipuli.

Quinta laus Jacobi apostoli est, gloriosum ejus martyrium. Videntes namque obstinati perversissimique Judæi conversionem Hermogenis, invidia moti contra Apostolum, convenerunt, et cur Jesum esse Christum assereret, reprehenderunt eumdem. Quibus quum sanctus Apostolus ex scripturis Prophetarum probasset quod Jesus sit Christus, multi eorum conversi sunt. Abiathar vero pontifex Judæorum, fune in collo S. Jacobi misso, ad Herodem Agrippam fecit eum perduci. Qui jussit Apostolum decollari. Quumque in via Apostolus curasset paralyticum unum, Josias Scriba qui trahebat Apostolum, credidit, et cum Apostolo decollatus, coronam martyrii est adeptus.

Sexta laus ejus est, excellentia miraculorum quibus Deus eum post suum decoravit martyrium. Nam ejus discipuli corpus ipsius posuerunt in navi, et sine remige, angelo duce, devenerunt in regnum reginæ nomine Lupæ : et hoc fuit unum miraculum. Deinde corpus de navi posuerunt supra lapidem grandem, qui instar ceræ calefactæ corpori cessit, seque in sarcophagum corpori sacro mirabiliter coaptavit : quod fuit secundum miraculum. Quumque discipuli ingressi ad Lupam reginam, dixissent, Dominus Jesus Christus mittit ad te corpus Apostoli sui, ut quem noluisti suscipere vivum, suscipias vel defunctum ; recitantes eidem qualiter miraculose illuc venissent, petierunt congruum locum pro Apostoli sepultura. Tunc Lupa misit eos ad principem quemdam sævissimum, atque (ut aliqui dicunt) ad regem Hispaniæ, ut super hoc ejus obtinerent consensum. Quod tamen fecit dolose, ut scilicet ab illo principe occiderentur. Quumque venissent ad eum, eos incarceravit. Angelus vero aperuit carcerem, et ipsos fecit abire : et hoc fuit miraculum tertium. Porro princeps ille misit milites qui caperent illos. Militibus vero super pontem transeuntibus, subito fractus est pons, et mersi sunt milites : quod fuit quartum miraculum. Tunc princeps ille perterritus, sibique metuens, revocavit discipulos illos ad se, et quidquid petierunt, eis concessit. Qui reversi ad principem, populum civitatis suæ converterunt ad Christum. Quumque cum principis consensu redissent ad Lupam, illa dolens dixit ad eos : Accipite boves quos habeo illo in monte, et jungite eos ad currum, sicque super currum corpus domini vestri afferte, ac sepelite. Quod lupina cogitatione locuta est Lupa : sciebat enim quod boves illi erant tauri indomiti ac silvestres, a quibus speravit discipulos trucidari. Discipulis ergo ascendentibus montem ostensum, occurrit draco ignem exsufflans. Super quem quum crucem fecissent, diruptus est : quod fuit quintum miraculum. Similiter signo crucis edito super tauros, facti sunt mansueti ut agni : quod fuit sextum miraculum. Tauri autem currui juncti, sine humano ducatu currum cum corpore sacro in Lupæ traxerunt palatium : quod fuit septimum miraculum. Lupa autem regina, tot visis miraculis, christiana effecta est, atque in bonis operibus vitam finivit.

Ecce quantis miraculis Deus hunc beatum mirificavit Apostolum, tam in vita sua quam in morte, et præsertim post mortem ejus. Sequamur ergo virtutes hujus gloriosi Apostoli, et sicut ipse Hermogeni mago reddidit bona pro malis, nec eum a dæmonibus lædi permisit, sic et nos discamus inimicos nostros diligere, eisque pro malis bona rependere, ut simus filii Patris æterni, qui solem suum facit oriri super bonos et malos, et impios conservat in esse, ac providet eis de necessariis vitæ, omniumque transgressorum emendationem præstolatur piissime. Opor-

Matth. v, 44, 45.

tet quoque universa mortalia vitare peccata, et Deo altissimo timorate servire perseveranterque obedire. Quod meritis ac precibus gloriosi Apostoli hujus nobis præstare dignetur Dominus noster Jesus Christus, qui cum Patre et Spiritu Sancto unus est Deus, super omnia benedictus et æternaliter regnans.

SERMO SECUNDUS

QUAM UTILES SINT TENTATIONES ET SANCTIS OPTANDÆ, ET QUAM CAVENDA AMBITIO.

POTESTIS bibere calicem quem ego bibiturus sum? Matth. xx, 22.

Quemadmodum S. Augustinus testatur, omnes homines naturaliter beatitudinem appetunt, et miseriam fugiunt. Nam etsi homines virtuosi miseriam pœnæ, videlicet tribulationes et adversitates, cupiunt in hac vita, hoc tamen non faciunt in quantum tribulationes et adversitates sunt quædam miseriæ ac tormenta, sed in quantum sunt quædam peccati purgamenta, et satisfactio atque remedia contra peccata, ac media impetrandi gratiam ampliorem et facilius pertingendi ad gloriam æternalem, imo et obtinendi beatitudinem pleniorem. Quum ergo tam multipliciter utiles et salubres sint tribulationes et adversitates vitæ præsentis, quid mirum quod homines vere sapientes ac virtuosi, appetant eas, et gaudiose eas sustineant? Vitiosi vero et fatui sunt, qui eas abhorrent ac perpeti dedignantur. Nam solum considerant eas ut tribulationes et pœnas ac quasdam miserias. Itaque cunctis hominibus beatitudinem appetentibus, multisque Christianis eam quotidie adipisci petentibus, respondet Dominus Jesus Christus universis et singulis : « Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum? » hoc est, potestis sequi vestigia mea, patiendo libenter adversa, et arctam viam salutis strenue incedendo? quasi dicat, Aliter non potestis salvari; quum Paulus fateatur apostolus : Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlorum ; itemque, Omnes (inquit) qui volunt pie vivere in Christo, persecutionem patientur. Hoc est quod princeps ait Apostolorum : Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.

Matth. VII, 14. *Act.* XIV, 21. II *Tim.* III, 12. I *Petr.* II, 21.

Itaque Christus in evangelio hodierno nos docet, quod per laboriosa pœnitentiæ opera, per difficiles actus virtutum, per aspera et adversa oporteat nos ad beatitudinem proficisci. Nam regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud, hoc est, qui fortiter vincunt se ipsos, et concupiscentias edomant carnis, ac prava in se desideria frangunt, coram Deo quoque corde ambulant custodito ac timorato. Ideo dixit Apostolus : Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis. Sed et Psalmista loquitur Deo : Transivimus per ignem et aquam, et eduxisti nos in refrigerium. Hinc per Zachariam loquitur Dominus de electis : Ducam eos per ignem, id est per gravem tribulationem, et uram eos sicut uritur aurum, et probabo eos sicut probatur argentum; et exaudiam eos, et dicam eis : Populus meus es tu. Hoc est quod Sapiens ait : Tanquam aurum in fornace probavit electos Dominus, et quasi holocausti hostiam accepit eos. Ecce quam arcta est via salutis, et quam pauci perambulant eam. Idcirco in Evangelio asserit Christus, quod pauci eam inveniunt, et quod pauci sunt electi. Nam paucissimi inveniuntur qui æquanimiter patiantur adversa, qui in

Matth. XI, 12. *Mich.* VI, 8. *Galat.* V, 24. *Ps.* LXV, 12. *Zach.* XIII, 9. *Sap.* III, 6. *Matth.* VII, 14. *Ibidem.* *Ibid.* XX, 16; XXII, 14.

continuo stent timore ne Deum offendant, A quenter alios scandalizant ac contra se
Ephes. IV, 3. qui solliciti sint servare unitatem spiritus excitant, et in officiis constituti, multoties
in vinculo pacis, et dominentur motibus injuste se habent, proprios honores et lu-
animi sui. Sed, proh dolor! omnes cito cra terrena magis quam bonum commune
irascimur, indignamur, turbamur, atque atque justitiam exquirentes. Unde et Mat-
ad varia peccata delabimur. Si ergo æter- thæus describit, quod decem Apostoli au- *Matth.* XX, 24.
nam damnationem evadere, si cœlestem dita petitione Jacobi ac Joannis, indignati
felicitatem obtinere appetimus, accinga- sunt contra eos. Quibus omnibus ad se *Ibid.* 25-27.
mus nos ad patientiam sanctam in om- vocatis, dixit Salvator : Scitis quia prin-
nibus, præparemus nos ad perferendum cipes gentium dominantur eorum, et qui
tentationes diversas ; vincamus propriam majores sunt, potestatem exercent in eos.
animositatem, iram, avaritiam, omnem Non ita erit inter vos, sed qui voluerit
gulam atque luxuriam, acediam et ran- B inter vos major fieri, sit vester minister ;
corem ; simus humiles, misericordes, ca- et qui voluerit inter vos primus fieri, erit
sti, sobrii, atque ad Dei obsequium prom- vester servus.
pti ; tentationibus propriæ carnis et mundi Deinde Christus Dominus proponit se
ac dæmonum viriliter reluctemur, ac Dei ipsum in humilitatis et dilectionis com-
subsidium in omnibus jugiter deprece- munis boni exemplum, dicendo : Sicut *Ibid.* 28.
mur. Filius hominis non venit ministrari, sed
ministrare, et dare animam suam redem-
Præterea in evangelio hodierno doce- ptionem pro multis.
mur, quam justus in omnibus erat Chri- Itaque, quanto quis cupit plus exaltari
stus, qui nec precibus sororis suæ Ma- a Deo in præsenti in donis gratiæ, et in
tris, nec filiorum ipsius, a tenore justitiæ futuro sæculo in felicitate et gloria, tanto
flectebatur, sed strenue redarguit eos, di-
Matth. XX, 22. cendo : Nescitis quid petatis, etc. Sic ergo C profundius humiliet se ipsum. Nec dignus
et nos, Christi exemplo, justi et constantes est aliis præfici et præesse, qui dedignatur
esse discamus ; nec amore consanguinita- subjici ac subesse. Discamus ergo obedire
tis, nec adulantium linguis, nec propter in omnibus, et humiliter sentire de nobis,
munera aliquid contra Dei præcepta aga- quia revera innumerabilibus defectuosi-
mus, neque justitiæ derogemus. Sed heu ! tatibus, vilitatibus, vitiis et immunditiis
hujus oppositum agunt multi, qui aliquo pleni sumus, multis quoque circumdati
sibi propinquo offenso et læso, mox cur- laqueis inimici, atque periculo æternæ
runt ad arma, et propria auctoritate, con- damnationis expositi ; nec aliquid boni
tra juris ordinem ac processum, volunt habemus a nobis, sed solum deficere et
exercere vindictam (quod est mortale pec- peccare, æternaliterque perire.
catum) : ex quo sæpe gravissima oriuntur Postremo Christus gloriosum apostolum
facinora, sicut invidiæ, traditiones, homi- D Jacobum et sanctum ejus sepulcrum innu-
cidia, etc. meris ac præclaris decoravit miraculis,
Insuper in evangelio isto præcipue edo- quæ alibi satis leguntur. Nam et quemdam
cemur omnem superbiam ac ambitionem qui ad visitandum S. Jacobum gradiebatur,
vitare : cujus contrarium agunt, qui vel et in via ex deceptione diaboli occidit se
in spiritualibus vel in sæcularibus adspi- ipsum, suscitavit a mortuis. Alium quo-
rant ad prælationes, ad officia, ad super- que peregrinum S. Jacobi, in via injuste
ioritates et dignitates, non formidantes suspensum, B. Jacobus per triginta sex
horrendum ac districtissimum Dei judi- dies conservavit incolumem, quousque a
Sap. VI, 6. cium, de quo Sapiens asserit : Judicium civibus depositus est ; et qui eum men-
durissimum in iis qui præsunt, fiet. Tales daciter accusavit de furto, suspensus est.
ambitiosi, superbi vanique homines fre- Sed et alium gravissime incarceratum et

vinctum, S. Jacobus de profundo carceris ad summitatem ejus perduxit, qui inde saltavit in terram, nec in aliquo læsit se ipsum, quum tamen turris plus quam quinquaginta cubitorum altitudinem possideret.

AD RELIGIOSOS

SERMO TERTIUS

DE FAMILIARITATIBUS ET GRATIA DEI CONCILIANDA, QUAM FIDUCIA, SPES, DELECTATIO ATQUE DESIDERIA SANCTA ERGA DEUM SEQUUNTUR ; ET QUOD MISSÆ SACRIFICIUM SIT FREQUENTANDUM.

JACOB dilexi. Malach. I, 2.

Dilectio Dei æterna ad homines, est causa omnis boni quod inest hominibus, quum diligere sit alicui bonum velle : idcirco quo invariabilis Deus voluit et ab æterno decrevit alicui dare plura majoraque bona, eo plus illum dicitur dilexisse. Denique quanto aliquem ad altiorem gloriæ gradum in cœlo præordinavit, tanto eminentiora gratiæ gratum facientis dona ei in hoc mundo largitur. Quoniam itaque sanctum apostolum Jacobum non solum elegit in apostolum Christus, sed et familiarem sibi constituit, sicut Petrum et Joannem, cum quibus transfigurationi Christi et suscitationi puellæ interfuit ; quem et passione imminente Christus cum Petro et Joanne assumpsit, cœpitque coram eis contristari, et dixit, Vigilate mecum et orate : hinc de ipso Jacobo merito ait, « Jacob dilexi ».

Matth. XVII, 1, 2. *Luc.* VIII, 51. *Matth.* XXVI, 37, 38, 41.

Studeamus ergo et nos ita habere nos, taliter ambulare, tam sinceriter ac regulariter conversari, ut efficiamur etiam Deo in præsenti non solum cari et amabiles, sed item familiares. Familiaritatem autem amicitia facit non quæcumque, sed specialis atque præcipua. Et quamvis debeat homo amicitiam, quantum potest, habere cum omnibus, non tamen familiaritatem, sed cum paucis dumtaxat ; et hoc propter vitandum periculum, ne fallatur : familiares namque sua sibi invicem revelant secreta, et nisi mutuo sint fideles, celareque sciant, revelatio hujusmodi esset periculosa. Pauci vero inveniuntur vere fideles, constantes ac probi, Salomone testante : Virum unum de mille inveni fidelem. Porro bonus ac infallibilis Deus, cujus sapientiæ non est finis, nullum se ad hoc aptantem, a sua familiaritate repellit, quoniam falli non potest, nec est apud eum personarum acceptio. Non ergo desperemus, sed humiliter confidamus efficaciterque conemur ad ejus familiaritatem pertingere. Quod ut fieri queat, oportet nos laborare ad profectum caritatis condignum, ad Omnipotentis amicitiam specialem, ad exercitationem devotissimam ac internam, ut infinitæ supergloriosissimi Creatoris beatitudini totis congratulemur præcordiis, communicemusque Deo in actibus spiritualibus ac divinis : nam amicitia in aliqua communicatione fundatur.

Eccle. VII, 29. *Ps.* CXLVI, 5. *Act.* X, 34 ; *Rom.* II, 11, etc.

Præterea, ad familiares pertinere videtur, se invicem specialiter valde diligere, de mutua caritate, fidelitate, adsistentia multum confidere, secreta sua sibi invicem insinuare, libenter simul loqui et esse, convesci et coambulare, fidelitatem mutuo conservare, atque omne quod poterunt bonum sibi invicem impertiri. Studeamus ergo ut ista sint inter Dominum

Deum nostrum et nos, ejus pauperculos imbecillesque servos. Et enitamur in primis in sancta Deitatis dilectione crescere quotidie vehementer : quoniam quidquid de eo scimus, audimus, legimus aut videmus, si rite consideremus, ejus nos caritate potest accendere, quoniam omnia illa sunt honesta, sancta, sapientialia, pia ac justa, nec est reprehensio ulla in eis. Universæ etiam creaturæ attestantur bonitati, sapientiæ et excellentiæ Creatoris. Si ergo vehementer diligimus hominem de quo multa bona percepimus nec inhonestum quidquam audivimus, quamvis nunquam viderimus eum nec quidquam contulerit nobis, et cupimus eum videre, atque cum ingenti eum suscipimus gaudio si diverterit ad nos : quanto magis debemus creatorem nostrum Deum, perfectionis, bonitatis, sapientiæ et eminentiæ penitus infinitæ, de quo nil nisi incomparabiliter bona, sancta, virtuosa et gloriosa agnoscimus, cujus beneficiis utimur incessanter, et qui in tantum dilexit nos prior, et tam ineffabilem plenissimamque beatitudinem nobis promisit ac præparavit, totis amare præcordiis ? Bruta amant eos a quibus frustum accipiunt panis ; pauperes quoque diligunt eos valde a quibus interdum bene reficiuntur. Et quæ ista ingratitudo, perversitas, insania hominum non diligentium Deum, a quo sortiti sunt quidquid habent et sunt, cujus donis reficiuntur quotidie ?

I *Joann.* IV, 10, 19.

Verumtamen ea quæ Unigenitus Dei pro nostra assumpsit, fecit sustinuitque salute, super omnia inflammare nos possunt et debent caritatis ardore, si efficaciter perpendantur ; et item, quod Deus unicuique nostrum tantum et tam diu in suis pepercit peccatis, tantam quoque pietatem impendit ac gratiam, et ad hunc sanctum Ordinem introduxit. Contemplemur demum bonitatem, sapientiam, suavitatem, perfectionem, beatitudinem Dei in se ipso quantum valemus, sicque ejus accendamur amore, et ipsum omni hora rogemus ut nos sua saluberrima dilectione inflammet, et quidquid caritati et ejus profectui ac fervori contrariatur, tollat a nobis.

Præterea, si ita dilexerimus Deum, valde confidenter sperabimus quod utique amet nos per prædestinationem æternam et secundum præsentem justitiam. Et quamvis de hoc non habuerimus certitudinem absolutam, habebimus tamen certitudinem inde valde probabilem. De gratiosa quoque Dei adsistentia, ope, fidelitate et exauditione plenarie confidemus, dicentes Domino : Susceptor meus es tu et refugium meum ; Deus meus, sperabo in eum : itemque, In Deo salutare meum et gloria mea, Deus auxilii mei, et spes mea in Deo est ; et rursus, Si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. Longe igitur erit a nobis timor nocturnus, puerilis formido, pavor effeminatus, qui oritur sæpe ex stulta imaginatione et apprehensione phantastica : imo frequenter propter vitia nostra permittit nos Deus tam stolide occupari, et timere ubi non est timor.

Ps. XC, 2.
Ps. LXI, 8.
Ps. XXII, 4.
Ps. XC, 5.
Ps. LII, 6.

Præterea, humano modo loquendo de Deo, si nos ipsi fuerimus Deo constanter fideles ac amorosi, incipiet et ipse quasi de nostra fidelitate et adsistentia quadam confidere, quum invenerit nos frequenter fideles : sicut confisus fuit de fidelitate David, quod faceret omnes suas voluntates. De quo in primo Regum loquitur Samuel : Quæsivit sibi Dominus virum fidelem. Sunt autem nonnulli instabiles et nutantes, similes illis de quibus evangelista Joannes fatetur, quod credebant in Jesum, sed Jesus non credebat se illis. Ideo in Apocalypsi Deus hortatur : Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ.

I *Reg.* XIII, 14.
Joann. II, 23, 24.
Apoc. II, 10.

Amplius, secreta nostra Deo insinuemus, seu potius fateamur et offeramus, effundentes coram ipso cor nostrum ; indigentias, defectuositates infirmitatesque nostras, pericula nostra, delicta etiam nostra ei cognita faciamus, accusando, dijudicando, discutiendo et corrigendo nos

Ps. LXI, 9.
Ps. XXXI, 5.

ipsos in ejus præsentia ; in confessione quoque sacramentali et in capitulo confiteamur plenarie, humiliter et contrite nostra peccata. Si ita egerimus, proficiemus quotidie in cordis munditia, in dono sapientiæ, in caritate ferventi, erimusque capaces illustrationis divinæ, ita quod *Ps.* L, 8. Deus manifestabit nobis incerta et occulta sapientiæ suæ, sensus mysticos Scripturarum, mysteria fidei, connexionem et ordinem credendorum. Deinceps assuescamus libentissime esse, habitare, proficisci et loqui cum Deo, ambulare et jugiter occupari cum ipso, orationibus, meditationibus, contemplationibus assidue immorando, in abscondito cellæ, in sepulcro solitudinis, in loco abstracto quantum congrue fieri potest libenter manendo, discursus vitando, et aliquid boni semper *Gen.* XXVIII, 15. agendo, etiam in eundo, ut sit Deus custos ac socius nostri itineris, quocumque perrexerimus.

Apoc. III, 20. Præterea, quoniam Christus stat ad ostium nostri cordis pulsans, quatenus, si aperuerimus ei, intret et cœnet nobiscum ; aperiamus ei januam cordis nostri, atque in mensa sapientiæ cum ipso cœnemus, contemplatione, dilectione ac delectatione divinorum reficiendo animas nostras, quibus et Christus reficit animam suam, sanctis quoque operibus ipsum reficiendo ac *I Thess.* IV, 3. oblectando, quoniam hæc est voluntatis *Prov.* VIII, 31. suæ refectio, nostra sanctificatio, et deliciæ ejus sunt, esse nobiscum, si ita egerimus. In mensa quoque altaris reficiamur cum Christo, imo ipsomet Christo, qui ibi est cibator et cibus, conviva atque refectio, qui se nascens dedit socium, convescens in edulium. Exhibeamus ergo nos, quantum fragilitati nostræ est possibile, idoneos ad celebrandum quotidie, nec levi occasione postponamus tam saluberrimum, fructuosissimum ac divinissimum opus. Absit vero ut ex proposito aut acedia postponat quis opus tam excellentissimum, quo Deus maxime honoratur, Christi mysteria ac beneficia recoluntur, vivis ac mortuis et toti Ecclesiæ subvenitur, ipseque celebrans gratiam promeretur præcipuam et gloriam præeminentem, quemadmodum S. Thomas in antiphona devotissime ac compendiosissime loquitur : O sacrum convivium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis ejus, mens impletur gratia, et futuræ gloriæ pignus nobis datur. Postremo, omni modo nobis possibili procuremus ac promoveamus Dei honorem ac cultum, atque ad ejus honorificentiam et amorem alios inducamus.

Si prædicta egerimus, erimus Deo cum sancto apostolo Jacobo vere familiares. O quanta est ista nobilitas, esse familiarem Altissimo ! Nonne magnum reputatur in sæculo, esse familiarem alicui principi aut excellenti prælato ? Quid ergo est, esse familiarem Domino Deo æterno ? Ideo semper intus exerceamur et occupemur cum eo, nec negligamus dignitatem hanc maximam.

SERMO QUARTUS

QUAM DIVINÆ PROVIDENTIÆ ATQUE EJUS DISPOSITIONI OMNIA DEBEAMUS COMMITTERE ; ITEM CONTRA AMBITIONEM, QUAM INVIDIA COMITATUR, ERUDITIO MONASTICA.

MORTUUM *prophetavit corpus ejus.* Eccli. XLVIII, 14.

Verbum istud ad litteram scriptum est de beato Eliseo propheta, cujus corpus dicitur idcirco etiam exanime prophetasse, quia suscitavit defunctum. Legitur

IV *Reg.* XIII, 21. equidem quarto libro Regum, quod dum latrunculi * corpus occisi projecissent in tumulum Elisei, et tetigisset ossa corporis ejus, revixit vir ille : quo Deus miraculo demonstravit Eliseum fuisse verum prophetam. Quanto magis verbum istud dici potest de sacratissimo apostolo Jacobo, qui post mortem suam tam multa et magna, tam præclarissima solique Omnipotenti possibilia fecit miracula ? Inter quæ etiam plures suscitavit defunctos ; et tantis honoravit omnipotens Deus sepulcrum sacratissimi Jacobi hujus prodigiis, ut illud Isaiæ de Christo ad litteram dictum, in ipso videatur impletum : Et erit sepulcrum ejus gloriosum.

* quidam

Is. XI, 10.

Denique in hac re considerare est, quam vere mira et incomprehensibilia sint Omnipotentis judicia. Nam ecce Jacobus iste adhuc vivens ingressus Hispaniam, paucissimos ibi convertit, utpote novem tantum, ut aliqui dicunt, aut unum dumtaxat, secundum quosdam, nec legitur ibi tunc coruscasse miraculis. Eo autem in Judæa occiso, corpus ipsius illuc angelo duce miraculose delatum, tantis ibidem radiavit prodigiis, ut per hoc plurimi sint conversi. Porro, solent philosophi dicere, quod actus secundus, videlicet operari, subvenire, curare, suscitare, atque hujusmodi, præsupponit actum primum, qui est esse. Si ergo Sancti tam gloriosa operantur miracula jam occisi, non utique penitus mortui sunt, sed vivunt in anima, et verus justusque Deus talia operando, protestatur fidem et conversationem ipsorum sibi præcipue complacuisse. Ex his edocemur, dispositione divinorum judiciorum stare contenti, nec præsumere illa immoderanter scrutari, sed nos ipsos Deo fiducialiter humiliterque committere, nec ingerere nos ad impertinentia nobis, imo potius tota diligentia adimplere quod Deus requirit a nobis, id est conversationem nostræ vocationi professionique congruam. Hæc ideo tango, quoniam solent interdum nonnulli religiosi phantasias habere diversas, quasi infructuose quodammodo

Rom. XI, 33.

A sint in claustro, utpote qui in sæculo majorem possent facere fructum, alios instruendo ac gubernando. Utinam tales phantastici interim bene regant se ipsos, nec de aliorum directione se occupent, quousque Deo disponente ac dispensante, vocentur ad talia. Etenim teste Scriptura, Nemo sibi assumit (id est, assumere debet) honorem, nisi qui vocatur a Deo tanquam Aaron. Nam et Christus non clarificavit semetipsum ut pontifex fieret, sed qui locutus est ei, Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.

Hebr. V, 4-6.

B

Insuper omnis creatura comparatur ad Creatorem sicut instrumentum ad artificem, ita quod Dei est applicare suum plasma ad hoc vel illud. Non ergo se ingerat homo ad ea quæ impertinentia sunt occupationi ad quam exercendam Deus applicavit eumdem. Nam et sancti Patres in eremo, quum omni fulgerent sapientia atque miraculis, non proprio motu egredi voluerunt ut instruerent alios aut præessent ; imo vocati, reddiderunt se satis difficile. Multi in cœnobiis mirabiliter et lamentabiliter impediuntur a spirituali profectu, quia non fundant se in vero ac saluberrimo vitæ monasticæ fundamento, id est in mortificatione plenaria, in humilitate omnimoda, in abdicatione completa, nec interiora sua plene expurgant a fatuitate exsistendi ac apprehendendi aliquid in hac vita, et ab ambitionis stultitia : ideo nunquam decorantur vera ac perfecta justitia, imo paulatim per foramen læsionis suæ ambitionis ingreditur cor eorum callidissimus hostis cum copia iniquitatis, nec numerari possunt peccata quæ incidunt ex radice tam prava. Expellatur ergo radicitus mortiferum hoc venenum, et pensemus quod religiosus est civiliter mortuus, teneturque se ipsum mundo mortuum exhibere, ne quidpiam hujus mundi desideret, sed omnem suum affectum in Deo simplificet et defigat.

C

D

Insuper sanctus iste apostolus Jacobus, quum consanguineus esset Salvatoris, nequaquam est contristatus aut motus de

hoc, quod Salvator non se aut fratrem
Matth. XVI, 18. suum Joannem sed Petrum toti præfecit Ecclesiæ ; sed injunctum sibi a Domino opus fidelissime adimplevit. Nemo ergo in religione tristetur, si a superioribus suis in officiis non ponatur, sed potius gratuletur quod in sua humilitate relinquitur, et solis spiritualibus vacare permittitur. Teste quippe Gregorio, omnipotens Deus sæpe eos quos tenere diligit, ab exteriorum occupatione custodit. Quæ est ista fatuitas, quod non recordamur cur huc venimus, quid Deo promisimus, quid a nobis exigit
Ibid. XXV, 13. ipse, et quod nescimus diem et horam, verum sub habitu religioso cor gerimus sæculare? Qui talis est, sciat se coram Deo monstrum esse deforme. Porro, dum quempiam videmus ad officia poni, non ei applaudamus ut prosperato, sed potius compatiamur ut periculis proximato, et oremus Deum pro eo, ut fructuose se habeat. Qui autem cupit a Deo æternaliter exaltari in cœlo, non moleste ferat temporaliter humiliari in mundo. Qui cupit magnus et admirabilis coram Deo et Sanctis omnibus apparere, atque in sempiternum laudabilis inveniri, studeat se ipsum plene relinquere, salubriter mortificare, privatum amorem cum omni sua vanitate prorsus evellere, seque in cunctis humiliare sub universis.

Intueamur, o fratres, quam desiderabile et salubre sit Deo perfecte servire. Ecce
Ps. IV, 4. quantum mirificat et honorat Altissimus Sanctos suos, ut provocet et inflammet nos ad fidem certissimam, ad vitam purissimam, ad profectum indesinentem. Cur ergo torpet cor nostrum ignavia? Cur inordinate reflectitur ad propria commoda? Quare amore ac desiderio summi et incomparabilis boni beatitudinisque æternæ ac cœlestis honoris non aspernatur honores fugitivos, caducos, brevissimos et humanos? Ecce gloriosi Apostoli, qui fuerunt primi ac summi prælati Ecclesiæ, qualiter contempserunt universa terrena, et sola paupertate se divites arbitrabantur, atque totius humilitatis se præbuerunt exempla, sicque verbis et operibus, patientiis quoque quas in suis habebant suppliciis pro Christo eis illatis, ostenderunt esse vitam aliam post præsentem, vitam utique sempiternam ac gloriosam, cujus intuitu et amore vilipendenda essent cuncta præsentia, carnalia et mundana.

In his ergo indefesse sectemur beatissimos patres, principes et doctores nostros Apostolos, nil gloriæ temporalis, nil humani honoris, nil sensualis delectationis aut mundanæ prosperitatis in hac vita quærentes, sed subjectione, abjectione, obeditione, inopia, correptione et correctione gaudentes, ut non solum mortuus, sed et crucifixus nobis sit mundus, et in
Galat. VI, 14. solo Deo sit semper tota spes et consolatio, tota intentio et affectio, omnis occupatio et operatio nostra.

SERMO QUINTUS

QUOD PROSPICIENDUM SIT NE SUPPLANTET NOS DIABOLUS.

JUSTE vocatum est nomen ejus Jacob : supplantavit enim me en altera vice. Gen. XXVII, 36.

Verba ista ad litteram scripta sunt de Esau et Jacob filiis Isaac : in quibus verbis conqueritur Esau bis supplantatum se esse a fratre suo Jacob. Unde in Genesi præallegatis verbis subjungit : Primogenita mea ante tulit, et nunc secundo subripuit benedictionem meam. Hinc asserit eum juste Jacob vocatum : nam Jacob supplantator interpretatur. In quibus per
Gen. XXVII, 36.

Esau intelligi potest diabolus ; per Jacob, sanctus iste apostolus Jacobus, qui in Hebræo Jacob vocatur : qui quasi primogenita tulit, quando cœlestis beatitudinis dignitatem promeruit, quam diabolus peccando amisit ; ad quam etiam aptitudinem habuit quamdam, ratione perfectionis et sublimitatis suæ specificæ. Secundo quoque quasi benedictionem subripuit illius iniqui sanctus iste Apostolus, quando abundantiam infusionis Spiritus Sancti in die sortitus est Pentecostes, quam, si non peccasset, exuberanter accepisset in cœlo ille malignus. Atque in his duabus vicibus, loquendo in genere, supplantavit seu vicit Jacobus sanctus diabolum. Supplantavit quoque diabolum in vita sua prædicando, magicas artes Hermogenis detegendo ac superando, plurimos convertendo, ac Judæorum confutando perfidiam, vitam etiam ducendo sanctissimam. Rursus superavit diabolum post mortem suam, post quam plura ac majora fecit miracula, ac plures convertit, quam vivens in carne. Elaboremus ergo et nos his modis (quantum possibile nobis est) supplantare diabolum, quum scriptum sit : Resistite diabolo, et fugiet a vobis. Quod tamen non nisi auxilio gratiæ Dei implere valemus, atque a Deo principaliter agitur, Paulo contestante qui loquitur : Deus conteret Satanam sub pedibus vestris velociter.

Jacob. IV, 7.

Rom. XVI, 20.

Porro, in Baptismo supplantavimus eum primo, quando de filiis iræ facti sumus filii gratiæ. Verum ad rationis usum perducti, quando mortaliter peccando innocentiam ac gratiam perdidimus baptismalem, supplantati sumus ab impio ; sed quoties vere pœnitendo recuperavimus gratiam, supplantavimus illum. Et quamvis turpe atque damnabile fuerat nobis in sæculo supplantari a diabolo, tamen incomparabiliter quasi turpius damnabiliusque consistit, si nunc post religionis ingressum, post monasticæ professionis emissionem supplantemur ab ipso. Religionem namque sumus ingressi, et regularem vitam professi, non solum ut pristina vitia fugiamus ac Domino obsequamur, verum etiam ut pro præteritis satisfaciamus peccatis, et tempora infructuose ac vitiose consumpta lucremur, quidquid in illis neglectum est reparantes, Deo quoque serviamus perfecte, scientes quod non sit nostrum circa communia immorari, aut præceptorum observantiis contentari, sed evangelica quoque implere consilia, puritati studere, spirituali invigilare profectui, perfectioni quotidie propinquare, ut dominetur quilibet animo suo, nec passionibus superetur, imo inordinata desideria omnia frangat.

Ephes. II, 3, 5.

Porro, si hoc ita se habet, ponderemus, o fratres, quid sit, quam damnabile, derisibile impiumque exsistat, in cœnobio negligentiis et pigritiis locum dare, pretiosissima tempora in quibus tam saluberrime negotiari et occupari possumus ac tenemur, fabulando, dormitando aut irreligiose seu curiose nos occupando expendere, et non solum non agere bona, non adjicere ad virtutes, non progredi in itinere Dei, non recuperare præterita mala, nec illa deflere, atque condignos agere pœnitentiæ fructus, sed insuper prava committere, malum malo adjicere, regredi instar cancri, et quæ defleantur augere. Memor sit unusquisque quid voverit Deo, nec tardet illud implere, quoniam displicet Deo stulta et infidelis promissio, atque solennis monasticæ promissionis transgressio magis quam violatio juramenti.

Luc. III, 8.

Eccle. V, 3.

Conetur igitur quilibet nostrum ut juste supplantator mereatur vocari, superando dæmonum tentamenta, mundum et carnem, propriam voluntatem, ac vitia universa. Nempe ut asserit Isaias, Hic est omnis fructus, ut auferatur iniquitas. Non quod vitiis carere, seu malum non agere, sufficiat ad salutem (alioqui infantuli non baptizati, ante usum rationis decedentes, salvarentur ; nec dictum esset, Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur) ; sed quia in ablatione peccati datur intelligi infusio gratiæ, adimpletio præceptorum, vitatio

Is. XXVII, 9.

Matth. III, 10 ; VII, 19.

omnis pigritiæ et omissionis. Quo constat, quod quanto vigilantiores ac agiliores fuerimus ad evitandum omne peccatum, quantumlibet parvum, tam commissionis quam omissionis, eo plus gratiæ Deus protinus nobis infundet, meliora præstabit charismata atque virtutum incrementa majora : præsertim quum nihil prohibeat bonum gratiæ ac virtutum a nobis nisi
Is. LIX, 2. peccatum, et solæ nostræ iniquitates dividant inter Deum et nos. Imo, quum Deus unicuique influat secundum ipsius capacitatem ac dispositionem, certum est quod B quanto gratiæ ac virtutum spiritualiumque profectuum impedimenta, id est peccata, diligentius incessabiliusque vitamus, tanto amplius in omni gratia ac virtute proficiemus ac perficiemur. Quid igitur restat, quid nobis necesse est, et
Prov. IV, 23. quid agendum incumbit, nisi ut omni custodia custodiamus cor nostrum, et ut
Ps. XXIV, 15. sint interiores oculi nostri semper ad Dominum, in omni quoque observantia sanctæ religionis diligentes simus ac fervidi, et quæ majoris sunt ponderis, amplius C ponderemus, quæ majoris sunt meriti et necessariora saluti, primo ac seriosius im-
Prov. XXIV, 12. pleamus ? Quumque cordium inspector sit
Ps. VII, 10; *Sap.* VI, 4. Dominus, scruteturque renes et mentes, et cogitationum discretor sit, affectionumque judex, provideamus in primis et super omnia enitamur ut coram Dei conspectu habeamus jugiter cor sincerum, caritativum, justum, simplex ac pium, ab omni cogitatione illicita, ab universa affectione obliqua, a cunctis pigritiis, negligentiis, carnalitatibus duplicitatibusque D immune.

Porro caveamus ne supplantet nos propria lingua, ne ad diabolicæ malitiositatis proruat verba, hoc est ad detractionem, discordiæ seminationem, rixas, contumelias, contradictiones, excusationes propriæ culpæ, aut verba mendosa, provocativa aut pungitiva. Nec solum hæc horribilia mala fugere nos oportet, sed verba demum scurrilia et in risum moventia, ab omnium patre religiosorum, sanctissimo Benedicto, in omni loco anathematizata : imo et verba otiosa, de quibus (summo Judice comminante) est in die judicii ratio requirenda. Propterea pro jugi linguæ custodia Dominum exoremus, cum viro sapiente dicentes : Quis dabit ori meo custodiam, et super labia mea signaculum certum, ut non cadam ab ipsis, et lingua mea me perdat ? Hinc oravit vir sanctus : Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium circumstantiæ labiis meis. O quam nocivus est animæ suæ, quam periculosus est fratribus suis, quam injuriosus est Deo, qui inconsideratus est ad loquendum, qui passionum suarum vehementias mox effundit, qui aversionum suarum dispergit venena, qui mala sub specie boni novit evomere, qui duabus loquitur linguis, qui detractoria aut odii et discordiæ seminaria profert ! Talis non solum necat se ipsum, sed instar pessimi basilisci inficit alios, inexpertos juvenesque seducit, simplices fallit, et animas Christi sanguine liberatas, tanquam latro crudelissimus jugulat. Ecce quanta mala incurrit religiosus linguæ suæ incontinens, passiones non vincens, Deum non metuens.

Matth. XII, 36. *Eccli.* XXII, 33. *Ps.* CXL, 3.

Postremo prospiciamus ne aliquo sensu peccemus, nec membro aliquo abutamur, ne per ea militemus dæmonibus et peccatis, quæ desuper data sunt nobis ut per ea obsequamur Altissimo, ne ventris maculemur ingluvie, et crapula gravetur cor nostrum ; sed indesinenter orando, sapienter meditando, Christi vitam ac passionem inspiciendo, Dei judicia formidando, æternæ veritatis contemplationi increatæque bonitatis ferventi amori assidue insistendo, resistamus diabolo, omnique impietati, vanitati et omissioni, ut conteratur ille iniquus Dei virtute sub pedibus nostris. Ad laudem et gloriam omnipotentis Dei.

Luc. XXI, 34. *Jacob.* IV, 7. *Rom.* XVI, 20.

IN FESTO

S. MARTHÆ VIRGINIS

SERMO UNICUS

DE BEATISSIMA CHRISTI HOSPITA S. MARTHA, ET DE VITA PRÆCONIISQUE EJUS.

DILIGEBAT *Jesus Martham et sororem ejus Mariam et Lazarum.* Joann. XI, 5.

Quod primo Regum libro asserit Chri-
I *Reg.* II,30. stus, Quicumque glorificaverit me, glorificabo eum, ipse in præelecta hospita S. Martha gratiosissime adimplevit, quoniam multis eam excellentiis decoravit.

Prima laus et excellentia ejus est, quod eam Christus, omnium Dominus, in hospitam ac nutricem sui ipsius et beatissimæ Matris suæ ac sacratissimi collegii Apostolorum suorum elegit, assumpsit ac habuit; B et quod ipsa Christo ac ceteris jam prædictis cum tam maxima promptitudine, reverentia, liberalitate ac caritate obsequebatur, summum reputans beneficium, quod illis poterat ministrare. O beatissimam feminam, quæ in domo sua tale meruit habere, hospitari et bene tractare collegium, quæ proprium Creatorem reficere tamque familiarem in terris habere fuit electa! Fuit autem ex regia stirpe progenita, valdeque opulenta, prudens, facunda; nec virum legitur habuisse.

Secunda virtus et laus ejus est, quod Christo tam fideliter ac constanter adhæsit, nec propter principes sacerdotum ac ceteros Christi hostes omisit hoc. Denique, quantum de Christi bonitate et caritate præsumpsit, hinc demonstratur, quod fra- A tre suo Lazaro infirmante, misit ad ipsum, dicens : Domine, ecce quem amas infir- *Joann.* XI, matur. Nec addidit, Precor ut venias eum- 3. que cures, sed insinuasse satis putavit, certa de caritate et fidelitate Christi ad se, a quo nil putavit sibi negandum. Item, quam magnam et certam habuerit fidem de Christo, constat ex eo quod dixit ad eum : Scio quia quæcumque poposceris a *Ibid.* 22. Deo, dabit tibi Deus. Et in hoc confessa est Christi humanitatem. Ejus quoque divinitatem confessa est, dicens : Ego credi- *Ibid.* 27. di, quia tu es Christus Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti.

Tertia ejus laus est, sua conversatio rigorosa et sancta, quam post Christi ascensionem et Spiritus Sancti missionem habuit usque ad felicissimum obitum suum, per annos amplius quam triginta. Nempe, ut supra in sermone de ejus felici sorore Maria est dictum, omnia sua reliquit, et *Cf.* p. 256 B'. cum aliis multis Sanctis navi imposita devenit Massiliam, deinde ad Aquense territorium. Ibique beatissima Martha, de li- C centia sui magistri S. Maximini episcopi, mansionem sibi constituit, et magnum congregavit devotissimarum cœtum sororum, atque in honore Virginis gloriosæ construxit ecclesiam, jejuniis et orationibus jugiter vacans, carnes, ova, caseum, vinum et omnem pinguedinem vitans, ac

semel tantum in die manducans. Centies omni die, totiesque in nocte, flectebat genua orans.

Quarta excellentia ejus est, magnitudo miraculorum quæ egit. Inter quæ est, quod juvenem defunctum resuscitavit, et immanissimum ac crudelissimum monstrum grossius bove, longius equo, quod multos valde occiderat, refrenavit, cingulo suo ligavit, occidique fecit a populo.

Quinta laus ejus est, pretiosa consummatio sua. Nam obitum suum sibi Christus revelavit per annum in quo febribus laboravit; et per octo dies ante obitum suum, vidit animam sacratissimæ suæ sororis Mariæ Magdalene a sanctorum exercitu angelorum ferri in cœlum. Quo viso consolata est valde, et ineffabili jucunditate repleta. Quumque obitum suum sentiret jam imminere, admonuit suos ut accensis luminaribus circa se vigilarent. Quæ quum a dæmonibus fuissent exstincta, et S. Martha illos conspiciens Christum devotissime invocaret, repente descendit ad eam soror sua Maria, accendens luminaria, et alloquens eam. Moxque ipse Dominus majestatis Christus Salvator adveniens, dixit : Veni, dilecta hospita mea, ut mecum sis in æternum; tu me in tuo suscepisti hospitio, ego suscipiam te in cœlo, et invocantes te, pro tuo amore exaudiam. Instante demum hora exitus, fecit se foras portari atque in terra super cinerem poni, ut cœlum intueri valeret. Crucem quoque coram se fecit teneri, et passionem secundum Lucam sibi legi. Et quum legeretur, Pater, in manus tuas commendo spiritum meum, etiam ipsa spiritum tradidit, et regnum cœleste felix introiit. Sed et ipse Christus et sanctus episcopus Fronto, in spiritu exsequias celebraverunt funeris sacri. Crebra item miracula ad ejus fiebant sepulcrum. *Luc.* XXIII, 46; *Ps.* XXX, 6.

Ecce qualiter Christus altissimus suam carissimam hospitam honoravit in vita, in morte et post mortem.

Hanc itaque sacratissimam Martham specialiter diligamus, veneremur ac invocemus; ejus opera sancta sequamur, caste, sobrie, timorate vivendo, atque quotidie in bonis proficiendo. Ad laudem et gloriam Dei.

IN FESTO

S. GERMANI EPISCOPI

SERMO UNICUS

DE VITA ET MIRACULIS S. GERMANI EPISCOPI.

DOMINUS tecum, virorum fortissime. Judic. VI, 12.

Verba hæc ad litteram ab angelo sancto dicta sunt sancto Gedeoni, judici Israelitici populi. Quæ de præclarissimo viro beatissimo Germano antistite verissime exponuntur. Hujus magni patris post suam conversionem talis fuit vita, quod nisi decorata fuisset miraculis, incredibilis videretur. Et rursus, tanta ac talia erant ipsius miracula, quod nisi merita tam præclara eadem præcessissent, putarentur phantastica. Primo igitur tangenda est vita hujus sanctissimi præsulis, secundo miracula ejus.

De vita ipsius vera refert historia, quod fuit nobilissimus genere in Antisiodoro natus, liberalibus artibus eruditus, et Romæ scientiam didicit juris, atque a senatu apicem ducatus Burgundiæ sumpsit. Quumque in Antisiodoro moraretur, et S. Amator ejusdem urbis episcopus arborem præscidisset absente Germano, in qua Germanus pro ostentatione suspendere consuevit capita ferarum quas venando obtinuit, voluit præfatum perimere præsulem. Qui ad tempus cedens illius furori, paulo post secretius retulit ei quod sibi in episcopatu succederet. Post modicum tempus defuncto S. Amatore episcopo, in præsulem ab omni plebe electus, substantiam suam erogavit pauperibus, et uxore in sororem mutata, ita per annos triginta proprium corpus afflixit, ut nunquam panem frumenti, non vinum neque legumen, sed nec salem pro sapore accepit. Bis tantum in anno, videlicet in die Nativitatis Christi et Resurrectionis ejus, vinum sumpsit permodicum, quod ita permiscuit aqua, ut vix vini haberet saporem. In æstate et hieme nullam habuit vestem præter cilicium et tunicam vel cucullam. Lectus suus cinere et sacco atque cilicio ornabatur; pulvinari non utebatur. Nunquam exuit vestimenta, nisi nimia vetustate attrita, vel ut darentur pauperibus; calceamenta et cingulum raro deposuit. Supra hominem fuit totum quod gessit. Nam et in refectionibus cinerem prælibavit, et hordeaceum panem comedit, et quasi semper in gemitu fuit.

Jam tangenda sunt ejus miracula. Filium Volusiani nobilissimi viri suscitavit a mortuis. Manducante eo cum regina nomine Placida, asinus ejus in stabulo obiit. Quumque regina equum sibi parasset ad revertendum, ipse stabulum ingressus, pede trudens cadaver : Surge, inquit, et revertamur. Protinusque asinus ille surrexit. Quum esset in navi, et gravissima orta esset tempestas, aquis navem intrantibus se objecit, et crucem in aqua faciens, di-

xit : In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Subitoque mira serenitas est secuta. Serpentes enormis magnitudinis quodam loco repertos, solo fugavit imperio. Quum sibi in Britannia prædicanti rex terræ illius negasset hospitium, a regis bubulco cum suis bene susceptus est. Bubulcus quoque unicum quem habuit vitulum, exsistentibus cum S. Germano paravit. Facta cœna, vir sanctissimus ossa vituli fecit super pellem componi, et ipso orante, vitulus surrexit repente. Sequenti die in virtute Spiritus Sancti locutus est regi : Cur nobis hospitium denegasti ? Perterrito rege, adjecit : Egredere, et regnum meliori dimitte. Sicque Deo jubente, bubulcum illum constituit regem.

Quum quædam gens ab ipso conversa, contra adversarios præliatura, esset debilior, ipse cum ea exsistens, præcepit ut secum Alleluia clamaret. Quo facto, hostes divina virtute conterriti, diffugerunt. Quum ad S. Cassiani episcopi venisset sepulcrum, dixit : Quid agis, frater Cassiane ? Et ille de sepulcro alte respondit : Dulci quiete perfruor, et adventum præstolor Salvatoris. Et Germanus : Quiesce, inquit, in Christo, et ora pro nobis. Quum unus discipulorum S. Germani obisset in via, Germanus ad ejus reversus sepulcrum, jussit tumulum aperiri, et interrogavit discipulum qualiter haberet, et an vellet reverti ad vitæ hujus malitiam. Mox defunctus ille resedit, et cuncta secum suavia esse, seque nolle redire ad vitam istam, respondit. Cui vir sanctus : Quiesce, inquit, in Domino. At ille caput reclinans, rursus obdormivit in Christo. Quum in quodam hospitio jaceret infirmus, et ignis undique domos combureret, hospitium sancti viri non tetigit. Alia multa et magna fuerunt ipsius miracula, et conversatio ejus atque miracula sibi invicem correspondebant.

Ecce quam vere mirabilis Deus in Sanctis suis. O quanta fuit hujus sanctissimi præsulis humilitas, quanta compunctio ! Quam inæstimabilem familiaritatem, confidentiam, amicitiam, quam intimam et quasi continuam unionem habuit mens ejus cum Deo ! O quam certa est veritas fidei christianæ, quæ tales efficit suos professores, talesque possidet testes ! *Ps.* LXVII, 36.

Itaque tanti patris provocemur exemplis, roboremur in fide, et divino accendamur amore ; gemamus ac suspiremus in valle hac lacrimarum ; in omni humilitate, patientia, pietate, misericordia, puritate crescamus quotidie, et toto corde convertamur ad Dominum, vanitatem et prosperitatem hujus sæculi aspernantes, atque ad æternalem beatitudinem infatigabiliter per sancta desideria virtuosaque opera properantes.

IN FESTO
S. PETRI AD VINCULA

Enarrationem epistolæ et evangelii cum suis sermonibus, require supra in festo SS. Petri et Pauli.

SERMO PRIMUS

DE CAVENDA VANA GLORIA, ET QUALIS SUPERIORIBUS DEBEATUR HONOR.

CECIDERUNT *catenæ de manibus Petri.* Act. XII, 7.

Epistola et evangelium festi præsentis sunt quæ in solennitate beatissimorum Petri et Pauli leguntur, et supra exposita sunt. Imo lectio illa, quæ loco epistolæ legitur, ad hanc festivitatem pertinet potius quam ad illam. Nunc enim solennizat Ecclesia de liberatione B. Petri a carcere, in quo Herodes Agrippa eum inclusit atque durissime vinxit. Quod qualiter factum sit, in lectione præfata narratur, et supra requiratur, et nunc brevissime repeti potest. Quum enim impius ille Herodes ad complacendum Judæis, principem totius Ecclesiæ dire incarcerasset, et Ecclesia illa primitiva in Judæa incessabiliter pro dignissimi principis Apostolorum liberatione deprecaretur, angelus Dei carcerem ingrediens, Petrum eduxit. Nec solum Deus hoc beneficium condonavit Ecclesiæ, sed præfatum quoque tyrannum Herodem Agrippam percussit per angelum suum invisibili et incurabili plaga interius, ita quod vermes viscera ejus acriter corrodebant, sicque per quinque dies consumptus a vermibus, infelicissime exspiravit. Sicque primitiva Ecclesia a crudeli fuit persecutore erepta.

Cf. p. 209 B et s. *Act.* XII, 1 et seq.

Ibid. 23.

Denique Lucas evangelista breviter tangit causam et modum prædictæ plagationis impii hujus Herodis. Quum enim die præordinato vellet S. Petrum occidere, et audisset eum de carcere evasisse, contristatus est valde, et furens atque indignans contra custodes carceris, decrevit eos occidere aut dire affligere. Sed quia non decuit ut pia liberatio Petri esset aliis impiæ tribulationis aut mortis occasio, Deus sic ordinavit quod custodes nil passi sunt: quia Herodes iste pro causa urgente, repente descendit ad civitatem Cæsaream nomine. Quumque die præfixo indutus regia veste, ex auro et argento mire contexta, concionaretur, seu ornate loqueretur, ad populum, populus ei acclamabat, Voces Dei, et non hominis, id est, laudibus divinis, non humanis, eum extollebat, dicens, ut Josephus refert : Hucusque te ut hominem timuimus, formidavimus, sed ex hoc jam te supra humanam esse naturam fatemur. Nam et superbissimus iste Herodes ex industria se posuit ad sedendum ex opposito solis mane. Quumque surgente aurora lux solis super vestem ipsius incideret, vestis illa auro et argento splendido tecta, duplicem emisit fulgorem, ita quod eam vix intueri valebant ;

Act. XII, 19.

Ibidem.

Ibid. 21, 22.

et tunc fatuum vulgus divinis eum laudavit præconiis. Quumque ipse stolidior vulgo divinis gloriaretur honoribus sibi
Act. XII, 23. oblatis, nec Deo daret honorem, ab angelo est percussus, et turpissima ac crudelissima morte peremptus. Sic etenim decuit ejus humiliari superbiam.

Verumtamen hunc maledictum Herodem sequuntur omnes ambitiosi, præsumptuosi, superbi, præesse et dominari optantes, qui propriam fragilitatem, defectuositatem et innumerabilia sua vitia non pensantes, proprium quærunt honorem et laudem ac excellentiam, quum sola eorum superbia faciat eos omni confusione atque æterna damnatione condignos, præsertim
I *Tim.* I, 17. quum et Paulus dicat apostolus : Soli Deo honor et gloria. Hinc talibus loquitur Chri-
Joann. V, 44. stus : Quomodo potestis vos credere, qui gloriam ab invicem accipitis, et gloriam quæ a solo Deo est, non quæritis? Ex quibus summi Magistri verbis probatur, quod qui ab invicem gloriam quærunt, et propriam excellentiam inter homines cupiunt, non habeant fidem formatam, id est caritate ornatam. Idcirco sunt spiritualiter mortui, hoc est in peccato mortali.

Fugiamus ergo omnem elationem et gloriam vanam, et si aliquid boni in nobis est, non hoc nobis, sed Deo omnis boni datori humiliter adscribamus atque ab omnibus adscribi optemus, gratique simus ac subditi Deo; nec humanis erigamur honoribus, nec hominum pascamur præconiis : imo tristemur quum nobis impenditur quod Deo debetur. Verumtamen prælati et superiores sunt honorandi in Domino, in quantum sunt ejus vicarii. Possunt quoque exigere debitam a subjectis venerationem ex zelo justitiæ, in quantum in eis honoratur Dominus Deus : ita quod eorum veneratio moderata, est veneratio Dei; eorum quoque inhonoratio, inhonoratio est Altissimi, qui suis ait vi-
Luc. X, 16. cariis : Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit. — Nunc itaque tacta est una causa institutionis festi præsentis.

Præterea, alia causa ipsius est ista. Alexander Papa, vir sanctus, et B. Hermes ab ipso ad fidem conversus, qui fuerat præfectus in Urbe, a Quirino tribuno in diversis tenebantur carceribus. Dixitque Quirinus ad Hermem : Miror te virum prudentem vitam aliam somniare, et dignitatem præfecturæ dimittere. Cui respondit B. Hermes : Et ego paulo ante, omnia Christianorum mysteria deridebam, et solam hanc vitam esse putabam. Quumque Hermes narrasset tribuno qualiter Alexander Papa filium suum suscitasset a mortuis, et angelus Dei S. Alexandrum Papam ex carcere suo perduxisset in carcerem S. Hermis januis clausis, Alexander quoque Papa filiæ Quirini tribuni gutturosæ, id est gutturis gravem infirmitatem patienti, impetrasset sanitatem per hoc quod eam fecit osculari vincula S. Petri quibus sub Nerone fuit ligatus in carcere; tunc Quirinus tribunus ad pedes S. Alexandri Papæ se prosternens, veniam postulavit, atque cum omni familia sua ac aliis multis ad Christum conversus est, et Alexandrum Papam eduxit de carcere. Qui felix Pontifex summus tunc festum hoc instituit celebrandum. In honore quoque Petri apostoli fabricavit ecclesiam, in qua vincula ejus reposuit. Unde in hac solennitate fit ad præfatam basilicam magnus populorum concursus, et tunc sancti Apostoli vincula populus osculatur. — Ecce qualiter Deus omnipotens, bonus ac justus, Sanctos suos honorat, non solum in eorum animabus atque corporibus, sed in rebus etiam inanimatis et vilibus in se ipsis quæ ad illos pertinuerunt. Sic etenim honoravit nunc S. Petrum in vinculis suis, per quæ tot egit miracula. Nam et comitem quemdam Ottonis imperatoris propinquum, a diabolo dire obsessum crudeliterque vexatum, Deus liberavit per contactum catenæ beatissimi Petri. Conformiter Deus honoravit Petrum apostolum in umbra sua, quoniam eos curavit super quos um- *Act.* V, 15.
bra a corpore S. Petri protendebatur. Honoravit etiam Petrum in baculo suo, quia per contactum baculi ejus suscitavit

tres mortuos, ut in Martyrologio fertur. A Tertia causa institutionis hujus festi, hæc est. Eudoxa filia Theodosii devoti imperatoris, quum Jerosolymam visitasset, ibi a quodam Judæo duas catenas quibus ab Herode præfato S. Petrus fuerat vinctus, accepit, quas ipsa detulit Romam. Romani autem usque ad illud tempus, die quo festum hoc nunc servatur, tenuerunt solennitatem de victoria qua Octavianus imperator contra Antonium Cleopatræ reginæ Ægypti maritum, prævaluit. Præfata vero Eudoxa dolens quod tantus honor B impendebatur imperatori infideli damnato, rogavit S. Pelagium Papam ut solennitatem illam quæ de Octaviani servabatur victoria, mutaret in festivitatem liberationis S. Petri a vinculis : quod et Papa sic fecit. Denique, quum devota regina Eudoxa protulisset catenas quas detulit secum, prolata est et catena qua fuit Petrus apostolus Romæ sub Nerone ligatus. Quumque catena hæc illis applicata fuisset, ita miraculose una catena effecta est ac si semper una eademque fuisset.

Hanc itaque festivitatem devote agamus, et sanctum invocemus Apostolum, quatenus sicut ipse per angelum de captivitate et catenis Herodis est liberatus, sic Deus per preces ejus ac merita, a captivitate diaboli atque a vinculis vitiorum nos liberare dignetur. Nam ut Salomon protestatur : Iniquitates suæ capient im- *Prov.* v, 22. pium, et funibus peccatorum suorum constringetur. O infelix captivitas, et o insania iniquorum, o servitus prorsus vilissima, sic a dæmonibus teneri captivum, ut non B procedat iniquus sic captus ad aliquem meritorium actum, nec libere Christum sequatur, sed a diabolo de peccatis in peccata trahatur ! Quanta est pravorum amentia hominum, qui potius volunt in hac captivitate ac servitute diabolica permanere, quam pœnitendo et vitam in omnibus emendando, in libertate gratiæ ac virtutum Deo subjici ac servire ! Nam ut ait Apostolus : Ubi spiritus Domini, ibi II *Cor.* III, 17. libertas. Itaque resipiscamus a malis ac II *Tim.* II, 26. laqueis inimici, et jugum Christi suave *Matth.* XI, 29, 30. C portemus, obediendo divinis præceptis.

SERMO SECUNDUS

DE ANGELIS AD CUSTODIAM HOMINUM DEPUTATIS ; QUOD LIBERARI A CORPORE MORTIS BIFARIAM POSSIT DESIDERARI ; ET DE LIBERTATE SANCTA LIBERTATEQUE MALA.

ITA *rupit vincula, quasi fila telarum.* D Judic. XVI, 12.

Verba ista ad litteram scripta sunt de Samsone, qui quum ab uxore sua Dalila septem * funibus fuisset ligatus, et illa clamaret, Philistiim super te, Samson, ipse consurgens, tam facile rupit vincula illa quasi quis rumpat telam araneæ. Si ergo tantæ fortitudinis erat Samson, quanto magis angelus Dei facillime dissolvere potuit catenas et vincula sanctissimi Petri apostoli ? Denique, sicut recitat Lucas

Judic. XVI, 11, 12. * novis

evangelista, quum Petrum angelus eduxisset de carcere, ipse beatissimus Petrus considerans se ereptum, venit ad domum *Act.* XII, 12-17. Mariæ matris Joannis, qui cognominatus est Marcus et fuit apostoli Barnabæ consobrinus : quæ domus fuit in civitate Jerusalem. Et erant in domo illa multi fideles congregati, et orantes pro Petri liberatione a carcere. Quumque gloriosissimus Apostolus pulsasset ad ostium, processit puella nomine Rhode ad inquirendum quis illa hora noctis pulsaret. Quum autem co-

gnovisset vocem Petri, præ gaudio non aperuit, sed intro currens, nuntiavit Petrum stare ante januam. At illi dixerunt : Insanis. Illa vero affirmavit sic se habere. Illi autem dixerunt : Angelus ejus est. Petrus vero perseverabat pulsans. Quumque aperuissent ostium, viderunt eum et obstupuerunt. Petrus autem manu innuebat eis ut tacerent, recitavitque eis quomodo Dominus per angelum eduxisset eum de carcere, et dixit : Nuntiate Jacobo et fratribus hæc. Quod intelligendum est de Jacobo Minori, episcopo Jerosolymorum, cui tanquam Christianorum ibi commorantium præsuli ac prælato voluit nuntiari qualiter eductus esset de carcere.

Insuper, ex eo quod fideles illi dixerunt puellæ, Angelus ejus est, duo notabilia eliciuntur. Primum est, quod quilibet homo habeat specialem angelum sibi pro custode et directore divinitus condonatum : quod et Christus in Evangelio innuit, dicens, Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei. Et omnes angeli isti, sunt de infimo choro seu ordine angelorum, ut divinus Dionysius docet, et doctores concorditer protestantur. Ad minus ergo sunt tot angeli sancti de infimo choro, quot modo sunt vel unquam simul fuerunt aut eodem tempore erunt homines in sæculo universo. Prorsus ergo innumerabilia millia angelorum sunt in infimo choro. Quis enim excogitare prævaleat quot modo sunt millia hominum in hoc mundo? Ideo dixit Psalmista ad Dominum : Secundum altitudinem tuam multiplicasti filios hominum. Quam ineffabiliter itaque innumerabilia millia angelicorum spirituum sunt simul in omnibus angelorum ordinibus? potissime quum divino Dionysio edocente, et S. Thoma eum in hoc sequente, quanto in cœlesti hierarchia chorus est altior, tanto plures in se continet spiritus ac personas, ita quod forsan in duplo plures sunt de ordine Seraphim summo, quam de angelorum ordine imo. Etenim Regem majestatis immensæ decet tam innumerabiles milites ac ministros habere. Propter quod in Job asseritur : Numquid est numerus militum ejus? Et super quem non splendet lumen ipsius?

Act. XII, 15.

Matth. XVIII, 10.

De Cœlest. hier. c. VI, VII.

Ps. XL, 9.

Cf. t. XXI, p. 232 C'.

Job XXV, 3.

Secundum quod ex præallegato elicitur verbo, est quod crebro angeli sancti apparent hominibus in forma et persona eorum quorum sunt angeli, sive illi sint mortui, sive viventes. Hinc quoque asserit S. Thomas, non esse putandum quod spiritus post mortem hominum apparentes, semper sint spiritus defunctorum in quorum apparent personis, sed interdum sunt angeli boni, interdum quoque sunt angeli mali. Idcirco non statim credendum est omni spiritui apparenti : imo juxta doctrinam Apostoli, indigemus gratia discretionis spirituum, per quam discernamus qui spiritus sint a Deo, et quæ revelationes vere a Deo emanent : alioqui periculose falli possemus, quemadmodum sexto libro Vitaspatrum cuidam infelici legitur accidisse, qui habitavit in eremo, et a diabolo fallebatur, qui ei in specie angeli boni frequenter apparuit. Qui tandem dixit ad fratrem illum : Ecce diabolus venit ad te in specie patris tui carnalis. Accipe ergo bipennem tuam sive securim, et perge in ejus occursum. Quumque videris eum, irrue in eum, et ipsum occide. Quumque frater ille credidisset huic apparitioni, accepit bipennem, et pergens in eremum, occidit patrem suum carnalem, qui vere venit ad eum. Quo facto, obsedit eum diabolus et occidit.

I *Joann.* IV, 1.

I *Cor.* XII, 10.

Præterea, sicut angelus sanctus liberavit B. Petrum a carcere, sic quilibet nostrum jugiter oret Deum ut se a carcere corporis hujus atque a præsenti exsilio liberare dignetur, quemadmodum Propheta legitur exorasse : Educ de custodia, id est de carcere, animam meam, ad confitendum nomini tuo. Nam corpus istud mortale merito carcer animæ appellatur, quoniam aggravat eam, et a spiritualibus multoties impedit, atque ad vitiosas concupiscentias eam inclinat. Propter quod scriptum est : Corpus quod corrumpitur, aggravat animam ; et alibi, Caro concupiscit adversus

Ps. CXLI, 8.

Sap. IX, 15. *Galat.* V, 17.

*Rom.*VII,24. spiritum. Ideo dixit Apostolus : Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Denique dupliciter debemus velle ab hoc carcere corporis nostri liberari. Primo, ut non detineamur in desideriis carnalibus ac mundanis, sed sensibilia transcendendo, spiritualia et æterna contemplemur ac appetamus, atque in summo et incommutabili bono, quod Deus est, cor nostrum figamus, juxta illud in *Ps.* LXXII, 28. Psalmo : Mihi adhærere Deo bonum est. Secundo, ut Deus nobis vitam sibi placentem et mortem paratam dare dignetur, quatenus de corpore isto perducamur ad paradisum cœlestem, non ad carcerem infernalem.

Postremo Dominum deprecemur, ut sicut beatum apostolum Petrum liberavit de captivitate et vinculis materialibus, sic nos liberare dignetur de spirituali captivitate diaboli ac vinculis vitiorum : quatenus libera mente Deum sequamur, et semitas dæmonum, hoc est superbiam, iram, indignationem, invidiam, ac cetera vitia ad infernum trahentia, evitemus.

Ubi pensandum, quod est quædam vera ac spiritualis libertas, quæ est immunitas a peccatis, et inobligatio ad tormenta inferni, ita quod diabolus non habet jus seu causam damnationis in homine. De qua *Joann.*VIII, 36. libertate ait Salvator : Si Filius vos liberaverit, vere liberi eritis. Et Apostolus : *Galat.*V,13. Vos (inquit) in libertatem vocati estis. Huic libertati non contrariatur sed consonat servitus Dei : quoniam Deo servire, regnare est. Nempe qui Deo veraciter servit, dominatur proprio animo et corpori suo, dæmonibus prævalet et peccatis. Hinc S. Agatha dixit : Summa ingenuitas seu libertas est, in qua Christi servitus comprobatur. Alia est libertas impia et perversa, quæ est irrefrenata indomitaque voluntas, qua homo legibus subjici dedignatur, et contra Dei præcepta voluntatem propriam sequitur, nec desideria prava compescit. Hæc est libertas pravissima, in qua gloriantur iniqui, quibus propria voluntas est lex. Huic libertati debetur repressio, et omne quod afflictivum est propriæ voluntatis. Unde quanto quis in vita hac magis indulget seu consentit propriæ voluntati, contra Dei præcepta irrefrenate et sine timore peccando, tanto acrius puniet eum Deus, pœnaliusque frenabit, opprimet, reprimet et arctabit in infernali ergastulo, in quo ligatis manibus ac pedibus suis, ipsum recludet in sempiternum, sicut de impiis Isaias propheta testatur : Congregabuntur (inquiens) congregatione unius fascis, et claudentur in carcere. *Matth.*XXII, 13. *Is.*XXIV,22.

Væ igitur eis qui quotidie Deum tam irrefrenate offendunt, nunc superbiendo, nunc irascendo, nunc invidendo, gulose edendo atque bibendo, aut cetera vitia carnis sequendo, fabulationibus, risibus, jocis ac ceteris vanitatibus insistendo. De quibus ait divina Scriptura : Gens absque consilio est et sine prudentia ; utinam saperent et intelligerent, ac novissima providerent. Vere etenim excæcati et infatuati sunt isti, qui tam insipientissime agunt, qui æterna felicitate se privant, tamque inæstimabilem damnationem ac perpetuam punitionem gravissimam sibi mercantur, qui animas suas tam graviter lædunt quotidie, et crudelissimis hostibus suis, puta dæmonibus, dant consensum, optimo quoque Creatori et summe amoroso ac fidelissimo Salvatori ita ingrati sunt tamque rebelles. Quibus clamat Propheta : Redite, prævaricatores, ad cor. *Deut.*XXXII, 28, 29. *Is.*XLVI, 8.

Itaque hæc pensantes, emendemus vitam in omnibus, et beatissimum Apostolorum principem invocemus, ut veræ libertatis gratiam nobis suis potentissimis precibus ac copiosissimis meritis impetrare dignetur, ut a vitiis liberi, Deo semper grati simus ac subditi.

AD RELIGIOSOS

SERMO TERTIUS

DE PRINCIPATU ET POTESTATE PETRI ; ET QUOD RELIGIOSORUM VINCULA SINT INOBEDIENTIA, ACEDIA, PROPRII SENSUS IMMANSIO, CARNALIS AFFECTIO, PROPRIETAS SIVE CUPIDITAS.

DISSOLUTA sunt vincula illius per manus potentis Jacob. Gen. XLIX, 24.

Verba ista ad litteram de sancto patriarcha Joseph conscripta sunt, de quo fertur in Psalmo : Humiliaverunt in compedibus pedes ejus ; atque in Genesi, Vinctum tradidit in carcerem. Cujus vincula soluta sunt per manum potentis Jacob, id est virtute omnipotentis Dei, qui est fortitudo et causa fortitudinis patriarchæ Jacob, seu Israeliticæ plebis. Fuit enim Dominus cum Joseph, et dedit ei gratiam in conspectu principis carceris. Unde de ipso scriptum est litteraliter in libro Sapientiæ : Venditum justum non dereliquit, sed a peccatoribus liberavit eum ; descenditque cum illo in foveam, et in vinculis non dereliquit eum. Quæ omnia mystice de sacratissimo Apostolorum principe Petro apte intelliguntur, quem hodierna die Deus, orante Ecclesia, per angelum liberavit de carceris captivitate ac vinculis, prout in Actibus narratur Apostolorum. Et satis ibi mira summi Archiapostoli excellentia insinuatur. Nam quamvis Lucas evangelista gloriosum et sanctum Dei apostolum ac Christi consobrinum Jacobum ab Herode describit occisum, nil tamen de ipsius incarceratione seu oratione Ecclesiæ pro ejus liberatione conscripsit. Quum vero Petri sanctissimi incarcerationem narrasset, mox addidit : Oratio autem sine intermissione fiebat ab Ecclesia ad Deum pro eo. Ipse equidem vere fuit summus monarcha orbis totius, unicusque hierarcha Ecclesiæ universalis, quemadmodum in Decreto multis in locis habetur : cui soli a Deo incarnato collata est ecclesiasticæ potestatis vertex ac plenitudo.

Ps. CIV, 18. *Gen.* XXXIX, 20. *Ibid.* 21. *Sap.* X, 13, 14. *Act.* XII, 1 et seq. *Ibid.* 5.

Unde, ut S. Thomas in Summa contra Græcos allegat, B. Cyrillus Alexandrinæ Ecclesiæ patriarcha et archiantistes in libro Thesaurorum fatetur : Quemadmodum Christus homo accepit ducatum et sceptrum Ecclesiæ gentium, ex Israel egrediens, super omnem principatum et potestatem, et super omne quodcumque est, ut ei genua cuncta curventur, plenissimam scilicet potestatem ; sic Petro et ejus successoribus omnino plene commisit, potestatem videlicet et ducatum. Et rursus ait Cyrillus : Pedes Christi sunt humanitas ejus et homo ipse, cui tota Trinitas plenissimam contulit potestatem ; quam humanitatem unus trium assumpsit in unitate personæ, et transvexit ad Patrem, super omnem principatum et potestatem, ut adorent eum omnes angeli Dei : quod totum dimisit per sacramentum et potestatem Petro et Ecclesiæ ejus. Chrysostomus quoque super Actus ait Apostolorum : Petrus est vertex sanctissimus veri et apostolici chori. Cui, videlicet Petro, Christus suam ac Patris potestatem universaliter dedit, hominique mortali omnium quæ sunt in cœlo dedit auctoritatem, dando ei claves regni cœlestis, ad hoc ut Ecclesiam ubique terrarum ampli-

Ephes. I, 21. *Hebr.* I, 6. *Matth.* XVI, 18, 19.

ficet, prout super Matthæum dixit Chrysostomus : Ecce Deus homo factus, quantum deificavit homines, præcipue Petrum, per dona gratiæ gratificantis ac gratis datæ ; quem non relinquit in vinculis, quoniam non solum a vinculis captivitatis, sed a vinculis etiam vitiorum eripuit eum, quando conversus Dominus respexit Petrum, et tetigit cor ipsius, ita quod desuper mox compunctus exivit et flevit amare. Rogemus igitur Dominum ut precibus ac meritis sacratissimi Petri, ab omnium vinculis vitiorum nos semper liberare ac præservare dignetur.

Luc. XXII, 61, 62.

Et quamvis universa peccata mortalia sint vincula iniquorum, quibus (juxta Pauli doctrinam) captivi tenentur ad diaboli voluntatem, nihilo minus vincula pessima religiosorum sunt potissimum, inobedientia, acedia, proprii sensus immansio, carnalis affectio, proprietas quoque sive peculium, imo et ipsa cupiditas. — Nempe quum religiosus debeat obedire non pigre, non tarde, neque coacte, neque cum murmure, sed prompte, gratanter ac amorose, secundum Benedictum, quatenus aures pareant auditui, pedes itineri, manus operi, mens subjectioni, statim ad vocem jubentis, juxta Bernardum : nonne inobedientia grave ac ferreum animæ induratæ est vinculum, reddens miserum monachum ad sibi injuncta quasi immobilem, ad alia vero, præsertim ad ea quæ sunt propriæ voluntatis, promptum et quasi volantem, ita ut cui grave sit ex obedientia facere parva, ut in die scribere unum latus aut folium, facillimum sit ex propria voluntate facere multum, ut scribere folia duo aut litteras longas occulte quotidie ? Nonne istud est sacrilegium, et furtum enorme, id est, abusus rei sacræ, et contrectatio rei alienæ invito domino ejus et secrete ? Si enim sacra est vestis et domus sive ecclesia Divinitatis cultui deputata, quanto magis humana voluntas Deo per votum solenne oblata, atque in spiritualis patris, vicarii Dei, potestate et arbitrio pendens ac posita ? Eam ergo tam inordinate resumere, eaque uti ad proprium libitum contra præsidentis arbitrium sive imperium, abusus est rei sacræ, sacrilegiumque damnabile et furtum enorme. Tantum igitur abhorreamus piaculum, et ejus semper sectemur exemplum, qui non suam sed Patris venit facere voluntatem, positusque in cruce, quum jam omnia consummasset, factus obediens usque ad mortem, inclinato capite dixit : Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. Itaque cuncta quæ nobis injunguntur, libenter ac obedientialiter exsequamur, non in quantum seu quia nostræ affectioni sunt placita, aut propriæ inclinationi apta, commodosa seu consona, sed ideo quoniam injunguntur seu præcipiuntur, et quia sunt bona ac Deo placentia. Neque incaute dijudicemus aut discernamus. Nempe si ita obedierimus, obedientia nostra erit sincera, Deoque placentissima, ac summe meritoria, nil habens de proprio, etiam dato quod ea quæ injunguntur, sint nostræ voluntati et inclinationi placita prorsus et consona.

Joann. VI, 38.

Philipp. II, 8. *Joann.* XIX, 30 ; *Luc.* XXIII, 46.

Præterea acedia grave nimisque detestabile vinculum est religiosorum, spirituali fervori, ad quem illi tenentur, contrarium, in fastidium vertens regularem laborem, internæ suavitatis impediens gustum, faciens miserum, tardum ac tædiosum ad surgendum ad matutinale Officium, ad Primæ obsequium, in psalmodia et orationibus ac lectionibus somnolentum, ad ea vero quæ carnis sunt, fortem ac promptulum. Hæc est infirmitas pessima et languor letalis, ambitiosos graviter vexans, nisi forte desiderio laudis humanæ ac temporalis cupitu honoris hæc vitent. Phlegmaticos quoque specialiter deprimit, nisi intuitu Dei per gratiam ejus fortiter reluctentur : quia ex naturali dispositione sunt pigri. Idcirco, contra acediam tenentur ac indigent specialiter dimicare. Attendentes igitur quod ex nostra professione ad spiritualem ac quotidianum obligemur profectum, penitus omnem supplantemus acediam, et salutarem in hoc nobis violentiam

II *Tim.* II, 26.

inferamus, bona opera virili ac celeri alacritate aggredientes ac inchoantes, et torporis principio resistentes, quum bonum principium plus esse dicatur quam medium totius. Alioqui modicus error in principio, magnus erit in fine. Non inchoemus diei obsequium, Dei præconium, matutinale Officium a torpore acediæ, sed a caritatis fervore, a devotionis velocitate, a spirituali jucunditate, cum gaudio exsilientes de lecto, a corporis nido, ad oratorium spiritus, ad locum divini cultus.

Insuper proprii sensus immansio, vinculum exstat odibile, insipientiæ signum, effectus ignorantiæ, inobedientiæ quoque mater. Hæc convenit his qui magni et
Is. v, 21. sapientes sunt in oculis suis, qui duri sunt cordis ac lapideæ mentis, nec quanta sit humanæ rationis imbecillitas sciunt ac pensant : ideo nimium credunt sibi, et suo magis quam alieno inhærent judicio ; propter quod plura atque gravissima incidunt vitia. Quumque dona Sancti Spiritus faciant hominem faciliter mobilem ac dirigibilem a Spiritu Sancto, isti sua indirigibilitate ostendunt se donis Spiritus Sancti carere ; suaque indocilitate pandunt se veræ prudentiæ esse expertes, quum docilitas esse perhibeatur pars prima prudentiæ. Humilitati quoque specialiter derogat hoc peccatum. Ideo ipsum penitus detestemur, credentes quod alii, præsertim superiores nostri, in sapientia, prudentia et gratia Dei nos superant.

Amplius, amor carnalis quo gravius oculos mentis excæcat, eo periculosius animam ligat, puritatique adversatur, atque ad multa inducit peccata, ad indecentem contactum, ad amplexus et oscula, impudicosque motus et corporis fœditates : quæ omnia miser carnalis vix audet in confessione distincte exprimere. Imo, sæpe in tantum veretur suo privari objecto carnalique gaudio, ut malit absque sincera confessione sacramenta accedere, quam illis carere. Ita diabolicum malum hoc ligat, excæcat ac deprimit infelicem. Votoque continentiæ istud repugnat. Idcirco penitus in æternum vitetur, et spirituali accendamur amore.

Postremo, proprietas sive peculium, paupertatis voto contrariatur. Ideo tanquam infernale vinculum abrumpatur ; nec gloriemur in hac parte quasi a proprietate immunes, nisi et ipsas cupiditates et omnes inordinatas affectiones radicitus evellamus et superemus, quatenus omni die, ut dignum est, in spiritualibus concrescamus affectibus sanctis.

SERMO QUARTUS

DE POTESTATE ECCLESIASTICA ; QUÆ SINT VINCULA BONA ATQUE MALA, ET QUI FUNICULI QUIBUS TRAHIMUR AD DEUM.

DIRUPISTI vincula mea ; tibi sacrificabo hostiam laudis. Ps. CXV, 16, 17.

Dilectissimum et electissimum suum Petrum Christus Dominus, universitatis creator, mirabiliter sublimavit fidei firmitate, spei certitudine, caritatis ardore, omni virtute ac dono Spiritus Sancti, omnique plenitudine ecclesiasticæ potestatis. Porro plenitudo ecclesiasticæ potestatis, propriissime inde loquendo, tria complectitur, continet seu includit, videlicet ordinem sacerdotalem, potestatem episcopalem, et jurisdictionem universalem super universam Ecclesiam : prout dominus Petrus de Palude patriarcha Jerosolymitanus, in suo de Ecclesiastica potestate tra-

ctatu, istud bene declarat. Per ordinem seu potestatem sacerdotii, comparatur Papa ad corpus Christi verum. Nec in hac excedit ceteros sacerdotes, quoniam hæc potestas non suscipit majus et minus, prout super quartum Sententiarum concorditer dicunt doctores. Nec ista potestas potest auferri suo manente subjecto, quia indelebilis est sacerdotalis character. Per potestatem vero episcopalem comparatur ad mysticum Christi corpus, quod est Ecclesia ei subjecta. Nec in hac potestate excedit episcopos alios : propter quod nominat eos fratres, secundum Thomam. Sed et inferiores presbyteros nominat fratres. Ideo Petrus de Tarantasia super Sententias scribit, quod nec episcopalis potestas suscipit majus et minus. Nec ista potestas potest auferri : unde si Papa officio cedat aut deponatur, et iterum eligatur, non de novo consecratur, sicut nec præsules alii depositi et reelecti. Per potestatem autem universalis jurisdictionis, comparatur Papa ad universos et singulos, et eminet cunctis, omnes excedens prælatos. Atque (ut Bonaventura testatur) ipse est pater patrum, summus totius Ecclesiæ pastor et præsul, unicus sponsus, indivisumque caput, magister ac legifer, cui omnes (ut ait S. Cyrillus) jure divino caput inclinant, et tanquam Christo obediunt. Hæc potestas est quædam relatio, et potest auferri.

Cf. t. XXV, p. 30 A et s.

Act. XII, 17.

Ecce quantæ excellentiæ fecit Dei Unigenitus sacratissimum Petrum. Nempe, sicut in Deo causaliter, fontaliter ac idealiter continentur omnium rerum creatarum perfectiones sublimiori modo quam in ipsis rebus, ita in summo Pontifice concurrunt et sunt universæ ecclesiasticæ potestates ac dignitates altiori modo quam in inferioribus principibus ac prælatis. Hinc sanctus pater Bernardus libro de Consideratione disseruit, quod dominus Papa ratione sui primatus est Abel, ratione suæ gubernationis est Noe, ratione patriarchatus est Abraham, ratione ordinis est Melchisedech, ratione dignitatis Aaron, ratione auctoritatis Moyses, ratione judiciariæ potestatis Samuel, ratione potestatis plenariæ Petrus, ratione unctionis Christus. Et iterum loquitur, quod Christus dicendo ad Petrum, Pasce oves meas, commendavit unitatem in uno pastore et in uno grege, ita quod tota universalis Ecclesia est unus grex sub domino Papa, qui inter Deum et homines constitutus est medius, utpote Deo inferior et hominibus cunctis superior : ut sanctus asserit Clemens, qui in Itinerario suo testatur, totum mundum domino suo Petro fuisse inferiorem. Hinc teste Bernardo, universus orbis commissus est Papæ.

Joann. XXI, 17.

Quoniam itaque tanta exstitit sanctissimi Petri excellentia, tamque necessaria fuit Ecclesiæ ejus præsentia (siquidem os erat Apostolorum), non immerito Ecclesia pro suo tam excellentissimo capite, pastore, indesinenter oravit Deum pro ejus liberatione. Et quoniam preces communitatis devotissime exorantis Deus non abjicit, angelum suum misit, qui gloriosissimum Petrum miraculose eduxit, sicut in Actibus sanctus recitat Lucas, et scitis. Idcirco Petrus dicere potuit Deo : « Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis ». Eductus namque Deo gratias agens : Nunc (inquit) scio vere quia misit Dominus angelum suum, et eripuit me de manu Herodis, et de omni exspectatione plebis Judæorum.

Act. XII, 7 et seq.

Ps. CXV, 16, 17.

Act. XII, 11.

Denique de variis vinculis loquitur sacra Scriptura, de quibus eripuit Deus S. Petrum. Sunt enim vincula corporeæ fragilitatis ac molis. Propter quæ locutus est Paulus apostolus : Cupio dissolvi et esse cum Christo. Simeon quoque justus : Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace. Atque Psalmista : Educ de carcere animam meam. Ista vincula sunt, animæ corporisque connexio, cohærentia, habitudo. De his vinculis liberatus est Petrus in hora sui martyrii.

Philipp. I, 23. *Luc.* II, 29.

Ps. CXLI, 8.

Alia sunt, vincula terrenæ cupiditatis, carnalis voluptatis, mundani honoris, et cujuscumque peccati mortalis. De quibus locutus est Salomon : Iniquitates suæ ca-

Prov. V, 22.

pient impium, et funibus peccatorum suorum constringetur. A quibus beatissimus Petrus liberatum se glorians, dixit Christo : Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te. *Matth.* XIX, 27.

Tertia sunt, vincula justæ punitionis. Unde de reprobis loquens Isaias propheta : Congregabuntur (ait) congregatione unius fascis, et claudentur in carcere. Christus quoque in Evangelio : Ligatis manibus et pedibus, projicite eum in tenebras exteriores. Sed et Judas apostolus in sua fatetur Canonica : Angelos qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in judicium magni Dei vinculis æternis Jesus sub caligine reservavit. Quamvis vincula ista sint bona, utpote justa, non tamen nobis sunt appetenda, sed vehementissime abhorrenda. *Is.* XXIV, 22. *Matth.* XXII, 13. *Judæ* 6.

Quarta ergo sunt, vincula bona et appetenda, de quibus per Osee prophetam asserit Dominus : In funiculis Adam traham eos, in vinculis caritatis. Vincula ista sunt spirituales ac fervidæ affectiones, quibus anima colligatur ac jungitur Deo, in tantum ut per voluntatis conformitatem sit unum cum eo, dicente Apostolo : Qui adhæret Deo, unus spiritus est. Rursus, vincula ista sunt beneficia Dei, quorum consideratio accendit amorem, et Deo connectit amantem. Unde et Salomon fassus est : Funiculus triplex difficile rumpitur. Iste triplex funiculus est triplicium beneficiorum Dei consideratio sagax, videlicet beneficiorum naturæ et gratiæ cœlestisque gloriæ. Damnabiliter quoque indomitus est, maleque fortis et nimis ingratus, quem tam robustissima vincula Deo non alligant. His vinculis colligatur Ecclesia per omnem juncturam, nexum et subministrationem, secundum Paulum in pluribus locis : quibus et benedictissimus Petrus fuit et nunc plenissime est Deo inseparabiliter alligatus, cohærens et junctus. Proximis quoque tam fortiter fuit connexus, quod pro omnium conversione et salute infatigabiliter laboravit. Atque ut S. Clemens fatetur, immensam ad omne genus hominum habuit caritatem. *Osee* XI, 4. I *Cor.* VI, 17. *Eccle.* IV, 12. *Ephes.* IV, 16 ; *Coloss.* II, 19.

Quinta sunt, vincula præceptorum, quibus rebelles nolunt ligari et a vitiis retrahi seu compesci, juxta quod scriptum est in eorum persona : Dirumpamus vincula eorum, et projiciamus a nobis jugum ipsorum. Unde et reprobis loquitur Deus per Jeremiam : A sæculo fregisti jugum, rupisti vincula, et dixisti, Non serviam. Ista sunt salutaria vincula, quibus boni religiosi, præsertim reclusi, manent in cœnobio quasi in aperto carcere spontanee vincti. — Sunt etiam vincula temporalis ac justæ punitionis : quæ vincula sunt patienter ferenda, quoniam pœnæ vitæ præsentis sunt medicinales. *Ps.* II, 3. *Jer.* II, 20.

Studeamus ergo, o fratres, cum sacratissimo Archiapostolo tam virtuose ac irreprehensibiliter conversari, ut a vinculis primis, puta corporeæ detentionis, optemus dissolvi, mortem bona conscientia intrepide postulantes, exemplo Pauli dicentis : Infelix ego homo ! quis me liberabit de corpore mortis hujus ? Corpus siquidem corruptibile aggravat animam. Porro secunda vincula, omnem videlicet terrenam cupiditatem, sensualem delectationem, temporalis honoris cupidinem, universamque pravitatem, odiamus ac evitemus : spiritualia, cœlestia et æterna, et omne bonum vere honestum, totis præcordiis cupientes, atque condignis laboribus adipisci ea quærentes. Nec ea quæ propter Deum reliquimus, denuo appetamus, ne tertiis vinculis post vitam hanc innodemur, præsertim quum et purgatorii pœnæ tam diræ intolerabilesque consistant. Quartis vero vinculis undique circumdemur, infrangibiliterque ligemur, ut a caritate Dei ac proximi nihil nos separet ; et quantumcumque quis alteri fuerit gravis, injuriosus aut improbus, non tamen ex hoc lædatur aut minuatur sua caritas circa illum, nec inde inordinate tristetur, sed cogitet Deo dispensante sic fieri, et se ita purgari, imo et suis peccatis id meruisse : ideo mente tranquilla oret pro suo exercitatore, et regratietur Deo ac *Rom.* VII, 24. *Sap.* IX, 15.

illi, caveatque ne illi aut alteri offendiculum ponat, sed caritate ac pietate superet ipsum.

Postremo quintis vinculis maneamus libentissime in cœnobio vincti, nec videri cupiamus in mundo, imo nesciri amemus, atque in abscondito vacemus devoto ac stabili corde secretissimo Deo, intus et foris jugiter custoditi, non animo vagi, nec affectu mundani, ne conveniat nobis illud *Eccli.* XXXIII, 5. Ecclesiastici : Præcordia fatui quasi rota carri, et quasi axis versatilis cogitatus illius ; nec illud Apostoli, Quum spiritu cœperitis, nunc carne consummamini ; nec quod in Apocalypsi improperatur cuidam, Habeo adversum te, quod caritatem tuam primam reliquisti. Vinculis autem caritativæ correptionis, paternæ quoque ac justæ correctionis libentissime semper subdamur ; imo tam ferventer ac sincerissime Deum amemus, ut toto optemus affectu corripi et puniri pro eo quod inhonoravimus et offendimus ipsum. Ad laudem et gloriam ejus. *Galat.* III, 3. *Apoc.* II, 4.

IN FESTO

S. LAURENTII MARTYRIS

ENARRATIO IN EPISTOLAM

QUI PARCE SEMINAT, PARCE ET METET, ETC. II Cor. IX, 6-10.

QUONIAM sanctus et victoriosus martyr Laurentius, visceribus pietatis et misericordiæ operibus valde specialiter abundavit, recte in festo ipsius præsens epistola legitur, in qua de copioso misericordium præmio agitur, atque ad misericordiæ opera homines admonentur. Ait ergo Apostolus Corinthiis :

Qui parce seminat, id est, modicam eleemosynam tribuit, quum facultatem habeat dandi multum, *parce et metet,* id est, minorem retributionem accipiet, quoniam præmium merito correspondet. Unde
Matth. VII, 2. Veritas loquitur : Qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis. Si autem quis habeat parum, et de illo modicum egenis communicet, non parce, sed liberaliter
Luc. XXI, 2-4. seminat. Propter quod asserit Dominus, pauperem viduam duo minuta in gazophylacium projicientem, plus omnibus præstitisse : alii namque ex superefluenti, illa ex necessariis dedit. Deus equidem plus pensat ac præmiat affectum quam opus. Hinc devotus pater Tobias hortatus
Tob. IV, 8, 9. est filium suum : Quomodo potueris, ita esto misericors : si multum tibi fuerit, abundanter tribue; si parum, etiam parum libenter impertiri stude. *Et qui seminat in benedictionibus,* id est largis donationibus, hoc est, qui bona sibi a Deo concessa, liberaliter et caritative egenis communicat, *de benedictionibus et metet,* id est, pro largis pietatis operibus largissimam a Deo sortietur mercedem. Unde loquitur Christus : Mensuram bonam et confertam et *Luc.* VI, 38. coagitatam et superefluentem dabunt in sinum vestrum. Quamvis autem unusquisque in patria de suo præmio contentetur, et ultra condignum præmietur, dicitur tamen parce metere qui parce seminat, comparative, non absolute, quoniam comparatione liberaliter misericordium, modicum recipit seu præmium minus.

Unusquisque det indigenti *prout destinavit in corde suo,* id est, secundum quod rationabiliter proposuit, *non ex tristitia,* id est non ex tædio quod patitur propter instantiam postulantis : quia ut asserit Augustinus, Qui dat ut careat tædio postulantis, non ut reficiat viscera indigentis, et rem perdit et meritum. Nam opus bonum ex caritate debet procedere, nec aliter aliqua actio meritoria est vitæ æternæ. *Aut ex necessitate,* id est coactione, sed ex voluntate prompta spiritualiterque jucunda. *Hilarem enim datorem,* id est spontaneum, caritativum, jucundum subventorem et collatorem, *diligit Deus,* id est, approbat et bona gloriæ ei vult atque largitur. Idcirco in Ecclesiastico habetur : In omni dato hilarem fac vultum tuum. *Eccli.* XXXV, 11. Hinc primo libro Paralipomenon David :

I *Par.* XXIX, 17. Ego (inquit) in simplicitate cordis mei A lætus obtuli omnia hæc.

Luc. I, 37; *Jer.* XXXII, 17. *Potens est autem Deus,* cui non est impossibile, imo neque difficile omne verbum, *omnem gratiam abundare facere in vobis,* id est universa gratiarum charismata vobis abundanter conferre et conservare ac multiplicare seu augere in vobis, *ut in omnibus* ad salutem necessariis, imo et vitæ præsenti sustentandæ opportunis, *semper omnem sufficientiam habentes,* secundum conditionem et statum viatorum, *abundetis in omne opus bonum,* id est, B opera meritoria ex interiori caritate ac gratia copiose agatis. *Sicut scriptum est* *Ps.* CXI, 9. in Psalmo : *Dispersit,* id est, vir pius ac justus diversis eleemosynam tribuit, non simul totum indiscrete effudit, *dedit pauperibus* eleemosynas corporales et spirituales : idcirco *justitia ejus manet in sæculum sæculi,* id est, meritum seu præmium suæ justitiæ, seu ipsa sua habitualis justitia, perpetue manet, videlicet in via et in patria, quia æternam gloriam justitia promeretur : et ipsa manet in anima post C hanc vitam, quamvis non omnes actus quos habet in sæculo isto.

Qui autem administrat semen seminanti, id est Deus qui confert materiam eleemosynarum facienti eas : Deus equidem omnium bonorum est dator, et quæ *Jacob.* I, 17. aliis damus, de manu ejus accepimus ; I *Par.* XXIX, 14. *et panem ad manducandum præstabit,* id est, necessaria victui dabit facientibus eleemosynas. Propter quod ait Salvator : Beati misericordes, quoniam ipsi miseri- *Matth.* V, 7. cordiam consequentur. Nam tanta est liberalitas Dei, quod opera misericordiæ etiam in hac vita remunerat. *Et multiplicabit semen vestrum,* id est temporalia bona ex quibus eleemosynas datis : quoniam homines misericordes, in præsenti communiter in temporalibus plus abundant, quam tenaces et immisericordes ; *et augebit incrementa frugum,* id est spirituales profectus meritorum, *justitiæ vestræ,* id est quæ ex habituali et interiori vestra justitia oriuntur. Deus enim misericordibus dat dona gratiæ copiosa et opera fructuosa, ita quod crescant quotidie in spiritualibus donis ac meritis. Idcirco Salomon exhortatur : Mi- *Prov.* III, 3, 4. sericordia et veritas non te deserant, et invenies gratiam coram Deo et hominibus.

SERMO PRIMUS

QUOMODO DEI MISERICORDIA OBTINEATUR ; DE GEMINA PAUPERTATE, DE ARCTA VIA SALUTIS, ET QUID NOS AD MISERICORDIÆ OPERA MOVERE DEBEAT.

QUI pronus est ad misericordiam, benedicetur. Prov. XXII, 9.

Sciens omnipotens Deus fragilitatem, defectuositatem atque miserias hominum in hac vita, benignissimam regulam suavissimumque præceptum statuit eis, ut *Matth.* VII, 12 ; VI, 12. scilicet unusquisque sic faciat proximis suis, præcipue indigentibus ita succurrat, peccantibus quoque in se ita ignoscat, quomodo vult sibi a Deo fieri, subveniri, ignosci : quum tamen incomparabiliter D gravius sit peccare in Deum quam in hominem, sicut et Deus in infinitum honorabilior atque præstantior est cunctis hominibus. Hinc sacra Scriptura ad misericordiam et pietatem interiorem, ad exteriora quoque misericordiæ opera tam spiritualia quam corporalia, specialissime nos hortatur. Unde et Salvator : Estote (inquit) *Luc.* VI, 36. misericordes, sicut et Pater vester cœlestis misericors est. Alibi quoque : Dimittite, si *Marc.* XI, quid habetis adversus aliquem, ut et Pater 25, 26.

vester cœlestis dimittat vobis peccata vestra; quod si non dimiseritis, nec Pater vester qui in cœlis est, dimittet vobis. *Gen.* I, 27; V, 1. Quum etenim homo ad imaginem et similitudinem Dei creatus sit, et Creatorem suum nominet Patrem, decens ac justum est ut Deo creatori suo per virtutes earumque actus interiores ac exteriores conformari conetur, quum et similitudo sit causa amoris. Itaque, quum Deo præcipue proprium sit misereri semper ac parcere, oportet ut homo cupiens Deo placere et ejus misericordiam obtinere, pietate et misericordia ipsum potissimum assequi *Prov.* XI, 17. curet. Ideo Salomon contestatur : Benefacit animæ suæ vir misericors. Hoc sciens ac pensans beatissimus Christi miles et invictissimus martyr S. Laurentius, semper misericordissimus fuit, ita quod cum *Job* XXXI, 18. sancto Job dicere potuit : Ab infantia crevit mecum miseratio, et de utero matris meæ egressa est mecum. Quod dicere congruit his qui ex naturali dispositione ad opera misericordiæ proni sunt.

Denique, quum duplex sit paupertas, una exterior, quæ est opum carentia seu necessariorum defectus, alia interior, quæ est defectus gratiæ et virtutum ac meritorum; juxta quem modum etiam assignatur duplex miseria, puta miseria pœnæ, quæ est afflictio, sive sit afflictio corporalis, sive spiritualis, et miseria culpæ, quæ est Dei offensio et animæ læsio ac mors, utpote mandatorum transgressio : sanctus et victoriosus martyr Christi Laurentius, primo ac summe sollicitus fuit succurrere interiori hominum paupertati, et a miseria culpæ ipsos eripere, id est ad fidem, spem, caritatem ceterasque virtutes perducere ipsos, eorumque animas per opera virtuosa ditare in meritis multis et magnis. Deinde studuit subvenire hominibus contra paupertatem exteriorem, largas eis eleemosynas tribuendo; atque a miseriis pœnæ curavit homines quantum potuit relevare, videlicet a mœrore, timore et dolore. Itaque in omnibus his pietatis operibus eum pro posse sectemur. Et quia paupertas interior, quæ est defectus gratiæ ac virtutum seu miseria culpæ, incomparabiliter pejor atque nocivior est quam paupertas exterior aut miseria pœnæ, præsertim quum ista paupertas exterior et miseria pœnæ proficiant ad salutem si patienter ferantur, et multorum bonorum occasio exstent hominibus, videlicet humiliationis et laboriosæ occupationis, per quam vitiorum origo otiositas ac alia multa vitantur peccata; idcirco debet omnis Christifidelis proximis suis pro viribus contra interiorem paupertatem et miseriam culpæ succurrere, satagendo ut proximi sui a vitiis eruantur, gratia virtutibusque ornentur, et bonis locupletentur operibus. Et quamvis istud potissimum ad prælatos et animarum curam habentes pertineat, aliquo tamen modo ad quemlibet pertinet Christianum, quoniam proximos nostros tenemur diligere ut nos ipsos, et facere eis ut fieri nobis optamus ab eis. Hinc est quod juxta Christi doctrinam, quilibet ad fraternam correptionem tenetur, nec solum pro benefactoribus et amicis, sed pro calumniatoribus quoque et inimicis intercedere obligamur. *Matth.* XXII, 39; VII, 12. *Ibid.* XVIII, 15; V, 44.

Præterea ex his constat, quam arcta sit via salutis, et quam pauci ingrediantur per eam. Quicumque enim conantur aliquem trahere ad peccandum, quicumque peccantibus consentiunt, adulantur, arridٍent, imo qui eis modo debito non resistunt, quicumque de proximorum suorum non dolent peccatis, et qui peccantibus fraternæ correptionis beneficium ac medelam non impertiuntur, quicumque socii sunt in culpis et confœderantur in malis, extra viam salutis sunt, et per itinera perditionis infeliciter gradiuntur. Et ecce quam multi sunt tales, imo quam pauci videntur, qui tales non sunt! Propterea, juxta documentum Aggæi prophetæ, ponamus corda nostra super vias nostras, id est, oculum providæ considerationis reflectamus super opera nostra, conscientias nostras discutiendo, vitamque corrigendo, *Ibid.* VII, 14. *Rom.* I, 32. *Agg.* I, 5.

atque ut vera ac spiritualis requirit dilectio, in omnibus conversando.

Insuper sanctus Apostolus ad opera misericordiæ nos hortatur in hodierna epistola, quadruplici ratione. Primo, intuitu æternæ ac beatificæ retributionis : quia
II *Cor.* IX, 6. qui seminat in benedictionibus, id est, liberaliter præstat ac subvenit, copiosam a Deo beatitudinem sortietur. Unde et
Matth. XXV, 34-36. Christus in die judicii est dicturus : Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. Esurivi enim, et dedistis mihi manducare; sitivi, et dedistis mihi potum; nudus fui, et vestistis me, etc. Ex quibus verbis probatur, quod non sufficit semper ad salutem, siccum tribuere panem, sed cetera quoque misericordiæ opera oportet implere pro posse, opportuno loco et tempore, vestiendo nudos, hospitando peregrinos, visitando infirmos, etc. Secundo, intuitu
II *Cor.* IX. 7. amoris Dei ad nos, quoniam hilarem datorem diligit Deus. O quam magna res est, quam beata et super omnia mundi bona appetibilis, a Deo amari! Quam magnum reputant curiales, si a suis regibus ac principibus diligantur! Si itaque a Rege excellentiæ infinitæ diligi affectamus, simus operum misericordiæ prompti et jucundi exsecutores. Tertio, intuitu gratio-
Ibid. 8. sæ retributionis etiam in præsenti. Nam potens est Deus facere omnem gratiam abundare in nobis : quod utique facit præcipue in his qui misericordiæ operibus et pietatis operibus affluunt. Quarto, quoniam etiam in rebus temporalibus Deus misericordibus benedicit.

Postremo sacratissimus iste martyr Laurentius, vere hilarissimus ac liberalissimus exstitit dator, non solum omnia exteriora quæ habuit dando pauperibus, sed se ipsum quoque integerrime offerens Deo in holocaustum. Nam propriam voluntatem Deo et ejus vicario S. Sixto Papæ in cunctis obedientissime obtulit ac subjecit. Corpus etiam suum cunctis exposuit pro Christo suppliciis, immanissima ac acerbissima (de quibus infra dicetur) tormenta A cum admirabili animi fortitudine ac constantissima patientia tolerans. Idcirco, tam inclyti militis Christi provocemur exemplis : ad liberalia misericordiæ opera accendamur, ad patientiam in omni adversitate corroboremur, divini amoris inflammemur ardore. Et sicut totum quod sumus, a Deo accepimus, ita nos totos ejus obsequio applicemus.

Denique S. Laurentium Deus post mortem suam multis honoravit miraculis. Quum sacerdos quidam S. Laurentii repa- B raret ecclesiam, et trabs una non esset satis longa, rogavit S. Laurentium ut sibi succurreret. Et statim trabs ita excrevit, quod magna pars abundavit : quam minutatim abscidit sacerdos, et diversos inde curavit infirmos. Refert quoque B. Gregorius, quod dum vir sanctus, nomine Santulus, ecclesiam quamdam S. Laurentii a Longobardis combustam reparare desiderans, operarios plurimos conduxisset, et quadam die panem quem eis proponeret, non haberet, oratione ad Dominum fusa, C prospexit in clibanum, et candidissimum in eo reperit panem. Qui quum vix pro una refectione naturaliter sufficeret tribus, agente B. Laurentio, omnibus operariis illis suffecit per decem dies. — Quidam judex, Stephanus nomine, fuit Romæ, qui munera diligens, interdum subvertit judicium, atque tres domos S. Laurentii, unumque hortum B. Agnetis vi abstulit. Quumque mortuus esset et ad Dei judicium ductus, B. Laurentius indignanter eum accessit, ejusque brachium ter duris- D sime strinxit ac vehementer afflixit. Sed et B. Agnes cum aliis sanctis virginibus vultum suum avertit ab illo indignans. Quum autem Christus eum vellet damnare, adveniens S. Projectus, in quem magnam devotionem et spem prædictus habuit Stephanus, rogavit pro eo beatos Laurentium et Agnetem, sicque omnibus illis cum Virgine gloriosa pro Stephano illo rogantibus, Christus concessit ut anima ejus reduceretur ad corpus, et triginta diebus pœnitentiam ageret. Cui et Virgo

beatissima jussit psalmum Beati immaculati, quotidie legere. Quumque redisset ad corpus, brachium ejus tam lividum exstitit et adustum quasi illa sustinuisset in corpore. Itaque injuste ablata restituens, ac pœnitentiam agens, tricesimo die migravit ad Dominum. — In ecclesia S. Laurentii apud Mediolanum, calix fuit A crystallinus mirabiliter pulcher, qui dum in quadam solennitate ex manibus corruisset diaconi, in frusta est comminutus. Porro diaconus contristatus, fragmentaque colligens, posuit ea super altare, sanctum rogans Laurentium pro calicis redintegratione. Et mox calicem vidit redintegratum, egitque gratias Deo et S. Laurentio.

ENARRATIO IN EVANGELIUM

AMEN, AMEN DICO VOBIS, NISI GRANUM FRUMENTI CADENS IN TERRAM, MORTUUM FUERIT, IPSUM SOLUM MANET, ETC. Joann. XII, 24-26.

EVANGELIUM istud in festo B. Laurentii congrue legitur, eo quod verba evangelii hujus in ipso excellenter impleta sint. Itaque Dominus Jesus Christus dixit discipulis suis : B

Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, id est corruptum et resolutum, *ipsum solum manet,* id est, fructum non affert, spicam granis plenam gignendo. Nam quum unius corruptio sit alterius generatio, unum non generatur ex alio, nisi id prius corrumpatur. *Si autem mortuum* C *fuerit,* id est putrefactum in terra, *multum fructum affert,* quia ex ipso generatur spica continens grana multa. Hinc ait
I *Cor.* XV, 36. Apostolus : Tu quod seminas, non vivificatur, nisi prius moriatur.

Porro ad litteram, Christus per granum intellexit se ipsum, ad innuendum quod sicut granum non parit fructum, nisi per seminationem corrumpatur in terra, sic nec ipse salvaret genus humanum, nec fructificaret in gentibus, illas per Apostolos convertendo ad fidem, nisi prius a D Judæis occideretur. Unde per Isaiam est
Is. LIII, 10. prædictum : Si posuerit animam suam pro peccato, videbit semen longævum, et voluntas Domini in manu ejus dirigetur. Ubi per semen longævum, intelligitur plebs fidelis, Christi passione redempta, quæ usque in finem sæculi perdurabit, cujus salus in manu Christi directa est, id est per ipsum ad salubrem effectum perducta, prout voluntas Dei Patris decrevit. Sic et sanctus martyr Laurentius sua passione copiosum protulit fructum et multos convertit, et nisi se exposuisset passioni, non convertisset S. Hippolytum multosque alios, nec universos in tantum ædificasset fideles.

Qui amat animam suam, perdet eam. Secundum quod duplex est amor, videlicet spiritualis et carnalis, secundum hoc, verbum istud dupliciter explanatur. Primo sic : « Qui amat animam suam », hoc est, vere ac spiritualiter diligit eam, desiderando dona gratiæ in præsenti et dona gloriæ in futuro, « perdet eam », id est, in sæculo isto exponet eam tribulationibus et adversis, nec timebit eos qui corpus *Matth.* X, 28. occidunt. Hinc ait Salvator : Si quis venit *Luc.* XIV, 26. ad me, et non odit patrem suum et matrem, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus. Ubi per odium animæ, designatur salubris castigatio ac virtuosa refrenatio ejus, seu cruciformis imitatio Christi. Unde Dominus loquitur : Si quis vult venire post me, abneget se- *Ibid.* IX, 23. metipsum, et tollat crucem suam quotidie, et sequatur me. Secundo sic : « Qui

amat animam suam » carnali et vitioso amore, sequendo concupiscentias sensuales et voluptates vitæ præsentis, « perdet eam », hoc est, æternam damnationem incurret. Propter quod Ecclesiasticus dicit : Si præstiteris animæ tuæ concupiscentias ejus, facient te in gaudium inimicis tuis. Talis vere se odit falseque diligit, dicente Scriptura, Qui diligit iniquitatem, odit animam suam : quoniam appetit ea quæ saluti suæ animæ adversantur, et maxime lædunt eam atque condemnant. Porro huic expositioni secundæ magis concordat quod subditur.

Eccli. xviii, 31.

Ps. x, 6.

Et qui odit animam suam in hoc mundo, id est, salubriter eam affligit, et pro Deo atque justitia mortis periculis se exponit, voluptates vanitatesque mundi ac carnis contemnens, *in vitam æternam custodit eam,* hoc est, salubriter eam conservat, ita quod merito odii hujus, carnali, non spirituali amori contrarii, adipiscetur salutem æternam. Sic S. Laurentius spiritualiter animam suam amans, tot supplicis eam exposuit.

Si quis mihi ministrat, servando divina præcepta, aut etiam evangelica implendo consilia, *me sequatur,* id est, adversa pro Deo et veritate æquanimiter patiatur, quemadmodum ego perpessus sum, tollatque crucem suam quotidie, et sequatur me per semitas æquitatis. Hinc princeps Apostolorum fatetur : Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus. Quid enim tam decens ac justum, quam ut discipuli imitentur magistrum, servi dominum, membraque caput suum, præsertim quum dicat Salvator, Non est servus major domino suo? Quibus verbis ibi præmisit : Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis. *Et ubi sum ego,* id est in regno cœlesti, in quo semper sum secundum naturam divinam, qua omnia impleo, et me ibi Sanctis ostendo, in quo etiam post ascensionem fui et sum secundum naturam humanam, *illic et minister meus erit* post vitam præsentem et plenam pro peccatis satisfactionem. Unde in Apocalypsi loquitur Christus : Qui vicerit, dabo illi sedere mecum in throno meo, sicut et ego vici, et sedi cum Patre meo in throno ejus. Hinc et in Evangelio ait : Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi sum ego, et illi sint mecum, ut videant claritatem meam quam dedisti mihi.

Luc. ix, 23.

I *Petr.* ii, 21.

Joann. xiii, 16.

Ibid. 15.

Jer. xxiii, 24.

Apoc. iii, 21.

Joann. xvii, 24.

Si quis mihi ministraverit perseveranter usque in finem, universa ad se pertinentia observando præcepta, *honorificabit cum Pater meus qui est in cœlis,* id est, in cœlesti palatio eum constituet, et angelorum ordinibus sociabit, atque divinæ essentiæ eum efficiet contemplatorem felicem, ita quod computabitur inter filios Dei, et inter Sanctos sors illius erit. In præsenti etiam vita Deus Pater servos Christi honorat, mentem ipsorum dignanter et gratiose inhabitando, quemadmodum asserit Unigenitus Patris æterni : Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.

Matth. x, 22.

Sap. v, 5.

Joann. xiv, 23.

SERMO SECUNDUS

DE VITA, VIRTUTIBUS ATQUE PRÆCONIIS GLORIOSISSIMI LAURENTII MARTYRIS, CUM PIA EXHORTATIONE.

NOLITE timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius eum timete, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam ignis. Matth. x, 28.

Hæc sunt verba Domini nostri Jesu

Christi, quibus suos hortatur fideles ne ex carnali et humano timore relinquant justitiam, deserant fidem, aut recedant a Deo. Non ergo formidandi sunt persecutores, tyranni ac perfidi, qui inferre non valent nisi temporalia mala brevemque mortem, per quæ justi ad æternæ beatitudinis gloriosissimam perducuntur coronam. Sed incomparabiliter metuendus est Deus altissimus, qui post mortem hanc temporalem infligere potest supplicia damnationis perpetuæ, et ea infligere carni ac animæ. Hoc beatissimi martyres feliciter impleverunt, potissimum victoriosus iste Laurentius, qui multipliciter exstat laudabilis eminenter.

Primo, a sua adolescentia sancta. Nam quum Salomon dicat, Adolescentia et voluptas vana sunt, iste præelectus Christi pugil adolescentiam suam nequaquam in vanitate et voluptate, sed in Dei sancto timore, in omni morum venustate, in devotissimo Dei cultu expendit. Unde et sanctus pater Sixtus Papa videns Laurentium, adhuc adolescentem, omni morum probitate conspicuum atque in actibus virtuosis præclarum, sibi eum conjunxit, et suum archidiaconum fecit. In quo officio S. Laurentius cum summa mentis reverentia, cum ingenti cordis munditia deservivit Altissimo, et circa dignissimum Sacramentum timorato ac fervido se habuit corde. In his florem juventutis suæ obtulit Christo, tam Deo quam cunctis complacens Christianis. Itaque in his sequamini hunc juvenem sanctum, felicem Laurentium, o juvenes universi. Nolite juventutis vestræ florem offerre diabolo, vanitatibus voluptatibusque vacando, sed Creatori omnipotenti, in timore et continentia ei deserviendo. Singulariter vero diaconis et clericis omnibus proponitur S. Laurentius in exemplum, ut ejus castitatem ac devotionem sectentur.

Eccle. XI, 10.

Secundo commendandus est gloriosus et inclytus martyr Laurentius ab æstuanti promptitudine animi sui ad martyrium : in qua promptitudine innotescit magnitudo fidei, certitudo spei, fervor dilectionis, magnanimitas et summe imperterrita securitas S. Laurentii, cui verissime competit quod Salomon loquitur : Justus quasi leo confidens, absque terrore erit. Legitur de multis Sanctis, quod propter rabiem persecutionis et immanissima supplicia quæ tyranni intulerunt Christianis, se absconderunt ad tempus, et in desertis demorabantur, qui tamen fuerunt magni Sancti : et ex rationabilibus id fecerunt motivis. Sed non ita egit Laurentius. Non erat fugere, non latere neque silere, sed antequam quærebatur, publicavit se ipsum, seque ingessit tyranno. Flevit et doluit vehementer, quod cum beato patre suo S. Sixto Papa martyrium pati non potuit. Quum enim Decius Cæsar comprehendisset beatum Pontificem Sixtum, et ab eo exigeret thesauros Ecclesiæ, nec ille eos prodere vellet crudelissimo cupidissimoque tyranno, præcepit tyrannus B. Sixtum incarcerari. Quumque duceretur ad carcerem cum duobus suis diaconis Felicissimo atque Agapito, S. Laurentius fidei fervore repletus, sequebatur eum cum lacrimis, clamans : Quo progrederis sine me filio tuo, o pater ? Quo, sancte ac summe sacerdos, properas absque ministro ? Tu nunquam sine ministro sacrificium consuevisti offerre. Quid in me tuæ displicuit paternitati ? Experire nunc an idoneum ministrum elegeris. Cui S. Sixtus respondit : Non te, carissime fili, relinquo, sed majora tibi pro fide Christi debentur certamina. Nos tanquam senes leviori pugna consummamur, te ut juvenem exspectat gloriosior de tyranno triumphus ; post triduum me sequeris. Ecce quam inæstimabilis fuit hæc Laurentii sancti devotio, quam securissima mens, quam fervidum ac fidelissimum cor ad Christum et ad summum ejus vicarium S. Sixtum.

Prov. XXVIII, 1.

Tertio laudabilis est præclarissimus martyr Laurentius a sua piissima liberalitate ac fidelissima dispensatione. Quum enim B. Sixtus commisisset S. Laurentio ut thesauros Ecclesiæ pauperibus et ecclesiis

erogaret, ipse tanquam obedientissimus summi Pontificis filius die ac nocte pauperes Christianos quæsivit, et eis præfatum erogavit thesaurum. Veniens quoque ad domum cujusdam viduæ christianæ, quæ sua in domo multos absconderat Christianos, ipsam a gravi capitis dolore quo cruciabatur, per impositionem manus suæ curavit, et pauperum pedes lavans, singulis eleemosynam tribuit liberalem, et undique consolabatur ac confortavit fidelium mentes.

Quarto præcipue collaudatur admirabilis martyr iste a sua acerbissima quam pro Christo pertulit passione, imo potius a fortitudine, constantia ac patientia sua permaxima, quas invictissimas habuit in tam crudelissimis pœnis. Quum enim S. Sixtus duceretur ad decollandum, sanctus ferventissimusque Laurentius rursus accurrens, clamavit : Noli me derelinquere, pater sancte, quia thesauros Ecclesiæ juxta præceptum tuum expendi. Quo audito, tentus et Decio Cæsari præsentatus est S. Laurentius, et interrogatus de thesauris a Decio, nil respondit. Tunc Decius tradidit eum Valeriano præfecto, et ille Hippolyto. Hippolytus ergo B. Laurentium cum aliis multis reclusit in carcere, ubi Laurentius coram Hippolyto multa egit miracula, Hippolytumque convertit. Post hæc, jubente Valeriano, Hippolytus S. Laurentium ad Valerianum perduxit, et sub pollicitatione Hippolyti Valerianus B. Laurentio concessit trium dierum indȕcias, intra quos Laurentius pauperes, claudos et cæcos collegit, eosque præsentavit Decio, dicens : Horum manus thesauros Ecclesiæ deportaverunt in cœlum. Tunc jubente Decio, scorpionibus cæsus est S. Laurentius, et omnia genera tormentorum proposuit atque minatus est ei Cæsar, nisi idolis sacrificaret. Cui dixit B. Laurentius : Infelix tyranne, has ego epulas semper optavi. Tunc Decio jubente, gloriosus martyr fustibus cæsus est nudus, et ardentes laminæ ejus lateri apponebantur. Quumque hæc patientissime tolerasset, in tantum quod Decius dixit, Scio quod per artem magicam tormenta deludis; iterum jubente tyranno, plumbatis diutissime cæsus est, et postmodum scorpionibus rursus. Quod quum fieret, subridens Laurentius, gratias egit Deo, et pro adstanti deprecatus est populo. Postremo fecit impiissimus Decius beatissimum Laurentium super ferream cratem nudum, carbonibus ardentibus subjectis, extendi. Ministri quoque cum ferreis furcis compresserunt martyrem sanctum, quem et lento afflixerunt incendio, ut eum non solum occiderent, sed et diu ac molestissime cruciarent. Sed invictissimus martyr divinitus confortatus, dixit Valeriano : Disce, o miser, quia carbones tui mihi refrigerium præstant, tibi autem æternum parant supplicium. Post hæc hilari vultu dixit ad Decium : Ecce, miser, assasti unam partem ; gyra aliam, et manduca. Deinde locutus est : Gratias tibi ago, Domine Deus, quia januam regni tui intrare promerui. Sicque spiritum tradens, obdormivit in Domino. Decius vero confusus, cum Valeriano abscessit, relicto corpore fortissimi martyris super cratem. Quod Hippolytus mane rapiens cum Justino presbytero, conditum aromatibus sepelivit. Christiani vero jejunantes per triduum, vigilias celebraverunt, mugitus dantes et lacrimas effundentes : non de coronatione et gloria inclyti martyris contristati, sed quia tam suavissimo atque piissimo duce erant privati, et quia vir sanctus ac innocens ab impiissimis taliter fuerat contrectatus.

Ecce quanta sustinuerunt electi Dei in hoc sæculo nequam, et qualiter Deus per reprobos exercet, purgat et coronat suos electos. Horum ergo exemplo et tanti martyris consideratione discamus libenter aliquid pati propter Deum in mundo isto; et ut a nostris purgemur excessibus, non facile offendamur, nec inordinate ulciscamur illatas nobis injurias, sed divinam providentiam intuentes, pensemus quod propter melius nostrum Deus omnipotens permisit seu voluit talia nobis evenire ad-

versa, sive propter præcedentia nostra peccata, vel pro majori gratia ac pleniori gloria obtinenda : præsertim quum videamus amantissimos Dei, viros sanctissimos, tanta in mundo hoc esse perpessos. Quid ergo nos miserrimi, vitiis pleni, coram Deo dicemus ? Qualiter æternam beatitudinem acquiremus, qui pati nil volumus, nec Christum nec Sanctos ejus sectari, sed statim pro causis levissimis indignamur, irascimur, vindicamus, detrahimus, invidemus, ac diversa peccata illabimur ? Certe
Ps. XIII, 3. non est timor Dei ante oculos nostros, non B formidamus districtum ac metuendissimum Dei judicium, nec æterna consideramus iniquorum supplicia. Sed jam nunc redeamus ad cor, et intueamur brevitatem *Is.* XLVI, 8. ac incertitudinem vitæ præsentis atque æternitatem vitæ futuræ, et vitam nostram viriliter emendemus ; sanctissimum quoque invocemus Laurentium, ut intercedat pro nobis. Omnipotentemque omnium martyrum Regem, Dominum nostrum Jesum Christum precemur, ut precibus ac meritis gloriosissimi martyris hujus, gratiam veræ emendationis nobis nunc conferre dignetur, ut post vitæ hujus decursum, cœlestis paradisi introeamus palatium.

SERMO TERTIUS

QUAM SIT GAUDENDUM IN ADVERSITATE ; ET DE VITA ET PRÆCONIIS S. LAURENTII.

BEATI qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum C *est regnum cœlorum.* Matth. v, 10.

Hæc est doctrina admirabilis ac cœlestis, quam Filius Dei unigenitus, Dominus noster Jesus Christus, attulit in hunc mundum : beatitudinem in tribulationibus adversitatibusque consistere, et Dei electos ac Sanctos in vita hac persecutionibus ex-
Act. XIV, 21. erceri, atque per varias tribulationes, injuriationes, oppressiones ad æternam pervenire salutem ; ideoque in adversis esse gaudendum, nec ultionem esse quærendam, imo inimicos et persecutores esse D propter Deum spiritualiter diligendos. Unde et rursus Christus apertius loquitur :
Matth. V, 11, 12. Beati estis, quum maledixerint vobis homines, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversum vos, mentientes, propter me ; gaudete et exsultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlo. Hanc doctrinam ignoraverunt gentiles, qui in hac vita non aliud quam prosperitatem quærebant et appretiabantur, illosque arbitrabantur felices qui terrena felicitate pollebant, deliciis, divitiis atque honoribus affluentes. Hinc dixerunt Romani : Nemo felicior Octaviano. Et præfectus Romæ, quum S. Anastasiam ad deorum suorum sacrificia hortaretur, ipsaque diceret, Adoro Dei Filium propter nos crucifixum, dixit illi : Et cur non adoras Jovem, qui nunquam alicui injuriæ subjacuit ? Sed nos Christiani ab increata et æterna Dei sapientia informati sumus, et confitemur, quod terrenis prosperitatibus abundantes, frequenter sunt reprobi, et tanto plus Deo odibiles, quanto in temporalibus abundantiores, quia de talibus Deus loquitur per Prophetam : Dimisi eos secun- *Ps.* LXXX, 13. dum desideria cordis eorum ; ibunt in adinventionibus suis. Job quoque ait : Impii *Job* XXI, 7-9, 13. vivunt, sublevati sunt, confortatique divitiis ; semen eorum permanet coram eis, et non est virga Dei super eos ; ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt. Tales quippe non castigantur a Deo in præsenti, flagello paternæ dilectionis : ideo condemnantur ac puniuntur igne perpetuo divini rigoris. Deus nam-

Job XXIV, 12. que inultum abire non patitur ullum peccatum.

Itaque, propter hanc Christi doctrinam sancti martyres acerbissimas et exquisitissimas pœnas cum admirabili patientia, *Rom.* VIII, 18. imo cum gaudio pertulerunt, scientes quod non sunt condignæ passiones temporis hujus ad futuram gloriam. Inter hos nobilissimus martyr, sanctus, ferventissimus magnanimusque Laurentius non parum præfulget : quem ultra præconia in præcedenti sermone tacta, Deus sublimis et benedictus adhuc multis excellentiis decoravit.

Prima est, virtus miraculorum, qua prépotens exstitit. Nam modicum antequam incarcerabatur, veniens nocte in domum cujusdam Christiani, quemdam cæcum ibi repertum, edito crucis signo, fecit videntem. Et feminam viduam a longo ac gravi capitis dolore per impositionem suæ manus eripuit. Quumque ab Hippolyto fuisset incarceratus, dixit Lucillo viro gentili, qui plorando amiserat visum : Si in Christum credideris, visum tibi recuperabo. Quo credente, baptizavit eum B. Laurentius, et visum vir ille recepit. Quo cognito, multi cæci ad sanctum venientes Laurentium, omnes ab ipso redierunt illuminati. Quumque in martyrio positus exorasset, Domine Jesu Christe, accipe spiritum meum; audiente Decio Cæsare ac aliis, vox venit de cœlis, Laurentio dicens : Adhuc multa tibi debentur certamina. Porro de miraculis ejus quibus post mortem suam *Cf.* p. 299 B et s. a Deo est honoratus, aliqua tacta sunt supra, in sermone circa epistolam.

Secunda excellentia est, fructus quem fecit in passione sua, et paulo postea. Quum enim Hippolytus conspexisset qualiter S. Laurentius cæcos illuminavit, dixit ad eum : Ostende mihi thesauros Ecclesiæ. Cui Laurentius : O Hippolyte, si credis in Dominum Jesum Christum, et thesauros tibi ostendo, et vitam æternam promitto. Respondit Hippolytus : Si verbis tuis efficaciam dederis, faciam quod hortaris. Eadem hora gloriosus martyr convertit Hippolytum ac suam familiam magnam, baptizavitque omnes illos. Quumque Decius cognovisset quod S. Hippolytus sepelisset B. Laurentium, jussit eum coram se præsentari. Et quum fixus maneret in fide, fecit impiissimus Decius os ejus lapidibus percuti, corpusque ejus fustibus cædi atque pectinibus ferreis laniari. Deinde tradidit eum Valeriano præfecto. Qui audiens familiam Hippolyti christianam effectam, fecit eam sibi adduci, et S. Concordiam B. Hippolyti nutricem, fecit plumbatis usque ad mortem cædi, ceteros decollari. Porro Hippolytum fecit equis indomitis alligari, atque ab equis illis per cardos ac tribulos trahi quousque spiritum tradidit. Sicque beatus et illustris Hippolytus factus est martyr vere præclarus.

Tertia excellentia S. Laurentii est, quod Deus justus judex mortem ipsius tam cito, tam terribiliter, tam evidenter est ultus. Et per hoc fidem christianam non mediocriter sublimavit. Quum enim post passionem S. Hippolyti, Decius et Valerianus in aureo curru ad amphitheatrum veherentur, ut Christianos atrociter trucidarent, subito a dæmonibus obsessi sunt ambo, clamavitque Decius : O Laurenti, igneis catenis ligatum me trahis. Valerianus quoque ululans exclamavit : O Hippolyte, catenis igneis me trahis ligatum. Eademque hora profanus ac impius Valerianus infeliciter exspiravit. Decius vero domum relatus, per tres dies a dæmonio vexabatur, clamare non cessans : Adjuro te, Laurenti, cessa modicum a tormentis. In quibus verbis miser miserrime exspiravit. Quibus visis, Tryphonia Decii uxor, eorumque filia Cyrilla ac alii multi fidem amplexati sunt Christi. Audientes quoque alii milites quadraginta septem, uxorem Cæsaris cum filia sua ad Christi fidem esse conversam, venerunt cum suis uxoribus, et sacrum Baptisma a B. Dionysio Papa adepti sunt.

Ecce quam vere in beatissimo martyre isto S. Laurentio impletum est quod in

exordio evangelii hodierni asserit Chri-
Joann. XII, 24, 25. stus : Nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Sic gloriosus et imperterritus miles martyrque Christi Laurentius, in suo martyrio et postmodum copiosissimum attulit fructum, tam multos convertendo ad Dominum, imo et perducendo ad martyrii gloriosum triumphum. Nempe, ut S. Leo Papa testatur : Non minuitur persecutionibus Ecclesia, sed augetur; et grana quæ singula cadunt, multiplicata resurgunt. Imo quanto impiissimi persecutores atrocius in Christianos desævierunt, pluresque occiderunt, tanto plus crevit populus christianus : quoniam Christus martyres suos tantis mirificavit prodigiis, et fidem suam pro qua patiebantur, tam multis ac magnis confirmavit miraculis, quod innumerabiles infideles visis tot signis convertebantur ad Deum. Nam et quum dignissimus martyr Laurentius scorpionibus cædebatur, miles nomine Romanus, dixit Laurentio : Video coram te juvenem pulcherrimum stantem et membra tua cum linteo extergentem; adjuro te per Deum tuum, non me relinquas. Tunc Decius Valeriano : Puto, inquit, quod jam per magicam artem delusi simus.

Quum itaque tot virtutum exempla, tot fidei testes, tot incitamenta caritatis divinæ jam habeamus, correspondeat in nobis altitudini veritatique fidei christianæ sublimitas atque sinceritas vitæ, ut totis ad Deum præcordiis stemus conversi, et temporalia cuncta parvi pendentes, toto affectu studeamus Deo placere, in virtutibus crescere, ad cœlestem beatitudinem pervenire.

AD RELIGIOSOS

SERMO QUARTUS

DE PATIENTIA ELECTORUM IN TRIBULATIONIBUS, DE CONSTANTIA VIRTUTIS, ET DE PERICULO TEPIDORUM MONACHORUM.

TANQUAM aurum in fornace probavit electos Dominus, et quasi holocausti hostiam accepit illos. Sap. III, 6.

Electos et justos in vita hac multipliciter exerceri, tribulari, affligi, tota clamat divina Scriptura. Renuit ergo esse de numero electorum, qui pati recusat molestias adversorum. Imo inter adoptivos Dei filios abnuit computari, qui non vult nunc tribulationibus expurgari, quum scriptum
Hebr. XII, 6. sit : Flagellat Dominus omnem filium quem
Ibid. 7, 8. recipit. Ideo ait Apostolus : Quis filius quem non corrigit pater? Quod si extra disciplinam estis, ergo adulteri et non filii estis. Verumtamen grave esset hæc ferre, nisi in persona justorum verissime dixisset Deo Propheta : Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam. Itaque spiritualibus consolationibus se facit indignum, qui in adversitatibus et persecutionibus impatientem se exhibet, non benignum. Propter quod Paulus disseruit : Scitote quoniam sicut socii
Ps. XCIII, 19.
II *Cor.* I, 7. passionum estis, sic eritis et consolationis; itemque, Sicut abundant (inquit) pas-
Ibid. 5. siones Christi in nobis, ita et per Christum abundat consolatio nostra. Denique, quum in vita hac corripi et puniri sit effectus et signum dilectionis Dei ad nos,

Apoc. III, 19. quemadmodum in Apocalypsi fatetur, Ego quos amo, arguo et castigo ; qui in tribulationibus murmurat, qui corripienti se indignatur, qui corrigenti irascitur, nonne a numero dilectorum Dei se eximit ? Ecce quanta est ista insipientia, obtenebratio, perversitas hominum superborum, impatientium, suisque passionibus subditorum, qui quum quotidie peccent, pro suis peccatis sustinere nil volunt.

Quæ quum in omni ita se habeant Christiano, qualis religiosus est ille qui nec pro suis culpis vult proclamari, accusari, corripi, castigari, qui sua palliat et excu-
Ps. XIII, 3. sat peccata ? Certe non est timor Dei ante oculos ejus, neque futuri judicii attendit metuitque rigorem, et magis vult coram Deo et angelis ejus esse et apparere culpabilis, aspernabilis et perversus, quam modice corripi et confundi coram hominibus. Nihilo minus quod vitare vult, protinus incidit. Nam sua excusatione incauta, sua impatientia, turbulentia ac renisione, reddit se ipsum multo contemptibiliorem magisque confusum ac vilem in corde præsentium, quam apparuisset seu reputatus fuisset, si recognovisset humiliter culpam suam, vel temperate se excusasset propter vitandum scandalum, si de culpa sibi objecta putasset aut agnovisset se innocentem : imo per hoc magis crevisset in audientium animo, quam per culpam sibi impositam decrevit in eorum judicio. Sicque virtus et vitium, etiam in præsenti, partem sortiuntur suæ mercedis. O quam vere locutus est abbas Pastor : Qui querulosus est, monachus non est ! Sa-
Prov. XIV, 17. lomon quoque : Qui impatiens est, operatur stultitiam.

Denique, omnia ista sciens ac intuens ferventissimus, magnanimissimus martyr Laurentius, præsentia cuncta despexit, corporisque supplicia pro nihilo duxit, dummodo per hæc Deo placeret atque coronam mereretur martyrii. Plenus etenim fuit omni virtute, plenus caritatis ardore, plenus Spiritu Sancto, et ab omni privato amore totaliter emundatus. Ideo, quantum quis formidolosus, pusillus, carnalis, refugit mortem, et pro justitia aliquid pati veretur, tantum ille præinclytus martyr desideravit mori pro Christo, pro fidei veritate, pro Dei honore. Unde quum sanctus pater ejus, Pontifex summus B. Sixtus, ad locum duceretur felicissimæ mortis, nonne gloriosus juvenis iste S. Laurentius cucurrit post eum, affectuosissimis verbis deplorans quod cum illo non ducebatur ad martyrii palmam : Quo, inquiens, o Christi sacerdos, absque ministro progrederis ? Quo, sancte pater, sine filio transis ? Quid in me tuæ displicuit sanctitati ? In quo degenerem me probasti ?

Præterea, quidam etsi mali non sint, imperfecti tamen sunt valde. Nam etsi cupiant fieri bona, aut bona facere cœperint, aut alicui justo in bonis adstiterint, si ex hoc cognoverint sibi adversa instare, resistentias imminere, oblocutiones, damna, odia, diffamias excitari, mox terrentur, et abstrahunt se, cessantque a bonis inceptis, suæ pelli timentes. Horum vestigia non sectemur, nec omittamus vitare loquacitates, fugere levitates, relinquere familiaritates nocivas, ex timore humanæ offensæ. Nempe sunt quidam in cœnobiis ita infecti, atque in suis dissolutionibus ac negligentiis inveterati, sicque quorumdam Fratrum præsentias, confabulationes, societates optantes, quod si Fratres illi cœperint se ad majorem solito dare custodiam, et consuetas arrisiones, levitates, collocutiones inanes negligentiasque abjicere, aut etiam alicui devotiori et in spiritualibus exercitatiori se applicare, sustinere non valeant, sed irrideant, indignentur, aut etiam persequantur, detrahantque et temerarie judicent, non pensantes nec formidantes quod ait Salvator : Væ homini per quem scandalum venit ; et rursus, Quicumque scandalizaverit unum de pusillis istis, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris. Hinc sancti et illuminatissimi Patres dixerunt, quod in religiosis se ipsos non reformantibus, nec

Matth. XVIII, 7. *Ibid.* 6.

digne proficientibus, inveniuntur et regnant pejores periculosioresque passiones quam in mundanis hominibus : ita quod qui se ipsos juxta suæ professionis exigentiam non frangunt nec vincunt, nec coram Deo rite solliciti sunt qualiter suæ satisfaciant vocationi ac promissioni solenni, opusque Dei impleant reverenter, fiunt deteriores quam fuerunt aut essent in sæculo. Nam et Dei gratiam eis oblatam despiciunt, negligunt et conculcant, aptissimis quoque mediis proficiendi (de quibus eis provisum est) abutuntur, non se dantes ad reformandum interiora, propter quæ instituta sunt ac fieri debent cuncta exteriora.

Non ergo magni pendamus quod propinquos, divitias, mundum et ejus delicias corporaliter reliquimus, quod vigilamus diu de nocte, jejunamus frequenter, cilicio operimur, ac forinsecus multipliciter exercemur ac laboramus, quando intus parum aut nihil proficimus, quando in vera humilitate, sancta obedientia, stabili patientia, reformatione interna non crescimus, quando in morum gravitate, in caritate non ficta, in simplicitate columbina, in mundanorum contemptu, in divinorum contemplatione non roboramur. Intueamur ergo omni hora nostram vocationem, et ad quanta sponte obligavimus nosmetipsos obligatione indispensabili, indissolubili, fortissima, et summe meritoria, si juxta ejus tenorem fructificaverimus Deo ; summe quoque damnabili, si fuerimus negligentes, pigri, dissoluti, animosi, scandalosi, carnales. Propterea ponderemus quanta et qualia sustinuerunt martyres sancti, et de nostris irreformationibus, impatientiis, instabilitatibus confundamur confusione salubri ad pœnitentiam ac emendationem idoneam inducente : quæ confusio est actus prudentiæ.

Ecce quam fortissimus fuit beatissimus martyr Laurentius sanctus, in fide, per quam tot egit miracula ; quam præclarus in sapientia, per quam tot infideles convertit ; quam constans et patiens in adversis, per quod tam immanissima tormenta toleravit cum gaudio ; quam fervens in caritate, per quam ita adspiravit ad triumphum martyrii, corde promptissimo. Ejus ergo exemplo illuminemur in fidei veritate, in divinorum notitia, et omni virtute patientiæ confortemur ; atque in solo Deo diligamus nos ipsos pure ac fervide : hoc est, quanto aliqua sunt nobis necessariora aut utiliora ad purgationem a culpis, ad proficiendum in gratia, ad conformandum nos Christo, ad obtinendum perfectionem, ad approximandum complacendumque Deo, tanto plus illa optemus, et tanto ea avidius amplectamur. Quæ autem sunt illa, nisi opprobria et adversa, exercitatio et paupertas, tribulatio et angustia, correptio atque correctio, castigatio corporis, coarctatio animæ, pœnitentiæ opera, hisque similia? Idcirco in istis quasi in omnibus divitiis gloriemur, nec aliquo adverso eventu quantolibet perturbemur.

SERMO QUINTUS

QUANTO AMORE FIDUCIAQUE ACQUIESCERE ET ADHÆRERE SUBDITUS DEBEAT SUO PRÆLATO ; ET QUOD PERFECTA SUI ABNEGATIO LOCO MARTYRII DEO OFFERATUR.

QUIA acceptus eras Deo, necesse fuit ut tentatio probaret te. Tob. XII, 13.

Conversatio et passio victoriosissimi martyris S. Laurentii saluberrime nos informant. Primo, quod ipse suo spirituali patri, summo Pontifici, tam amorose adhæ-

sit, et eum in tanta reverentia habuit. Affectuosissime namque dilexit sanctum senem B. Sixtum, ita quod tædiosissimum sibi erat quod cum venerando seniore non poterat mori ; atque tam cordialiter ipsum venerabatur, quod ipsius vestigia osculari vix reputavit se dignum, seque reputavit felicem si ei fidelissime cohæreret usque in finem. Sic omnis bonus religiosus suos debet ex corde diligere superiores, tanquam suos spirituales patres et animæ suæ custodes ac medicos, suæque salutis procuratores, et pro suo profectu ac salvatione sollicitos, et pro se assidue laborantes. Nam et in exterioribus pro communi conventus bono laborant et occupantur, ac necessaria vitæ provident ac dispensant, in tantum quod ex hoc nonnunquam a spiritualibus impediuntur, et vigilias ac inquietudines varias patiuntur. Et insuper in spiritualibus exstant solliciti, beneficia correptionis et correctionis impendunt, exhortantur, instruunt, et variis modis Fratres sibi commissos a peccatis curare ac præservare, ad profectum inducere, ad perfectionem deducere moliuntur. Quale ergo est crimen, tot beneficiis esse ingratum, et mala pro bonis rependere, imo pro tam maximis bonis non regratiari, sed malignari ? Habeat igitur bonus Frater inviolabilem in suo superiore fiduciam, et quantumcumque increpatur, exercetur seu castigatur ab illo, non irascatur, non detrahat, non temere judicet, sed omnia interpretetur in melius, et gratias agat, ac multo durioribus tribulationibus se reputet dignum, nec fiduciam ad præsidentem diminuat, sperans illum omnia circa se caritative peragere ad suam salutem. Idcirco, propter hæc plus diligat illum, qui instar cœlestis Patris, quos amat, reprehendit ac corrigit.

Prov. III, 12; *Apoc.* III, 19.

Denique constat ex his, quantum offendant principem pastorum Christum, et quantum displiceant ei, qui ex causis levibus aut injustis, suis indignantur prælatis, Christi vicariis, seque ab eis elongant, A et vix eos adspicere ac pie affari valent, utpote si corripiantur aut castigentur ab eis, seu aliquid eis ab ipsis negetur. Qualis est resignatio voluntatis talium subditorum, et qualis est illuminatio cordis eorum ? Imo quam detestanda est eorum frontositas, quam damnanda eorum ingratitudo, duritia atque perversitas ? Advertant ergo quod suis vicariis ait Salvator : Qui vos audit, me audit ; et qui vos spernit, me spernit. Et Paulus : Qui hæc spernit, non hominem spernit, sed Deum.

Luc. x, 16. I *Thess.* IV, 8.

B Oportet ergo cordialem reverentiam habere ad præsidentem, tanquam Christi personam repræsentantem et ejus vices supplentem, nec dure aut contumaciter loqui ad eum, nec aliqua verborum aut morum tortuositate contristare eumdem.

Insuper, ex reverendissima, decentissima ac devotissima habitudine S. Laurentii circa ministerium Sacramenti altaris, et exsecutionem officii diaconatus, docemur ac admonemur cum quanta puritate, reverentia ac fervore necesse sit nos sacris C mysteriis ministrare, mensæ summi Regis adsistere, diaconatus sacerdotiique officium adimplere. Unde secundum doctrinam divini Dionysii libro de Ecclesiastica hierarchia, in sacris constitutos ordinibus oportet esse immaculatos, excellenterque deiformes ac luce divina repletos. Apostolus quoque ad Timotheum ac Titum, quales esse debeant episcopi atque diaconi edocens : Oportet (inquit) episcopum irreprehensibilem esse, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, etc. Quod totum etiam D de sacerdotibus, secundum sanctos Doctores, est intelligendum, quum ab episcopis ad diaconorum informationem descendat, de sacerdotibus nihil interponens aut addens. Deinde subjungit : Diaconos similiter pudicos, non bilingues, habentes mysterium fidei in conscientia pura.

cap. I, V.

I *Tim.* III, 2-7 ; *Tit.* I, 7-9.

I *Tim.* III, 8, 9.

Præterea, ex hoc quod gloriosus athleta Dei Laurentius tantum fervebat ad tolerandum pro Christo martyrium, informamur Salvatori pro viribus vicissitudinem reddere. Et si non datur nobis occasio

moriendi pro eo, mortificemus saltem quotidie passiones et vitia propter ipsum ; et sibi violentiam unusquisque inferat salutarem, in tantum ut ad ea quæ suæ inclinationi et affectioni sunt magis contraria ac molesta, virilius atque instantius assuescat se ipsum. Monachi quippe potissimum est, taliter propter Deum violentare, superare ac frangere semetipsum, sicque se totum Deo offerre in holocaustum, ut jam nihil sui deserat sibi ipsi, sed totum quod habet, potest, operatur et est, secundum Dei voluntatem dirigatur, ejusque majestati humillime offeratur, quatenus religiosus cum Apostolo dicere possit : *Galat.* II, 19, 20. Christo confixus sum cruci ; vivo autem, jam non ego, vivit vero in me Christus. Quemadmodum igitur cruci appensus, propria membra ad suum libitum non potest movere, sed vi clavorum immobilia manent ; sic religiosus juxta suam voluntatem se nusquam debet movere, sed quo jubet qui præest : ut timore Dei confixas habeat carnes, timore (inquam) filiali, imo amore sincero et obedientiali subjectione ; sicque legat, scribat, cantet, faciat quod sibi injungitur, et prout sibi committitur ; et Spiritu Dei agatur, non proprio spiritu moveatur. Rursus, quemadmodum crucifixus indulget universis in se reis, nec cogitat de vindicta, nec ultra de temporalibus sollicitatur ; sic monachus cunctis in ipsum injuriosis toto debet ex corde ignoscere, impatientiam nullam admittere, nec contra quemquam amaricari, neque de temporalium provisione sibi ingerere curam aut cogitationem, nisi cui ex officio imminet, sed esse cum eo quod sibi administratur contentus, nec propter victualia murmurare. Iterum, sicut cruci affixus suo repletus dolore, nihil mundanæ cogitat vanitatis, nec de aliorum dijudicatione se intromittit, sed divini tribunalis judicio pensat se protinus præsentandum ; sic religiosus in assiduis debet esse compunctionibus, et suorum recordatione defectuum pœnitere, sua quoque ac aliorum deflere peccata, atque ex consideratione suæ mortis sibi incessabiliter propinquantis, ex inspectione rigoris divini judicii ac futuræ punitionis formidine sic tristari, dolere, vereri, et coram oculis Divinitatis se vigilantissime custodire, ut nihil sæcularis consolationis, nil carnalis delectationis requirat, admittat, appretietur, sed desuper tantum consolari relevarique præstoletur, omnique die et hora paratus sit pulsanti Domino aperire, et lampades suas habeat semper paratas, ornatas, ardentes. *Luc.* XII, 36. *Matth.* XXV, 4, 7.

Nil itaque remorsionis aut culpæ in conscientia nostra resideat : imo in veritate et sinceritate jugiter ambulemus, mortificationem Jesu in nostro corde ac corpore semper circumferentes, ut et vita ipsius per cruciformem imitationem manifestetur in carne nostra mortali atque in corde nostro instabili. Qui enim sunt Christi, carnem suam cum vitiis et concupiscentiis crucifigunt ; habentesque simplicem ac tenuem victum, mediocrem humilemque vestitum, contenti sunt, voluptatem, curiositatem, mollitiem fugientes. Et si vere religiosi sunt, super cordis sui custodiam stant solerter, et propriam abnegant voluntatem, ac sancta obedientia delectantur, scientes quod nemo veniat ad Patrem nisi per Christum, usque ad mortem factum obedientem, ita quod ex obedientia tulit violentissimam, acerbissimam et contemptibilissimam mortem, relinquens nobis exemplum ut ejus sequamur vestigia. Et si non hujusmodi mortem, saltem minora et faciliora tali morte, ex obedientia faciamus patiamurque prompte, Salvatoris intuitu et amore. Ad quod beatissimi Laurentii martyris accendamur exemplis, qui in tormentis pro Christo quasi in epulis gloriabatur. Idcirco et nos in adversis quasi in omnibus gloriemur divitiis. Ad laudem et gloriam Omnipotentis. *II Cor.* IV, 10, 11. *Galat.* V, 24. *I Tim.* VI, 8. *Habac.* II, 1. *Luc.* IX, 23. *Joann.* XIV, 6. *Philipp.* II, 8. *I Petr.* II, 21.

IN SOLENNITATE
ASSUMPTIONIS B. V. MARIÆ

ENARRATIO IN LECTIONEM LOCO EPISTOLÆ

IN OMNIBUS REQUIEM QUÆSIVI, ETC. Eccli. XXIV, 11-13, 15-20.

VERBA lectionis quæ hodie loco epistolæ legitur, ad litteram de increata ac genita Sapientia, quæ est Verbum æternum, Unigenitus Dei Patris, exponuntur. Spiritualiter vero de gloriosa Virgine intelliguntur. Itaque Ecclesiasticus in ejus persona asserit :

In omnibus requiem quæsivi, id est, in cunctis hominibus per dilectionem manere optavi. Nam Virgo beatissima omnium cupit salutem, et cunctis se præbet paratam ut in eorum cordibus per caritatem quiescat, et eis gratiose adsistat. *Et in hereditate Domini morabor,* id est, in Ecclesia seu populo christiano manebo per adsistentiam gratiosam. Plebs quippe fidelis vocatur hereditas Dei. Unde Samuel
I *Reg.* X, 1. ait ad Saul, primo Regum : Ecce unxit te Dominus super hereditatem suam in principem. Atque per Isaiam loquitur Deus :
Is. XIX, 25. Hereditas mea Israel. Populum namque fidelem Deus per gratiam possidet, tanquam ad se proprie pertinentem. Infideles vero et impii, a Deo sunt alieni. Denique, etiam Deus est fidelium et electorum suorum hereditas, quemadmodum frequenter per Moysen dixit de sacerdotibus et Levitis veteris Testamenti : Ego hereditas eo-
Num. XVIII, 20 ; *Deut.* XVIII, 2. rum. Et Propheta : Dominus (inquit) pars
Ps. XV, 5. hereditatis meæ. Deus namque est summum bonum, quod fideles et justi summe A desiderant, per caritatem fruitionemque possident. Vel sic : « In omnibus requiem quæsivi », id est, in cunctis actibus meis expetivi mente in Deo quiescere : juxta illud, Convertere, anima mea, in requiem *Ps.* CXIV, 7. tuam. « Et in hereditate Domini morabor », id est, in divitiis gloriæ Dei, quibus fruuntur Sancti in patria, nunc per spem, et post vitam præsentem per rem æternaliter permanebo. De quibus ait Apostolus : Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in I *Cor.* II, 9. cor hominis ascenderunt, quæ præparavit B Deus iis qui diligunt illum.

Tunc, videlicet quando in omnibus requiem quæsivi, *præcepit et dixit mihi Creator omnium,* scilicet Deus. Quid autem præceperit, paulo post subditur, utpote : in Jacob inhabita. *Et qui creavit me,* scilicet Verbum æternum, per quod *Joann.* I, 3. facta sunt omnia, *requievit in tabernaculo* (id est in utero) *meo,* per incarnationem homo factus ex me, juxta quod scriptum est : In sole posuit tabernaculum suum. *Ps.* XVIII, 6. Spiritualiter quoque « requievit in taber- C naculo meo », id est in habitaculo cordis mei. Unde secundum Augustinum, beatissima Virgo felicior fuit Christum concipiendo mente, quam ventre.

Itaque præcepit *et dixit mihi : In Jacob inhabita,* id est in populo christiano vitia supplantante : qui fidem Jacob patriarchæ

imitando, filii ejus vocantur, sicut dixit A
Galat. III,7. Apostolus, quod qui ex fide sunt, filii sunt Abrahæ. Quod similiter dici potest de
Gen. XXVII, 36. Jacob. Jacob autem interpretatur supplantans : sicque per Jacob, populus fidelis peccata supplantans, accipitur. *Et in Is-*
Ibid. XXXV, 10. *rael hereditare.* Israel interpretatur, vir videns Deum. Idcirco per Israel designatur plebs fidelis, Deum et superna contemplans, quales præcipue sunt boni religiosi, et omnes perfecti, ac contemplativam vitam ducentes : in quibus virgo Maria hereditatur, quoniam eos quasi hereditariam B possidet plebem, regina et mater ac advocata ipsorum. *Et in electis meis mitte radices,* id est, fundamenta virtutum eis acquire meritis tuis ac precibus, et item exempla virtutum ipsis præbendo per tuam conversationem exemplarem atque sanctissimam, vel instruendo eos per te ac tuos ministros, videlicet angelos ac prælatos. Præterea per Jacob et Israel possunt intelligi, qui ex Judaismo crediderunt in Christum, in quibus et inter quos fuit ac habitavit sacratissima et incomparabilis C virgo Maria : in quibus misit radices sapientiæ ac virtutum, eos multipliciter ædificando, et multos eorum de pluribus instruendo. « Radices » autem, convenienter intelliguntur ipsi habitus virtutum, ex quibus actus oriuntur, sicut ex radicibus pullulant rami.

Et sic in Sion firmata sum. Sion interpretatur speculatio. Idcirco per Sion, potest intelligi populus Dei, cœlestia speculans modo per fidem : in quo beata Virgo firmata est, quia firmiter quiescit D in eis tanquam protectrix eis semper adsistens. *Et in civitate sanctificata,* videlicet Ecclesia militanti. De qua ait Psalmi-
Ps. LXXXVI, 3. sta : Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei.
Hebr. XII, 22. De qua ad Hebræos legitur : Accessistis ad montem Sion et civitatem Dei viventis. Civitas namque quasi civium unitas dicitur. Quum ergo in Ecclesia sit unio Catholicorum per fidem et caritatem, recte Ecclesia civitas appellatur. *Similiter requievi,* per adsistentiam piam ac incessantem. *Et in Jerusalem potestas mea.* Jerusalem interpretatur visio pacis, per quam tam militans quam triumphans Ecclesia potest intelligi : et in utraque Virgo Christifera potestatem habet præcipuam, tanquam domina angelorum, et omnium regina fidelium, cui omnipotens Filius nihil negat. Possunt etiam hæc specialiter explanari de primitiva Ecclesia, quæ in Jerusalem et in monte Sion, in quo templum Jerusalem fuit, manebat, et Virgo beata fuit in medio ejus.

Et radicavi, id est, virtutum radices fixi, *in populo honorificato,* id est in populo christiano, cui Deus præ cunctis hominibus majora ac plura contulit gratiarum charismata : propter quod tempus evangelicæ legis, tempus gratiæ nuncupatur. *Et in partes Dei mei,* id est in mansionibus cœlestibus, est *hereditas illius,* id est beata possessio ac opulentia sempiterna populi honorificati præfati, quia in cœlis quærit æternaliter hereditari, quemadmodum scriptum est : Credo videre bo- *Ps.* XXVI, 13.
na Domini in terra viventium. De his partibus ait Christus : In domo Patris mei *Joann.* XIV, 2. mansiones multæ sunt; et alibi, Facite *Luc.* XVI, 9. vobis amicos de mammona iniquitatis, ut quum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Hinc Baruch dixit : O Israel, *Baruch* III, 24, 25. quam magna est domus Dei, et ingens locus possessionis ejus; magnus et non habens finem, excelsus et immensus. *Et in plenitudine,* id est plena seu universali congregatione, *sanctorum,* id est perfectorum tam in militanti quam in triumphanti Ecclesia, est *detentio mea,* id est stabilis commoratio mea.

Quasi cedrus exaltata sum in Libano, id est, quemadmodum cedrus crescit in altum in loco seu monte Libani, sic exaltata sum in plebe fideli, cujus constituta sum domina, mater, regina et advocata. Exaltata etiam sum in ea, ipsos fideles sublimiter adjuvando. Sic enim causa dicitur exaltari in suo effectu, in quo potestas et excellentia causæ resplendent. *Et quasi cypressus in monte Sion,* id est, sicut

cypressus sua proprietate eminet, sic ego in Ecclesia. Porro cedrus est arbor boni odoris, cypressus imputribile lignum est. Itaque virgo Maria comparatur cedro ratione optimæ famæ suæ, qua ubique est
II *Cor.* II, 15. optimus odor Christi. Comparatur quoque cypresso, quoniam mens ejus nunquam per peccatum aliquod est corrupta neque
Sap. VI, 20. infecta. Unde Sapiens ait : Incorruptio facit esse proximum Deo. Ubi per incorruptionem intelligitur integritas mentis a læsione peccati.

Quasi palma exaltata sum in Cades : id est, sicut palma exaltatur in loco qui
Josue XV, 23. dicitur Cades, et fuit in sorte Judæ, ut in Josue libro fertur ; sic exaltata sum inter electos. Palma quippe æstate ac hieme viret. Comparatur ergo Virgo sanctissima palmæ, quoniam in omni eventu, in omni adversitate ac prosperitate mansit in vigore virtutum, nec unquam per culpam discolorationem mentis incurrit. *Et quasi plantatio rosæ in Jericho :* id est, sicut rosa in Jericho plantata, sua pulchritudine sublimatur, quum rosa sit pulcherrima florum ; sic inter omnes cœlestis paradisi atque Ecclesiæ flores, videlicet Sanctos, pulchritudine sapientiæ ac virtutum præfulgeo. *Quasi oliva speciosa in campis :* id est, sicut oliva sublimatur et eminet suo fructu in campis ubi plantata est, nam productiva est olei ; sic ego pietate et omni fructu virtutum emineo. Per olivam enim misericordia designatur. *Et quasi platanus exaltata sum juxta aquam in plateis :* id est, sicut arbor sic dicta, exaltatur sua virtute juxta fluenta per plateas currentia ; sic ego in populo Dei, cui aquam sapientiæ salutaris et fluenta gratiæ ac doctrinæ acquiro, sublimor.

Sicut cinnamomum et balsamum aromatizans odorem dedi : id est, quemadmodum species istæ seu herbæ aromaticæ bonum valde producunt odorem, sic ego spiritualem fundo dulcedinem in mentes fidelium, et virtutum spargo odorem, ac bonæ redolentiam famæ ubique diffundo. Ideo subditur : *Quasi myrrha electa,* id est valde bona, *dedi suavitatem odoris* spiritualis ac famæ laudabilis. Quemadmodum etenim myrrha prævalida in igne posita, mox bonum fundit odorem, sic Virgo altissima in corde devoto per amoris fervorem ignito concepta seu apprehensa, internam parit suavitatem, quoniam valde delectat mentem et ipsam lætificat. Propter quod ait S. Bernardus, quod ipsa portas piæ memoriæ nunquam ingreditur sine insitæ sibi adspersione dulcedinis. Et sicut cunctis sanctior digniorque quasi incomparabiliter comprobatur, sic præ omnibus Sanctis suaviorem parit odorem, et excellentiorem virtutum famam, bonitatisque nomen diffundit.

SERMO PRIMUS

DE MULTIPLICI PULCHRITUDINE QUA CUNCTIS PRÆSTANTIOR EST MARIA ; DE EJUS QUOQUE MISERICORDIA, PIETATE ET UTILITATE.

HÆC est speciosior sole, et super omnem dispositionem stellarum luci comparata, invenitur prior. Sap. VII, 29.

Sicut in rebus pure corporalibus corporibusque cœlestibus nihil sole splendidius est, imo nec comparabile soli in claritate ac specie, a quo cetera omnia corporalia luminis influentiam sortiuntur : ita in electis et Sanctis Dei, nullus beatissima Virgine lucidior, nullus sanctior pulchriorque consistit ; sed nec in luce, sanctitate ac pulchritudine comparabilis est ei. De-

nique, quum multiplex sit pulchritudo, videlicet corporalis et spiritualis atque moralis, naturalis quoque et supernaturalis; corporalis pulchritudo consistit in tribus : primo, in membrorum debita proportione ad invicem; secundo, in convenienti et eleganti statura seu quantitate (propter quod, secundum Aristotelem, homines parvæ staturæ non proprie possunt pulchri vocari, sed speciosi); tertio, in congrui ac vivacis superfusione coloris. Pulchritudo autem moralis consistit in hoc, ut homo extra decenter ac facete se habeat in gestibus corporis et incessu, in visu omnique motu et apparatu, ut non sit levis, procax, dissolutus, instabilis aut discurrens, sed maturus ac modestus in omnibus. Porro pulchritudo spiritualis ac naturalis consistit in superioribus animæ viribus, in quibus imago Dei in anima collocatur, et in earum habitibus acquisitis, id est in virtutibus et scientiis naturalibus earumque actibus. Pulchritudo vero spiritualis supernaturalis, quæ proprie spiritualis pulchritudo vocatur, consistit in virtutibus scientiisque infusis et actibus earumdem, præsertim in fide, spe, caritate, septemque donis Spiritus Sancti, ac ceteris virtutibus moralibus et cardinalibus per infusionem a Deo collatis, unde infusæ dicuntur.

Denique, sicut de pulchritudine corporali prætactum est, quod consistat in tribus, sic pulchritudo hæc spiritualis in tribus videtur consistere. Primo, in virtutum congrua proportione ad invicem : ut quanto aliquis castior est aut sapientior, tanto exstet humilior, quoniam castitas et sapientia sæpe sunt incitamenta elationis; item quanto quis plura a Deo acceperit dona, tanto in eo major sit gratitudo; et quanto ferventior caritas, tanto et major discretio, ne per fervorem amoris immoderate affligat se ipsum in corporalibus exercitiis et pœnitentiæ actibus. Propter quod ait Apostolus : Rationabile obsequium vestrum. Secundo consistit hæc pulchritudo in virtutum congrua quantitate, id est perfectione, ut homo virtutes habeat secundum earum gradum perfectum, vel saltem secundum gradum suo statui competentem, quatenus digne Deo ambulet secundum exigentiam suæ vocationis, quemadmodum hortatur Apostolus, dicens : Obsecro vos in Domino, ut digne ambuletis vocatione qua vocati estis, cum omni humilitate et mansuetudine, cum patientia, supportantes invicem in caritate, solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Tertio consistit in spiritualis coloris superfusione decenti, id est in caritatis informatione atque discretionis directione. Caritas namque est vita, forma, regina et decor virtutum, sine qua nil est Deo acceptum, nihilque meritorium. Idcirco omnem meritorium actum oportet a caritate informari ac imperari. Discretio quoque est virtutum auriga, quæ omni virtuti modum præfigit, tempus et locum observat, et ordinate fieri facit quod fit.

Rom. XII, 1. *Ephes.* IV, 1-3. *I Cor.* XIII, 1-3.

Præterea omnes pulchritudines istæ fuerunt valde in Virgine benedicta. Primo etenim fuit corpore valde formosa, utpote optime complexionata, atque in omni naturali dono præfulgida. Secundo fuit in morum venustate speciosissima, in loquendo, eundo, stando, sedendo, operando, videndo, edendo summe modesta, delectabilis et exemplarissima. Tertio fuit in spirituali et interiori pulchritudine naturali multum præclara, utpote ingeniosa præcipue, et indolis optimæ, fortissimam habens synderesim et maximam inclinationem ad omnium actus virtutum. Quarto in pulchritudine spirituali supernaturali, videlicet in decore gratiæ ac virtutum, in splendore sapientiæ, in luce discretionis, et in omni perfectione interna, fuit ineffabiliter summa et eminens; nec exprimi valet quantum in sæculo isto quotidie in prædictis profecerit. O quam certissima et illuminatissima fuit in fide, quam firma in spe, quam ardentissima in caritate, quam sublimis in contemplatione sapientiæ, quam summa in omni morali ac intellectuali virtute! Quid enim Deus omni-

potens, liberalissimus atque ditissimus, A ita quod visceribus misericordiæ tota redundat, supereffluit ineffabiliterque abundat. Eam igitur cum omni fiducia fervide invocemus, ei cordis nostri hospitium reseremus, ut in nobis inveniat requiem, nosque tueri semper et salvare dignetur.

non daret propriæ Genitrici, cum qua tam diu, tam secrete ac dulciter conversabatur in terris, a qua ipse tam viscerose nutriebatur, tam affectuosissime contrectabatur, tam æstuantissime amabatur, tam maternaliter amplexabatur, et a qua ei ministrabatur cum tam summa diligentia ac reverentia tam maxime amorosa? Implevit ergo et quotidie superadimplevit eam gratia ampliori, dilectione ferventiori, perfectione majori.

Secundo ex lectione hac edocemur, quam infinita sit misericordia, caritas ac providentia Dei super genus humanum, qui tam misericordissimam advocatam ac mediatricem, imo et matrem, nobis providit ac contulit. Siquidem Deus præcepit ei ut in Jacob inhabitet, etc., juxta sensum expositum. Hinc ait Bernardus : Tu mater misericordiæ, pro miseris Filium tuum rogabis, quoniam Deus Pater, qui Filium suum inter Deum et homines posuit mediatorem, te quoque inter reos et Christum judicem posuit mediatricem. Et sicut tu Judicem nunquam invenis difficilem, sic te reus nunquam invenit inexorabilem. In manibus tuis sunt omnes thesauri misericordiarum Dei. Ideo Deo regratiemur quod talem nobis contulit adjutricem.

Eccli. xxiv, 12, 13.

Denique istud in lectione quæ hodie B loco epistolæ legitur, pulchre innuitur. Primo namque patet ex lectione hac, quanta sit misericordia ejus, quum ipsamet ait, In omnibus requiem quæsivi, juxta expositionem præhabitam. Nam ut sanctus ait Bernardus, Quemadmodum sol lumen suum super bonos et malos indifferenter diffundit, sic sacratissima virgo Maria non discutit merita, sed omnibus se exorabilem ac clementissimam præbet. Etenim copiosissima sua caritate ac pietate omnibus misericordiæ suæ aperit sinum, ut de plenitudine sua accipiant universi : captivus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, justus gratiam, angelus lætitiam, denique tota Trinitas gloriam, Filius Dei carnis humanæ substantiam. Insuper, quanto benignissima Virgo Filium suum plus diligit, tanto plus cupit passionem et sanguinem ejus in hominibus fructificare. Idcirco hominum salutem appetit vehementer, paratissima omnibus subvenire, pro omnibus exorare, cunctos ad se clamantes audire. D Rursus, sicut ipsa præ omnibus Sanctis inæstimabilem pietatem et gratiam a Deo est consecuta, in tantum quod Mater Dei effecta est ; sic præ omnibus Sanctis paratissima est pietatem et gratiam omnibus ad se clamantibus impertiri. Iterum, quoniam fons totius pietatis ac misericordiæ, Unigenitus Dei, in ejus castissimis visceribus novem requievit mensibus, certum omnino est quod ipsa ex hoc inæstimabilem pietatem misericordiamque contraxit,

Eccli. xxiv, 1.

Præterea, quam ineffabilis sit dignitas Virginis benedictæ, constat ex lectione hac, dum ex persona Mariæ hic dicitur, Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo : videlicet, quoniam verus Deus, Dei Unigenitus, ex ea et in ea factus est homo, novemque mensibus requievit ejus in utero, tanquam verus filius ejus. Ideo ejus uterum tanquam sacratissimum Dei templum veneremur. Unde et sancti doctores Augustinus atque Bernardus fatentur : Non fuit in terris locus præstantior virginalis uteri templo, in quo Filium Dei sancta suscepit Maria ; nec in cœlis locus excellentior regali solio, ubi Mariam sublimavit ac posuit Filius ejus.

Ibid. 12.

Tertio docet hæc lectio, quam mirabiliter magna sit fructuositas fructificatioque Mariæ, quoniam ipsa in electis Dei mittit radices : imo ut ait Bernardus, quidquid pietatis et gratiæ nobis a Deo confertur, per ipsam nobis tribuitur. Ipsa est Virgo egregia, per quam peccatum deletur, mors destruitur, diabolus confunditur, vita beata

Ibid. 13.

quæ perdita fuerat, recuperatur, paradisus aperitur, salus universis offertur. Simus igitur grati gloriosissimæ Virgini, matri Christi, ejusque humilitatem, misericordiam, caritatem atque munditiam sequamur pro posse fideliter, viriliter et constanter.

Eccli. XLI, 15. Amplius, curam habeamus de bono nomine, non pro propria laude, sed ad Dei honorem et proximorum ædificationem, ut glorificetur Deus in nobis servulis suis;

II *Cor.* II, 15, 14. simusque bonus odor Christi in omnibus locis, ut ædificentur proximi nostri in nobis. Consideremus quam infinitam beati-

I *Cor.* II, 9. tudinem Deus præparaverit justis in cœlo, et taliter ministremus Altissimo, ne et tantam beatitudinem amittamus et insuper æternæ damnationis gravissima supplicia incurramus. Ecce præcessit nos hodie Domina nostra, et advocatam præmisit in cœlum Ecclesia. Eam ergo toto cordis affectu sequamur, ejus beatitudini præcordialiter congratulemur, et sacrum hunc diem in sanctis operibus expendamus, dulcissimam Virginem invocantes et collaudantes; nec unquam aliquis nos prætereat dies, in quo non speciale obsequium impendamus eidem.

Quidam monachus Ordinis Cisterciensis in tantum beatissimam Virginem venerabatur, quod quotidie ante refectionem dixit, genibus flexis, quinquagesies Ave Maria. Quumque visitasset suos parentes, et quadam die se posuisset cum eis aliisque amicis ad mensam, recordatus est se die illo non legisse Salutationem angelicam vicibus quinquaginta. Repenteque surgens, ingressus est cameram. Quumque Salutationem angelicam more solito legeret, apparuit ei Virgo piissima, mantello pulchro induta, in quo per totum scriptæ erant aureis litteris Salutationes angelicæ. Et quum monachus ex humana fragilitate fuisset perterritus de hujusmodi visione, dixit ad eum dulcissima virgo Maria : En omnes angelicæ Salutationes quas mihi dixisti, in isto mantello sunt scriptæ. Deinde ostendit Virgo dignissima quamdam partem mantelli retrorsum, et dixit : Postquam hæc pars fuerit angelicis Salutationibus adimpleta, introducam te in regnum dilectissimi Filii mei. Quod et postmodum factum est ita. Ex quo patet, quam acceptum sit Virgini sacræ, ut angelica Salutatione frequenter ac devote salutetur. Cum magna igitur attentione et affectione dicamus sæpissime : Ave Maria.

ENARRATIO IN EVANGELIUM

INTRAVIT JESUS IN QUODDAM CASTELLUM, ETC. Luc. X, 38-42.

EVANGELIUM præsens in solennitate Assumptionis beatissimæ Virginis legitur, quoniam solennitas illa aliud non habet evangelium speciale, et quoniam mystica evangelii hujus expositio Virgini gloriosæ præcipue competit. Itaque Lucas dicit :

Intravit Jesus in quoddam castellum, videlicet in habitaculum Marthæ, quod in Bethania fuit. Ideo subditur : *Et mulier quædam Martha nomine,* valde notabilis atque illustris : quæ dicitur hic mulier ratione sexus, non matrimonialis contractus, quia (ut supra in sermone de ea narratum est) non legitur habuisse maritum; *excepit illum in domum suam,* cum caritate ferventi et reverentia grandi. Nam fuit prælecta specialisque hospita Christi. *Et huic erat soror nomine Maria,* scilicet Magdalene, amantissima, fidelissima ac familiarissima Salvatoris discipula : de qua supra dicta sunt plurima. *Quæ etiam se-*

dens secus pedes Domini, id est humiliter A in terra juxta pedes Christi magistri sui carissimi, in cujus verbis valde delectabatur, *audiebat verbum* (id est sermonem) *illius,* avidissima ac intentissima mente. Sic et fideles verba sermocinantium vicariorumque Christi debent humiliter ac devote audire, absque somnolentia et tædio. Rursus, quemadmodum Christus a Martha hospitatus, statim ante refectionem docuit exsistentes in domo; sic prædicatores et viri spirituales ac eruditi, ab aliis hospitati, verbis salubribus debent ædificare B atque instruere hospitantes et exsistentes in domo. Itaque quo Maria humilius sedit, diligentiusque verba Christi advertit, eo plus spirituales hausit profectus, et rivos doctrinæ ex fonte sapientiæ sumpsit, id est a Christo, de quo scriptum est in Ec-
Eccli. 1, 5. clesiastico : Fons sapientiæ, verbum Dei in excelsis. Insuper, ex hoc quod Martha Christum et ejus discipulos tam caritative ac reverenter suscepit hospitio, atque tam condecenter tractavit, datur exemplum fidelibus, ut spirituales personas ac pau- C peres libenter hospitent, congruenterque tractent Dei intuitu et amore, quia hoc faciendo, Christum in suis suscipiunt et procurant servis ac membris.

Martha autem satagebat, id est, satis agebat, occupataque fuit, *circa frequens ministerium,* id est circa corporalis refectionis (quæ quotidie necessaria est) præparationem et exhibitionem. *Quæ stetit,* ut Christum cum reverentia alloqueretur, et ejus præstolaretur responsum, *et ait : Domine, non est tibi curæ quod soror mea* D *reliquit me solam ministrare?* Hoc videbatur irrationabile Marthæ, quia apparuit ei quod ob Christi honorabilitatem, aliorumque hospitum multitudinem, Maria eam merito adjuvisset. Ideo interrogavit, Domine, non est tibi curæ? non quasi Christum reprehendens quod Mariæ non dixerat, Adjuva tuam sororem; sed quasi admirans de hoc. Ideo addidit : *Dic ergo illi ut me adjuvet :* quia in tot hospitum provisione ac refectione multa erant agenda. Quod autem Martha dixit se solam ministrare, non est intelligendum quod nulla femina eam adjuverit : imo habuit multas ancillas, et specialiter S. Marthilla ejus pedisequa, eam sollicite juvit; sed se solam asseruit ministrare, per exclusionem suæ sororis, ad quam ministratio illa æque pertinuit, secundum Marthæ opinionem.

Et respondens, dixit illi Dominus Jesus Christus, verus Deus, qui ad respondendum sapienter, non eguit deliberatione aut studio, quoniam in quantum Deus, fuit ipsa sapientia infinita, æterna et increata, *I Cor.* 1, 24. atque ut homo, fuit omni sapientia plenus, imo secundum utramque suam naturam omnia præcognovit : *Martha, Martha.* Bis nominavit eam, ut diligentius auscultaret, et ut suam ad ipsam monstraret dilectionem. *Sollicita es et turbaris erga plurima,* id est circa corporalia præparanda ac disponenda : quæ occupatio, quamvis fuerit bona, et actus misericordiæ ac liberalitatis ex caritate procedens, tamen quietem mentis in Deo interrumpit frequenter et impedit, quoniam mens humana tanto fortius intenta est uni, quanto plus a multis abstrahitur. Unde communiter dicitur : Virtus unita est fortior quam dispersa; itemque, Pluribus intentus minor est ad singula sensus. *Porro, unum est necessarium,* videlicet Deo adhærere, placere, uniri, seu ipso beatifice frui, vel ipsemet Deus, felicitatis objectum, dator et causa. *Maria optimam partem elegit,* videlicet unum necessarium jam præfatum. *Quæ* pars *non auferetur ab ea :* quoniam Deo vacare atque uniri per contemplationem et dilectionem ferventem, seu ipso finaliter frui, in vita hac incipit, et imperfecte habetur; in futuro autem sæculo continuatur, perficitur, plene ac æternaliter possidetur.

Hæc est litteralis et brevis expositio evangelii hujus, circa quod multa pulcherrima dici possent : de quibus infra tangetur.

SERMO SECUNDUS

QUOMODO BEATISSIMA VIRGO MARIA SIT, QUOMODO ETIAM QUILIBET ELECTORUM ESSE DEBEAT SPIRITUALE CASTELLUM.

PORTA hæc clausa erit, et non aperietur, quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam. Ezech. XLIV, 2.

Per portam quam propheta Ezechiel vidit in spiritu, in visione illa difficillima quam in fine libri sui describit in multis capitulis, spiritualiter designatur purissima virgo Maria, quæ ante partum, in partu et post partum fuit inviolata ac integerrima, quam nequaquam decuit viro alicui aperiri, quoniam Dominus Deus Israel, Unigenitus Patris, ingressus est eam, assumendo ex ea naturam humanam, seque claudendo in utero ejus, sicut cantat Ecclesia : Virgo, Dei Genitrix, quem totus non capit orbis, in tua se clausit viscera factus homo. Ipsa igitur præstantissima Virgo est porta per quam ingressus est mundum istum Filius Dei, visibiliter apparendo in eo. Conformiter ipsa spiritualiter est castellum quod Jesus intravit, descendendo de sinu Patris in uterum Virginis, non locum mutando, sed carnis substantiam in ea et ex ea assumendo, juxta illud *Ps.* XVIII, 7. in Psalmo : A summo cœlo egressio ejus ; *Ibid.* 6. et item, In sole posuit tabernaculum suum. Unde alibi protestatur : *Joann.* XVI, 28. Exivi a Patre, et veni in mundum.

Deinceps, propter diversas causas beatissima Genitrix Dei appellatur castellum. Primo, quia castellum debet esse situatum in alto eminentique loco, ut ex eo possit hinc inde circumspici. Sic virgo Maria in altissimo statu ac gradu dignitatis in Deo est posita, utpote in vertice maternitatis Dei, per quam comparentalis est Deo Patri, unicum et eumdem cum illo filium habens : quod est dignitas quodammodo infinita, ex qua deinde convenit ei, esse angelorum imperatricem, reginam cœli, dominam mundi, advocatam Ecclesiæ, decus et gloriam totius creaturæ. Ideo dicit S. Hieronymus : Quid nobilius Matre Domini, quid splendidius ea quam elegit Splendor paternæ gloriæ? Sed quia præfata dignitas maternitatis Dei, est donum gratiæ gratis datæ, dicendum, quod virgo Maria etiam constituta est a Deo in vertice perfectionis gratiæ gratum facientis atque virtutum, in quibus excellentissima fuisse non dubitatur.

Secundo, quia castellum debet muro circumdatum esse et clausum. Sic Virgo mundissima, fuit virtute cardinali quæ dicitur fortitudo, et etiam dono quod fortitudo vocatur, munita. Potest quoque per murum castitas designari. Unde ait Salvator : Sint *Luc.* XII, 35. lumbi vestri præcincti, id est cingulo castitatis ornati. Vere namque per castitatem protegitur homo a jaculis vitiorum multorum, a tentationibus dæmonum, a concupiscentiarum sagittis. Hac castitate Domina nostra fuit summe inviolabiliterque munita ac decorata, ita quod nunquam inordinatus aut indecens motus carnis fuit in ea.

Tertio, quia castellum debet in gyro profundum habere fossatum. Sic Virgo altissima, profundissima humilitate fuit vallata. Unde et ipsa fatetur : Quia respexit *Ibid.* I, 48. humilitatem ancillæ suæ. Hinc sanctus loquitur Augustinus : O mira et profunda Mariæ humilitas ! Ecce angelus Mariam alloquitur, dicens : Ave, gratia plena. Mariæ *Ibid.* 28. Spiritus Sancti superventio gratiosa promittitur, Maria in matrem Dei assumitur, Maria omnibus creaturis præponitur, Maria cœli et terræ domina efficitur ; et tamen

pro omnibus his superbia nulla extollitur, imo in omnibus his mira humilitate se
Luc. I, 38. deprimit, dicens : Ecce ancilla Domini. Non dixit, Ecce domina mundi, sed, Ecce ancilla Domini. Hinc loquitur et Bernardus : O Maria, tu spiritum elationis virtute humilitatis penitus contrivisti, quam ita in te respexit Dominus, ut ipsius merito super omnes choros angelorum te sublimare dignum putaverit. Nunquam enim super omnes choros angelorum sublimata ascendisses, nisi prius infra omnes homines humiliata descendisses. Et recte humilitas comparatur fossato, quum sit quædam profundatio mentis qua subdit ac deprimit semetipsam : et sicut in fossato aquæ colliguntur, sic in humili corde gratiarum charismata congregantur. Iterum, sicut fossatum aquis repletum, prohibet adversarios ab accessu ad castellum et a destructione ipsius, ita revera humilitas humiles a dæmonum impugnatione et dejectione tuetur, eo quod humilis non propriis viribus, sed gratioso adjutorio Dei innititur.

Quarto, quoniam castellum est turre elevatum. Sic optima virgo Maria fuit caritatis fervore, contemplationum excessu, apice sanctitatis sublimis et elevata. Unde
Cant. VIII. 10. et ipsa ait in Canticis : Ego turris*. Quinto, quoniam sicut castellum debet armis esse corroboratum, sic virgo Maria fuit omnium virtutum tanquam spiritualium armorum vigore firmata, dæmonibusque metuenda et inexpugnabilis facta. Idcirco in Canticis
Ibid. VI, 3, 9. vocatur terribilis ut castrorum acies ordinata. Sexto, quoniam sicut castellum debet necessariis vitæ, videlicet alimentis, esse provisum, sic benignissima Virgo fuit
Eccli. XV, 3. spiritualibus alimoniis plena, videlicet pane vitæ et intellectus, et aqua sapientiæ salutaris, gratia divinæ confortationis, cibo bonæ operationis, oleo supernæ consolationis, vino excessivæ devotionis, sed et pane lacrimarum ac compassionis. Hinc ait
Cant. II, 4. in Canticis : Introduxit me rex in cellam vinariam.

Deinceps, per Martham significatur vita activa, cujus operationes sunt, pauperes reficere, nudos vestire, peregrinos ac pauperes hospitare, mortuos sepelire, visitare infirmos, redimere vinctos ; item errantes reducere, ignaros instruere, mœstos consolari, consilium dare, delinquentes corripere, oppressos relevare. Circa hæc occupantur boni activi. Per Mariam autem, Marthæ sororem, designata est vita contemplativa, cujus actiones sunt, Deum speculari, diligere, meditari, orare, laudare ; gustare quam dulcis est Deus, rapi in
I Petr. II, 3. divitias gloriæ ejus, audire quid in se Do-
Ps. LXXXIV, 9. minus Deus loquatur. Porro beatissima Virgo in utriusque vitæ istius actibus fuit perfecta, imo utriusque vitæ actus circa Filium suum exhibuit, utpote opera vitæ activæ circa ipsius humanitatem. Sic enim Filium suum nutrivit, vestivit, et in corporalibus multis ei præbuit sacrum promptissimumque obsequium. Nec dubium quin et pauperibus, juxta quod potuit, misericordissima ac liberalissima fuit. Spiritualia quoque misericordiæ exercuit opera. Circa divinitatem vero Christi Filii sui exercuit eminentissime actus vitæ contemplativæ, illam sincerissime contemplando, ardentissime diligendo, suavissime degustando, orationi, meditationi ac laudibus Dei devotissime insistendo. Nec dubium quin ipsa ad pedes Filii sui prædicantis, multo humilius sedit, ejus quoque verba multo affectuosius diligentiusque audivit, quam Maria Magdalene. Unde et virgo Maria optimam partem perfectissime prælegit ac tenuit.

Præterea unusquisque fidelis debet spiritualiter esse castellum, in quod Christus per gratiam intret, et in quo per caritatem moretur. Primo, ut alte sit situs, hoc est in militanti Ecclesia constitutus, in Christo tanquam in capite positus, in Deo erectus, ipsum in omnibus intendendo, quærendo et adspiciendo, juxta id Psalmistæ : Oculi mei semper ad Dominum. Sic simus
Ps. XXIV, 15. in alto locati, non in rebus carnalibus ac terrenis instar porcorum depressi. Unde Jeremias propheta hortatur : Levemus cor-
Thren. III, 41. da nostra cum manibus ad Deum in cœ-

* murus

Is. XL, 26. lum. Isaias quoque propheta : Levate (inquit) in excelsum oculos vestros, et videte quis creavit hæc. Unde et Apostolus monet : Quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens; quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Secundo, ut muro sit clausus, hoc est castitate vallatus, vel castitate conjugali, vel viduali, vel virginali. Sic unusquisque corpus suum incontaminatum custodiat. I *Cor.* VI, 18. Nam teste Apostolo, qui fornicatur, in proprium corpus peccat, illud inquinando, deordinando, imo et habitaculum diaboli statuendo. Tertio, ut humilitate quasi fossato exstet circumdatus, in omnibus humiliando se ipsum. Sic ergo proprias vilitates, defectuositates, culpas, turpitudines et ingratitudines consideremus, et humiles simus valde stabiliter ac profunde in corde, in verbis et factis, in vestitu, incessu omnique apparatu. Quarto, ut caritatis Dei ac proximorum fervore sit sublimatus. Caritas namque est summa virtus, et turris virtutum : in qua quanto plus crescimus, tanto coram Deo meliores, majores altioresque sumus. Quinto, ut virtutibus contra omnia peccata ac tentamenta armetur, ne superetur ab eis. Sic nos armare debemus, et adversariis nostræ salutis viriliter reluctari, quia non coronatur a Deo II *Tim.* II, 5. nisi qui legitime certaverit. Sexto, ut spiritualibus alimentis ac poculis sit provisus, videlicet pane sacramentali, pane cœlesti, pane lacrimarum, rivis sapientiæ fluentisque gratiæ. His omnibus reficiamus et confortemus nos ipsos. Optimi enim panes sunt animæ, actus virtuosi, quum dicat Salvator : Meus cibus est, *Joann.* IV, 34. ut faciam voluntatem Patris mei. Nempe orando, meditando, Deum laudando, contemplando, diligendo, et cetera opera bona agendo, confortantur animæ nostræ in Deo, reficiuntur, spiritualiter crescunt, atque ad veram quæ in Deo consistit felicitatem pertingunt.

Duo socii erant se invicem valde amantes. Quorum unus circa festum omnium Sanctorum defunctus est. Alius vero continuis fletibus se affligens, nihil pro defuncto oravit. Cui post festum Nativitatis Christi defunctus apparuit, dicens : Nihil mihi profecisti solum plorando. Et quasi improperans ei fletum : Ecce (inquit) beatissima virgo Maria, singulis annis in festo Nativitatis Christi ad purgatorii loca cum multitudine angelorum descendit, et multas inde animas eripit, quoniam in nocte solennitatis illius Christum Regem gloriæ peperit. Quumque in proxima Nativitatis Christi solennitate descenderet, et multas eriperet animas, sperabam quod precibus tuis fuisset me etiam eductura, sed non fecit. Verum quoniam proxima nocte dominicæ Resurrectionis solet descendere ad purgatorium pro eductione animarum, eo quod Christus nocte illa sanctos de limbo eduxit, rogo ne cesses pro me cum lacrimis exorare, ut me illa nocte dignetur eripere. Et in hoc scies te exauditum, si tibi ultra non apparuero. Et quia defunctus ille ad viventem non rediit, creditur per Virginem gloriosam nocte illa ereptus. Ex hoc quoque exemplo docentur fideles, pro amicis suis defunctis magis orare quam flere, nisi pro illorum liberatione fleant orando.

SERMO TERTIUS

QUANTO HONORE B. MARIA FUERIT CORPORE ET ANIMA IN CŒLUM ASSUMPTA.

POSITUS est thronus matri regis, quæ sedit ad dexteram ejus. III Reg. II, 19.

Quemadmodum sanctus asserit Augustinus, de beatissima Virgine nihil in Scripturis canonicis reperitur post id quod Christus de cruce eam commendavit dilecto discipulo S. Joanni, nisi quod recitat Lucas evangelista, dicendo : Hi omnes (puta Apostoli) erant perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus et Maria Matre Jesu. Nunc ergo de ejus assumptione dicendum est quod veritati sacræ Scripturæ concordat, atque a sanctis Patribus catholicisque doctoribus est expressum. Et primo hoc certum est, et auctoritate universalis Ecclesiæ (quæ a Spiritu Sancto infallibiliter regitur) comprobatur, quod hodierna die præstantissima Virgo migravit a corpore, et a Filio ejus unico, Deo vero et homine, Domino nostro Jesu Christo, in cœlos cum omni veneratione et gaudio est assumpta : de qua re præsens celebratur solennitas.

Joann. XIX, 26, 27.

Act. I, 14.

Præterea qualiter, hoc est quam gloriose, assumpta sit, protestatur S. Hieronymus in sermone de festo præsenti, qui hodie per Ecclesiam legitur, in quo inter cetera loquitur : Legimus quam sæpe ad funera et sepulturas Sanctorum angelos advenisse, et ad eorum exsequias obsequia præstitisse, ac animas electorum ad cœlos cum hymnis et laudibus detulisse, ubi et utriusque sexus chori commemorantur frequenter auditi, laudesque cecinisse, ac multo lumine resplenduisse, insuper et eos qui aderant adhuc in carne viventes, miri odoris ibidem fragrantiam persensisse. Quod si ad recreandam spem corroborandamque fidem fidelium, Salvator ob merita Sanctorum suorum amplius demonstranda, tanta ac talia dignatus est facere circa defunctos : quanto magis credendum est, hodie cœlorum militiam cum suis agminibus Genitrici Dei obviam venisse, eamque ingenti lumine circumfulsisse, atque ad thronum sibi ante mundi constitutionem provisum, cum laudibus et canticis perduxisse? Nulli dubium, omnem illam cœlestem Jerusalem tunc ineffabili lætitia exsultasse, quoniam festivitas ista, quæ nobis hodie revolvitur annua, illis omnibus facta est continua. Nec immerito. Creditur enim quod ipse Salvator per se totus festivus occurrit, atque cum inæstimabili gaudio eam secum in throno locavit : alias quomodo implevisse creditur quod præcepit in lege, Honora (inquiens) patrem tuum et matrem tuam?

Exod. XX, 12; *Deut.* V, 16.

Præterea præinductis concordat quod sanctus ait Bernardus : Virgo gloriosa hodie cœlos ascendens, supernorum civium gaudia copiosis cumulavit augmentis. Quum enim Joannes Baptista materno adhuc clausus in utero, Maria loquente, gavisus sit : quam magna fuit cœlestium exsultatio civium, quum et vocem Mariæ audire, et faciem ejus videre, et felici ejus præsentia frui cœperunt? Quis cogitare sufficiat, quam gloriose hodie mundi Regina ad cœlos processerit, et quanto devotionis affectu in ejus occursum tota cœlestium legionum descenderit multitudo, quibus ad thronum gloriæ canticis sit deducta ; quam sereno ac placido vultu, quam divinis amplexibus a suo Filio sit suscepta, et super omnem creaturam exaltata, cum honore et gloria quibus talem ac tantam Matrem a tali tantoque Filio decuit sublimari? Insuper, sicut devotissi-

Luc. I, 41.

mus tangit Bernardus : Salva per omnia reverentia Christi, cum majori solennitate obviatum est ei de cœlo, quam Christo in sua ascensione, et cum ampliori reverentia in cœlum ipsa perducta est. Christo etenim ascendenti soli angeli occurrerunt; Mariæ vero non angeli soli, sed et omnes Sancti quos Christus secum in sua ascensione perduxit in cœlum : imo et ipsemet Dominus Christus ei occurrit, et eam cum summo honore secum in gloria statuit. Insuper in sermone suo beatus scribit Hieronymus : Monstratur ejus sepulcrum in vallis Josaphat medio, quæ vallis inter Jerusalem et montem Oliveti est posita, ubi in ejus honore fabricata est ecclesia miro tabulata lapide ; in quo sepulcro fuit ipsa sepulta, sed nunc sepulcrum hoc vacuum demonstratur.

Porro de ordine rei gestæ in beatissimæ Virginis assumptione S. Cosmas testatur : Dum Christus Genitricem vitæ ad se volebat assumere, per consuetum angelum prænuntiavit ei diem, et per angelum dixit ad eam : Tempus est ut ad me assumam te Matrem meam. Nam sicut terram gaudio adimplesti, sic fac gratulari cœlestia, et cœlestes mansiones redde jucundas. Adducam autem ad te Apostolos, quorum quasi meis sepelieris manibus. Quod autem Apostoli divina virtute illuc adducti sint, protestatur S. Germanus Constantinopolitanus episcopus. Magnus quoque ille theologus Damascenus idem affirmat, dicendo : Apostolos ubique terrarum dispersos ac prædicantes, divinum præceptum e finibus terræ Jerosolymam contulit. Imo ad hoc probandum, solet adduci quod divinus Dionysius tertio capitulo de Divinis nominibus ait, loquens ad Timotheum : Nos, ut nosti, et multi ex fratribus nostris ad visionem corporis principis vitæ et quod Deum suscepit, convenimus. Aderant autem Jacobus frater Domini, et Petrus theologorum altissimus vertex. Verumtamen verba hæc divini Dionysii etiam aliam intelligentiam habent. Quum itaque gloriosi Apostoli ad gloriosam Virginem convenissent, et juxta eam in thalamo, ubi ipsa ad obdormiendum in Domino collocaverat semetipsam, sederent, Christus cum innumerabilium multitudine angelorum de cœlo adveniens, suæ dilectissimæ Matris animam de corpore exeuntem suscepit cum gaudio maximo, sacratissimi quoque corporis ejus sepulturam commisit Apostolis.

Præterea, quamvis sancta mater Ecclesia non determinet nec absolute affirmet beatissimam Virginem cum corpore glorificatam, multi tamen Sancti hoc indubitanter fatentur, quod scilicet tertio die ab ejus dormitione, Christus animam ejus reduxit ad corpus ipsius sanctissimum, et ita in anima et corpore glorificatam super omnium ordines angelorum constituit eam. Et de hoc multa leguntur in Revelationibus S. Brigittæ viduæ. Sed et S. Augustinus rationabilia valde motiva adducit ad idem. Ideo non est dubitandum de hoc. Omnino enim decentissimum fuit ut Christus Deus omnipotens Matrem suam dignissimam summo veneraretur honore, non solum in anima, sed etiam in corpore ejus. Primo, quia ex ejus purissimo corpore corpus formavit quod ad suum increatum et hypostaticum esse divinum assumpsit. Quemadmodum ergo per hoc ineffabiliter honoravit et exaltavit corpus Virginis sacræ in sæculo isto, sic decentissimum fuit ut corpus ejusdem statim post recessum animæ ejus a corpore, honoraret et exaltaret, præcipue glorificando ipsum simul cum anima sua. Secundo, quoniam Virgo sanctissima per corpus suum præ omnibus Sanctis Christum specialissime honoravit, et ei singularissime ministravit. Ipsa enim in medio uteri sui Unigenitum Dei novem mensibus tulit. Deinde ex se natum propriis manibus elevavit, contrectavit, involvit, ubera ei porrexit, brachiis suis amplexata est illum, vultu deosculata, ita quod electissimæ Virginis corpus sanctissimum ex Filii Dei inhabitatione, contrectatione, deosculatione, lactatione et administratione mirabi-

liter deificatum est, præstantissimumque effectum. Propterea, nullatenus decuit corpus tam sacrum in terra manere, multoque minus decuit ipsum resolvi, et vermes ac cineres ex eo produci; sed justissimum exstitit, illud suæ purissimæ animæ reunitum, mox cum Christo in cœlis glorificari ac honorari. Tertio, quoniam alios multos Sanctorum Christus honorat in terra quantum ad eorum corpora sacra, quæ longe ac late a fidelibus visitantur : non ergo decuit corpus suæ dilectissimæ Genitricis manere in terris absconditum et inhonoratum. Quum ergo in terris nullibi valeat inveniri, certum est illud in cœlestibus commorari. Quarto, quoniam Matrem tam incomparabilis sanctitatis, tam cœlestis, imo supercœlestis ac deificatissimæ dignitatis, Matrem piissimam, oportuit ab optimo ac liberalissimo Filio perfectissime honorari, plenarie beatificari, et singulari privilegio decorari : quod factum non esset, nisi eam in corpore glorificasset et anima.

Postremo, quamdiu Virgo incomparabilis post Christi resurrectionem vixerit in hoc mundo, dicetur in sequenti sermone. Nunc igitur beatissimæ advocatæ et matri ac dominæ nostræ præcordialiter congratulemur, eamque verbis ac moribus veneremur, ejusque imploremus suffragium, ad ipsius adspiremus consortium et adspectum. O quam delectabile et suave est eam clare conspicere, cum ipsa jugiter permanere, et ea in Deo ad libitum frui! O quantum diligunt et honorant eam omnes cives superni, omnes angeli sancti, et electi homines universi jam beatificati, per quam tot bona sunt consecuti, quam vident a Deo incomprehensibiliter honoratam, imo quam Deus in universorum præsentia Beatorum nominat Matrem ! O qualis et quantus est honor ille, esse et dici Matrem Creatoris universorum !

SERMO QUARTUS

QUANTÆ SIT DIGNITATIS ESSE MATREM DEI, ET QUANTI MERITI SE TOTUM OFFERRE DEO, QUANTI PRÆMII SERVIRE ET COMPATI CHRISTO.

ADAMAVIT eam rex plus quam omnes mulieres. Esther II, 17.

Verba ista litteraliter scripta sunt de Esther regina, quam Assuerus rex præ mulieribus cunctis dilexit, quoniam erat formosa valde, et incredibili pulchritudine omnium oculis gratiosa et amabilis videbatur. Quæ verba de beatissima Virgine spiritualiter optime intelliguntur, quam Dominus, Rex omnipotens, præ omnibus feminis adamavit. Amare namque est alicui bonum velle, et amor ipse efficit unionem. Quanto itaque majora singulariora- D que bona contulit Deus Mariæ, et quanto vicinius ac specialius se ei conjunxit, tanto plus ceteris ipsam amavit.

Esther II, 15.

Jam ergo pensemus quid Mariæ Deus contulit in hac vita. Certe contulit se ei in filium verum ac naturalem, et in specialissimum sponsum. Hoc donum Dei est dignitatis quodammodo infinitæ. Si magnum est esse servum Dei, majusque esse amicum Dei, utique maximum est esse matrem Dei. Verumtamen quia maternitas Dei est dignitas quædam et donum gratiæ gratis datæ, non sufficeret Virgini gloriosæ esse matrem Dei, nisi et dona gratiæ gratum facientis haberet. Et quoniam omnia ordinatissima fuerunt in ea, utpote in matre sapientiæ summæ et sempiternæ, a qua ordinatio omnis profluxit; idcirco secundum excellentiam præfatæ dignitatis, vi-

delicet maternitatis Dei, fuit in Virgine benedicta excellentia gratiæ gratificantis, et virtutum infusarum atque donorum Spiritus Sancti. Unde quantum Virgo beatissima per maternitatem Dei fuit omni dignior creatura, tantum per excellentiam gratiæ suæ ac virtutum fuit sanctior universis.

Insuper perpendamus, quantum et qualiter Deus in vita præsenti conjunxit se Virgini superdignissimæ. Certe post hypostaticam seu suppositalem unionem, qua se humanæ conjunxit naturæ, in Christo non videtur fuisse possibilis propinquior unio, quam ea qua se Virgini conjunxit sanctissimæ, cujus se Filium fecit : per quod aliquid ejus suæ divinitati univit, carnem assumendo ex ea. Dicitur quippe in Symbolo, de Domino Jesu Christo Virginis Filio : Deus est, ex substantia Patris ante sæcula genitus ; et homo est, ex substantia Matris in sæculo natus. Et sanctus ait Bernardus : O vere dives Maria, cujus modica portio assumpta, totius mundi sufficit relaxare peccata. Denique in tantum se Virgini sacratissimæ copulavit, quod uterum ejus ingressus est, et novem mensibus requiescere in eodem dignatus est ; deinde ex ea nasci, educari, contrectari, amplecti, atque tot annis cum ea voluit conversari. Nonne propinquissima, familiarissima et vere dulcissima fuit unio ista ? Amavit ergo Dominus, Rex omnipotens, hanc Virginem plus quam feminas omnes.

Ex his facile est pensare, quam ineffabilis et excellens sit beatitudo et gloria Virginis hujus in patria. Nam sicut præ ceteris Sanctis Christum Deum et hominem indicibiliter plus dilexit, sicut in gratia et omni virtute sublimior fuit, ita in felicitate et gloria est magis excellens et plena. Idcirco vere atque subtiliter dixit S. Bernardus, quod quantum absque personali unione possibile est, luci inaccessibili est immersa. Dictum est enim quod tam propinque et intime Deus conjunxit se Virgini sacræ, quantum citra hypostaticam fieri potuit unionem ; quod item in Virgine sancta, juxta excellentiam gratiæ gratis datæ fuit excellentia gratiæ gratificantis ac ardentissimæ caritatis.

Præterea, quanto quis in vita præsenti se ipsum Deo impendit perfectius, quanto se ei offert totalius, quanto affectuosius servit ei, tanto in paradiso cœlesti Deus se ipsum ei rependit exuberantius, offert liberalius, redditque plenius. Ideo religiosorum et perfectorum qui se ipsos offerunt Deo in holocaustum, divinis obsequiis se ipsos totaliter mancipando, et propter Deum se ipsos penitus abnegando, ineffabiliter magna est beatitudo et gloria. Certum est autem, quod beatissima Virgo se ipsam perfectissime Deo impendit, integerrime obtulit, et affectuosissime ei servivit. Nam tota anima et corpore cunctisque viribus suis cum superaffectuosissima mente, Deo ex se incarnato ac genito ministravit, intenta inhærensque exstitit. Siquidem quanto dignantius, amorosius, misericordius vidit Deum secum egisse ac agere, conversari et ambulare, tanto et ipsa, quantum sibi possibile fuit, gratiori, amorosiori humiliorique corde ipsi servivit, convixit, intenta immersaque exstitit. Inæstimabiliter ergo, plenissime, liberalissime et amorose Deus se ipsum ei rependit pro præmio, infinitam pulchritudinem suam ei clarissime ostendens ad intuendum, suam immensam dulcedinem ei copiosissime offerens ad fruendum, et omni gaudio inenarrabiliter eam adimplens. Porro, quum omnes Sancti in patria post Deum in Christi humanitate præcipue glorientur, quam specialissime et vehementissime gloriatur in ea benignissima Virgo, ex cujus sacratissimo utero formata et sumpta est ipsa humanitatis illius caro, eamque educavit, tractavit, et ad incrementa congrua usque perduxit ?

Præterea, quis valeat æstimare, quum Deus sit superliberalissimus et superditissimus redditor, quid mercedis et gloriæ retribuerit ei ex cujus purissimis sanguinibus assumpsit, formavit et induit corpus, ex

cujus materno lacte nutritus est, cujus diligentia atque obsequio tam frequenter ac diu perusus est? Rursus, quum dicat Apostolus, Si compatimur, et conregnabimus; constat quod sicut beatissima Virgo Filio suo Jesu Christo præ omnibus summe et ineffabiliter compatiebatur, non solum tempore passionis, sed et ante sæpissime (quoniam Christi passionem præscivit certissime), post ascensionem quoque, visitando sacra loca in quibus pro nobis multa sustinuit Christus: sic ipsa cum Christo glorificata est excellentissime, et ei congratulatur plenissime. Amplius, quis excogitare sufficiat quanta felicitas sit, quantus honor, quanta sublimitas, esse super omnes angelorum ordines sublimatam, imo esse reginam totius cœlestis palatii, esse imperatricem ac dominam omnium electorum atque Sanctorum, tam angelorum quam hominum? O quam reverenter ac gaudiose inspiciunt eam omnes Beati, per quam tantam beatitudinem sunt adepti, imo quæ in se ipsa tam speciosa, tam bona, tam excellentissima, amabilissima atque dulcissima exstat, ut post Deum eam videre sit summa jucunditas!

Rom. VIII, 17; II *Tim.* II, 12.

Si ergo beatissimam dominam nostram vere diligimus, ejus tam inæstimabili felicitati et gloriæ congratulemur, precibus ejus et meritis postulemus exaudiri, salvari. Nam ut sanctus ait Bernardus: Præcessit nos regina nostra, præcessit et tam gloriose suscepta est, ut fiducialiter sequamur dominam servuli clamantes, Trahe me post te. Advocatam præmisit peregrinatio nostra, quæ tanquam Judicis mater, et mater misericordiæ, suppliciter et efficaciter salutis nostræ negotia pertractabit, quia nec potestas ei deest, neque voluntas; regina cœlorum est, misericors est. Eam ergo cum omni fiducia invocemus, atque per eam a Deo suscipi postulemus.

Cant. I, 3.

In Constantinopoli quidam mercator dives et justus, ad tantam devenit inopiam, quod a quodam Judæo sibi postulavit mutuari pecuniam, dicens: Dabo tibi fidejussorem S. Mariam et ejus imaginem, quod die statuto tibi persolvam. Acquievit Judæus, sciens S. Mariam esse post Deum primam spem Christianorum. Perrexit ergo mercator cum pecunia in Alexandriam, et infra annum multas valde ibi acquisivit pecunias. Quumque die statuto imminente non posset reverti, posuit pecuniam persolvendam in repositorio ad hoc apto; scriptum quoque annulo suo signatum tale apposuit: Suscipe, Abraham, pecuniam quam mihi accommodasti. Et nocte diei quo fuerat pecunia persolvenda, posuit repositorium illud supra mare, rogans Virginem piam ut repositorium illud ad Constantinopolim atque ad manus præfati Judæi dirigeret. O magna fides viri, sed major gratia Virginis sacræ! Nam ipsa dirigente, repositorium illud per tanta maris spatia una nocte pervenit usque ad littus Constantinopolitanum. Porro Judæus pro pecunia sua sollicitus, mane exivit ad littus, si forte aliquam videre posset navem de Alexandria venientem. Et ecce vidit repositorium illud applicari ad littus. Quod sumens ac titulum legens, accepit repente pecuniam. Et quoniam nullus adfuit, eam abscondit, redeunteque mercatore nomine Theodorico, Judæus petiit debitum sibi solvi. Respondit mercator se illud sibi misisse. Sed Judæus negavit se accepisse. Causa autem ad judicem deducta, judex dictavit ut Judæus coram fidejussore, videlicet sanctæ Virginis imagine, juraret se non accepisse illam pecuniam. Quod quum Judæus coram cunctis juraret, sermo ab imagine prodiit, dicens: Mentiris, quoniam repositorium cum pecunia accepisti et abscondisti. Tunc confusus Judæus, totam rei veritatem aperuit, seque christianum fieri postulavit. Quibus cognitis, plures Judæi facti sunt christiani.

AD RELIGIOSOS

SERMO QUINTUS

QUOMODO BEATISSIMA VIRGO MARIA FILIUM SUUM IN LECTULO PER NOCTES QUÆSIERIT; QUID PER LECTULUM, QUID ETIAM PER NOCTES SCRIPTURA VARIIS MODIS SIGNIFICET.

IN lectulo meo per noctes quæsivi quem diligit anima mea. Cant. III, 1.

De multiplici lectulo loquitur sacra Scriptura, utpote, de lectulo materiali, juxta illud Job : Increpat Deus hominem per dolorem in lectulo, et omnia ossa ejus marcescere facit. In hujusmodi lectulo Elisei posuit mulier Sunamitis filium suum defunctum. Item de lectulo spirituali. Et lectulus iste interdum in bono accipitur, juxta illud in Canticis, Lectulus noster floridus; interdum in malo, puta pro carnali quiete et torporis ignavia, in quo, Salomone testante, piger revolvitur sicut in cardine suo ostium vertitur. Porro lectulus spiritualis laudabilis, est serenæ conscientiæ fixa tranquillitas, pax pectoris, contemplationisque requies.

Job XXXIII, 19. — IV *Reg.* IV, 21. — *Cant.* I, 15. — *Prov.* XXVI, 14.

Insuper de multiplici nocte agitur in Scripturis, videlicet, de nocte exteriori ac temporali, cui in Genesi fertur luna præesse. Unde in Psalmo dicitur : Posuisti tenebras, et facta est nox; itemque, Lunam et stellas in potestatem noctis. Secundo, per noctem intelligitur tempus veteris Testamenti, seu legis et Prophetarum obscuritas, de qua testatur Apostolus : Nox præcessit, dies autem appropinquavit. Tertio, tenebrositas vitiorum seu obscuratio rationis, aut quodcumque mortale peccatum, præsertim ignorantia juris et sapientiæ veræ carentia. Unde secundum Apostolum : Qui ebrii sunt, nocte ebrii sunt; et rursus, Non sumus (inquit) noctis neque tenebrarum. Quarto, per noctem designatur adversitas, quemadmodum scriptum est : Ne protrahas noctem. Quinto, cognitio vitæ præsentis, quæ quantumcumque sit clara, tamen comparatione beatificæ visionis nox appellatur. Propter quod dictum est : Videmus nunc per speculum in ænigmate. Nihilo minus qui dixit hoc, alio loco disseruit : Nos autem revelata facie gloriam Domini speculantes.

Gen. I, 16. — *Ps.* CIII, 20. — *Ps.* CXXXV, 9. — *Rom.* XIII, 12. — I *Thess.* V, 7. — *Ibid.* 5. — *Job* XXXVI, 20. — I *Cor.* XIII, 12. — II *Cor.* III, 18.

Verbum ergo propositum, de gloriosissima Virgine apte ac multipliciter potest exponi. Ipsa quippe in materiali lectulo suo frequenter quæsivit, invenit, deosculata et amplexata est suum dilectum, Dei Unigenitum incarnatum, Deum verum ex ea vere hominem factum, Jesum infantulum, quem beatissima ipsa sola electa est dignaque fuit maternaliter contrectare et educare. Quis quantumlibet ingeniosus queat intelligere, penetrare aut satis mirari quanta fuit ista felicitas, ista prærogativa, gloria et excellentia tam immensa, superdulcissimum et superpræstantissimum illum puerulum sic habere sibi unitum? Si beati oculi auresque Apostolorum, qui viderunt Christum in carne, et audierunt sapientiam ejus : nonne ineffabiliter beatiora ubera, manus, pectus, universaque membra ac vires Virginis benedictæ, totum corpus et anima ejus, quæ unicum Dei Filium concepit, peperit, enutrivit, contrectavit, vidit, audivit, totiesque materna auctoritate est amplexata? Quid

Matth. XIII, 16. — *Luc.* XI, 27.

tale unquam collatum est puræ alicui creaturæ? Verumtamen huic beatitudini, prærogativæ ac gloriæ Virginis summæ, fuit vicissim admixta grandis tristitia, quoniam supercarissimum Filium suum, quem ipsa tam affectuosissime contrectavit, certissime noverat ab impiis crudelissime contrectandum ac occidendum. Quod ubertim præmeditando, vehementi nimis afficiebatur mœrore; et indicibiliter meritorius ei fuit hujuscemodi mœror.

Insuper, excellentissima Virgo in lectulo suo etiam materiali, spiritualiter quæsivit suum dilectum secundum ipsius divinitatem, præsertim post ejus ascensionem : quoniam quiescendo in lectulo suo, assidue ac devotissime cogitavit de Christo, et ejus divinitatem contemplabatur, accendebatur ejus amore, et ferventissime adspirabat ad ipsum, imo nec dormiendo cessavit prorsus ab actibus istis tam sanctis. Tantæ itaque Virginis exemplo discamus et assuescamus etiam nos pro modulo nostro dilectum illum Sponsum cœlestem, Salvatorem et Creatorem nostrum in lectulo nostro quærere, ejus beneficia ac promissa recolere, quæ, quanta et qualia pro nobis sit passus, pensare, ejus divinitatem sinceriter contemplari ac ferventis-
Ps. IV, 9. sime adamare. In horum memoria, in pace in id ipsum obdormiamus et quiescamus, quatenus suo tempore alacriter consurgamus, atque ad pristinæ devotionis splendorem ac fervorem celeriter revertamur. Nullam admittamus turpem imaginationem, nullam recipiamus vanam et phantasticam apprehensionem; neque puerilis ac stulta formido moveat quemquam, sed
Ps. XXVI, 1. cum Propheta psallamus : Dominus illuminatio mea et salus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, a quo trepidabo? Habeamus in divinæ majestatis præsentia, defensione et adsistentia fiduciam tutam, plenam, inconcussam ac filialem. De angelica quoque custodia simus securi,
Ps. XC, 11. siquidem angelis suis mandavit de nobis. Non inhonoremus Deum et angelos sanctos, tam stolide formidando, quasi Deus et angeli gloriosi non sint ita bene nobiscum in nocte sicut in die. Hoc potius vereamur et caveamus, ne negligenter et reprehensibiliter conversando, mereamur exigentibus nostris demeritis sic relinqui, tamque pusillanimes et formidolosi ullo in tempore fieri.

Præterea in spirituali lectulo suo sacrosancta Virgo quæsivit quem dilexit anima sua. Nam innocentissimæ ac serenissimæ conscientiæ fuit (quippe quæ nunquam peccavit), paceque pectoris fruebatur continue, et tranquillissima contemplatione splendebat; atque in omnibus his suum quæsivit dilectum, quia non sufficiebat ei illum per fidem et donum sapientiæ, per creatas similitudines speculari, sed facie ad faciem intueri, plene cognoscere, per speciem contemplari, feliciter perfrui æstuantissime peroptavit. Nec solam sui dilecti divinitatem clare inspicere concupivit, sed et humanitatem ipsius ex se progressam, facialiter cernere, maternaliter mirabiliterque optavit, utpote unicum illum habens Filium, cujus corporali præsentia diu fuerat destituta, quem scivit esse in gloria summa ac infinita. Nec sic potuit affici Jacob patriarcha ad videndum filium suum Joseph jucundum ac dominantem in Ægypto, quantum afficiebatur piissima Mater et Virgo ad conspiciendum unicum suum Filium Jesum gloriosissimum atque regnantem in cœlo. Nempe quo intensius, ardentius incomparabiliusque amavit unigenitum suum secundum utramque ipsius naturam, eo præcordialius anhelabat ad facialem ejus intuitum, ad æternam præsentiam, ad immediatam ac intimam unionem, ad beatificam visionem, ad fruitionem plenissime contentantem; præsertim quia jam ejus suavitatem gratiose ac frequentissime fuit experta : per quod ad plenarium gustum accendebatur validius, juxta quod increata Sapientia loquitur : Qui edunt me, adhuc esurient. Hinc quod tam diu tamque intensissime affectavit, hodierno die adepta est, assumpta in cœlum a Filio, et super

Gen. XLV, 28; XLVI, 30.

Eccli. XXIV, 29.

omnium angelicorum altitudinem ordinum, juxta Filii solium in throno collocata clarissimo.

Denique, taliter ut est dictum, quæsivit suum dilectum in noctibus vitæ hujus. Primo, quia nocturnis temporibus, supra humanas vires orationibus sanctis, contemplationibus lucidissimis affectionibusque divinis diu atque stabiliter fuit intenta. Tunc rapiebatur in Deum, transformabaturque in dilectum, et conversabatur in cœlis, laudibus Dei et psalmis superdevotissime ac suavissime vacans. Secundo, quia et ante Verbi æterni ex ea incarnationem, durante veteris legis statu, ipsa devotissima fuit ; Prophetarum quoque oracula de adventu Messiæ prænuntiata impleri, ac genus salvari humanum, maxime affectavit ; atque in virginea puritate Sponso cœlesti semper servire promisit, eum jugiter quærens, intendens ac venerans. Tertio, in omni adversitate vitæ præsentis adspiravit ad suum dilectum. Nam et Filii sui passionem recogitando, et quanta fideles sustinebant pro fide Filii sui percipiendo ac intuendo, intimas et prægrandes habebat compassiones, in quibus quæsivit dilectum, tam sibi ipsi quam fidelibus in tribulationibus constitutis ; et perpendens inæstimabilem magnitudinem gloriæ sibi ac illis paratæ, consolationem recepit. Quarto, in obscuritate cognitionis vitæ istius, ad claritatem visionis cœlestis summe afficiebatur.

Postremo et nos, prædignissimæ Virginis gloriosæ exemplo, quæramus in lectulo nostræ internæ quietis bonæque conscientiæ ac pacis mentalis, dilectum in nocte præsentis imperfectionis, temporalisque tribulationis atque tentationis, ad Creatoris ac Salvatoris nostri felicem conspectum ac fruitivum amplexum affectuosissime adspirantes ; eumque interim per sancta desideria, per opera virtuosa, per indefessos labores, per orationes intentas, meditationes salubres, contemplationes sinceras quæramus, id est, feliciter obtinere conemur, ut impleatur in nobis illud Psalmographi : Lætetur cor quærentium Dominum ; quærite Dominum et confirmamini, quærite faciem ejus semper. Itaque, etsi de dilecti absentia contristamur, tamen quærendo lætemur, quum bene quærere sit aliqualiter ipsum habere ; ipsaque spes inveniendi confert lætitiam, in omni quoque actu virtuoso spirituale est gaudium. Postremo, contemplando ac diligendo quæramus, ut per imperfectam contemplationem et incompletum amorem, ad contemplationem clarissimam plenissimumque amorem feliciter perducamur. Nam et ipse dilectus quæsitus, in hac vita aliqualiter invenitur ac possidetur, id est, cognoscitur et amatur ; quatenus sic inventus, magis quæratur, et tandem perfecte inveniatur, sicque inventus, secure ac æternaliter possideatur. *Ps.* CIV, 3, 4.

SERMO SEXTUS

DE MEMORIA DIGNATIONIS DIVINÆ ET BENEFICIORUM EJUS ERGA NOS, DE GRATITUDINE B. MARIÆ, ET UNDE NOS DEBEAMUS HUMILIARI.

MEMORIA *memor ero, et tabescet in me anima mea.* Thren. III, 20.

Sanctus Psalmista divinæ excellentiæ altitudinem infinitam attendens, hominum quoque defectuositatem ac pravitatem considerans, quam etiam pie, gratiose ac liberaliter Deus cum hominibus egerit mente perlustrans, admiratus est vehementer misericordiam, dignationem ac munificentiam Dei ad homines : Domine (inquiens), *Ps.* VIII, 5.

quid est homo quod memor es ejus, aut filius hominis, quoniam visitas eum ? Et
Ps. CXLIII,3. rursus : Domine, quid est homo, quia innotuisti ei ? Simili consideratione sanctus
Job VII, 17. Job dixit : Quid est homo, quia magnificas eum ? aut quid apponis erga eum cor tu-
Ibid. XIV, 1, 3. um ? Et item : Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis ; et dignum ducis super hujuscemodi aperire oculos tuos ? Et utique sancti viri merito hæc dixerunt. Videmus quippe in sæculo isto, quod reges terræ et archiepiscopi magni vix dignantur adspicere pauperes aut simplices subditos. Quumque Deus gloriæ in infinitum sit dignior universis prælatis principibusque Ecclesiæ, nonne mirandum est, quod tam magnifice, tam superpiissime cum hominibus egit ?

Denique si magnum atque mirandum est, quod innotuit hominibus, eosque intueri dignatus est, et curam habet eorum : quanto magis summe mirandum et extollendum est, quod Deus, Dei Filius, propter homines homo est factus, conversatus in mundo, suspensus in ligno, corpusque suum et sanguinem nobis in Sacramento reliquit ac contulit ? Imo, quum ista sint maxima ineffabiliterque miranda, hoc tamen singularissime magnum ac mirandissimum esse probatur, quod æternaliter natus ex Patre Deo, consubstantialis, æqualis consempiternusque Genitori altissimo, humillimam virginem puramque puellam elegit et assumpsit in matrem, ex ea assumens humanæ carnis substantiam, lactationem et educationem aliis pueris consuetam. Itaque quo beneficia Dei collata Mariæ, sunt singulariora, eo majora ; et quanto majora, eo erant Virgini benedictæ diligentius recolenda, frequentius ponderanda, gratiorique mente recognoscenda, quum inattentio et oblivio sint pars præcipua ingratitudinis.

Verbum ergo inductum, in Virginis sacræ persona aptissime explanatur. Ipsa quippe memoria memor erat, id est, intentissime atque assidue recordabatur omnium quæ in ea et per eam operatus fuit A Altissimus, qualiter in ea et ex ea fuerat incarnatus, conceptus, et in utero ejus tot mensibus deportatus, deinde ex ea permanente integerrima natus, nutritus, et usque ad incrementa adultæ ætatis perductus. Insuper omni die post Filii sui passionem, resurrectionem, ascensionem et Sancti Spiritus missionem memor fuit, quæ, quanta et qualia Filius suus pro mundi salute fecit, docendo seorsum, prædicando in publico, undique discurrendo, faciendo miracula, conversando sanctissime, ac pertulit B a Judæis per verba irrisoria ac blasphema, per contemptus, detractiones, opprobria, per præcipitationis ac lapidationis attentationes, et tandem per omnia quæ sibi in nocte ac die suæ crucifixionis intulerunt ; deinde quam gloriose die tertio resurrexit, quam jucunde ac pie ei aliisque apparuit, quam potenter ascendit in cœlum, quam deifice misit Spiritum Sanctum, quam admirabilem gratiam dedit hominibus, præsertim sanctis Apostolis ac primitivæ Ecclesiæ, quam multos convertit per eos. C Porro, ut omnia ista quotidie affectuosius ac distinctius recordaretur, in tali loco post Filii sui ascensionem commorabatur, quod ex eo faciliter poterat sacra loca accedere in quibus Filii sui erant peracta mysteria ; et visitando hujusmodi loca, cum inæstimabili revolvebat affectu quæ fuerant gesta, æstuabatque avidissime ad Unigenitum suum, donec post tempora præstituta assumpsit eam, et transtulit ad gloriam affectatam.

Cogitemus ergo et nos omnia ista quoti- D die, et sic horum recordationibus assiduis ac devotis mens nostra formetur, ornetur, impleatur et occupetur, ut phantasiæ inutiles, cogitationes noxiæ, distractiones odibiles excludantur ab ea, potissime in divinis ; et exquiramus charismata meliora atque saluti viciniora, ceteris pulsis ; apprehendamus ac operemur ea (videlicet legendo, studendo, agendo) per quæ amplius inflammetur cor nostrum ad devotionem, ad sui custodiam, ad spiritualem profectum.

I Cor. XII, 31 ; *Hebr.* VI, 9.

Præterea memores simus, et congratulatorie contemplemur, quam gloriosissime assumpta sit hodie incomparabilis Virgo ad thronum gloriæ sibi ab æterno prævisum, a mundi exordio præparatum. Certe quo fuit humilior in hoc mundo, eo sublimior facta est in cœlo. Quo Deum ardentius perfectiusque dilexit, eo profundius, clarius ac felicius nunc inspicit ipsum. Quo plures per eam salvati sunt, eo plurium beatitudo ac gloria redundat in ipsam. Quo plura ac eminentiora in ea, ex ea et per eam facta sunt bona, eo nunc præclariora possidet gloriæ dona. Quo Deus se ipsum ei propinquius ac singularius in hac vita conjunxit, eo sibi eam in cœlis vicinius gloriosiusque univit. Et breviter, quantum ac qualiter decuit talem Matrem a tali Filio assumi, exaltari ac glorificari, tantum ac taliter eam hoc die assumpsit, sublimavit ac beatificavit. Idcirco quantum potuit mens creata luci incircumscriptæ, incomprehensibili et immensæ uniri, immergi, improfundari absque personali sui unione cum Deo, tantum ipsa est hodie Divinitatis abysso, lumini sempiterno, Deo uni ac trino beatifice counita, fruitive immersa, inavertibiliter improfundata.

O quam inæstimabiliter regratiatur ipsa nunc toti superaltissimæ Trinitati, quæ eam ad ista omnia prælegit, quæ eam sic honoravit ut comparentalis sit Deo Patri, Mater Unigeniti Dei, templum Spiritus Sancti, illiusque Genitrix a quo Spiritus vere æternaliter profluit ; per quam salvare decrevit genus humanum, cui misericordiæ regnum commisit, per quam sub evangelica lege tot desperatos atque gravissimos peccatores salvare dignatus est ; quam fecit et advocatam Ecclesiæ, reginam ac dominam totius creaturæ, matrem pietatis et gratiæ ; cujus imperio omnium malignorum spirituum subjecit catervam, cujus precibus ac meritis suscitavit tot mortuos, imo et multos in mortalibus culpis defunctos ad vitam reduxit ac gratiam et salutem ! O quam inexcogitabiliter delectatur ipsa in unico suo nato, secundum utramque ipsius naturam ! Et quamvis incomparabiliter magis delectetur in eo secundum ipsius divinitatem, nihilo minus valde singulariter ac intense jucundatur in ejus humanitate. Nempe, si omnes Beati vehementer lætantur ac reficiuntur Christi humanitatem adspiciendo, in quantum per eam salvati sunt, aut ad redintegrationem suam recuperati : quanto magis ipsa, ex cujus purissimis sanguinibus formata est caro dominica, et ex cujus illibatis visceribus prodiit ipsa humanitas, cujus virgineo educata est lacte ? O quantum tota triumphans Ecclesia, universa patriæ cœlestis phalanga, universitas angelorum beatarumque animarum, unicam Virginem istam incessabiliter veneratur, tanquam Dei ac Creatoris sui præstantissimam Genitricem ! Quam honorabilissime occurrerunt ei hodie ascendenti, quam jucundissime eam receperunt, et usque ad gloriæ thronum illi paratum, deduxerunt eamdem ! Congratulemur igitur ei, totisque viribus ipsam perenniter honoremus, atque post Deum eam præcordialissime diligamus ac collaudemus.

Postremo, ut post incertissimam vitam hanc valeamus cum ea feliciter exaltari, ejus in primis humilitatem sectemur, quæ quum omnium esset dignissima et valde dignissima, se omnium humillimam exhibere non distulit. Imperfectum igitur nostrum videant ac deplorent oculi nostri. *Ps* CXXXVIII. 16. Ex recordatione multitudinis magnitudinisque culparum nostrarum, reputemus nos universorum vilissimos, ac brutis inferiores et viliores. Ex consideratione totius pronitatis nostræ ad omne malum, universæque infirmitatis nostræ ad omne bonum, timorati, custoditi, solliciti atque humillimi simus. Ex defectuositatibus, fœditatibus, indigentiis nostris in corpore et anima, parvi pendamus et humiliemus nos infinite. Ex contemplatione infinitæ excellentiæ Dei nostri, atque ex speculatione deficientiæ nostræ immensæ et parvitatis, imo et nihileitatis, sub ipso humiliet se

quilibet nostrum, parvi pendat ac deprimat in immensum ; et quoniam Regem majestatis toties et tam dire offendit et inhonoravit, omni confusione, persecutione, castigatione, adversitate se reputet dignum. Sicque ex humilitate hac oriatur in nobis mititas fixa ac patientia inconcussa : quibus vallati virtutibus, in sancta dilectione indesinenter crescere ac firmari conemur, atque cum ampliori cordis munditia quotidie ministrare Altissimo indefesse, nulli unquam locum dantes pigritiæ.

SERMO SEPTIMUS

DE PERFECTA OBSERVANTIA MONASTICÆ VITÆ, QUANTUMQUE REGULAM SEU STATUTA SUA MONACHUS TRANSGREDIENS PECCET ; QUAM SIT NECESSARIA CUSTODIA SUI ; ET IN RELIGIONE PROFICIENTIBUS QUANTA DIVITIARUM SPIRITUALIUM SIT COPIA.

INTRAVIT Jesus in quoddam castellum. Luc. x, 38.

Castellum mystice est sancta religio, seu ordo monasticus, sive cœnobium : nam et ipsa congregatio devotorum, adversariis potestatibus terribilis est tanquam castrorum acies ordinata. Itaque, sicut in castello seu castro sunt lapides duri sibi invicem calce aut simili glutino fortiter conjuncti, ita in religione sunt variæ ordinationes rigorosæ, prudenter institutæ, sibi mutuo cum discretione magna connexæ. Istud est unum propter quod per castellum religio designatur. Sed sicut in castello videmus quod si lapides aliqui excutiantur et decidant, fiatque parvum foramen, grande incumbit periculum, patetque hostibus aditus, nisi foramen reparetur et obstruatur, aut in eo adhibeatur custodia ; ita certe est in religione. Nam nisi quis universa quæ Ordinis sunt et in regula continentur, diligenter observet, mox periculum imminere hostibusque ingressus patere monstratur. Propter quod scriptum est : Qui negligit modica, paulatim decidit. Venialia equidem ad mortalia disponunt peccata, imo et venialium usus irrefrenatus, a mortali non excusatur, quum includat contemptum. — Porro in religione seu regula, quædam continentur per modum præcepti, inter quæ tria substantialia sortiuntur primatum. Post quæ sunt alia multa per modum præcepti injuncta : sicut in Ordine Cartusiensi, clausura seu non egredi monasterii septa, abstinentia quoque a carnibus, portare cilicium, persolvere Horas (quod tamen religiosis commune est). Alia autem per modum consilii seu hortamenti traduntur, suntque diligenter servanda, nec sine culpa saltem veniali violantur : imo sine cura ea negligere et consuetudinarie violare censetur mortale.

Cant. VI, 3, 9.

Eccli. XIX, 1.

Itaque, si quis religiosorum violet quidquam eorum quæ in regula sua seu statutis per modum traduntur præcepti, non dubium quin peccet mortaliter ; et dum illud cadit sub voto, peccat valde enormiter, utpote faciens contra votum, quod fortius obligat quam juramentum, præsertim votum solenne, quale est votum religiosorum. Qui igitur ita peccaverit, sciat verificari in se quod sanctus apostolus ait Jacobus : Quicumque totam legem impleverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus. Talis ergo transgressio est velut magna interruptio in castello, per quam hostes absque difficultate ingrediuntur, et eos qui intus sunt, capiunt, spoliant aut occidunt. Qui autem offendit in aliquo quod non cadit sub præcepto, quasi parvam in castello efficit læsionem ; et nisi occurrat, læsionemque illam recuperet et se emen-

Jacob. II, 10.

det, hostes per parvum illud foramen paulatim intrant cor ejus, et spoliant illud donis gratiæ ac virtutum, trahendo eum ad magnam ruinam, mortalem scilicet culpam. Propter quod ait Scriptura : Si non in timore Domini tenueris te instanter, cito subvertetur domus tua; itemque, Cum metu, timore et tremore vestram salutem operamini.

Eccli. xxvii, 4.

Philipp. ii, 12.

Necesse est ergo, religiosum esse undique custoditum, et instar Cherubim oculatum, ut sit jugiter circumspectus, omnemque sensum exteriorem et interiorem coerceat, omnem quoque appetitum tam sensitivum quam intellectivum refrenet et religionis observantiis subdat, discutiatque frequenter quotidie conscientiam suam, ne quid culpæ inveniatur in ea, per quod callidissimus hostis attentet obtineatque ingressum. Quumque veraciter scriptum sit, Sicut urbs patens et absque murorum ambitu, ita vir qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum ; valde necessaria est refrenatio linguæ, silentiique observatio, non solum quantum ad hoc ut sine licentia nemo Fratrum loquatur, sed etiam ne abutatur data licentia, corruendo ad verba otiosa, superflua aut alio modo illicita : in quibus non excusatur loquens a culpa ex concessa licentia, quum ex divina lege culpabilia esse noscantur. Licentia autem loquendi nec datur, nec dari potest, nisi ad loquendum quæ licent, expediunt aut necessaria sunt.

Prov. xxv, 28.

Rursus, quum tenuitas victus et vestitus sit indispensabiliter de essentia religionis, utpote voto paupertatis inseparabiliter connexa et condependens, valde vitare debemus ne quotidie simus immoderati in cibo et potu, et maxime ne notabiliter excedamus in eis, neque in vestimentis. Ideo cum timore Dei et devotione moralique disciplina reficiamus corpora ; nec instar canis famelici effundamus nos super cibos ac pocula, nec delicata quæramus, nec nos ipsi concupiscentiam excitemus in nobis, sensualitatemque irritemus, provocativa ei ingerendo objecta : quæ (proh dolor !) aliunde satis, et magis quam satis, erumpit, sævit, accenditur. Nec indisciplinate quis edat aut bibat, nec oculos circumducat, sed quæ leguntur advertat intente. Refectorii quoque lector legat intelligibiliter ac distincte, diligentiam faciens bonam ne ex sua culpa alii ab intellectu sensus verborum ac devotione impediantur, et ne inde attædientur, turbentur ac peccent : alioqui culpæ eorum et omissio intelligentiæ ac devotionis ipsorum, in lectorem utique redundabunt, cui melius esset non legere, quam tot culpas incidere. Qui etiam legendo debet convenienter pausare, quoniam hoc agendo, ipsemet facilius ac intelligibilius legit, alii quoque facilius eum intelligunt. Hæc ergo faciat præsidens observari, ne et ipse cunctis involvatur malis præfatis.

Secundo, comparatur castello religio seu monasticus ordo, quoniam sicut homines adversarios formidantes, ad castella tanquam ad tutiora confugiunt loca, atque ut ibi quietius demorentur, et suas divitias conservent ibidem ; sic religionem ingrediuntur, ne per prava mundi consortia, per sæculi vanitates, per objecta carnalia trahantur ad vitia, et ut in ampliori pectoris pace in claustro deserviant Domino, ibique spiritualibus magis abundent divitiis, ac tutius vivant, et citius pertingant ad portum salutis. Verumtamen, nisi ibidem exstent solliciti, et periculosam vitent securitatem, atque instanti conatu insudent spirituali profectui, periclitantur : imo interdum gravius labuntur ac pereunt quam mundani, quum sanctorum Patrum testimonio innotescat, quod sicut non inveniuntur meliores his qui profecerunt in claustris, ita nec deteriores his qui ibi negligenter se habent ; præsertim quia claustrales ab invisibilibus hostibus frequenter tanto acrius impugnantur, callidiusque tentantur, quanto diligentius laqueos hostium evadere sunt conati, et quanto prudentius virtutum insistunt profectui. Nam et habitantes in castris, et navigantes in quietioribus undis, nisi obser-

vent se, sæpe periculis involvuntur ac pereunt. Ideo sic gloriemur nos sæculum reliquisse, multos laqueos evasisse, ut nihilo minus simus jugiter diligentes, ne aliquo modo fallamur, aut sub specie boni dejiciamur, et ne efficiamur remissi : imo parva vitemus ut magna, quia hoc facit (secundum Augustinum) sentina neglecta, quod irruens fluctus, et tantum nocet pirata se celans, quantum exercitus evidenter occurrens ; semperque recordemur, quod multi nobis perfectiores, sunt lapsi ac perierunt. Perseveremus in cordis custodia et sancto timore usque in finem, quia pericula, tentationes, difficultates, insidiæ imminent usque in finem, et in ipso fine, in termino hujus vitæ, in mortis articulo imminent sæpe impetuosius et magis periculose. Non sufficiat nobis, partem pontis lubricissimi pertransisse, quum idem maneat decidendi periculum usque ad plenam pontis pertransitionem, quum *Philipp.* III, 13. et Apostolus fateatur : Ego me non arbitror apprehendisse.

Tertio, religio comparatur castello, quoniam sicut castellum est habitatio divitum, et in eo magis quam in communibus habitaculis necessaria et utilia cuncta abundant ; ita cœnobium est mansio virtuosorum spiritualiter locupletum, atque in religione magis habentur in promptu aptissima media proficiendi in omni virtute, spiritualia quoque arma ad resistendum omni impugnationi hostili dæmonum, carnis ac mundi. Estque ibidem interiorum copia refectionum, exuberantia internarum deliciarum, provisio necessariorum ad salutem, decor virtutum, patientiæ murus, profunda humilitas tanquam lacus, continentiæ munimentum, turris fortitudinis, caritas summa, aqua sapientiæ salutaris, vinum supernæ consolationis. Sint ergo omnia ista in nobis ; simus vere religiosi, hoc est, sit in cordibus nostris coram Altissimo, quod exteriora nostra designant, utpote mundi contemptus, terrenorum despectio, cordis simplicitas columbina, intentionis sinceritas, fervor ac diligentia mentis, et mortificatio plena ac saluberrima sui ipsius.

Postremo, his modis benedictissima virgo Maria fortissimum fuit castellum, in quo ingressus est Rex cœlestis per incarnationis suæ ex ea mysterium ; et habitavit in ea per novem mensium spatium, implevitque omnia viscera ejus affluentiis gratiarum, excellentiis cunctarum virtutum, perfectionibusque donorum, beatitudinum quoque ac fructuum, præsertim omni caritate et pietate, deinde omni puritate ac humilitate : quam et hodierna die transvexit ad suum supercœleste palatium.

Studeamus igitur animas nostras ita firmare ac decorare, ita vestire ac adimplere præfatis virtutibus, donis Spiritus Sancti ac fructibus, ut et ipsæ sint Dei castella, in quibus tota superbenedicta adorandaque Trinitas per caritatem et gratiam, per divinorum charismatum benignissimam affluentiam quotidianaque et incessabilia incrementa habitare semper dignetur. Ad laudem et gloriam pietatis suæ et excellentiæ infinitæ. Amen.

IN FESTO
S. BERNARDI ABBATIS

SERMO PRIMUS

DE VIRTUTIBUS ET EXCELLENTIIS S. BERNARDI.

ECCE puer meus quem elegi ; electus meus, complacuit sibi in illo anima mea. Matth. XII, 18 ; Is. XLII, 1.

Beatissimum virum sanctum patrem Bernardum Deus omnipotens et benignissimus tam copiosa atque multiplici gratia decoravit, ut vere de ipso dici posset quod *Act.* IX, 15. de Paulo apostolo dixit Salvator : Vas electionis mihi est iste, ut portet nomen meum coram regibus et gentibus ; et quod *Eccli.* XLIV, 20. in Ecclesiastico legitur, Non est inventus similis illi. Non enim tempore suo habuit æqualem in mundo, sed vere apostolus fuit temporis sui. Sed nunc virtutes, laudes et excellentiæ ejus modicum sunt tangendæ.

Prima laus ejus est, quod gratiam ejus futuram Deus prophetice præmonstravit. Quum enim mater Bernardi concepisset eum, apparuit sibi quod catellum pulchrum et latrantem portaret in utero suo. Quod quum cuidam viro sancto exposuisset, ille prophetica voce respondit : Optimi mater eris catelli, qui Ecclesiæ Dei custos erit, et contra ejus adversarios dabit latratus magnos : nam erit prædicator egregius, et multos convertet.

Secunda excellentia ejus est, magnitudo gratiæ ac virtutum sibi in pueritia sua collata, quum adhuc esset in sæculo. Nam quum esset filius militis, et quinque fratres haberet, omnes convertit et traxit ad religionis ingressum ; quorum tamen duo, videlicet Gerardus et Guido, fuerant milites. Alios quoque multos convertit, ita quod cum triginta circiter sociis transivit ad claustrum. Mansit etiam in virginitate, et dum quadam vice feminam morosius inspexisset, increpans semetipsum, insiliit in stagnum frigidissimæ aquæ : in qua usque ad congelationem permanens, pene exsanguis est factus. Alia vice, dum puella lasciva lectum dormientis Bernardi intrasset, ille percipiens eam, in aliud latus lecti se vertens, mansit immaculatus. Quum in nocte dominicæ Nativitatis officium matutinale in ecclesia præstolaretur, et horam qua natus est Christus de Virgine, cuperet scire, apparuit ei in visione puer Jesus, quasi iterum de Virgine nascens. Denique, quum frater ejus Gerardus exhortationes quibus eum ad claustri ingressum admonuit, aspernaretur, Bernardus digitum suum lateri Gerardi superponens, prophetice dixit : Cito veniet hora in qua lancea latus hoc perforabit, et viam patefaciet exhortationibus meis. Quod et paulo post contigit.

Tertia excellentia ejus est, admiranda perfectio ad quam in principio suæ conversionis, scilicet ingressionis in claustrum, pervenit. Subito namque ut Cister-

ciensem ingressus est Ordinem, totus in spiritum est absorptus, et Spiritu Sancto miro modo præventus, sicque in Deo totaliter occupatus, quod nec exteriora advertit, nec sensibus utebatur corporeis : nam multo tempore ecclesiam intrans et exiens, putabat unam tantum esse fenestram in capite, ubi tres erant fenestræ. Per annum quoque fuit in cella novitiorum, et tamen nescivit an domus ipsa haberet testudinem. Insuper vigilavit supra possibilitatem humanam, nec aliquod tempus se magis perdere conquerebatur nisi quod dormiendo expendit. Ad cibum et potum accessit quasi ad carcerem, et modicissime manducavit; sicque spiritualibus rebus, sanctis meditationibus, orationibus, contemplationibus exercitiisque internis fuit totus intentus, quod oleum pro cervisia bibit, nec sensit. Crudum quoque sagimen diu pro butyro comedit, nec discrevit. Nunquam sic risit, ut non potius ad ridendum quam ad reprimendum sibi vim faceret.

Quarta ejus excellentia est, magnitudo sapientiæ sibi collatæ. Nam totius sacræ Scripturæ intellectum Deus ei frequenter quasi sub uno monstravit veritatis splendore atque intuitu. Unde et multa saluberrima atque pulcherrima scripsit, et diversa ac sententiosa compegit opuscula; ejusque scripta religiosis præsertim deserviunt. Diversis quoque et magnis personis misit epistolas, omni devotione ac sententia plenas. Imo et prudentiam admirabilem in rebus humanis sibi Deus infudit. — Quinta excellentia ejus est, efficacia ejus in prædicando. Fuit enim eloquentissimus, et in prædicando ferventissimus ac potentissimus, ita quod innumerabiles undique convertit ad Dominum, imo et ad religionis ingressum. Interdum quoque, dum in Teutonia prædicaret in Gallico, adstantes Teutonici, quamvis ejus non intelligebant loquelam, tamen uberrime flebant. — Sexta laus ejus est, copiosissimus fructus quem fecit in Ecclesia Dei. Nam ter exstinxit schisma atque ad unitatem reduxit Ecclesiam. Multa magna et celeberrima fundavit cœnobia, circiter centum et sexaginta, in quibus innumerabiles devotissimi viri fuerunt. Imo sub eo in Claravalle interdum fuerunt septingentæ personæ, et interdum ducenti novitii. Multos episcopos ad meliora reduxit, et admirabilem fecit in Ecclesia reformationem, ita quod sub eo aurea tempora erant. Omnisque conventus, ipso præsente, clarus exstitit et jucundus. Convertit etiam S. Guillelmum ducem, qui ante fuit sceleratissimus homo, in tantum quod cum uxore proprii fratris publice sedit per tres aut quatuor annos.

Septima excellentia ejus est, potentissima virtus sibi collata ad facienda miracula, in quibus omnino apostolicus fuit : siquidem idem fuit ei tangere et curare, et tot egit prodigia, quod describi non poterant. Imo interdum uno die triginta novem miracula fecit. Mortuum suscitavit, leprosos, cæcos, claudos, surdos, aliisque languoribus oppressos, mira facilitate curavit; sed et aliquos a nativitate tales, supernaturaliter sanavit vir iste sanctissimus. Denique præfatum Guillelmum adhuc rebellem atque schismaticum, et extra ecclesiam stantem, beatissimus vir Bernardus sacerdotalibus vestibus indutus, dicto, Pax Domini, cum corpore Christi super patenam posito, cum igneo vultu accessit, dixitque : Hucusque sprevisti nos, adest Deus et Judex tuus, resiste si potes. Quibus dictis, dux ille obriguit, destitutusque viribus jacuit in terram prostratus ; et reversus ad se, acquievit sermonibus Sancti. — Octava excellentia ejus est, quod etiam prophetiæ spiritu claruit, et multa futura prædixit, cordium secreta cognovit, atque in omnibus his exstitit valde præcipuus. — Nona excellentia ejus est, abundantia ac frequentia cœlestium quas habuit visionum. Nam multa vidit in spiritu, et a supernis civibus visitabatur frequenter. Aliquando etiam extra claustrum remote consistens, in spiritu præsens fuit in claustro, cuncta ibi perambu-

lans, circumspiciens et cognoscens. Imo nonnunquam in lecto jacens infirmus, visus fuit a Fratribus ire per chorum, Fratres considerare, somnolentosque suscitare.

Decima excellentia ejus est, præclara patientia ejus. Habuit enim quasi continue tria flagella horribiliter dura, quia constrictus fuit in gutture, corruptus in stomacho, et in secessu mirabiliter cruciabatur : quæ omnia patientissime toleravit. Et breviter, omni virtute fuit plenissimus. Nam quum summus reputaretur ab omnibus, omnium infimum se reputavit. In choro stetit cum singularissima devotione, soli Deo sibique cognita. Fuit et contemplator altissimus, et quotidie quasi ad libitum raptus. — Undecima excellentia ejus est, gloriosus et felix obitus ejus, quoniam in præsentia fratrum suorum, de ejus recessu ineffabiliter dolentium atque lugentium, lætus, devotus et sanctus obdormivit in Domino. Quumque per aliquot dies reservaretur super terram, vultus ejus in sua venustate, vivacitate et gratiositate, cunctis admirantibus, mansit. Quumque ad ejus sepulcrum multa et magna fierent omni die miracula, et populorum esset concursus nimis copiosus et frequens, abbas Cisterciensis timens ex hoc dispendium Fratribus, accessit ad beatissimi Patris sepulcrum, et ait : Frater Bernarde, sicut vivens in corpore semper fuisti filius obedientiæ, ita et nunc esto ; unde tibi præcipio ut a miraculis cesses. Mox virtutum magister et obedientiæ doctor Bernardus a miraculis prorsus cessavit, et sic quievit concursus. Innumerabilia sunt quæ de ipso vere conscripta habentur miracula.

Ideo tanti Patris sequamur vestigia, præsertim tria documenta quæ ante obitum suum fratribus pro testamento reliquit, dicendo : Neminem ex proposito scandalizavi, et si accidit, sedavi ut potui ; minus semper credidi sensui meo quam alieno ; injuriam passus, nunquam ultionem optavi. Itaque hanc ejus caritatem, humilitatem patientiamque sequamur.

AD RELIGIOSOS

SERMO SECUNDUS

DE EXCELLENTIIS S. BERNARDI, ET QUAM RELIGIOSA DEBEANT ESSE COLLOQUIA NOSTRA.

ASSUMAM te et ponam te quasi signaculum, quia te elegi, dicit Dominus. Agg. II, 24.

Electissimus Dei Bernardus, omnium religiosorum excellentissimus doctor, lumen et gloria monachorum, exemplar ac species devotorum, tot et tantis desuper præventus est gratiis, tot excellentiis decoratus, tot privilegiis sublimatus, ut non sint ingenia quæ valeant ea penetrare, nec loquelæ neque sermones quæ possint exprimere, tantumque virum sufficienter laudare. Nihilo minus ad Omnipotentis, omnium bonorum datoris, honorem, tamque eximii viri commendationem et nostram ædificationem, aliquid de ejus eminentiis est tangendum.

Prima excellentia ejus est, quod nondum natus, est prophetice prænonstratus, futura quoque gratia ejus a viro sancto exstat prænuntiata. Quum enim mater ejus portaret eum in utero, vidit in somnis quasi catellum candidum in utero se habere ; exponensque cuidam viro sancto hoc

ipsum, prophetale ab illo accepit responsum : Optimi catelli genitrix eris, qui prædicator erit egregius. Fuit certe gloriosissimus iste Bernardus unus illorum de quibus olim cecinerat David sanctus : Lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso. Ex inimicis quippe, puta gentilibus, ante suam conversionem ad Christum Deo contrariis, assumpti sunt gratiose a Deo nonnulli, qui evangelicæ veritatis facti sunt prædicatores, et fidelissimi ac sagacissimi canes fuerunt, domum Dei, id est Ecclesiam, custodiendo, et contra falsitatum errores ac vitia exclamando, multos etiam medicamine suæ linguæ eruditæ ac gratia Dei perfusæ, ab animarum suarum morte curando. De negligentibus vero cupidisque prælatis et ambitiosis pastoribus, quos Christus mercenarios vocat, Deus per Isaiam locutus est : Canes muti, non valentes latrare ; et canes impudicissimi, nescientes saturitatem. Denique, qui pravis cogitationibus suis et diabolicis suggestionibus tanquam interioribus pestiferis verbis non contradicunt, qui verbis detractoriis, susurratoriis, discordiarum seminativis adhibent aurem, qui peccantibus et errantibus per fraternam correptionem et piam directionem non reclamant, merito canes muti dicuntur. Qui autem iracundiæ facibus inflammati, qui impatientiæ aut invidiæ igne succensi, in verba prorumpunt contentionum et injuriarum, mali et impudici sunt canes.

Ps. LXVII, 24.

Joann. X, 12, 13. *Is.* LVI, 10, 11.

Secunda excellentia sanctissimi patris nostri Bernardi est, innocentia ejus præcipua. In baptismali etenim gratia mansit et indesinenter excrevit. Et ex quo ratione orsus est uti, cœpit devotione ad Deum mirabili affici, mirabiliter tangi, supernaturaliter illustrari, gratiosissime dirigi et accendi. Nempe adhuc puerulus, capitis sui doloribus volentem subvenire mulierculam suis carminibus, cum grandi indignatione clamoreque repulit, ex supernaturali illuminatione intelligens superstitiosum hoc esse. Quid ergo nobis restat agendum, nisi ut nos miseri atque pauperrimi, qui toties recidivavimus, tam innumerabilia peccata commisimus, nos ipsos profundissime humiliemus, vilipendamus ac deploremus, et saltem de cetero a recidivo cavere conemur ? ab immoderantia passionum nostrarum, et ab omni animositate quasi a basilisci facie et quasi a draconum incursibus fugientes, quemadmodum scriptum est : Quasi a facie colubri fuge peccatum.

Eccli. XXI, 2.

Tertia excellentia ejus est, perfectio viarum suarum in sæculo. Nam antequam religionem ingressus est, fuit electissimus pater Bernardus mirabiliter virtuosus. Etenim quam excellens et fortis fuerat castitas sua, constat ex hoc, quod quamvis esset pulcherrimus adolescens, dives ac nobilis, et inter sæculares quotidie versans, atque a feminis impudicis impudicissime ad libidinem impeteretur, in tantum quod quadam vice puella immunda se nudam in ejus projecit lectum, palpans ac stimulans impudice, nunquam tamen ad pravam concupiscentiam est inductus, sed in puritate mansit virginea. Tantæ demum fuit justitiæ ac pœnitentialis rigoris in semetipsum, quod dum semel visum parum diutius in mulierem fixisset, mox ad cor rediens, et de sua negligentia erubescens, statim in stagnum aquarum insiliit gelidarum, tam diu manens in illo, quod pene exsanguis fuit effectus. Tanto ergo exemplo edoceamur, tentationibus viriliter reluctari, propriasque culpas ac negligentias in nobis ipsis disciplinanter vindicare, turpibus phantasiis nec locum nec moram dare in cordibus nostris, sed nos ab eis indilate avertere, passionemque Christi et cetera ad compunctionem atque salutem spectantia intueri. Et maxime caveamus ne visu, tactu, osculo, imaginatione, torpore seu somnolentia in divinis, ad stimulum carnis provocemus nos ipsos : imo quod semel experti sumus nobis esse periculosum aut infectivum, caveamus de cetero cautione condigna.

Insuper tanta fuit admirabilis ac præamabilis hujus Bernardi perfectio adhuc

in sæculo et in adolescentia ac pueritia sua, quod tunc prophetali notitia, visione cœlesti, sapientia salutari, prædicatione efficacissima exstitit decoratus. Siquidem in sacratissima nocte Nativitatis dominicæ in ecclesia sedens, et qua hora Christus ex Virgine natus sit scire peroptans, vidit in visione Jesum quasi puerulum rursus ex Virginis utero prodeuntem. Fratri quoque suo Gerardo ad conversionem difficiliori, futuram prædixit vulnerationem, cordisque emollitionem et conversionem. Quumque fratres ipsius niterentur eum a proposito ingrediendi religionem avertere, non solum non quibant eum pervertere, imo omnes eos ipse convertit, et ad claustri induxit ingressum, quum tamen duo illorum milites essent, et unus illorum duorum juvenem haberet uxorem ac sobolem. Sed et alios convertit quamplurimos, in tantum quod multi filios suos absconderunt ab eo. O quam vere admirabile et supernaturalissimum fuit istud in tali adolescente !

Quid ad ista dicere possumus, qui quum tot annis in religione vixerimus, adhuc nullum horum sumus adepti, nec dicere cum Propheta valemus, Dominus dedit mihi linguam eruditam, ut sciam sustentare eum qui lapsus * est, verbo ? Nec obtemperamus documentis Pauli, qui ait : Sermo vester semper in gratia sale sit conditus ; et rursus, Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat, sed qui utilis est ad ædificationem, ut det gratiam audienti. Non est jam implere in nobis quod princeps docet Apostolorum : Si quis loquitur, quasi sermones Dei. Imo si quis in colloquio aut alibi incipiat verba salutaria loqui, mox fatigamur, et sicut Vas electionis prænuntiavit, a veritate auditum avertimus, ad fabulas autem convertimur : sicque per verba vana, jocularia, frivola et nociva, nos invicem lædimus, scandalizamus, infrigidamus. Si vero extranei veniant, paratiores sumus sæculares rumores audire, impertinentia sciscitari, levitatibus solatiisque humanis resolvi, ac vilibus consolatiunculis recreari, quam per mores venustos gravitatemque gestuum et verba salubria eos ædificare : sicque scandalizantur in nobis, et magis vulnerati recedunt, non compuncti, sed ad peccandum audaciores effecti, quia nos religiosos, qui aliquid esse dicimur ac tenemur, tam leves, verbosos, dissolutos esse conspiciunt. Insuper, si forsan quis ex nobis videatur esse tentatus, et alteri cor suum effundat, jam alter verbis suis incautis, adulatoriis, fatuis, seu durioribus, illum forsitan gravius inquietabit, impellet ac lædet, eique morem geret in malo, et contra alium aut etiam contra præsidentem periculosissime animabit, partialitatem fovebit, et detractionibus immiscebitur : quod totum diabolicum esse constat, et caritati atque justitiæ prorsus contrarium. De talibus dixit Propheta : Acuerunt linguas suas sicut serpentes ; venenum aspidum sub labiis eorum.

Postremo, quoniam Christo testante, Ex abundantia cordis os loquitur ; ut valeamus sapienter loqui, salubriter exhortari, ædificatoria verba efficaciter pronuntiare, discamus in primis prudenter tacere, et bene vivendo in devotionalibus actibus exerceri, et per experientiam discere qualiter sit loquendum, proficiendum ac instruendum ; atque per incrementa virtutum, per quotidianum profectum, intra nos dona sapientiæ ac scientiæ colligamus, quæ tempore opportuno, caritate exigente, aliis communicemus. Et quoniam unusquisque de his libentius loquitur quæ cordialius diligit et in quibus amplius delectatur, discamus et enitamur in solis spiritualibus delectari, Deum et ea quæ Dei sunt pure ac ferventer diligere, pertinentia ad salutem appretiari ac meditari, vana, stulta, carnalia et mundana, impertinentia ac nociva verba et facta ac opera penitus detestari, fastidire, diffugere ; sicque sacratissimum patrem nostrum Bernardum setemur cum omni vigilantia cordis, cum incessanti fervore, cum jugi exercitatione interiori, ut ubique et semper Dei præsen-

Is. L, 4.

* lassus

Coloss. IV, 6.

Ephes. IV, 29.

I *Petr.* IV, 11.

II *Tim.* IV, 4.

Ps. CXXXIX, 4.

Matth. XII, 34.

tiam cogitemus, ac præsentissimum Deum orando, meditando, laudando jugiter alloquamur ac totis viribus honoremus : quod qui ad aliquantulum tempus peregerit, dulcissimam sentiet tranquillitatem internam, consolationem supernam, libertatem A in Deo, et copiosum profectum in eo. Quod si idonee perseveraverit, ad perfectionem non parvam cito pertinget.

De ceteris præclarissimi patris nostri Bernardi excellentiis in sermone dicetur sequenti.

SERMO TERTIUS

DE CONTINENTIA SENSUUM, DE FERVORE DEVOTIONIS, ET RELIQUIS QUIBUS S. BERNARDUS SIT IMITANDUS.

EGO *autem sicut oliva fructifera in domo Dei.* Ps. LI, 10.

Nunc aliqua sunt tangenda de sacratissimi abbatis Bernardi excellentiis quas post ingressum in religionem sortitus est. Harum prima est, ardentissimum ac perfectissimum suæ monasticæ conversationis initium. Quum enim plerumque contingat, quod hi qui in sæculo peccata specialiter gravia non egerunt, in religione quasi remissius vivant, et minus exsistant solliciti quam hi qui ante suam conversionem peccaverunt enormiter, econtrario felicissimus iste Bernardus, quantum in sæculo vitam duxerat ceteris innocentiorem ac virtuosiorem, tantum post monachalis vitæ assumptionem præ aliis universis cœpit ferventius, timoratius, perfectius conversari. Mox namque ut Ordinem Cisterciensem ingressus est, ita totus in spiritum est absorptus, in Deum demersus, circa interiora et spiritualia occupatus, ut pene nullis corporis sensibus uteretur. Quum enim per integrum annum in cella fuisset novitiorum, nescivit an testudinem domus illa haberet. Multo etiam tempore cum aliis chorum intrans et exiens, æstimavit in superiori parte parietis, ubi tres erant fenestræ, unam dumtaxat esse fenestram. Insuper oleum pro cervisia potans, non sensit nec discrevit saporem. Nam et sagimen pro butyro B diu manducans, non advertit hoc ipsum.

Ecce quale principium. Et quid dicemus ad ista, qui tot annis in negligentiis dies nostros in claustro consumpsimus? Sed quia desperare non licet, resipiscamus a negligentiis pristinis, et emendemus nos penitus. Novellæ vero plantationes studeant sanctissimi Patris hujus sequi primordia, omnem mundi hujus memoriam et affectum, universas carnis concupiscentias atque illecebras a suis cordibus excludendo totaliter, totaque mente inhærendo C divinis, et circa spiritualia se jugiter occupando ; nec a primævo suo tepescant fervore, nec tepidorum ac negligentium frangantur exemplis. Imo istud de cetero omnes agamus : et quanto perfectius ista egerimus, tanto plus ab exterioribus abstrahemur. Hæc namque natura est animæ, quod quanto vehementius intenta est et occupatur circa unum quodcumque objectum, tanto plus remittitur operatio aliarum ejus potentiarum, et tanto minus advertit et percipit alia : quod maxime D verificatur in his qui tota mente Deo intenti sunt, quoniam Deus sua immensa actualitate, amabilitate, bonitate et cognoscibilitate seu contemplabilitate transcendit ac vincit infinite omnem mentem creatam. Idcirco mens in ipsum defixa ac rapta, præ ejus admiratione et amore facile ab aliis prorsus abstrahitur.

Ubi nunc sunt, qui in exterioribus sensibus suis tam incustoditi esse non erubescunt, qui escarum ac potuum sapores et valores tam magistraliter sciunt discernere, qui cellulas suas tam curiose exornant? Ecce sanctissimus abbas Bernardus, infra tot dies oculos suos nunquam levavit in tantum, ut qualiter cella sui novitiatus esset disposita consideraret, aut fenestras ante quas ibat quotidie ita inspiceret, ut sciret an tres essent, an una. Nos autem instar falconis, oculos nostros circumducimus undique etiam in divinis, et varias cordibus nostris haurimus causas distractionum, depingentes interiora nostra formis inanibus ac nocivis, quæ et tempore psalmodiæ atque orationum ante oculos moventur interiores : et dum corpore sumus in cella aut choro, mente divagamur in mundo ; et qui mundum exisse videmur, mundum intra nos clausum tenemus. Pœniteamus ergo et abjiciamus istas insanias, sicque Dei memoria ac dilectio nostras occupent mentes, ut quæ impeditiva sunt inde, omnino vitemus ; nec quidquam intueamur, consideremus aut operemur, nisi cum ordinatione illius ad Deum. Denique ex prætactis reprehenduntur et hi qui gustus sui oblectamenta requirunt, quum sola ac stricta necessitate debeant esse contenti, nec irritamenta sensualitatis appetere.

Secunda beatissimi patris nostri Bernardi excellentia est, fructuosissima ac infatigabilissima prosecutio et continuatio suæ devotissimæ ac ferventissimæ inceptionis. Non enim temporis protractione segnior, audacior, intimoratior aut remissior est effectus, neque per occupationem suam in exterioribus ab interiorum suorum custodia usquam est resolutus. Imo, quum in medio sæcularium esset, quum in mundi tumultibus versaretur, in mentis quiete atque secreta cum Deo occupatione permansit, in abstractione illa interna et affectuosissima cum Deo adhæsione admirabiliter perseverans. Unde tota die juxta lacum equitans, eum non vidit aut consideravit. A Claravalle item usque Cartusiam equitans, qualis esset sella cui insedit, nescivit. Hinc vigiliis fuit intentus supra vires humanas, nullum tempus ita se perdere conquerens sicut id quod dormiendo expendit, morti comparans somnum. Sic demum ad spiritualia exercitia afficiebatur, ut ad corporis refectionem quasi ad carcerem iret. In his ergo utcumque nos debiles ac pusilli electissimum virum sequamur. Et quia ad quotidianum tenemur profectum, summe abominemur omnem cordis dissolutionem, negligentiam et torporem, omnem periculosam securitatem, loquacitatem atque infructuosam temporis deductionem. In sancto fervore, filiali timore, cordiali devotione, virtuosa stabilitate, in omni humilitate, patientia, puritate ac zelo justitiæ crescamus quotidie ; in cibo, potu, somno, vestitu dispositioneque habitaculi discretionem sollicite observemus, et Deum jugiter exoremus ut nos in omnibus dirigere, protegere et gubernare dignetur.

Tertia divinissimi abbatis Bernardi excellentia est, eximia sanctitas ejus. Fuit namque ab omni carnali ac sæculari affectu ineffabiliter expurgatus, Divinitatis amore totus accensus, zelo salutis proximorum validissime æstuans. In choro stabat cum summa devotione, soli Deo sibique cognita. Fuit etiam tam profundissimæ humilitatis, ut quum summus esset atque ab omnibus summus reputaretur, summe extolleretur et maxime honoraretur, non solum a vulgo, sed a summo quoque Pontifice, cardinalibus, archiepiscopis, episcopis, imperatore, regibus ac principibus, ipse se præ omnibus humiliavit, et in hujuscemodi sui venerationibus non se, sed quasi quoddam sui phantasma arbitrabatur adesse. Frequenter quoque in episcopum est electus, sed semper decente urbanitate evasit. Tantæ etiam exstitit gravitatis, quod nunquam sic risit quin majorem sibi fecit conatum ad risus repressionem quam ad ridendum. Fuit item tam devotissimus dominicæ passionis considerator, quod dum

aliquando ante Crucifixi imaginem meditationi et orationi esset intentus, uni Fratrum eum occulte consideranti apparuit quod ipsa imago de cruce brachia sua deponens, ipsum amplectebatur et osculabatur. Hanc viri præclarissimi devotionem, maturitatem, humilitatem et sanctitatem sequi saltem aliquantulum enitamur, ejusque comparatione vitam nostram despicere, imo potius mortem quam vitam reputare discamus.

Quarta ejus excellentia est, profunditas sapientiæ et altitudo contemplationis ipsius. Nam et totius Scripturæ intellectus seu facies sibi subinde est revelata. Fuitque contemplator altissimus. Et breviter, quam expertissimus et exercitatissimus fuerit in spirituali conversatione, quam illuminatissimus in Scripturis, quam sublimis in contemplatione, patet in ejus libris atque sermonibus, præsertim in libro de Consideratione, et in epistola ad Fratres de Monte Dei, si epistolam edidit ipse.

Quinta excellentia ejus est, copiosissimus fructus quem in Ecclesia fecit. Nam suis prædicationibus, miraculis, meritis et precibus, innumerabiles valde convertit, hæreses exstirpavit, schismata abstulit, Ecclesiam ter reduxit ad unionem, increpavit ac reformavit multos et magnos prælatos. Utilissimos et vere pulcherrimos edidit libros, sermones, epistolas. Centum sexaginta fundavit cœnobia, et erat apostolus temporis sui.

Sexta excellentia ejus est, quia in miraculis apostolicus fuit, et tot et tanta fecit miracula, quod describi non poterant, imo interdum triginta novem in uno die. Fuitque ei idem tangere et curare. Defunctus quoque tot fecit miracula, quod abbas Cisterciensis præcepit ei ut inde cessaret.

Septima excellentia ejus est, sublimitas in gratia prophetiæ. Etenim plurima valde futura secreta ac secretissima, Deo revelante, cognovit atque prædixit. — Aliæ multæ ac maximæ fuerunt excellentiæ ejus, imo vix stillam parvam de ipsis jam fudi. Et quamvis præclarissima vita ejus quinque libris diligenter descripta sit, nihilo minus multa et magna de ipso ibi omissa sunt, quæ in libro de Viris illustribus Ordinis Cisterciensis partim suppleta sunt.

Tam excellentissimum ergo Patrem specialissime diligamus, honoremus, invocemus ac imitemur, qui solus sufficientissimum argumentum est veritatis fidei christianæ : quippe in quo altitudo fidei, sanctitas vitæ, præclaritas miraculorum, et omnia verba ac facta gloriosissime ac evidentissime concordabant. Ad laudem et gloriam Dei.

Reliqua huic festo opportuna require in Communi Sanctorum de Confessore non pontifice.

IN FESTO
S. BARTHOLOMÆI APOSTOLI

Enarrationem epistolæ, Jam non estis hospites, etc., *cum suo sermone, require in festo Cathedræ Petri ; enarrationem autem evangelii,* Hoc est præceptum meum, etc., *cum suo sermone, in festo S. Matthiæ apostoli.*

SERMO PRIMUS

QUOMODO MALI PERSEQUANTUR BONOS ; ET DE PRÆCONIIS S. BARTHOLOMÆI QUIBUS SIT IMITANDUS.

OMNES qui placuerunt Deo, per multas tribulationes transierunt fideles. Judith VIII, 23.

Huic verbo consonat quod Christus in sermone post Cœnam dixit Apostolis : *Joann.* XV, 20. Si me persecuti sunt, et vos persequentur, quia non est servus major domino suo. Etenim in hoc mundo sunt boni et mali, electi et reprobi, fideles et infideles, civitas Dei et civitas Babylonis : sicut in uno et eodem hominis corpore sunt boni et *Matth.* XIII, 25 et seq. mali humores, et in eodem agro grana bona atque zizania. Deus autem electos et bonos ac fideles exercet, probat et purgat ac proficere facit per malos et reprobos ac infideles. Unde et in libro Ju- *Judic.* III, 1. dicum scriptum est : Dimisit Dominus Chananæos, ut in ipsis experiretur Israelem utrum audiret mandata Domini, an non. Hinc dicit Gregorius : Abel esse renuit, quem ipsius Cain malitia non exercet. Hac ergo ex causa debemus persecutiones atque injurias æquanimiter ferre, quia ut sanctus fatetur Gregorius, qui malos tolerare recusat, ipse sibi per impatientiam suam testis est quia bonus non est. Sic et gloriosissimi et Deo carissimi Apostoli, gravissima in hoc mundo sunt perpessi supplicia. Inter quos præclarissimus iste apostolus Bartholomæus resplendet, qui multipliciter et præexcellenter exstat laudabilis.

Primo, a sua magna humilitate, virtuosa taciturnitate atque modestia. Nam quum inter Apostolos esset nobilior ac opulentior, tamen in toto sacro Evangelio nunquam legitur aliquod verbum esse locutus ad Christum. Non ergo ex sua nobilitate et opulentia vane intumuit, sed quod in Ecclesiastico scriptum est, gloriose implesse probatur : Quanto major es, humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam, quoniam ab humilibus honoratur. O in quanta reverentia habuit nobilissimus iste Apostolus Christum, quem semper tam humiliter et attente audivit, et nunquam aut rarissime affari est ausus ! Vere modestia et curialitas ejus exstitit magna. Porro, quod inter Apostolos nobilissimus fuerit, constat ex hoc quod S. Hieronymus scribit in Regula sua : Non nobili Bartholomæo, sed vili piscatori Petro, *Eccli.* III, 20, 21.

totius Ecclesiæ monarchiæ principatus conceditur. Denique quantæ sapientiæ signum fuit illa sancta taciturnitas sua, ex Scripturis facile potest ostendi. Nam Salo-
Prov. x,19. mon protestatur : Qui moderatur labia sua, prudentissimus est. Et rursus dicit :
Ibid. xvii, 27. Qui moderatur sermones suos, sapiens et doctus est.

Secundo, beatissimus Bartholomæus commendabilis est a copiosissimo fructu quem fecit in prædicando. Nam (ut ait B. Theodorus abbas et doctor) sacratissimus iste Apostolus prædicavit in Lycaonia, deinde in India, ad ultimum in Albana urbe majoris Armeniæ : in quibus locis innumerabiles homines convertit ad Christum ; et usque in præsens in Armenia fides est christiana. Denique, quum gloriosus iste Apostolus filiam regis Indorum lunaticam terribiliterque obsessam liberasset a dæmone, post alia quædam mirabilia Dei, regem ipsum, Polimium nomine, cum uxore sua ac filia omnique populo suo convertit ac baptizavit : qui etiam rex, regno relicto, discipulus Apostoli est effectus, atque occiso pro fide Christi Apostolo, factus est præsul, et per viginti annorum curricula episcopale officium strenue implens, plenus virtutibus quievit in pace. Hinc ait B. Theodorus : S. Bartholomæus apostolus, æqualiter sicut S. Petrus, fecundans Ecclesiam. Origenes quoque in homilia quadam fatetur, incertum esse quis majorem in mundo fructum fecerit, Petrus an Bartholomæus. O quanta beatitudo, quanta nobilitas, quanta est gratia Dei, tot homines, imo tot millia hominum trahere ad salutem, sic cooperari omnipotenti Deo in salvatione proximorum, sic passionem et sanguinem Christi ad fructificationem deducere, tot hominum esse spiritualem patrem, salutarem magistrum, condignum prælatum, episcopum atque apostolum ! Si magnum et appetendum est valde, unum peccatorem convertere, quam ineffabiliter magnum desiderabilissimumque consistit, tot millia hominum ad salutem perducere, de tenebris ignorantiæ, perfidiæ et vitiorum, ad lumen fidei ac virtutum, ad salutem attrahere ; ex servis ac membris diaboli, servos et membra Christi efficere, imo amicos et filios Dei peragere ?

Itaque Christus Dominus Apostolum suum, a quo tam specialiter fuerat honoratus, valde specialiter honoravit, tot millia hominum convertendo, illuminando, salvando per ipsum. Hinc et S. Ambrosius ait : Beatissimus Bartholomæus magna virtutum prærogativa colendus est, quem benignitas Dei ad populum misit longinquum quem prædicatione sua fecit Deo propinquum. O quantis præcordiis vel præconiis admirabilis iste Apostolus celebrandus est, qui extremos terrarum penetrans fines Indorum, fidem Christi et gratiam Dei seminavit in corda illorum ! Unde sanctus fatetur Theodorus, quod dum Apostoli universam terram inter se ad prædicandum dividerent, sors et portio S. Bartholomæi fuit locus Armeniæ, qui est ab Hevilath usque ad Gabaoth. In hoc ergo patent obedientia, fervor et fortitudo hujus illustris Apostoli, qui ex imperio Dei, ad ipsius honorem, talem ac tantam peregrinationem assumpsit, tamque crudelem et imperitum populum informare aggressus est. Qui quum mitteretur a Christo, talia (secundum Theodorum) audivit ab eo : Vade, discipule meus, ad prædicationem ; exi ad pugnam, et ad pericula esto paratus. Ego opus Dei Patris consummavi quod per me voluit fieri, primus testis effectus. *Joann.* xvii, 4. Imitare magistrum tuum, æmulare Dominum tuum ; carnem et sanguinem tuum pro me pone ; quæcumque pro te passus sustinui, patere. Non recusavit obedire Apostolus, sed ut servus fidelis divino acquiescens præcepto, perrexit gaudens, tanquam lux mundi, ut tenebrosos illuminaret, et tanquam sal terræ, ut gentes insipientes discretione condiret.

Tertio, præclarus et gloriosus iste Apostolus commendabilis exstat valde, ratione miraculorum ac mirabilium quæ per eum et propter eum fecit omnipotens Deus. Quum enim felix iste Apostolus venisset

in Indiam, in fine orbis terrarum sitam, introivit in templum paganorum in quo idolum nomine Astaroth colebatur, atque ut peregrinus mansit in eo. Fuit autem in idolo isto dæmon, qui homines videbatur curare : quod tamen non fecit opem præbendo, sed a læsione cessando. Quumque templum illud plenum esset languentibus, et nullum ab idolo possent habere responsum, gentiles transierunt ad aliam urbem, et ibi ab idolo Berith nomine quæsierunt cur eis Astaroth non responderet. Dixitque Berith : Astaroth deus vester igneis catenis est vinctus, nec respirare potest nec loqui, ab ea hora qua templum ejus ingressus est Dei apostolus Bartholomæus. Et illi : Quis, inquiunt, iste est Bartholomæus? Ad quod diabolus per idolum Berith dixit, necessitate compulsus : Omnipotentis Dei amicus est, atque ob id istam intravit provinciam ut universos Indiæ deos evacuet. At illi quærebant ab idolo Berith signa per quæ Bartholomæum possent cognoscere. Respondit dæmon : Capilli ejus sunt nigri et crispi caroque candida, oculi magni, nasus æqualis et rectus, barba prolixa, statura æqualis ; colobio albo purpuraque clavato vestitur, induitur pallio albo, quod per singulos angulos gemmas habet purpureas. Viginti et sex vel octo anni sunt ex quo vestes ejus atque sandalia nec veterascunt, nec sordidantur; centies omni die flexis genibus orat, centiesque per noctem; angeli Dei gradiuntur cum eo, qui eum nec fatigari permittunt, nec esurire; semper eodem vultu et animo lætus ac hilaris est ; omnia prævidet, omnia novit, omnium gentium linguas scit, et quod ego vobiscum loquor agnoscit. Dum quæsieritis eum, ostendet se vobis si sibi placuerit; si autem non vult, nequaquam eum invenire poteritis. Quumque inveneritis eum, precor ut eum rogetis ne huc veniat, nec angeli sui mihi id faciant quod meo fecerunt jam socio. — Ecce hæc omnia dæmon invitissime est locutus : nam Deo jubente protulit ea. Unde quamvis testimonium dæmonum non exstet idoneum, tamen in hac parte idoneum reputatur, quoniam non ex proprio nec spontanee dixit ista. Itaque ex his verbis innotescit excellentia, sanctitas, sapientia, constantia atque perfectio gloriosissimi apostoli Bartholomæi. Nempe, quod omni die ac nocte toties, utpote centies, cum genuflexione oravit, probat quam reverenter ac devotissime se habuerit circa Deum. Quod vero semper eodem exstitit modo in vultu dispositus et jucundus, admirabilem suæ mentis monstravit in Deo tranquillitatem, stabilitatem atque constantiam : quemadmodum primo Regum de beata legitur Anna, quod vultus ejus non sunt amplius in diversa mutati. Porro, quod omnia novit, ostendit eum spiritu prophetiæ et revelatione divina fuisse repletum. Quod vero potuit se tam mirabiliter in medio hominum stando occultare aut manifestare, dæmonesque ligare, declarat magnam et supernaturalem suam potentiam sibi a Deo collatam. *I Reg.* I, 18.

Sed ne sermo iste nimium extendatur, quæ restant, alii sermoni serventur. Atque in prætactis virtutibus insignissimum istum Apostolum sequi conemur, ut simus in oratione assidui, et cum cordis custodia, attentione, corporisque reverentia et humiliatione, Deum majestatis et excellentiæ infinitæ die ac nocte oremus. Si enim tam sanctus Apostolus in bono confirmatus, et se prædestinatum esse cognoscens, tam frequenter ac diligenter oravit, quid nos miseros ad omnia vitia pronos, an in caritate et gratia Dei simus ambiguos, penitusque de finali nostra salvatione incertos, agere est necesse? Utique orare, gemere et plangere nos oportet, quia in valle hac lacrimarum positi sumus, et mille laqueis dæmonum circumdati, æternæque damnationis periculis circumvallati. Propter quod ipsemet Christus testatur : Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur; et item, Væ vobis qui ridetis nunc, quia plorabitis et flebitis. Postremo stabiles et tranquilli simus in Deo, patientes et hilares in omni eventu contrario : nec variis *Matth.* v, 5. *Luc.* vi, 25.

ac miseris passionibus subjiciamur, nunc vane lætando, nunc pueriliter ridendo atque jocando, nunc inordinate tristando, nunc pusillanimiter formidando ; sed omnes hujusmodi motus et affectiones habeamus rationi subjectos ac reformatos, ut non nisi in Domino gloriemur, et de his per quæ ei displicemus, tristemur, ipsum quoque in omnibus et super omnia formidemus.

SERMO SECUNDUS

QUOD OMNIA OPERA AD GLORIAM SUAM FECERIT DEUS ; ET QUEMADMODUM S. BARTHOLOMÆI OPERIBUS ROBOREMUR IN FIDE.

MIRABILIS *Deus in Sanctis suis.* Ps. LXVII, 36.

Prov. XVI, 4. Quemadmodum Salomon loquitur, universa propter se ipsum operatus est Dominus, utpote ad sui ipsius gloriam et honorem : ut scilicet homines ex consideratione creaturarum ac operum Dei, ad ipsius cultum, timorem ac reverentiam inclinentur, eumque super omnia ament ac cupiant. Propter quod Ecclesiastes ait : *Eccle.* III, 14. Fecit Deus opera sua ut timeatur. Ipse quippe est universorum primum principium, et summus ac ultimus finis, qui perfectionem suam vult in suis effectibus relucere, videlicet omnipotentiam, sapientiam, pietatem, justitiam et beatitudinem suam, quatenus ex horum contemplatione inducamur ad ipsius cognitionem, amorem ac venerationem. Denique duplicia sunt opera Dei, videlicet naturalia et supernaturalia. Opera ejus naturalia sunt, quæ juxta consuetum cursum naturæ et legem ac ordinem rerum fiunt quotidie : ex quibus bonitas, omnipotentia, sapientia Dei noscuntur. Opera vero supernaturalia sunt, quæ supra naturam, cursum ac ordinem rerum aguntur, ut est suscitatio mortuorum, statio solis, etc. : ex quibus homines magis excitantur ad Dei notitiam et timorem, quoniam rara sunt et inopinate contingunt ; naturalia vero sua assiduitate vilescunt, ita quod vix ab hominibus pensantur. *Ps.* CXLVI, 5. Hinc Deus omnipotens, cujus sapientiæ non est numerus, aliqua sibi reservavit supernaturalia opera, puta miracula, quæ opportuno tempore faceret per beatos Apostolos et alios Sanctos in testimonium veritatis fidei christianæ, et pro excitatione admirationis ac devotionis fidelium, in quibus antiqua miracula quasi oblivioni traduntur.

Inter hos præelectos Sanctos Altissimi, gloriose resplendet felix apostolus Bartholomæus. Quum enim, sicut in præcedenti est tactum sermone, cultores idoli Astaroth redissent ab idolo Berith, atque in templo Astaroth quærerent sanctissimum apostolum Bartholomæum, neque eum infra biduum reperissent, alia die dæmon per obsessum quemdam clamavit : Bartholomæe, Apostole Dei, incendunt me tuæ orationes. Cui Apostolus : Obmutesce, inquit, et exi ab homine. Statimque exiit. Quo audito, rex terræ illius, Polimius nomine, misit ad Apostolum, rogans ut veniret ad se, et filiam suam lunaticam et obsessam curaret. Quod quum fecisset Apostolus, rex pondera multa et magna auri, argenti atque gemmarum voluit dare Apostolo, sed invenire eum nequivit. Mane vero sequenti, S. Bartholomæus divina virtute ingressus est regis cubiculum, dicens : Cur mihi illa clenodia voluisti præstare ? Ego nil carnale, nil terrenum desidero. Deinde regem instruxit diligenter de fide, dixitque illi : Si baptizari volueris, deum

tuum quem coluisti, ostendam tibi catenis ligatum. Quumque sequenti die juxta regis palatium pontifices idolorum idolo Astaroth sacrificarent, dæmon clamavit per idolum : Cessate, miseri, nobis sacrificare, ne pejora me patiamini, qui ab angelis Jesu Christi catenis igneis vinctus sum. Tunc jubente Apostolo, dæmon omnia idola templi confregit. Apostolus quoque universos infirmos qui erant in templo, sua oratione sanavit plenissime. Deo quoque dedicavit hoc templum, et dæmoni jussit recedere et intrare desertum. Tunc angelus de cœlo descendens, et templum circumvolans, signum crucis in quatuor angulis ejus fecit, et dixit : Hæc ait Dominus : Quemadmodum infirmos vestros curavi, sic templum istud mundavi, et mihi consecravi ; eum vero quem coluistis, vobis monstrabo. Et statim angelus ostendit eis Æthiopem prorsus nigerrimum, vultum acutum et igneos oculos habentem, flammas sulfureas ex ore oculisque spirantem, catenis igneis vinctum, manibus retro ligatis. Dixitque angelus dæmoni illi : Quoniam juxta præceptum Apostoli idola confregisti, solvam te ut vadas ubi nullus hominum commoratur, et ubi sis usque ad diem judicii. Qui solutus, cum magno disparuit ululatu ac strepitu. Angelus vero cunctis cernentibus ascendit in cœlum. Tunc rex et regina eorumque filia, et cuncti qui aderant, facti sunt christiani.

Denique de his Apostoli hujus mirabilibus sic beatus ait Ambrosius : O quam mira virtutum apostoli Bartholomæi insignia, dum humana voce contra se vociferantem adversarium, scilicet dæmonem per obsessum, solo jussu reddidit mutum, et expulit eum ! Templum quoque ingressus, fecit ut illico dæmon nullum daret responsum. Regiamque puellam diabolica contagione lunaticam, patri suo repræsentavit sanissimam. O quam sublime sanctitatis miraculum, dum antiquum humani generis inimicum, suum fecit in nihilum redigere simulacrum ! O quam digne exercitui numerandus cœlesti, cujus ut miraculis fidem commodaret certissimam, angelus apparuit summa descendens ab aula, qui catenatum dæmonem cunctis ostendens deformem, salutiferam saxo dominicam impresserat crucem ! Rex et regina simul baptizantur cum gente sua, urbiumque duodecim accolæ Deum verum sequuntur mente et corpore. Hæc Ambrosius. — Ecce quam vere Psalmista locutus est Deo, dicens : Testimonia tua credibilia facta sunt nimis. Quid enim fide hac certius, quam Deus sublimis et benedictus tam evidentissimis confirmavit prodigiis ? ita quod angelus desuper veniens, cunctis visibiliter vere apparuit, atque diabolum in idolo habitantem ac homines seducentem, universis in forma teterrima ad oculum demonstravit, et per gloriosum istum Apostolum, deorum culturam tam clare destruxit, eorumque virtutem compescuit tam potenter, imo ipsorum fallacias detexit tam evidenter, demonstrans quam verissime dixit Propheta : Quoniam omnes dii gentium dæmonia. Propterea tam præclari Apostoli miraculis roboremur in fide, ejus promissionibus confortemur in spe, exemplis ipsius ædificemur in omni virtute ; ejus considerando fervorem, accendamur in caritate.

Ps. XCII, 5.

Ps. XCV, 5.

Postremo, quemadmodum ipse dæmones corporaliter verbis compescuit et devicit, ita et nos spiritualiter eis silentium imponere enitamur. Dum enim nos tentant, dum suggerunt mala, dum præteritas injurias nobis illatas reducunt ad mentem, ut ira, impatientia aut invidia nos inflamment, intus nos alloquuntur ; sed dum eis resistimus, dum salubria cogitando de pœnis inferni, de gloria paradisi, de rigore divini judicii, vana et prava de corde nostro abjicimus, dum orando, et Christi passionem, humilitatem, patientiam, caritatem diligenter pensando, virtutibus vitia superamus, silentium dæmonibus imponimus, eosque compescimus, et divina superamus virtute. Hinc namque Jacobus ait apostolus : Resistite diabolo, et fugiet a vobis. Ipsum quoque gloriosum apostolum Bar-

Jacob. IV, 7.

tholomæum ferventer rogemus ut suis nos meritis ac precibus tueatur, virtutibus ditet, et ad æternæ beatitudinis patriam perducere nos dignetur; atque cum sancto abbate Theodoro devotissime concorditerque dicamus : Ave, o beate Beatorum, ter beate Bartholomæe, qui es divinæ lucis splendor, Ecclesiæ sanctæ piscator, vulnerator diaboli mundum suo latrocinio vulnerantis. Gaude, sol orbis terræ cuncta illuminans, os Dei, lingua ignita sapientiam promens, fons jugiter sanitates emanans, qui in cœlo in medio divinæ aciei refulges, in splendore immarcescibilis gloriæ splendes, in exsultatione jucunditatis insatiabilis gaudes.

SERMO TERTIUS

QUOMODO DIABOLUM VICERIT S. BARTHOLOMÆUS, ET DE EJUS ACERBA PASSIONE.

MULTÆ tribulationes justorum, et de omnibus his liberabit eos Dominus. Ps. XXXIII, 20.

Quemadmodum ait Joannes, Christus in sermone post Cœnam inter cetera dixit sanctis Apostolis : Quia de mundo non estis (id est de societate et numero mundanorum atque carnalium hominum), sed ego elegi vos de mundo, ideo odit vos mundus. Hinc ergo reprobi et iniqui, qui Apostolorum prædicationes spreverunt, odio eos habuerunt persecutique sunt. Qui autem prædestinati fuerunt, prædicationibus eorum humilem et fidelem præbuerunt assensum. Inter quos fuit rex Indorum Polimius, cujus filiam lunaticam et obsessam beatissimus curavit Bartholomæus, ut præinductis est recitatum sermonibus. *Joann.* XV, 19.

Denique quantæ sapientiæ fuit hic magnus Apostolus, declaravit regem præfatum instruendo : cui inter cetera ostendit, Christum vicisse diabolum per admirandam congruentiam, per magnam potentiam, per profundam sapientiam, per veram justitiam. Primo etenim vicit diabolum congruenter. Nam congruum fuit, diabolum, qui vicerat primum hominem, factum de terra adhuc virgine, id est nondum arata et culta, imo et procreatum absque seminis humani propagatione, vinci a Christo virgineo filio. Secundo factum est istud potenter, quia de suo dominio ejecit diabolum, qui primum hominem superando, principatum quemdam sibi vindicavit et usurpavit super genus humanum. Et sicut victor alicujus tyranni comites suos mittit, ut suos ubique titulos erigant, titulosque tyranni dejiciant; sic Christus, diaboli victor, suos ubique misit discipulos, ut crucis elevent signum, atque diaboli evacuent cultum. Hinc Christus passione instante disseruit : Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras. Tertio Christus vicit diabolum sapienter, quoniam artem diaboli Christus sua delusit prudentia. Ars namque diaboli fuit, ut sicut accipiter accipit avem, ita diabolus in deserto aggressus est Christum, ut si ibi jejunans famem nullatenus pateretur, Deus esse reputaretur; si autem esuriret, eum per cibum sicut hominem primum devinceret. Sed Christus a diabolo Deus cognosci non potuit, quoniam esurivit, nec vinci, quia non cessit tentationi. Quarto factum est hoc juste. Nam justum fuit ut diabolus qui comedentem hominem vincens, homines detinebat, a jejunante homine victus, hominem amplius non teneret. *Gen.* III, 1-6. *Joann.* XII, 31. *Matth.* IV, 1-4.

Insuper profunditatem sapientiæ sanctissimi Bartholomæi ostendit divinus Dionysius, qui capitulo primo Mysticæ theologiæ allegando Apostolum istum : Divinus

(inquit) Bartholomæus dicit, et multam esse theologiam et minimam, et Evangelium latum ac magnum, et rursus concisum et minimum. Per quod, secundum interpretationem divini Dionysii, sapientissimus Bartholomæus dicere intendebat, quod omnia secundum unam considerationem possunt affirmari de Deo : quod faciendo, multis utimur verbis; alia vero consideratione possunt magis proprie negari de eo, tanquam superessentialiter superposito universorum incircumscriptibili, supersubstantiali incomprehensibilique principio : quod faciendo, quanto plus ascendimus, tanto paucioribus utimur verbis, ita quod tandem ad omnimodam sermonis privationem venimus, prout istud super Mysticam theologiam diffusius declaratur.

Cf. t. XVI, p. 450 A et s.

Præterea gloriosus iste Apostolus a sua invicta constantia, a sua victoriosa fortitudine, a sua perfecta patientia, quas in suo acerbo habebat martyrio, commendatur. Quum enim præfatum Indorum regem Polimium convertisset, pontifices idolorum super hoc conquesti sunt fratri ipsius. Qui Apostolum ad se adductum affatus est, dicens : Tune ille es qui fratrem meum evertisti? Respondit Apostolus : Non illum everti, sed converti. Cui frater prædicti Polimii regis : Quemadmodum tu fecisti fratrem meum deum suum relinquere, et Deo tuo credere, sic ego faciam te Deum tuum relinquere, et meo sacrificare. Respondit Apostolus : Ego deum quem frater tuus coluit, vinxi, et vinctum monstravi, et ad confringendum templum suum ac idola compuli. Si sic facere poteris Deo meo, poteris me ad sacrificia idolorum inducere; sin autem, ego deos tuos comminuam, et tu crede Deo meo. Hæc dicente Apostolo, nuntiaverunt regi quod deus suus Baldach corruisset, comminutusque esset. Quo audito, rex præ tristitia et furore scidit purpuram suam, et fecit Apostolum fustibus cædi ac flagellari. Deinde, ut sanctus asserit Dorotheus, fecit eum crucifigi; et antequam moreretur in cruce, fecit eum deponi et vivum excoriari, ut ait S. Theodorus abbas; atque ad ultimum, secundum Usuardum, fecit eum decapitari. Christiani autem corpus beatissimi Apostoli cum reverentia sepelierunt. Rex vero ejus persecutor et templorum pontifices a dæmonibus obsessi, mox infelicissime sunt defuncti.

Ecce quam acerbissimum ac diuturnum genus mortis atque martyrii, pro Christo perpessus est sacratissimus Bartholomæus. O quam ineffabiliter post resurrectionem generalem splendebit, redolebit, ornatumque erit beatissimum ejus corpus, quod pro Deo tam viliter, tam ignominiose ac crudelissime ab impiis est tractatum! Certe sole erit splendidius, omni balsamo, melle ac favo suavius, omni flore ornatius. Quod si tanta erit beatitudo et merces corporis ejus, quam indicibiliter magna nunc est in æternumque erit beatitudo et gloria electissimæ animæ ejus, quam Deus altissimus ita dilexit et prædilexit, elegit, implevit, et per quam tanta operatus est bona, et quæ pro ipso tanta toleravit tormenta? Trahamus ergo hæc omnia ad Dei venerationem, ad nostram quoque ædificationem. Ecce illustris ac sanctissimus iste Apostolus tam pœnosa, tam ignominiosa, tam diuturna ac diversa est passus supplicia. Et nos peccatores vilissimi, pro uno modico verbo efficimur iracundi, turbati et ulciscentes. Quid igitur restat nobis nisi æterna damnatio, nisi resipiscamus et pœniteamus ex animo, et vitia nostra eradicemus, superbiam, iram, impatientiam ac cetera omnia; humilitatem quoque, mansuetudinem, patientiam, caritatem, sobrietatem, continentiam reliquasque virtutes habere, tenere, et in eis proficere satagamus? Itaque discamus pati minora, ut paulatim æquanimiter sustineamus adversa majora, atque in omnibus humiles, caritativi, pacifici, sobrii castique simus.

AD RELIGIOSOS

SERMO QUARTUS

DE NOBILITATE S. BARTHOLOMÆI ; QUÆ APPETENDA NOBILITAS, QUID NOBILEM CONSTITUAT, ET QUÆ COLLOQUIA MONACHUM DECEANT.

NOBILIS in portis vir ejus, quando sederit cum senatoribus terræ. Prov. XXXI, 23.

Quamvis principalis, summus et unicus vir ac sponsus Ecclesiæ sit Dominus Jesus Christus, qui secundum assumptam humanitatem, ejusdem cum sponsa et uxore sua Ecclesia est naturæ, de quo in Apocalypsi asseritur, Quia venerunt nuptiæ Agni, *Apoc.* XIX, 7. et uxor ejus præparavit se : nihilo minus sancti Apostoli, sponsi Ecclesiæ sunt vocati, quemadmodum in præfatione de Apostolis tangitur, Quos operis tui vicarios B eidem contulisti præesse pastores ; quanquam solus archiapostolus Petrus fuerit vicarialis generalisque sponsus totius universalis Ecclesiæ. Unde nunc episcopi dicuntur sponsi Ecclesiæ, quoniam unusquisque eorum particularis Ecclesiæ sibi commissæ est sponsus.

Dignissimus itaque Bartholomæus apostolus, fuit vir et sponsus Ecclesiæ : vir utique etiam secundum carnis propaginem nobilis, sicut in Regula sua sanctus testatur Hieronymus ; seditque cum senatoribus terræ, id est ceteris Apostolis, qui fuerunt senatores Ecclesiæ militantis in terra peregrinantis. Fuit quoque multo nobilior mente. Nam (ut ait Philosophus) nobilitas carnis non est nisi antiquatæ divitiæ : sic et nobilitas mentis est habituata bonitas gratiæ ac virtutum, quæ est spiritualis opulentia animæ. Idcirco unusquisque est tanto vere nobilior, quanto virtuosior, præsertim quum peccatum sit A summa vilitas animæ. Denique ignobile appellatur, quod a dignitate principiorum suorum degenerat : propter quod filii nobilium rusticane agentes, nec opera suo statui congruentia facientes, ignobiles reputantur. Quum ergo spirituum pater Deus sit summe et interminabiliter nobilis, anima tanto amplius nobilitatur, quanto suo Creatori per sapientiam et caritatem, ceterasque virtutes et actus earum plenius conformatur. Rursus, homo ad Dei imagi- *Gen.* I, 27 ; nem et similitudinem conditus, in medio V, 1. ordinis rerum est constitutus, puta inferior angelis, atque superior ceteris creaturis non intellectualibus. Ideo quanto plus conformatur ei ad cujus imaginem ac similitudinem factus est, et angelis sanctis, tanto vere plus nobilitatur ; sed quanto plus irrationalibus creaturis assimilatur, sensualitatem sequendo, passionibus succumbendo, irrationabiliter se habendo, tanto magis vilificatur.

Ut ergo cum sacratissimo Bartholomæo vere et spiritualiter nobiles simus, oportet C ut diligentissimi exsistamus in omni observantia regulari, in devitatione omnis peccati, in edomatione sensualitatis, in refrenatione passionum, in reformatione affectionum, in exsequendo divinum cultum cum attentione, metu et reverentia.

Interea, quamvis Deo conformari dicamur per humilitatem, patientiam, fortitudinem, castitatem ac latriam, similesque virtutes morales ; quoniam tamen virtutes hujusmodi non conveniunt proprie Deo,

videlicet prout circa passiones refrenandas versantur, ideo per eas non tam proprie conformamur Deo quemadmodum per caritatem et sapientiam, justitiam, pietatem ac salutarem scientiam. Hinc viri in sapientia præfulgentes, in caritate præcipue æstuantes, potissime appellantur divini, deiformes et deificati : siquidem increata vita, æterna beatitudo infinitaque gloria Dei, est sui ipsius et omnium in se ipso sempiterna contemplatio incessabilisque dilectio. Propterea quanto in Dei contemplatione ac dilectione magis excrescimus, quanto incomprehensibilem Dei bonitatem, excellentiam, perfectionem sincerius, ferventius, stabilius atque frequentius contemplamur et adamamus, tanto veraciter diviniores nobilioresque reddimur. Sed quo phantasticis apprehensionibus, vanis ac vilibus phantasiis, turpibus cogitationibus amplius immoramur, et circa corporis necessaria immoderantius sollicitamur, eo bestialiores efficimur. Insuper, quum Deo sit proprium misereri ac parcere, indulgere ac subvenire, ideo quanto cordialius et abundantius actibus misericordiæ, præsertim spiritualibus, sumus intenti, tanto constituimur magis divini. Per crudelitatem vero et phantasiam protervam fit homo brutalis. Quumque summa miseria hominum sit peccatum, si volumus esse deiformiter pii, debemus cunctis iniquitate oppressis, et qui involuti sunt vitiis, intime compati et maxime condolere, eisdem quoque orando et omni modo nobis possibili subvenire. O si aliquem videremus sub dracone jacentem, ejusque igneis infectionibus perforatum, quam viscerose ei compateremur ! Quanto magis est compatiendum omni homini peccato mortali subjecto, utpote ab infernali atrocissimoque dracone prostrato, perforato, infecto? Amplius, quum Deo sit proprium alios regere, illuminare, salvare ; viri virtutum, condigni prælati quo alios salubrius regunt, sapientialius instruunt, cooperantius salvant, eo exstant diviniores. Rursus, quum Deo sit proprium cuncta causare, et res in esse naturæ producere, quo aliquis plures spiritualiter gignit et in Christo regenerat, ac convertendo ad esse gratiæ provehit, eo deiformior perhibetur, et vere consistit nobilior.

Omnibus autem his modis Christi apostolus Bartholomæus fuit divinissimus ac nobilissimus, qui tot millia hominum convertit et regeneravit in Christo, qui idololatriam tam longe ac late est demolitus, et tanto Divinitatis exarsit amore, tanto fraternæ salutis desiderio æstuavit, quod usque ad superioris Indiæ perrexit provincias, et quos convertit, tam sapientissime informavit, tam saluberrime gubernavit, tantasque hominum multitudines ad salutem perduxit æternam.

Tanti ergo Apostoli urbanitate provocemur ad omnem condecentiam morum : qui quamvis inter Apostolos esset nobilior, non tamen ex hoc fuit audacior sive verbosior. Et quamvis in Ecclesiastico scriptum sit, Loquere, major natu, decet enim te ; ipse in toto Evangelio nusquam legitur Christo aut discipulis suis locutus, sed quo major fuit, humiliavit se in omnibus. Et quoniam diu virtuoseque tacuit, opportuno tempore fructuosissime est locutus. Utinam sequamur eum in istis, nec promptiores simus ad loquendum quam ad audiendum verba salutis. Nullus ergo jactet sive ostentet se ipsum. Nemo ex donis sibi collatis, cornua sibi assumat superbiæ, nec audax sibique placens inveniatur. Nullus per verba illicita aut incauta quemquam offendat aut communitatem perturbet, sed inter confratres exemplariter atque pacifice quilibet conversetur. Quod si quis aliquem cupit caritative corripere, agat hoc ordinate, loco et tempore opportuno, et juxta Christi doctrinam, primitus in secreto ; et si corripiendum timet ex correptione offendendum, differat aut per alium faciat, seu ejus in primis benevolentiam captet. Talem quoque exhibeat se, ut cunctis sit carus et ad corripiendum idoneus. Unusquisque satagat alium ædificare, accendere, roborare.

Eccli. xxxii, 4.

Ibid. iii, 20.

Matth. xviii, 15.

Postremo, cum beatissimo Bartholomæo, quem angeli sancti indesinenter comitabantur, conemur sanctos angelos facere nobis familiares atque in omnibus adsistentes. Primo, eos cordialiter diligendo tanquam innocentissimas ac præstantissimas Dei creaturas. Secundo, eos quotidie honorando tanquam custodes, protectores, magistros ac dominos nostros. Tertio, eos assidue invocando tanquam nostræ salutis speciales atque fidissimos procuratores. Quarto, eorum illibatissimam vitam pro viribus imitando, ita ut nostra conversatio sit in cœlis, hoc est spiritualis, interna, cœlestis, contemplativa, quieta, pacifica, dulcis ac amorosa, omni indignatione, amaritudine, discordia, turbulentia prorsus exclusa. Quinto, eis cooperando. Operatio namque eorum ad homines, est eos quibus præsident, purgare, illuminare, perficere, custodire, a peccatis avertere, ad virtutes movere, et aliis variis modis ipsis prodesse. Unusquisque igitur, juxta mensuram ac possibilitatem gratiæ sibi collatæ, proximos purget a vitiis, corripiendo, orando, virtuose agendo, ut vincat ac deleat in bono suo malum illorum ; illuminet quoque eos ad discernendum inter verum et falsum, inter bonum et malum, inter bona et meliora ac optima, inter mala et deteriora ac pessima, ad intelligendum Scripturas, ad proficiendum in bonis ; perficiat etiam eos ad contemplandum sinceriter, ad amandum ferventer, ad actus perfectionis ac sanctitatis. Nec aliquis a salute aut profectu impediat alium, quum hoc sit angeli illius singulariter offensivum, sed mutuo cooperemur nobis ad omne bonum.

Philipp. III, 20.

Rom. XII, 21.

SERMO QUINTUS

DE PRÆEMINENTIA APOSTOLORUM ; ET QUOD AD PROFECTUM NOSTRUM NECESSARIÆ SINT SPES, HUMILITAS, CUSTODIA CORDIS, JUGIS ORATIO, ABDICATIO DELECTATIONUM, CONTINUA CUM DEO MENTIS OCCUPATIO.

PELLEM *desuper excoriaverunt.* Mich. III, 3.

In persona Apostolorum loquitur S. Paulus : Nos ipsi primitias Spiritus habentes, intra nos gemimus. Quantumcumque ergo alios Sanctos laudemus, de Apostolorum tamen admirabili excellentia nullatenus dubitemus. Ipsi namque sunt deificatissimæ creaturæ, in quibus et per quos Creator mirabilissime ac gratiosissime est operatus ; quibus præ aliis Sanctis paracletum Spiritum Sanctum evidentius misit copiosiusque infudit ; qui in omni sanctitate et sapientia, in omni perfectione, virtute et gratia, in gratia miraculorum et spiritu prophetiæ, in fructificatione et divinarum proprietatum participatione ineffabiliter præfulserunt ; quos Deus incarnatus, æterna, increata et infinita Sapientia genita Dei Patris, suos primos ac specialissimos voluit esse discipulos ; quibus et tantam divinorum charismatum plenitudinem est largitus, quod de plenitudine sua toti mundo communicare et copiose influere potuerunt. Horum unus præcipuus exstitit gloriosus ac nobilis Bartholomæus, cujus semen permanet usque in præsens. Qui tam evidenter idololatriæ demonstravit errorem, ut vix aut non de aliquo Sanctorum quid tale legatur. Siquidem eo orante, angelus Dei visibiliter cunctis apparuit, dæmonemque in teterrima forma ostendit, crucis quoque fecit signacula, et deinceps conspicientibus omnibus, in cœlorum ascendit sublimia. Alia item innumerabilia sacratissimus Bartholomæus egit prodigia.

Rom. VIII, 23.

Act. II, 1 et seq.

Itaque, quia nos religiosi, de eleemosynis sustentamur quas Christiani catholici contulerunt cœnobiis, ut inibi demorantes ac inde viventes orent pro ipsis et pro quibus desideraverunt, ac soli vacent Altissimo, ei in omni puritate ac fervore servientes ; ideo ut idonei simus succurrere aliis tam vivis quam mortuis, præsertim fundatoribus ac benefactoribus et eis adjunctis, et exaudiri pro ipsis, enitamur in donis gratiæ abundare, supernorum charismatum plenitudinem intra nos congregare, amicitiam ac familiaritatem Creatoris nostri superpiissimi obtinere ac possidere. Ad quod multa nobis necessaria exstant. Imo quo istud vires nostras magis transcendit, quo supernaturalius deiformiusque consistit, eo ampliori diligentia ac labore ad ipsum pertingitur.

Atque in primis requiritur, ut tota spes constituatur in Domino, et totus tam salutaris effectus exspectetur ab ipso. Nihilo minus faciat homo quidquid sua diligentia et industria potest.

Secundo ad istud exigitur humilitatis profunditas, ut homo universam suam fragilitatem, defectuositatem, offensionem, vilitatem et insufficientiam semper inspiciens, se ipsum divinæ majestati ac pietati cum ingenti sui depressione substernat, obediat ac ministret, omneque bonum semper adscribens Deo, per humilitatis suæ concavitatem disponat se ad suscipiendum ac conservandum in se benignissima dona Spiritus Sancti, sicut in concavis vallium copiosius recipiuntur ac manent stillicidia pluviarum. Obediamus igitur Salvatori ju-
Matth. XI, 29. benti : Discite a me quia mitis sum et humilis corde. Nam et per Isaiam ipse effatur, secundum translationem antiquam :
Is. LXVI, 2. Super quem requiescet spiritus meus, nisi super quietum et humilem ? Pro quo Hieronymi habet translatio : Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum et contritum spiritu ? Quis autem est pauperculus spirituque contritus, nisi profunde atque veraciter humilis, qui defectuositatem suam advertens, et pro suis culpis dolens, parvus et vilis est in propriis oculis ? Ideo provocat misericordiam Dei in se, et Spiritus Sanctus non solum descendet in eum, sed insuper requiescet super ipsum, quamdiu manebit pauperculus in oculis suis, id est judicio propriæ mentis. Si vero cœperit se extollere, et quasi in meritorum suorum divitiis inaniter gloriari, alios aspernari, temere judicare, jam cum Saule audiet ab infallibili Judice : Quum esses parvulus in oculis tuis, assumpsi te ; nunc autem quia intumuisti, abjeci te. Humiliemur igitur semper sub Omnipotente ejusque vicario præsidente, sed et invicem superiores singuli arbitremur. Porro signum hujus humilitatis est, si et imperturbato animo sustinemus quod ab aliis quoque pauperculi, viles, defectuosi, culpabiles reputamur ac dicimur, et tanquam tales, publice increpamur atque corrigimur. Quidam vero sibi ipsis vicissim de humilitate intra se blandiuntur ac complacent ; verum quum parumper tanguntur, statim in faciem benedicunt, et quod latebat erumpit, maledictionisque semen, occulta superbia, in contradictionis et excusationis, in ultionis ac impatientiæ germen se fundit ac pandit.

I Reg. XV, 17, 23.

I Petr. V, 6.

Philipp. II, 3.

Job I, 11 ; II, 5.

Tertio ad istud requiritur indefessa cordis custodia, ne donum gratiæ, spiritualis profectus, devotionis affectus, compunctio cordis, fervor amoris, una hora infusi, concepti, collecti, adepti, alia hora per vitium ac negligentiam amittantur. Nusquam ergo et nunquam retorquendus est oculus cordis ab intuitu Dei, nulla est cordis dissolutio admittenda. Omnis relaxatio discreti rigoris est fugienda, et maxime in divino Officio custodiendus est oculus mentis et corporis, ne quid præter Deum et extra Deum adspiciatur. Nempe quantum conetur diabolus mentem vel ad momentum abducere, atque ad levitatem inducere, constat ex hoc, quod dæmones multi coram S. Pacomio unum stramen quasi cum grandi trahebant labore, ut eum moverent ad risum. Quo viso, Sanctus ille ingemuit, et non risit. Similiter, quum devotissima

virgo sancta Catharina de Senis, quadam vice in ecclesia seu divinis hominem inspexisset, mox a cœlesti increpata est Sponso, tanquam quæ cor suum avertisset a Deo, et illud convertisset ad hominem. Heu ! quid dicemus ad ista ? Et quanta est calamitas nostra, negligentia nostra, imperfectio nostra, qui multoties in divinis, in psalmodia et Horis, etiam ex proposito hinc inde adspicimus, impertinentia consideramus, homines intuemur, libros revolvimus, seu manibus aliqua attrectamus, sicque diversas evagationum ac dissolutionum, imo interdum tentationum et perturbationum occasiones et incitamenta haurimus ? Nec multum ponderamus hæc mala, sed infinita est miseria nostra. Resipiscamus ergo, et revertamur ad cor, pœnitentes ac devitantes tanta flagitia.

Quarto ad istud exigitur fervens incessabilisque oratio, quum a nobis ipsis nil boni habeamus aut valeamus. Idcirco cum omni fiducia, ardore, instantia et perseverantia implorandus est Dominus majestatis, cujus opulentia nescit finem, cujus liberalitas est immensa, dignatio infinita ; qui pietate et caritate sua supplicantium merita desideriaque transcendit ac superat absque mensura, et nullum taliter invocantem fideliterque quærentem, a sua caritate et familiaritate repellit, nulli tali gratiarum suarum denegat opes.

Quinto requiritur omnium extranearum atque carnalium affectionum ac vilium consolationum expulsio, quia per hæc spiritualis dilectio et familiaritas sancta cum Deo minuitur aut aufertur.

Sexto exigitur assuefactio assidua occupandi et exercitandi se intus cum incircumscriptibili Creatore ubique præsente, per orationes mentales, allocutiones secretas, meditationes et laudes devotas, per adspirationes quoque ferventes.

Hæc igitur omnia apprehendamus et opere compleamus, ut spiritualiter locupletemur, uberrime accendamur, et Deo quem invocamus, familiariter adhæreamus, intime complaceamus, atque per hæc apud eum exaudibiles simus, et parentibus, propinquis, commissis, benefactoribus, omni quoque Ecclesiæ, vivis ac mortuis possimus succurrere orando, celebrando, psallendo, et cetera bona quæ agimus, eis per caritatem absque nostro detrimento communicando. Quemadmodum enim apud principes terræ plus valet et acceptatur una petitio familiaris amici, quam centum aliorum ; sic apud Altissimum tanto efficaciores et acceptiores sunt nostræ orationes, quanto plus Deo placemus, carioresque sumus, hoc est puriores a culpis, et pleniores virtutibus. Nempe qui diligit ac possidet cordis munditiam, amicum habet Regem regum, principem universorum. *Prov.* XXII, 11.

Postremo, cunctis perfectionibus præinductis gloriosissimus Bartholomæus fuit eminenter ornatus, qui et tanta toleravit pro Domino, mortem videlicet tam acerbam, tam ignominiosum martyrium, tam prolixum interitum. Fuit namque excoriatio illa mirabiliter dolorosa. Beatissimi ergo hujus Apostoli exemplo, patientiam amplectamur, et quidquid occurrit adversi, æquanimiter toleremus ; et quæ a Deo accepimus, pro eo libenter exponamus, offeramus, imo et per martyrium perdere simus parati.

SERMO SEXTUS

DE CAVENDA ELATIONE ; ET QUOD AD GUSTUM DEI DUO SINT NECESSARIA.

VETUSTAM fecit pellem meam. Thren. III, 4.

Ex beatissimi apostoli Bartholomæi Legenda in omni docemur virtute : et primo in humilitate, quia quum inter gloriosos Apostolos nobilior opulentiorque exstiterit, nihilo minus inter eos humillime vixit, taciturnitatem sanctam servavit, nec ad primatum ingessit se ipsum. Et quidem filii Zebedæi Joannes et Jacobus, ex consanguinitate sua ad Christum, humanum aliquid passi sunt, inducentes matrem suam ut diceret Salvatori : Dic ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam et alius ad sinistram, in regno tuo. Imo, secundum Marcum, dixerunt : Magister, volumus ut quodcumque petierimus, facias nobis. Quibus Dominus cœleste regnum non carnali propinquitati aut nobilitati, sed patientiæ ceterisque virtutibus deberi insinuans : Potestis (inquit) bibere calicem quem ego bibiturus sum ? Hoc sanctissimus iste Bartholomæus advertens, ad charismata gratiarum, ad omnem humilitatem, patientiam ac religiosum laborem extendit se ipsum. In his ergo eum sectemur. De donis naturæ aut bonis fortunæ non intumescat cor nostrum : præsertim quia in talibus sæpe magis abundant reprobi quam electi, nec propter ea Deo placemus aut displicemus. Nec propter talium donorum defectum quempiam aspernemur, ut si deformis sit corpore, facie turpis, impeditiorisve linguæ, aut pauper in sæculo fuerit. Carnalis et excæcatus est prorsus, si quis ingenio pollens, facundia clarus, natu sublimis, corpore speciosus, dives aut magnus in sæculo ante conversionem, adhuc de talibus in claustro se efferat, aut defectuosis in talibus se præponat sive improperet : imo talis derogat Creatori, quum et Salomon contestetur, Qui convitiatur pauperi *, exprobrat factori ejus ; et insipientiam suam ostendit, quum minimum bonum gratiæ ac virtutum incomparabiliter præponderet omnibus bonis fortunæ atque naturæ. Itaque, quantumlibet quis in quibuscumque donis est major, tanto in cunctis humilior exemplariorque consistat, et inter suos conversetur pacifice, caritative, quiete. Hinc dona gratiæ ac virtutes, spiritualem profectum, sanctam conversationem, super omnia toto corde appretiemur, totis viribus insequamur, et omni amplectamur affectu.

Matth. xx, 21.

Marc. x, 35.

Matth. xx, 22.

Prov. xvii, 5. * despicit pauperem

Secundo, beatissimi Bartholomæi exemplo instruimur, etiam in arduis prompte obedire, nec aliquem propter Deum recusare laborem, præsertim qui a superiore injungitur. Ipse namque benedictus Apostolus per diversas provincias Deo jubente profectus est, ad ignotissimas sibi gentes, ad populum durum, ferocem, indomitum, ad remotissima loca. Hinc sancti Patres locuti sunt, potissime S. Benedictus in Regula, quod et si impossibile quid, qui præest, præcipiat, attentare debet et aggredi subditus, qui etiam suo judicio mensurare non habet quale sit quod sibi injungitur, sed judicio præsidentis potius stare debet, nisi forte res esset apertissime impossibilis sibi.

Tertio, electissimi Apostoli hujus exemplo instruimur, devotissimis orationibus die ac nocte instanter insistere. Ipse namque (ut fertur, et adversarius ejus dixit invitus) centies quolibet die, totiesque omni nocte, genua sua flexit in oratione. Quam modice ergo dormivit ! Si talis ac tantus, utpote in Dei gratia confirmatus, et de sua

certus electione, tam sæpissime ac ferventissime oravit naturali quolibet die, quid
Eccle. IX,1. facere nos oportet, qui ignoramus an stemus in caritate, an finaliter consequemur salutem ; imo qui scimus nos defectuositatibus esse repletos, et pronos in omne peccatum si paulisper a gratia relinquamur? Ecce quam humiliter atque lugubriter, quam viscerose ac clamorose, quam infatigabiliter et instanter exorant terrenum judicem, qui capitalis sententiæ rei sunt aut esse probati sunt, si evadendi spem habeant : qualiter ergo oportet nos Dominum invocare, quem scimus nos toties per peccata mortalia offendisse, et per consequens æternæ damnationis supplicia tam frequenter atque enormiter meruisse? Nonne terrenus princeps provocaretur ad duriora, si videret se a reo sine attentione et cum risu absque formidine exorari? Quid ergo faciet nobis Deus, videns nos indevote, inattente, intimorate orare? O quam magnum est, quam decora species entis, quam præclarum spectaculum, nocturnis temporibus immorari sacris vigiliis, elevatissimis psalmodiis, orationibus fervidis, meditationibus optimis, contemplationibus amorosis, amoribus contemplativis, tunc Deitatis majestatem mirari, super se elevari, in pelagus increatæ beatitudinis rapi, in incircumscriptæ magnitudinis profundo demergi, in æterni ac interminati amoris igne quasi comburi ! Tunc devotis-
Ps. XXX,20. sima mens vere intuetur et gustat quam magna et infinita sit multitudo dulcedinis supergloriosissimi Dei.

Denique ad hæc pertingit religiosus devotus, dupliciter. Primo, se ipsum disponendo, excitando et actuando ad ista, ad prætactos videlicet actus tam nobiles ac divinos. Fitque excitatio seu dispositio ista per hoc, quod homo se abstrahit ab exteriorum occupatione, consideratione et affectione, a distractionibus mentis, atque simplificat, recolligit et stabilit se in Deo ; per orationes quoque devotas et contemplationem operum Dei se applicat Deo, ejusque bonitatem ac amabilitatem et perfectionem immensam pensando accenditur ejus amore ; et per hoc ad mysticam theologiam, ad unitivæ sapientiæ splendidissimam contemplationem, ad raptum ecstasimque erigitur, sicut in libro de Mystica theologia divinus Dionysius hanc edocet practicam : ubi et sanctum allegat Bartho- cap. I.
lomæum apostolum, nominans eum divinum.

Secundo, ad ista pertingit amator divinus, contemplator sincerus, mortificatus et obedientissimus religiosus, absque suo conamine, ex gratiosa et benignissima Dei præventione, ex præveniente superna illuminatione, ex subitanea inflammatione qua homo inopinate desuper tangitur, radio sapientiæ copiose perfunditur, igne caritatis succenditur, summæ dulcedinis unctione adspergitur ; atque ex his tam valide in mente sua perstringitur, imo et corpore alteratur, quod non potest resistere. Et quo anagogici sui in Deum motus sunt menti suaviores, eo per suum effectum sunt corpori pœnaliores, per vehementiam alterationis quam causant in corpore, dum spiritus corpus suum relinquit et super se tendit, fitque remissio aut mera suspensio ab actibus vegetativarum sensitivarumque virium. Tunc utique gratiosa vibratio, supernaturalis coruscatio, robustissima Omnipotentis operatio, prævenians ac pertransiens gratia ejus, cor fervidi atque purissimi amatoris præstringit, præoccupat, vincit et superadimplet ; et eripit illud sibimetipsi, ut nec se ipsum nec quidquam advertat creatum, et facit illud sibi, Deo ejus ac creatori, rapitque ipsum ad deliciosissima interni silentii gaudia, ad serenissimum ac quietissimum diem internum, et efficit ipsum in id ipsum, ostendens ei se ipsum. Nempe, sicut in Job legitur, omnipotens Deus in ma- *Job* XXXVI,
nibus suis abscondit lucem, et præcipit ei 32, 33.
ut denuo oriatur, annuntiatque de ea amico, quod possessio ejus sit, et ad eam queat pertingere.

In hac elevatione homo se ipsum profundissime prorsus humiliat, et totus in

Deum ascendit, ac ei se totum offert in holocaustum, paratus pro illo omne mortis pati supplicium. Talis fuit illustrissimus Dei summi apostolus Bartholomæus, qui pro Christo sibi pellem permisit abscindi, tam pœnosum, irrisorium, diuturnum et opprobriosum mortis genus patientissime ac libentissime ferens. Quo exemplo ad omnem patientiam informemur. Præterea spiritualem animæ pellem, id est propriæ voluntati adhæsionem, proprii sensus immansionem, propriæ culpæ palliationem, colorationem et excusationem permittamus nobis auferri, efficiamurque nudi, non ficti, sed sinceri, dociles atque dirigibiles in universis ad salutem spectantibus,

Ps. LXXII,6. ne illud in Psalmo conveniat nobis, Operti sunt iniquitate et impietate sua, sed potius quod ibi subsequitur, ac dicitur Deo :

Ibid. 23,24. Ut jumentum factus sum apud te; tenuisti manum dexteram meam, et in voluntate tua deduxisti me.

Postremo cum fructuosissimo Bartholomæo apostolo enitamur pro modulo nostro in domo Dei fructificare, si non prædicando, discurrendo, miracula perpetrando, saltem pro communi bono, pro vivis et mortuis, pro omni statu ac gradu Ecclesiæ affectuosissime deprecando, celebrando, virtuosis actibus insistendo. Nec aliquis dicat : Sufficit mihi si possum animam meam salvare, et in regno cœlesti minimus esse. Hoc enim non esset debitum fraternæ caritatis implere, neque pro Domino exercituum zelo zelari, neque meliora æmulari charismata, sed torpori et remissioni tribuere locum. Ideo zelo divini honoris, affectu communis boni generalisque reformationis, fervore spiritualis profectus, quotidie, durante hac vita, inardescamus. Nam et unicuique mandavit Deus de proximo suo. Et qui non cupit ac satagit studere perfectioni, vix inter imperfectos valebit salvari. Neque sinceriter diligit Deum, qui de ejus inhonoratione non contristatur, nec desiderio honorationis ejus ab omnibus inflammatur : imo ille in Dei amore censetur perfectior, qui plures, quantum in se est, ad ipsum convertit, sive orando, seu prædicando, aut sancte vivendo, aut aliis modis. Ut ergo prætacta valeamus implere, gloriosum istum Apostolum devotissime invocemus, ut precibus suis ac meritis tantam nobis dignetur gratiam obtinere et nos semper protegere.

III *Reg.* XIX, 10. 14. I *Cor.* XII, 31.

Eccli. XVII, 12.

IN FESTO

S. AUGUSTINI EPISCOPI

Enarrationem epistolæ, Ecce sacerdos magnus, etc., *cum suo sermone, require in Communi ; enarrationem evangelii quære ibidem.*

SERMO PRIMUS

DE CARITATE ET COMMENDABILI SANCTITATE S. AUGUSTINI.

UNUSQUISQUE sicut accepit gratiam, in alterutrūm illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei. I Petr. IV, 10.

Quemadmodum divinus Dionysius ait, *Cf.* t. XV, p. 84 C', etc. Proprietas boni est, communicare se ipsum, aliisque diffundere quidquid habet. Quum ergo in rationali creatura istud potissime fiat per caritatem, merito ad caritatem pertinere asseritur, facere hominem bonum, id est veraciter atque simpliciter virtuosum. Diligere etenim est alicui bonum velle. Et caritas virtus est per quam volumus alicui bonum, non per respectum ad proprium commodum, sed principaliter propter ipsum. Quum ergo Deus sit primum et summum bonum, et substantialiter caritas ipsa, imo essentialiter ac naturaliter bonitas pura, atque dilectio munda, constat quod homines caritativi, liberales, qui semper proni sunt aliis communicare quidquid boni collatum est ipsis, et commune bonum sinceriter cupiunt, ac pro illo promovendo ac conservando conantur, nec ad propria commoda inordinate aut cupide reflectuntur, Deo naturaliter, totaliter et incircumscriptibiliter bono præcipue assimilentur. Idcirco amabiliores et A cariores sunt ei, et abundantiora gratiarum charismata sortiuntur ab ipso. Unde et Christus in Evangelio loquitur : Date, et dabitur vobis. Paulus quoque apostolus in Actibus Apostolorum : Oportet (inquit) reminisci verbi Domini Jesu, quoniam ipse dixit : Beatius est magis dare, quam accipere. Hinc in Ecclesiastico habetur : Non sit porrecta manus tua ad accipiendum, et ad dandum collecta. Merito ergo hortatur nos beatissimus princeps Apostolorum, ut unusquisque gratiam sibi datam, in alios B administret, id est, proximis eam communicet pro posse, loco et tempore opportuno, et affectu assiduo, etiam si non effectu continuo. Istud namque ad quemlibet pertinet Christianum, eo quod lex Christi sit lex totius caritatis et pietatis.

Luc. VI, 38. *Act.* XX, 35. *Eccli.* IV, 36. I *Joann.* IV, 8, 16.

Denique talis præcipue fuit præclarissimus doctor Ecclesiæ Augustinus, qui verbo et opere, scripto et conflictu, oratione et pastorali operatione indesinenter die ac nocte pro subditorum salute, pro bono communi Ecclesiæ, pro errantium conC versione, et maxime pro Dei honore ac gloria (ad quod omnia retulit) fidelissime ac ferventissime laboravit.

Hic ergo beatus Pater et magnus Doctor

sanctusque præsul multipliciter exstat laudabilis. Primo, a sua ferventi et efficaci conversione, de qua ipsemet in libris Confessionum plurima recitat. Multis etenim annis fuit in diversis erroribus et magnis assiduisque peccatis, ita quod Deus superpiissimus infinitam misericordiam fecit cum ipso. Communiter quoque dicitur, quod usque ad annum vitæ suæ tricesimum fuerat in peccatis, ita quod fuit tunc baptizatus; sed ipsemet in libro Confessionum testatur, quod tempore suæ baptizationis fuit triginta duorum annorum. Et ipso testante, quum sedecim esset annorum, cœpit concupiscentiis deservire, et in vitio incontinentiæ pene usque ad suum baptismum permansit, multisque annis vagam exercebat luxuriam. Postmodum, aliqualiter se refrenans, contentus fuit cum una, quam etiam secum duxit ab Africa usque Romam, et a Roma ad Mediolanum : fuitque valde incontinentiæ vitio victus, ita quod sibi difficillimum videbatur vivere continenter. Hæc ideo tango, ut magnitudo misericordiæ sibi a Deo factæ, ad Dei honorem clarius innotescat. Fuit etiam Manichæorum erroribus ac perfidiis involutus. Porro mater ipsius, Monica nomine, mulier valde devota et virtuosa, errores et vitia filii sui die ac nocte deplanxit, atque tam lacrimose oravit pro ipso, quod (ut ipsemet recitat Augustinus) terram quotidie suis lacrimis coram Deo rigavit, ita quod tandem quidam sanctus episcopus eam consolando, ei locutus est : Vade secura, quoniam impossibile est perire harum filium lacrimarum. Præterea, quum S. Augustinus meritis et precibus suæ devotissimæ matris et prædicatione S. Ambrosii conversus, ab eodem fuisset Ambrosio baptizatus, mox mirabiliter valde ac misericordissime a Deo præventus est, utpote copiosissime illustratus, validissime inflammatus, divinis consolationibus suavissime sæpissimeque refectus, et tanto virtutum vigore repletus, quod subito ex carnali totus spiritualis atque divinus effectus est, in tantum quod sibi facillimum fuit pristinis voluptatibus vanitatibusque carere. Mox ergo cuncta carnalia sprevit, et Dei amore præfervido vehementer dulciterque exarsit. Unde et sanctus pater Ambrosius tam admirandam ac subitaneam in Augustino immutationem ac deificationem conspiciens, admiratus est valde, atque hoc ipsum inter præcipua Spiritus Sancti opera computans, dixit : Deus, qui Augustino carnis mortificationem dedisti.

Secundo B. Augustinus exstat laudabilis a sua religiosa ac purissima vita, et pœnitentia vere condigna. Quum enim a Mediolano post suum baptismum redisset ad Africam, tempore procedente instituit monasterium clericorum, cum quibus cœpit communem ducere vitam et vivere juxta modum quo sub sanctis Apostolis primitiva vixit Ecclesia. Vacavit ergo quotidie orationibus, jejuniis, studio, editioni librorum, instructionique proximorum. In divinis Officiis mirabiliter afficiebatur ad Deum, et præ dulcedine spirituali quam sensit in psalmis et hymnis, frequenter et ubertim resolvebatur in lacrimas. Quumque fama ipsius quotidie cresceret, S. Valerius Hipponensis episcopus conjunxit sibi eumdem, et humiliter renitentem ordinavit presbyterum, commisitque ei prædicationis officium. Tunc beatissimus Augustinus cœpit hæreticos validissime confutare, Catholicos roborare, et universos ferventer instruere, ita quod copiosum fecit quotidie fructum.

Tertio exstat laudabilis ab excellentia sapientiæ sibi concessæ. Nam statim post suum baptismum, in catholica veritate est mirabiliter confortatus, in contemplatione credendorum et in intelligentia rationum eorum gratiosissime illuminatus, nec potuit satiari in contemplando profundissimum consilium Dei super modo redemptionis humanæ. Insuper intellectum divinarum Scripturarum clarissimum Deus ei infudit, dono quoque sapientiæ eum replevit, per quod Deum subtilissime et affectuosissime contemplabatur quotidie.

Quarto commendabilis est a suo magno A saluberrimoque labore quem habuit libros dictando et conscribendo, per quos usque in præsens universam copiosissime illustrat Ecclesiam et hæreses exstirpavit. Infinita enim conscripsit, et ubique in scriptis suis dulcis est ac devotus.

Quinto laudandus est a sua fructuosissima præsidentia in episcopali officio, quod ferventissime adimplevit. Nec solum plebem sibi commissam, sed undique informavit fideles, atque hæreticos vehementer confudit. In cibo, potu, somno ac vestibus B moderatissime habuit se, et discrete ac ordinate in omnibus. Sed et multos hæreticos atque a fide extraneos, ad viam reduxit salutis.

Sexto commendabilis est a sua consummatione felici. Nam ultima infirmitate laborans, septem psalmos coram se scriptos habens ac legens, ubertim ac jugiter lacrimas fudit. Et ut Deo quietius ac stabilius posset esse intentus, per decem dies ante exitum suum, nullum ad se permisit intrare, causa necessitatis excepta ; et sic tandem in præsentia Fratrum felicissime migravit ad Dominum, quum septuaginta sex esset annorum. Quem post mortem suam Deus per multa valde honoravit miracula, quæ de ipso in Passionali Sanctorum leguntur.

Tanti ergo Doctoris imitemur exempla, sequamur doctrinam ac merita veneremur, subsidiumque petamus, et ab amore recedamus carnali, Deum fervide diligentes, et virtutum actibus jugiter insistentes ; pravis consuetudinibus nostris fortiter reluctemur, atque in lucta hac, Dei auxilium cum fervore et fiducia incessabiliter deprecemur. Non parcamus sanctis laboribus, quatenus Altissimo complacere possimus, ad laudem et gloriam ejus.

AD RELIGIOSOS

SERMO SECUNDUS

DE ILLUMINATIONE ET PERFECTIONE S. AUGUSTINI,
ET QUID PER ILLUM DEUS LOCUTUS ET OPERATUS SIT AD ÆDIFICATIONEM FIDEI ;
ITEM DE VARIIS MODIS PROFICIENDI.

PUER eram ingeniosus, et sortitus sum animam bonam. Sap. VIII, 19.

Sicut Creator omnipotens ornavit cœlum sideribus, sic animam excellentissimi Augustini doctoris decoravit virtutibus, et vere mirificavit misericordiam suam in illo, quia quum pluribus annis fuisset carnalibus vitiis graviter involutus, repente ac mirabilissime, supernaturaliter ac gratiosissime est præventus, conversus, tactus et immutatus, illuminatus atque accensus. Et postquam tot annis vacavit voluptatibus pravis, subito affectus, unctus, imple- D tus est voluptatibus puris ac optimis. O quam infinita fuit misericordia Dei in illo ! Denique, juxta mensuram excellentiæ ejus in naturalibus donis, data est ei excellentia mira ac magna in donis gratuitis. Quanta etenim fuerit excellentia sua in subtilitate ingenii, in acumine intellectus, in tenacitate memoriæ, in corporis complexione ac dispositione, in bonitate ingenitæ indolis, in ipsius patet codicibus ; et ipse in suis libris, præsertim in volumine Confessionum, facta sua diligenter, devote utiliterque descripsit : quæ et in

Passionali Sanctorum partim et compendiose collecta sunt. Et quamvis verba ipsius ibi conscripta, sint affectuosissima inflammativaque valde, tamen quum nota sint vobis, non opus est multa ex eis nunc allegare, sed quod inspiraverit Dominus, nunc de tanto Doctore condecet tangere.

Hoc ergo sciamus, quod fidem catholicam Deus per beatissimum Augustinum plurimum exaltavit. Et primo, ipsum sacratissimum virum mirabiliter confirmavit in fide atque illuminavit in fidei veritate, et per ejus verba ac scripta, per ejus opera et prodigia, universam illuminavit Ecclesiam. Quomodo ergo eum illuminavit et certificavit in fide ? Utique potissime fecit hoc Deus, tam supernaturaliter ac superiissime operando in anima ejus, et tales actus peragendo in ea, quos ipse ingeniosissimus Augustinus evidentissime experimentaliter scivit non posse esse ex se ipso aut naturalibus viribus, neque ex naturalibus causis, nec esse nec posse esse ab intellectuali principio malo, sed solùm a Deo, sive immediate ab eo, sive per sanctum angelum. Experiebatur etenim electissimus Augustinus, actus illos quos sensit et experiebatur in se, tales consistere, quod ad eos ex naturalibus suis nequibat pertingere. Imo, insuper experiebatur ac sentiebat, quod actus illi subito et absque suo conamine oriebantur in eo : sicque præveniebatur in eis, quod quasi magis habuit se in eis passive quam active ; tamque copiosissime sensit se præveniri et aliunde moveri, juvari, impleri, quod experiebatur sibi facillimum subito factum esse quod (nondum præventus) reputavit sibi aut impossibile aut difficillimum fore. Istud non soli Augustino concessum est, sed et aliis multis millibus electorum, ad tantam gratiam æternaliter præordinatorum. Eis tamen singularius ac eminentius istud videtur esse concessum, per quos Deus decrevit alios edocere et confirmare in fide per verba seu scripta sive miracula. Quum equidem fides christiana sit de difficillimis, secretissimis ac supernaturalissimis rebus, per hos supernaturales, internos ac secretissimos actus potissime comprobatur ac certificatur ; verum non omnibus, sed his quibus datur hæc experiri, et his qui pie credere volunt eorum testificationi : quibus et aliunde satis constat eis esse credendum.

Porro fides proprie dicitur probari per miracula : quæ ut sufficientia sint fidei argumenta, necesse est esse evidentia, solique Deo possibilia. Et ista sunt fidei argumenta generaliter coram quibuscumque, etiam in foro contentionis. De quibus in Evangelio ait Salvator : Opera quæ dedit mihi Pater ut faciam ea, testimonium perhibent de me. Et rursus loquens Judæis : Si mihi (inquit) non creditis, operibus credite. Ac denuo : Si opera non fecissem in eis quæ nullus alius fecit, peccatum non haberent. Præfati vero actus interiores, quamvis sint valde supernaturales atque mirabiles, multoque mirabiliores et eminentiores quam exteriora miracula, non tamen proprie miracula nuncupantur, quum non sint effectus evidentes, sed latentes, solis experientibus elucescentes. De talibus actibus loquitur Augustinus : Quum te primum cognovi, reverberasti infirmitatem adspectus mei, radians in me vehementer. Et contremui præ amore et horrore, et inveni me longe esse a te in dissimilitudinis regione, tanquam vocem tuam audirem in excelsis : Cibus sum grandium, cresce, et manducabis me ; nec tu mutabis me in te, sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me. Hinc iterum ait : Sero te amavi, pulchritudo tam antiqua et tam nova, sero te amavi. Vocasti et clamasti, et rupisti tarditatem meam ; coruscasti et splenduisti, et fugasti cæcitatem meam ; flagrasti, et duxisti spiritum meum, et anhelo tibi ; gustavi, et esurio ac sitio te ; tetigisti me, et exarsi in pacem tuam. Age, Domine, et fac, excita et revoca nos, accende et rape, flagra et dulcesce. Denique de his rursus testatur :

Joann. v, 36.

Ibid. 38.

Ibid. xv, 24.

Sagittaveras tu cor meum caritate tua, et gustabam verba tua transfixa in visceribus meis, et exempla servorum tuorum. Nec satiabar in illis diebus, dulcedine mirabili considerare altitudinem consilii tui super salvatione generis humani. Quantum flevi, o Domine, in hymnis et canticis tuæ suave sonantis Ecclesiæ, acriter commotus vocibus ejus ! Voces illæ influebant auribus meis, et eliquabantur lacrimæ, et bene mihi erat cum eis, et clamabam ab alto cordis mei clamore : O in pace, o in id ipsum, o qui dixit, Dormiam et requiescam ! Tu es enim id ipsum qui non mutaris, atque in te requies laborum omnium obliviscens. Legebam totum psalmum illum, et ardebam, Jesu Christe, adjutor meus. Quam suave mihi subito factum est carere suavitatibus nugarum mearum ! Et quæ amittere metuebam, jam dimittere gaudium est. Ejiciebas illa a me, tu vera et summa suavitas, et intrabas cor meum pro eis, tu omni voluptate dulcior, omni luce clarior, omni secreto secretior, omni honore sublimior.

Ps. IV, 9.

Malach. III, 6.

Præterea, ad prætactos actus interiores, supernaturales, secretos, fidei certificativos, quidam paulatim proficiendo tandem post longa virtutum exercitia purificationemque cordis pertingunt ; quidam vero statim in sua conversione, aut etiam in pueritia sua, adhuc in sæculo conversantes : quemadmodum sanctus David, quum adhuc pasceret oves in agro, frequenter sensit hujusmodi actus et anagogicos motus, et præsertim quando in tribulationibus erat a facie Saul. Paulus autem apostolus mox in suæ conversionis exordio, quum esset tribus diebus non videns, nec manducans nec bibens, usque ad cœlum creditur tertium raptus.

Act. IX, 9 ; II *Cor.* XII, 2.

Itaque qui tam gratiose prævenIuntur, gratias agant Deo, custoditique sint et indesinenter proficiant ; neque inaniter glorientur, ne periculosius corruant, nec propriis illud attribuant meritis, sed ex hoc Deo humilius obsequantur. Qui vero non prævenIuntur hoc modo, paulatim conentur, et per humilitatem plenariam, per patientiam fixam, per mortificationem vivificam, per privati amoris eradicationem completam, per quotidianum profectum, ad tantam Deitatis visitationem et gratiam perduci nitantur. Verumtamen multi inveniuntur devoti, qui etsi quærant hoc gratiæ culmen, nunquam tamen pertingunt ad ipsum in vita præsenti ; nec tamen dejiciantur aut pusillanimes fiant, quia fortassis sic expedit eis, et post vitam hanc tanto plenius consequuntur, quanto hic fidelius quæsierunt. Nec propriis experientiis quis nimium innitatur ad credendum, sed auctoritati divinæ. Imo nec aliquis nimia assertione affirmet sibi hujusmodi motus et actus infundi a Deo, et ex hoc in caritate se esse, ne periclitetur præsumens certitudinaliter dignum se esse amore : quia non omnibus quibus hæc dantur, confertur et certitudo quod sint a Deo et caritati annexa. Nam et sensibilis quædam devotio cum suavitatibus suis aliquando ingeritur non a Deo, nec caritati est semper conjuncta. Amor quoque naturalis et sapientia acquisita, in multis tantam habet conformitatem in actibus suis cum amore infuso et sapientiæ dono, ut sine revelatione discerni non valeat. Nihilo minus viris devotis et exercitatis præstatur certitudo consolatoria satis ac multum probabilis, quamvis non penitus certa, ut semper sint timorati, custoditi ac humiles.

Eccle. IX, 1.

SERMO TERTIUS

IN QUIBUS S. AUGUSTINUM IMITARI DEBEAT ANHELANS AD PERFECTIONEM.

INVOCAVI, et venit in me spiritus sapientiæ. Sap. VII, 7.

Quamvis cunctis virtutibus septemque donis Spiritus Sancti fuerit beatissimus doctor Ecclesiæ Augustinus repletus, specialissime tamen summa virtute et summo dono, hoc est caritate et sapientia, fuit ornatus, abundans, refertus. Ideo fuit contemplator altissimus : quia et sapientia expedit ac dirigit caritatem ad unionem, introgressionem atque amplexum ; caritas quoque movet et excitat sapientiam ad elevationem ac intuitionem. Quum ergo actus sapientiæ et caritatis inseparabiliter sint connexi, et se invicem juvent, ac in ipsis nostra consistat perfectio, studeamus ad hunc spiritualis ædificii verticem cum sancto ascendere Augustino, per eosdem gradus per quos ipse illuc ascendit. Si enim nemo perfectus fit subito, oportet gradatim ac paulatim ascendere.

Primo igitur sequamur Augustinum, quantum ad ejus conversionem, quæ fuit plena et valde mirabilis. Propter quod dixit Ambrosius : Magnificentiam tuam, Domine, in mortificatione Augustini adoramus, tua in omnibus operante virtute ut nullis blandimentorum fallacium promissis vir Spiritu tuo ignitus vinceretur ; quia ita eum omni genere pietatis imbueras, ut ipse tibi ara et sacrificium et sacerdos esset, et templum. Unde sanctus vir iste, qui ante suam conversionem erat carnalibus voluptatibus multum victus ac subditus, poeticis nugis, eloquentiæ curiositate variisque jactationibus mentis occupatus ac pressus, mox ut ad Christum conversus est, omnia illa non solum abjecit ac dereliquit, sed etiam cordialiter fastidivit, et facta sunt ei molesta : tam fortiter Deo inhæsit, et spiritualibus exercitiis se involvit, gustans quam dulcis sit Deus, atque quam dulce sit ei sincera et tranquilla conscientia adhærere. *I Petr.* II, 3.

Hoc ergo tanti Patris exemplo, et nos qui jam religionem sumus ingressi et vitam virtuosam ac regularem professi, post tam sublime genus conversionis, omnem pristinam debemus abhorrere ac fugere carnalitatem, vanitatem et curiositatem, nec rursus philosophiæ aut sæcularis scientiæ studiis immorari, sed compunctioni, orationibus meditationibusque salubribus insudare ; ea quoque volumina libentius legere frequentiusque studere ex quorum informatione ad cordis emundationem, compunctionis assiduitatem, devotionis fervorem et omnem spiritualem magis excrescere valemus profectum ; et implere quod in Ecclesiastico continetur : In supervacuis rebus noli scrutari multipliciter, sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper ; et in pluribus operibus Dei ne fueris curiosus : non est enim tibi necessarium ea quæ abscondita sunt videre oculis tuis. Aptiora spirituali profectui et viciniora perfectioni quæramus ; impeditiva vero ab his et quæ distractiva sunt mentis, quantum possumus, fugiamus, nec his quæ nostro usui conceduntur, implicemus affectum, ita ut absque turbatione patiamur ea nobis auferri, quemadmodum de magno hoc patre Augustino conscriptum est : Novarum fabricarum nunquam habuit studium, devitans in eis implicationem sui animi, quem semper liberum esse volebat ab hujusmodi molestia exteriori, ut libere posset vacare continuæ meditationi atque assiduæ lectioni. His quoque quæ habuit, per amorem intentus non *Eccli.* III, 21, 22, 23.

fuit. Hinc demum ad civitates episcopo carentes refugiebat accedere, ne in episcopum assumptus, a spiritualibus suis exercitiis impediretur. Desinat igitur unusquisque a curiositatibus, novitatibus ac superfluitatibus quarumlibet rerum in cella sua.

Secundo sectemur sanctissimum Augustinum, quantum ad exercitia ejus exteriora ac spiritualia, in quibus post suam conversionem se protinus exorsus est occupare. Mox namque post eam ad sua et ad agros suos reversus, jejuniis et orationibus cœpit vacare, lectioni et conscriptioni librorum insistere, corpus domare, ab omni passionum immoderantia, impetu et inquietudine abstinere. Nam mensa frugali ac parca jugiter utebatur, oleribus ac leguminibus contentus communiter. Carnes vero propter infirmos et hospites habuit sæpe. Interea claustrum instituit clericorum, cum quibus vivere cœpit in vita communi, secundum regulam sub sanctis Apostolis constitutam. In quanta autem mansuetudine, humilitate, pace, patientia, concordia, sobrietate, paupertate, dilectione spiritualique studio atque munditia mentis et corporis vixerunt ibidem, patet ex sermonibus Augustini ad Fratres illos de eremo. Itaque, si in his sanctum virum secuti fuerimus, cito cum eo ad perfectionis montem erimus propinquantes. Oportet omnino, fundamentaliterque requiritur, ut religiosus volens proficere, satagat primum carnem suam cum vitiis et concupiscentiis crucifigere, et cibum ac potum accipiat moderate ac timorate, tanquam quotidianæ ruinæ corporis sui remedium, non tanquam delectationis objectum, aut resolutionis mentalis materiam. Et quamvis ad hoc diligentiam grandem adhibeamus quotidie, adhuc tamen culpam in toto non evademus vel inordinatæ delectationis, aut superfluitatis, aut nimiæ immorationis, aut aliarum circumstantiarum actuum vitiosorum : quanto magis qui intimorate et incustodite se habet in cibo ac potu quotidie, multum ac multipliciter in eis peccabit ac corruet omni die ? Propter quod loquitur Augustinus : Crapula nonnunquam subrepsit, o Domine, servo tuo ; misereberis, ut longe de cetero fiat a me. Et quis est, Domine, qui non rapiatur aliquantulum extra metas necessitatis ? Quisquis ille est, magnus profecto est ; magnificet nomen tuum. Ego autem non sum, quia homo peccator sum. — Verumtamen, quum pure naturalia non sint peccata, et ex unione potentiæ cum objecto convenienti oriatur delectatio ; idcirco, si ex perceptione cibi ac potus oriatur ac sentiatur delectatio naturalis, non est in se culpabile, nec impedit comestionem ac potationem esse virtuosam, seu temperantiæ sobrietatisque actum, dummodo referatur delectatio illa ad finem spiritualem ac debitum, puta ad Dei honorem et congruam corporis confortationem, ut ad Dei obsequia exstet idoneum. Specialiter quoque cavendus est superfluus potus, et ne nimis tarde bibatur, ne etiam consuetudo bibendi extraordinarie admittatur. Imo, superfluo potui, sicuti et superfluo somno, oportet per assuefactionem ad contrarium repugnare.

Præterea oportet nos omnem iræ impetum, impatientiæ turbinem, inquietudinem scandalosam, discordiam et animi vehementiam prorsus vitare, caritative, humiliter, pie et concorditer insimul conversari. Ira enim non habet misericordiam, nec erumpens furor. Imo spiritum ad irascendum facilem quis poterit sustinere ? Certe ira viri justitiam Dei non operatur, sed irascens propria iracundia excæcatur et infatuatur, ita quod contra justitiam Dei agere, socialem vitam confundere, concordiam dissipare et alios scandalizare monstratur.

Tertio Augustinum sequamur, quantum ad exercitia ejus interiora. Meditationibus namque Scripturarum, considerationibus divinorum, devotioni internæ totus erat intentus, in tantum ut fateatur : Quum acciderit mihi ut magis me moveat cantus quam res quæ cantatur (id est sensus desi-

Galat. v, 24.

Prov. xxvii, 4. *Ibid.* xviii, 14.

Jacob. i, 20.

gnatus per verba), specialiter me peccare confiteor, et tunc mallem non audire cantantem. Conemur ergo et nos Deo ac sensui magis quam cantui esse intenti. Discussioni propriæ conscientiæ et expurgationi ipsius insistamus assidue, et mirabilia legis divinæ non immoderanter, sed humiliter perscrutemur ac speculemur.

Sanctus quoque Augustinus visceribus caritatis ac pietatis totus exuberavit, atque mirabili in cunctis viguit discretione. Ejus igitur imitatione spiritualiter amorosi, benigni, discreti simus in omnibus. Sicque in istis perseverando ac proficiendo quotidie, pertingemus cum ipso ad verticem perfectionis, ad plenitudinem caritatis, ad tantum sapientiæ gradum, ut ea quæ Dei sunt profundissime contemplemur, et Deus incerta atque occulta sapientiæ suæ nobis revelet. Tunc erimus jugiter introversi, mente erecti, in Deo simplificati, ac prompti ad considerandum ac sobrie admirandum profunditatem decreti infinitæ sapientiæ Dei super modo salvationis generis humani per unius adorandæ personæ incarnationem ac passionem, et qualiter persona illa incarnata propter varias prægnantissimas rationes instituit Eucharistiæ sacramentum. Tunc etiam erimus eminenter dispositi ad contemplandum supergloriosissimæ Trinitatis felicitatem, majestatem et gloriam, emanationem et communicationem ejus ad intra æternam, mutuamque ipsius intuitionem clarissimam, dilectionem ferventissimam et immensam, complacentiamque dulcissimam et fruitionem superpurissimam, sed et coæternam ac superbeatissimam consistentiam ejus. Quæ omnia cum summa reverentia omnique humilitate, caritativa congratulatione, puritate interna ac stabili mente sunt contemplanda. Ad laudem et gloriam Omnipotentis.

Ps. L, 8.

IN FESTO
DECOLLATIONIS
S. JOANNIS BAPTISTÆ

Enarrationem epistolæ require in Communi Sanctorum de uno Martyre.

ENARRATIO IN EVANGELIUM

MISIT HERODES AC TENUIT JOANNEM, ETC. Marc. VI, 17-29.

Matth. XIV, 3-12. IN evangelio hoc quod post Matthæum Marcus scripsit, beati Præcursoris Joannis decollatio merito lamentabilis describitur. Dicit igitur :

Misit Herodes, ac tenuit Joannem. Herodes iste Antipas, filius fuit Herodis Ascalonitæ, cujus tempore natus est Christus, qui et infantes occidit. Hic « misit » servos suos, et « tenuit », hoc est, comprehendit ac cepit, Joannem, *et vinxit eum in carcere, propter Herodiadem uxorem Philippi fratris sui, quia duxerat eam,* id est, ad instantiam Herodiadis conjugis Philippi, qui fuit frater Herodis. Hujus enim legitimam conjugem, nomine Herodiadem, abstulit iste Herodes, et cum ea in adulterio sedit. Vel, « propter Herodiadem », hoc est propter amorem carnalem quem habuit ad eam : quam tanto carnalitatis amore amavit, quod increpationem de hoc ferre non potuit. Vel, « propter Herodiadem », id est, ut Joanne occiso, cum illa quietius atque securius delectaretur. *Dicebat enim Joannes Herodi : Non licet tibi,* qui legem Moysis recepisti, *habere uxorem fratris tui* in conjugem : quia hoc prohibet lex, ne quis uxorem fratris, illo vivente, accipiat. *Herodias autem insidiabatur illi,* id est Joanni, *et volebat occidere eum, nec poterat.* Impotentiæ causam dicit Matthæus : Herodes volens occidere Joannem, timebat populum, quia sicut prophetam eum habebant, id est, communis populus prophetam illum esse reputavit. Verum non solum illa causa fuit, sed hæc etiam quam Marcus hic dicit : *Herodes enim metuebat Joannem, sciens eum virum justum et sanctum ; et custodiebat eum, et audito eo, multa faciebat, et libenter eum audiebat.* Hinc jam patet, quia mulier ista nefaria Herodias (quæ insidiabatur Joanni, volens eum occidere) primo conceperat odium contra Joannem concupiscentiæ suæ inimicum. Videns enim quod Herodes Joannem libenter audiebat, eoque audito multa operabatur, cœpit timere ne propter prædicationem Joannis, Herodes eam abjiceret, et primo redderet viro. Quod ergo apud Matthæum dicitur, quod Herodes quærebat Joannem occidere, intelligendum est processisse ex Herodiadis suggestione. Effeminatus quippe Herodes in tantum vi-

Ibid. II, 1, 16.

Lev. XVIII, 16 ; XX, 21.

Matth. XIV, 5.

Ibidem.

ctus est luxuriosæ mulieris concupiscentia et amore, quod contra legem et contra rationis judicium acquievit mulieri, et insidiabatur ipse quoque Joanni, quem antea libenter audiverat atque timuerat.

Ideo sequitur : *Et quum dies opportunus* insidiarum ejus *accidisset Herodi natalis sui,* id est anniversarius dies nativitatis suæ, *cœnam fecit principibus et tribunis et primis Galilææ. Quumque introisset filia ipsius Herodiadis* ex alio viro, *et saltasset,* id est, chorizando tripudiasset, in medio aulæ seu alterius loci, vel in medio eorum qui aderant, *et placuisset Herodi simulque recumbentibus* saltans filia meretricis et saltatio ejus, *rex* Herodes *ait puellæ* saltanti : *Pete a me quod vis, et dabo tibi. Et juravit illi* ex hac vana complacentia : *Quia quidquid petieris dabo tibi, licet dimidium regni mei. Quæ quum exisset* consultura matrem, *dixit matri suæ : Quid petam? At illa,* Herodias mater puellæ, *dixit : Caput Joannis Baptistæ. Quumque introisset* puella *statim cum festinatione ad regem, petiit, dicens* Herodi : *Volo ut protinus des mihi in disco caput Joannis Baptistæ :* quod fieri non potuit nisi decapitaretur. *Et contristatus est rex* Herodes, quod tam inconsulte jurasset ac promisisset, et quod illa tam crudeliter postulasset. Quidam dicunt quod Romani abstulerunt a Judæis nomen regium; et tamen hoc loco Herodes, dominus Judæorum, dicitur rex. *Propter jusjurandum* quo juraverat puellæ, *et propter simul recumbentes,* ne in tantorum virorum præsentia videretur perjurus et mendax, vel ne ipsi turbarentur, qui fortasse consenserunt Herodiadi in mortem Joannis, *noluit eam contristare.*

Secundum Hieronymum, et alios plures doctores, cum Herodiade ordinavit quomodo posset Joannem occidere; et invento concordi consilio, fecit convivium, in quo filia Herodiadis tripudiaret : qua saltante, finxit se rex ultra modum delectatum in saltatione illius, moxque jurando promisit dare illi quod peteret. Qua caput Joannis petente, simulavit se rex contristari, ut populus haberet eum excusatum de morte Joannis, quum tamen corde gauderet. Et hoc alii probant. Primo, quia ut scribitur in Matthæo, Herodes ante saltationem, accubitum, ac postulationem puellæ, voluit Joannem occidere. Secundo, quoniam nisi optasset mortem Joannis, non occidisset eum propter juramentum : quia sub promissione hujusmodi non intelligitur aliquod illicitum cadere. Tertio, quia non est probabile quod propter saltationem promitteret puellæ tantum donum. *Matth* XIV, 5.

Verum Augustinus sentire videtur, quod Herodes vere metuebat et libenter audiebat Joannem, et ex animo tristis effectus est postulatione illa audita : quod verbis evangelicis magis consonare videtur. Quod igitur dicitur Herodes voluisse occidere Joannem, intelligi potest de voluntario permixto involuntario, quomodo Pilatus voluit crucifigere Christum : quem utique voluntarie crucifixit, aliter non peccasset; sed erat voluntarium illud involuntario mixtum. Denique, sicut juxta Salomonem, vult et non vult piger, si talis vult et non vult, hoc quoque quod vult efficit cum mœrore, quemadmodum negotiator cum tristitia projicit merces in mare. Habuit ergo displicentiam contra Joannem, propter increpationem ipsius, et inclinationem ad occidendum eum, propter Herodiadis preces; sed non tantum, quod absolute decrevit vel optavit eum occidere, secundum Augustinum : ideo contristatus est, audita petitione petulantis puellæ. — Ad secundum dici potest, quod reges, principes et superbi, volunt promissa et juramenta sua implere, quamvis illicita, ne ab hominibus judicentur perjuri aut mendaces. Et quod opponitur, Si puella petisset caput patris et matris, Herodes non consensisset, ergo quod juravit puellæ dare quidquid peteret, insidiando fecit : hoc solveretur, dicendo quod intentio Herodis non erat absolute promittere, sed dummodo non esset penitus irrationabile et ab- *Prov.* XIII, 4.

surdum. Ideo enim dixit : Licet dimidium regni mei. Quasi diceret : Si aliquid majus petieris, non præstarem. — Ad tertium diceretur, quod reges quum vino calefacti sunt, faciliter inclinantur ad promittendum : ut patet de Assuero, quomodo promiserat Esther. Quamvis autem caput Joannis dare saltanti, fuit maxime irrationabile, tamen Herodes non reputavit hoc tam irrationabile ut alia multa.

Esther v, 6.

Sed misso confestim *spiculatore, præcepit afferri caput ejus in disco. Et decollavit eum* per manum spiculatoris *in carcere. Et attulit* spiculator *caput ejus in disco* Herodi, *et* Herodes *dedit illud puellæ* nequissimæ saltatrici, *et puella dedit matri suæ* Herodiadi, ut viso capite increpatoris sui, gloriaretur de condigna vindicta. O qualia sunt judicia Dei! Et quomodo permittit Deus justus et sanctus electos suos in præsenti sæculo tribulari, a reprobis opprimi, multis injuriis affici! Scit enim quam salubre et meritorium hoc eis exsistat. Ecce sanctissimum virum, consanguineum Christi, præconem, præcursorem, baptistam Salvatoris, quo inter natos mulierum major non fuit, permisit ad suggestionem adulteræ incarcerari, ad instantiam petulantis ac vilis puellæ occidi. Nemo ergo servorum Christi murmuret, contristetur aut pusillanimis fiat, dum adversitatibus atque injuriis fatigatur. Multæ enim tribulationes justorum ; et tanquam aurum in fornace, probavit Deus electos. *Quo audito, discipuli ejus,* Joannis, *venerunt, et tulerunt corpus ejus* de carcere, vel de loco carceri propinquo, *et posuerunt illud in monumento,* in urbe Sebaste, ut dicitur, quæ olim vocabatur Samaria. Nec dubium quin fecerint planctum magnum super tam dilectum et sanctum magistrum.

Matth. xi, 11.

Ps. xxxiii, 20.

Sap. iii, 6.

SERMO PRIMUS

DE BEATISSIMI JOANNIS BAPTISTÆ INNOCENTI MARTYRIO, DE HERODIS BRUTALITATE, DEQUE SPECIEBUS JURAMENTI.

QUARE non respicis, Domine, contemptores, et taces conculcante impio justiorem se? Habac. I, 13, 3.

Sanctus propheta Habacuc considerans qualiter in hoc mundo electi et sancti a reprobis ac impiis opprimuntur et occiduntur, quasi admirans quod Deus justus hoc patitur et tam diu dissimulat, locutus est verba prætacta ad eum, dicens : Quare, o Domine, non respicis contemptores, id est, cur transgressores legis divinæ non statim castigas, ostendendo per hoc, quod eorum facinora scias ac detesteris, sed taces, non exercendo vindictam, dum impius justum conculcat? Verumtamen hanc quæstionem ac querimoniam movet Propheta in persona imperfectorum, qui divinorum profunditatem ac subtilitatem judiciorum necdum prævalent contemplari, sed prædictum effectum considerant absolute secundum se ipsum : sic enim omnino irrationabile et perversum videtur, sanctos opprimi ab iniquis. Si vero consideremus ob quam rationabiles causas hoc fieri Deus permittat, glorificamus judicium ejus. Hoc etenim Deus permittit ob maximum incrementum meriti ac præmii electorum suorum, quibus utilissimum saluberrimumque consistit ut per temporalia momentaneaque vitæ præsentis supplicia et adversa, æternæ beatitudinis copiosissimum sortiantur augmentum, martyrii quoque aureolam, et multiplicem ac abundantissimum fructum. Hinc ad Corinthios ait

II *Cor.* IV, 17. Apostolus : Id quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.

Denique, ista ad propositum applicando, si consideremus beatissimi Joannis excellentissimam sanctitatem, exuberantissimam gratiam, præclarissimas prærogativas, atque Herodis et Herodiadis vitiosissimam vitam, qui in adulterio tam incestuoso fœtebant ac inquinabantur : quis non vehementer miretur, quod virum illum tam singularissimæ sanctitatis ac gratiæ, Deus a tam sceleratissimo adultero permisit occidi ? Si vero consideremus quantum meriti, quantum beatitudinis et gloriæ beatissimo Joanni ex temporali sua incarceratione et momentanea decollatione accreverit, quantum vero demeriti, quantum æternæ damnationis infernalisque pœnæ facinorosissimo Herodi adultero incestuoso et ejus adulteræ, ex persecutione et occisione quas injustissime intulerunt sanctissimo Præcursori : videmus quam amorose et gratiosissime egit Deus cum amico suo, divino et magno Joanne, quem per tam brevia supplicia ad tam copiosam sempiternamque promovit felicitatem ; et item quam terribiliter ac districte egit cum præfatis Herode et Herodiade, quos ad tam impiissimum facinus cadere, atque ad tantam suæ damnationis æternæ accumulationem in tam brevi hora permisit corruere.

Sed jam historiam festi præsentis pensemus. Itaque, sicut beatus evangelista *Marc.* VI, 17 et seq. *Matth.* II, 16. Marcus describit, Herodes Antipas, filius Herodis qui occidit infantes, incarceravit sacrosanctum Christi baptistam Joannem, quia Joannes acriter reprehendit Herodem de hoc quod contra legem Moysis habuit secum uxorem fratris sui nondum defuncti, quam dolo abstulit ei : quæ femina Herodias vocabatur, et formidabat quod Herodes dimitteret ipsam propter prædicationem et reprehensionem S. Joannis, quia Herodes metuebat Joannem, sciens eum esse virum justum et sanctum, propter quod, eo audito, multa agebat, et audivit eum libenter, ut Evangelista fatetur. Hinc Herodias insidiabatur Joanni, excogitando qualiter posset Herodem inducere ad occidendum B. Joannem. Quumque Herodes in die anniversario nativitatis suæ fecisset principibus suis grande convivium, filia Herodiadis saltavit, id est, curialiter chorizavit. Quod quum placuisset Herodi ac convivantibus, promisit ei cum juramento quod daret ei quidquid postularet ab ipso. Quæ informata a matre sua vitiosissima fœdissimaque adultera, dixit Herodi : Da mihi caput Joannis Baptistæ in disco. Qua petitione audita, tristabatur Herodes, sive veraciter, propter innocentiam S. Joannis et enormitatem tanti facinoris, sive simulatorie, ne videretur tam injustus atque crudelis. Nihilo minus quia juravit, ne contristaret puellam vipeream, misit confestim spiculatorem, qui decollavit in carcere electissimum Dei Joannem, caputque ejus portavit sceleratæ juvenculæ, quæ tulit illud matri suæ turpissimæ. Quo audito, venerunt S. Joannis discipuli, corpusque ejus sepelierunt inter corpora sanctorum prophetarum Elisei atque Abdiæ.

Posset hic quæri, an Herodes excusetur a crimine, quia ne infringeret juramentum suum ac promissum, occidit Joannem. Respondendum, quod nullatenus excusatur, quoniam juramentum ac votum licitum habent tres comites, scilicet veritatem, justitiam, et judicium, id est discretionem, sine quibus nec licite emittuntur nec sine peccato implentur. Quidquid ergo contra veritatem aut æquitatem seu discretionem promittitur aut juratur, nequaquam est observandum. Et qui taliter jurat sive promittit, non fit perjurus aut promissi transgressor non implendo quod juravit seu vovit ; sed eo ipso quo taliter jurat seu promittit, perjurus fit aut promissionis transgressor, quia tenetur non adimplere : prout hoc S. Thomas in secunda secundæ diffusius docet. Unde si quis juret se alteri nociturum, aut religionem non ingres-

surum, non tenetur implere, nec debet nocere. Hinc, ut legitur primo Regum, quum David ira commotus, jurasset se occisurum virum perversum nomine Nabal, a quo magnam passus fuit injuriam, audita humili excusatione et supplicatione uxoris Nabal, mutavit propositum, imo et gratias egit Deo quod præservavit se ab adimpletione temerarii juramenti. Propterea ait Isidorus : In malis promissis rescinde fidem, in turpi voto muta decretum; quod incaute vovisti, non facias; impia est promissio, quæ scelere adimpletur.

I Reg. xxv, 4 et seq.

Insuper, non solum peccat enormiter qui perjurat aut falsum jurat, sed etiam qui aliquem ad hoc inducit scienter : quoniam homo plus tenetur Deum et animam proximi sui diligere, quam terrena. Idcirco, ne Deus tam graviter offendatur, et ne proximus in culpam perjurationis seu falsæ jurationis labatur, debet homo potius damna omnia pati, quam aliquem ad illicitam jurationem scienter inducere. Et de hoc refert Augustinus exemplum quod in civitate sua Hippone contigit tempore suo. Fuit enim ibi vir simplex et bonus, qui quemdam induxit ad jurandum, quia negavit sibi rem suam. Ille ergo false juravit, et vir ille bonus per hoc perdidit quod sibi ille debebat. Nocte sequenti vir ille simplex ad judicium raptus est Christi. Et interrogatus, Cur provocasti hominem ad jurandum, quem falsum noveras juraturum? respondit : Quia negavit mihi rem meam. Cui Judex : Nonne melius tibi fuisset rem tuam amittere, quam illius animam falsa juratione occidere? Tunc Judice præcipiente, prostratus atque tam graviter cæsus est, ut in dorso evigilantis plagarum apparerent vestigia. Deinde dictum est ei : Parcitur innocentiæ tuæ; cave ne amplius tale quid agas.

Lev. xix, 12. Postremo, non solum perjuria, sed et inania juramenta vitare tenemur : præsertim quum unum decem præceptorum sit non vane jurare, id est sine necessitate aut vera utilitate; et etiam, quoniam qui faciliter jurant, faciliter perjurium incidunt. Hinc ait Salvator : Ego dico vobis non jurare omnino, neque per cœlum, neque per terram; neque per caput tuum juraveris. Sit autem sermo vester : Est, est; Non, non. Quod his abundantius est, a malo est. Hoc ipsum apostolus Jacobus in sua ait Canonica : Ante omnia nolite jurare. Constat ergo quam vitiosa atque damnabilis sit consuetudo multorum faciliter valde jurantium. Imo quidam vix proferunt aliquid nisi cum juramento : quod ad magnam divini nominis irreverentiam pertinet, scilicet tam inconsiderate, vane et immoderate nomen Dei aut Sanctorum assumere et pro teste adducere. Aliqui quoque jurant per membra Christi : quod prorsus damnabile est. Imo, quum vane jurare sit directe contra divinum præceptum, et per consequens ex suo genere peccatum mortale, facile est pensare quam mortale et vitiosum sit habere consuetudinem vane jurandi, quum et consuetudo venialium sit frequenter mortale peccatum.

Exod. xx, 7.

Matth. v, 34-37.

Jacob. v, 12.

Pugnet igitur unusquisque contra consuetudinem suam malam (et ut verbis utar Augustini), malam, malam, et valde malam. Et in hujusmodi pugna laudabili Deum invocet adjutorem, ut virtutem non jurandi præstare sibi dignetur. Imo sanctissimum patrem nostrum gloriosissimum invocemus Joannem Baptistam, ut hanc gratiam, vitam Deo placentem, patientiam sanctam, stabilem et invictam, ac finem beatum impetret nobis, ut impleamus illud Ecclesiastici : Jurationi non assuescat os tuum; multi enim casus in ea, quoniam vir multum jurans, replebitur iniquitate, et non deficiet de domo illius plaga. A quo malo meritis et precibus sanctissimi Præcursoris nos tueatur Deus omnipotens, super omnia benedictus.

Eccli. xxiii, 9, 12.

AD RELIGIOSOS

SERMO SECUNDUS

QUOD ELECTIS OMNIA COOPERENTUR IN BONUM; ITEM DE MUNDI CONTEMPTU, DE DIVERSIS BONIS, ET DE PATIENTIA IN TRIBULATIONIBUS HABENDA.

MALE tractaverunt eum, qui ex utero matris consecratus est propheta. Eccli. XLIX, 9.

Ps. LXVII, 36. *Ps.* XXXV, 7. *Ps.* LXV, 5. Vere mirabilis Deus in Sanctis suis, et judicia Dei abyssus multa. Imo terribilis Deus in consiliis suis super filios hominum, qui ita permittit reprobos ac sceleratissimos in vita hac prosperari, regnare ac prævalere; electos vero atque justissimos viros permittit in sæculo isto sic opprimi et affligi, sic despici et occidi. Quid enim sceleratius esse potuit incestuosis illis adulteris Herode et Herodiade? Quid autem sacratius sanctificato in utero, innocentissimo ac divinissimo Joanne Baptista? Et tamen hunc talem ac tantum permisit Altissimus ab illis impiissimis sic tractari, sic capi, incarcerari ac decollari. *Marc.* VI, 17 et seq. *Rom.* VIII, 28. Verum, ut ait Apostolus, Omnia cooperantur electis in bonum. Reprobi vero, secundum suas duritias et impœnitentia corda *Ibid.* II, 5. sua thesaurizant sibi iram in die justi judicii Dei. Denique novit Deus qui sunt II *Tim.* II, 19. ejus, novit quid electis suis expediat, novit quam saluberrimum eis sit in vita hac momentanea tribulari, injuriari, humiliari et pro veritate occidi, ut æternaliter coronentur, et tanto sublimius exaltentur sine fine in cœlis, quanto magis humiliati, dejecti, afflicti fuerunt ad horam in terris. Ecce Jeremias propheta sanctissimus, qui solus in veteri Testamento legitur evidenter in utero sanctificatus, quanta sustinuit *Jer.* I, 5. in hac vita, quantas irrisiones, subsannationes et odia, detractiones, percussiones et maledicta, incarcerationes, immersiones, famem, sitim et vincula; et tandem (ut fertur) est lapidatus.

Ex his multipliciter ac saluberrime edocemur. Primo, ne mundum et ea quæ mundi sunt, appetamus, ne temporalem prosperitatem appretiemur, sed potius ad nihilum deducatur in conspectu nostro malignus, hoc est, iniquos secundum quod tales sunt, vilipendamus. Totus etenim mundus in maligno positus est. Ideo sancti Patres fugerunt a mundo, tanquam ab infernalis incendii loco, tanquam a periculosissimo ac turbulentissimo mari, tanquam a campo laqueis latronibusque repleto. Regnum mundi et omnem ipsius spreverunt ornatum, tanquam interioris decoris obstaculum. Divitias temporales et carnales delicias atque humanos honores, velut retinacula mortis, et sicut viscum inferni ac venena diaboli, quibus alliciuntur, decipiuntur ac pereunt multi et innumerabiles, omnino fugerunt. Ea quoque quæ illis contrariantur, videlicet paupertatem, afflictionem, dejectionem, toto sunt amplexati affectu, tanquam media ad virtutes, et velut spiritualium profectuum instrumenta, et sicut perfectionis præambula, totiusque sanctitatis et custodiæ interioris subsidia. Hujus saluberrimæ fugæ primum ac præclarissimum in novi Testamenti exordio exemplum præstitit nobis sacratissimus Joannes Baptista, qui nec parentum sanctitate securus, nec sui ipsius in utero ac circumcisione sanctificatio- *I Joann.* II, 15. *Ps.* XIV, 4. *I Joann.* V, 19.

ne contentus, quum adhuc esset puerulus, eremum est ingressus, facto demonstrans quam difficile sit salvari, ac vitia superare virtutibusque infigi in mundo, et quantum prosit ad hæc omnia solitudo.

Præterea, non solum debemus mundum et ea quæ mundi sunt, non appetere, verum etiam totis præcordiis abhorrere tanquam impedimenta virtutum ac gratiæ et salutis æternæ. Et quanto illa cordialius detestamur, tanto vere sapientiores ac spiritualiores esse probamur. Ecce quantum nocuit filiis Israel societas, communio sive admixtio Chananæorum : quod Deus præ-
Exod. xxxiv, 12, 15, 16. noscens, prohibuit filiis Israel habere amicitiam, commixtiones et sodalitates cum illis, ad præfigurandum quod religiosis, qui per filios Israel designantur, non expedit, imo permaxime nocet, mundanis hominibus, qui per Chananæos signati sunt, admisceri, aut frequenter confabulari, societate et familiaritate conjungi. Religiosus ergo sit mortuus mundo, totusque vivat, intendat, conjunctus et immersus sit Deo. Et quanto cum eo gratiosius ac misericordius egit Deus, tanto et ipse cordialius compatiatur mundanis hominibus et omnibus iniquitate ac vanitate devictis, incessabiliter ac ardentissime intercedens pro eis ; nec tamen sit quempiam temerarie judicans, neque sibi ipsi inaniter complacens, aut se insipienter extollens.

Secundo ex prætactis instruimur, quemadmodum mundus iste infelix, sit reproborum impiorumque paradisus, electorum vero ac virtuosorum carcer atque exsilium. Habet equidem summus paterfamilias, Deus omnipotens, bona duplicia, utpote corporalia ac spiritualia, exteriora et interiora, temporalia et æterna, terrestria atque cœlestia. Quemadmodum itaque paterfamilias sæcularis dat bono ac docili filio meliora hereditaria bona seu terras magis fructiferas, filio autem indocili et perverso hereditaria viliora : ita omnipotens Deus paterfamiliasque cœlestis, reprobis et iniquis hominibus temporalia, carnalia ac terrena largitur, eos quoque frequenter ex ira sua ac justo judicio in talibus prosperari, ad graviorem eorum damnationem permittit. Electis autem et bonis bona dat spiritualia, interiora, cœlestia et æterna. Atque ut amplius crescant in istis, et gloriosius coronentur in eis, facit eos frequenter temporalium pati penurias, corporales afflictiones, inhonorationes, injurias : præsertim quia interdum ex fragilitate peccant humana, a quo indigent purgari per transitoria ista adversa. Insuper, quoniam reprobi subinde aliqua faciunt bona ex genere, et per eos temporalia administrantur, ac mundi cursus protrahitur, quousque electorum numerus compleatur ; hinc justus et supersapientissimus Deus permittit, imo et facit multoties impios ac reprobos temporaliter præsidentes, terrenis rebus ac prosperitatibus abundare. Quum igitur mundus iste sit carcer atque exsilium electorum, utamur eo ut carcere et exsilio, ut terra aliena et hospitio, ut valle lacrimarum et via, non ut loco risus aut deliciarum ac patria : ita ut toto affectu ad Beatorum patriam adspiremus, totis ad illam viribus festinemus, et instar sapientium viatorum faciamus quotidie unam bonam dietam, processum condignum, virilem laborem, diverticula caveamus, fabulationes extraneas evitemus. Nihil carnalis requiramus solatii, sed qualiter sancti Patres nostri præcesserunt, oculo intueamur pervigili, ac tritam ab eis viam vestigiis sectemur indefessis ac strenuis. Frequenter quoque, præsertim de sero, iter nostrum et dietæ quam fecimus qualitatem examinemus, et quidquid torporis ac negligentiæ, quidquid obliquitatis aut retrocessionis admisimus sive incurrimus, deploremus, emendemus, et recuperare non omittamus nec differamus.

Postremo ex præinductis docemur, omnem adversitatem amplecti, in tribulationibus gloriari, nec aliqua unquam pusillanimitate desolationeve tangi ex hoc quod bonis et justis multa contingunt adversa,

ac impiis prospera : imo in hoc laudare debemus justum Dei judicium, et sapientiæ ejus admirari abyssum, ipsum quoque humiliter deprecari ut cum suis electis in præsenti vita dignetur nos paternaliter castigare, pie purgare, gratiose implere, in omnibus conservare, et usque in finem dirigere. Contemplemur quam ineffabiliter peccata hominibus noceant, quam mirabiliter præsentis vitæ flagella eis proficiant, quam piissime Deus nunc cum suis agat electis, quos exercet adversis, et intelligemus quam sapienter atque salubriter dixerit Christus : Beati estis, quum maledixerint vobis homines, et persecuti vos fuerint, et exprobraverint, et dixerint omne malum adversum vos, mentientes, et ejecerint nomen vestrum tanquam malum, propter me; gaudete in illa hora et exsultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis. Nullus ergo nunc relinquitur religioso locus impatientiæ aut querelæ, turbulentiæ sive iræ, malitiæ sive tristitiæ. Hoc sanctissimus ac perfectissimus patronus, pater, ductor ac doctor noster Joannes Baptista optime sciens ac profundissime pensans, captionem, incarcerationem ac decollationem patientissime ac promptissime toleravit. Si ergo vere ejus servi ac discipuli, amatores ac imitatores esse optamus, ipsius sectemur vestigia, cum ipso gaudenter patiamur adversa, juxta ejus doctrinam ac opera totam nostram conversationem rectissime dirigamus.

Matth. v, 11, 12; *Luc.* vi, 22, 23.

SERMO TERTIUS

QUOMODO JUSTITIA ET JUDICIUM OBTENEBRENTUR ; QUID SIT JUSTITIA VERA, QUID EXIGAT ; ET QUID SIT SANCTITAS, QUOMODOVE OBTINEATUR.

HERODES *metuebat Joannem, sciens eum virum justum et sanctum.* Marc. vi, 20.

Tanta est vis probitatis, tanta dignitas honorabilitasque virtutum, ut etiam ab improbis ac perversis reverentiali formidetur timore ac honoretur, quamvis interdum per accidens contingat oppositum. Justitia autem est præclarissima virtus; et præsertim ipsa virtutum perfectio, utpote sanctitas, honorabilis est. Sed ecce quomodo passiones ac vitia corrumpunt humanum judicium : siquidem non obstante quod Herodes iste Joannem metueret, sciretque eum esse virum sanctum ac justum, tamen decollavit eumdem, et propter incestuosam adulteram vinxit et incarceravit eum, quem diu libenter audierat, et propter quem multa fecerat bona. Caveamus ergo et nos ne ratio nostra propriis vitiis ac passionibus obtenebretur, judicetque perverse, et jam ex irrationabili displicentia, aversione, ambitione, ira seu impatientia incipiat temerarie judicare, aut facta alicujus interpretari in pejus, aut aliquem persequi propter aliquam excellentiam gratiæ sibi collatæ, qua præeminet nobis vita, fama, etc., ita quod ejus respectu videmur vilescere : propter quod eum deprimere cupimus. Solent quippe nonnulli religiosi irreformati et periculose passionati, adversus talem zelari, et quærere qualiter ejus facta valeant denigrare. Atque in hoc quidam intimorati sibi instar squamarum cohærent, ut in sermone sanctus tangit Bernardus. Ideo Patres experti dixerunt, quod in religiosis in veræ humilitatis ac internæ mortificationis fundamento non radicatis, passiones vigent periculosiores quam in mundanis hominibus. Vereamur ergo cum sancto Job omnia opera nostra; abhorreamus stul-

Marc. vi, 17 et seq.

Job ix, 28.

ta judicia ; in profunda humilitate, vivifica mortificatione, abnegatione plenaria, reformatione interna fundemus nos ipsos et proficiamus quotidie. Nihil ambitionis, nil vanæ appetitionis, nil inordinatæ reflexionis inhæreat cordibus nostris ; aliorum gratiæ atque profectui congratulemur ex corde ; bona quæ quisque in se ipso non habet, in alio diligat et collaudet, quatenus omni cupiditate ac privato amore expulsis, regnet caritas sancta in cunctis.

Præterea intueamur, qualiter hunc excellentissimum Sanctum, gloriosissimum Christi baptistam, permisit omnipotens Deus manibus subjici impiorum, imo vilissimarum impiissimarumque feminarum petitionibus tradi. Unde merito exclamat Joannes os aureum : Joannes schola virtutum, magisterium vitæ, sanctitatis forma, norma justitiæ, virginitatis speculum, pudicitiæ titulus, castitatis exemplum, pœnitentiæ via, fidei disciplina ; Joannes major homine, par angelis, legis summa, Evangelii sanctio, Apostolorum vox, Prophetarum silentium, lucerna mundi, præcursor Judicis, et totius medius Trinitatis : hic talis ac tantus datur incestui, traditur adulteræ, addicitur saltatrici. Horum ergo intuitu nullus, quantumcumque in donis Dei videatur excellens, indignetur, turbetur impatiensve reddatur, si etiam ab his qui longe inferiores aut viliores putantur, exerceatur, irrideatur, aut tale injuriosum quid patiatur : attendat Joannem Baptistam, imo et Christum, quæ et quanta a vilissimis atque pravissimis sustinuerunt hominibus.

Denique, quia in evangelio hodierno sacratissimus iste Joannes commendatur potissime de duobus, videlicet de justitia et sanctitate, conemur eum sequi in istis duobus. Quemadmodum autem justitia est uno modo virtus communis, sic injustitia ei opposita, est vitium generale : ita quod omne peccatum est injustitia quædam, quum sit quædam obliquitas et recessus a directo virtutis, et per ipsum aliter habeat se homo quam debet. Si ergo optamus esse sinceriter justi, oportet nos omne peccatum vitare, quantum possibile est fragilitati humanæ, et pro quotidianis culpis quotidie pœnitere ac satisfacere, et eas deflere. Requirit autem vera justitia ut ei tam tenaciter ac amorose inhæreamus, ut propter nullum temporale, creatum caducumque bonum, recedamus ab ea, nec ex timore neque amore cujusquam, nec ex cupiditate aut voluptate, nec propter munera neque obsequia, nec propter preces aut blandimenta ; ne assimilemur huic impiissimo Herodi, qui ob adulteræ instigationem, et ne vitiosissimam contristaret puellam, occidit beatissimum sanctissimumque Joannem. Nulli igitur applaudamus in malo, nec alicui partialiter quisquam adhæreat, aut in illicitis adsistentiam præbeat ei. Nemo ex timore displicendi aut ex affectu complacendi cuicumque homini, sive superiori, sive familiari aut alteri, aliquid dicat vel faciat contra veritatem vitæ, doctrinæ, sive justitiæ, nec ex tali radice taceat veritatem quando dicenda est.

Exigit demum justitia ista ut Creatori impendamus debitam reverentiam, honorificentiam seu cultum decentem, ac meram subjectionem, prælato veram obedientiam, dilectionem venerationemque cordialem, ceteris consilium et auxilium, tempore opportuno, orationem et ædificationem. Exigit quoque ut diligentes ac strenui simus in observantiis sancti Ordinis nostri, nec aliquid ex contentis in regula seu statutis violemus, ne transgrediamur terminos quos nobis præfixerunt patres nostri. Intueamur ergo qualiter sancti Patres nostri sint conversati in Ordine, et quid regulæ contineat rigor ; deinde quantum distemus nunc a plena observantia statutorum ac regulæ, et an habeamus sufficientem coram Deo rationem tantæ deficientiæ a plena observatione, ita ut dispensatio queat nos excusare. Mater autem et ratio dispensationis, est vera necessitas evidensve utilitas. Præterea, quia revera non possumus nos

Prov. XXII, 28.

Ps. CXXXVIII, 16. excusare in toto, superest ut imperfectum nostrum inspiciant oculi nostri, et humiliemus nos vehementer ; neque sufficiat
1 *Petr.* III, 21. nobis commendatio hominum, sed interrogatio conscientiæ bonæ in Deum. Itaque
Eccle. IX, 10. quidquid potest nostra manus, operetur instanter.

Amplius, sanctitati gloriosi ac summi Joannis Baptistæ appropinquare semper conemur. Sanctitas autem proprie non aliud esse videtur quam actio undequaque, hoc est ex omni parte, perfecta : quemadmodum beatitudo dicitur optima operatio optimæ virtutis secundum statum perfectum. Nihilo minus, quia beatitudo hæc in hominibus multa includit ac præsupponit, propterea omnium illorum collectio seu adunatio quandoque beatitudo vocatur, ut quum ait Boetius : Beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus. Sic quia sanctitas hominis præsupponit et includit quamplurima, utpote omnium terrenorum carnaliumque affectuum exstirpationem, omnium passionum plenariam reformationem, omnium quoque virtutum in termino excellentiæ complementum ; hinc sanctitas etiam dici potest omnium vitiorum plena expulsio, interioris reformationis consummatio virtuosa, omniumque virtutum perfecta possessio seu actualis perfectio.

Præterea, sicut in exercitu unus homo præbet alteri robur atque subsidium, ita in acie virtutum virtuosorumque actuum una virtus, et actio sua, grande confert subsidium, protectionem ac fulcimentum alteri virtuti ejusque actui, et omnes se invicem juvant, perficiunt, ornant : sicut ad hoc quod quis sua peccata per virtutem pœnitentiæ digne deploret, et per abstinentiæ virtutem pro eis satisfactorie abstineat ac jejunet, et per virtutem latriæ oret ac celebret, maxime confert fides illuminata, qua creditur Deus esse judex actuum humanorum et pœnam æternam pro mortali culpa infligere, et caritas fervens, qua a Deo separari non acquiescit, et quod ab eo se unquam avertit tristatur, eique cupit reconciliari et facere recompensam. Nec potest quis esse perfectus in caritate, nisi a passionibus plene fuerit reformatus, atque in humilitate, patientia, mansuetudine, sobrietate, continentia, ceteris quoque virtutibus moralibus ac aliis perfectus.

Ut ergo conversatio nostra sit Deo summe accepta, et opera nostra bona promptissime ac delectabiliter fiant, conemur ad sanctitatem, ad omnium virtutum consummationem, ad intensissimam cum Deo adhæsionem, ad universarum passionum refrenationem ac regulationem omnimodam, ad indefessum in omni bono profectum, fortissimamque et incessabilem cordis custodiam, ad ferventissimam dilectionem : quæ omnia in præstantissimo patre nostro Joanne Baptista excellentissime erant. Ejus ergo intercessione ac meritis ista desuper impetrare conemur. Ad laudem et gloriam Omnipotentis.

IN SOLENNITATE
NATIVITATIS B. V. MARIÆ

Enarrationem epistolæ, Ego quasi vitis, etc., *cum suo sermone, require supra in festo Conceptionis; enarrationem quoque evangelii,* Liber generationis, etc., *cum suo sermone, ibidem.*

SERMO PRIMUS

DE BENEDICTIONIBUS B. MARIÆ, DE PLENITUDINE GRATIARUM EJUS, ET QUANTUM DEBEAMUS ILLAM AMARE ET HONORARE.

BENEDIXIT te Dominus in virtute sua, quia per te ad nihilum redegit inimicos nostros. Judith XIII, 22.

Sicut beatus ait Gregorius, Benedictio Dei est collatio munerum ejus, et multiplicatio eorumdem. Merito ergo de gloriosissima virgine Maria asseritur, quod Deus benedixit eam « in virtute sua », id est valde copiose in omnipotentia sua. Benedixit equidem eam ante suam nativitatem, in nativitate sua, et post nativitatem suam.

Primo itaque, benedixit eam ante nativitatem suam, id est, quum adhuc clausa fuit in utero matris suæ, videlicet sanctæ Annæ. Hæc autem benedictio fuit ejus a peccato præservatio [1]. Et quamvis sacra Scriptura hoc evidenter non dicat, tamen ex his quæ in Scripturis continentur, hoc rationabiliter certitudinaliterque probatur. Denique Christo excepto, non legitur in divinis Scripturis quispiam sanctificatus in utero, nisi sanctus Jeremias propheta, sanctissimusque Joannes Baptista. De se ipso Jeremias quidem testatur Deum dixisse ad se : Priusquam te formarem in utero, novi te; et antequam exires de ventre, sanctificavi te. *Jer.* I, 5. Sed de sacratissimo Joanne Baptista scribit hoc Lucas evangelista, qui ait angelum Gabrielem dixisse de Joanne ad Zachariam : Spiritu Sancto replebitur ex utero, id est in utero, matris suæ. *Luc.* I, 15. Ex his facile est probare, gloriosissimam Virginem materno in utero fuisse sanctificatam. Primo, quoniam quidquid gratiæ et virtutum, quidquid interioris decoris et perfectionis a Deo collatum est servis suis, multo plus præstitum est Virgini illi incomparabili atque dignissimæ quam sibi ipsemet Deus elegit in matrem, puta Mariæ. Secundo, quoniam ipsa præ omnibus Sanctis Christo fuit propinquior et consimilior, et prima ac summa post eum in ordine ac universitate Sanctorum : ideo sanctificationi et sanctitati Christi hominis fuit propinquior, utpote sanctificata præ aliis in utero matris. Tertio, quoniam decor et honorificentia parentum redundat in prolem eorum, similiter inho-

1 *Ita* in 2ª et 3ª edit.; in 1ª autem legitur : Sanctificatio ejus in ventre materno.

norificentia. Propter quod scriptum est in
Eccli III,13. Ecclesiastico : Gloria hominis ex honore
patris sui, et dedecus filii, pater sine ho-
Prov. XVII, 6. nore. In Proverbiis quoque : Gloria filio-
rum parentes eorum. Quemadmodum ergo
ad irreverentiam Christi pertineret, si
suam Matrem præ ceteris Sanctis non san-
ctificasset in utero matris, ita ad gloriam
et honorem pertinet Salvatoris, quod pro-
priam Matrem excellenter sanctificavit in
utero genitricis.

Ex his itaque constat, non solum Virgi-
nem gloriosam in suæ matris alvo sancti-
ficatam, imo et valde excellenter sanctifi-
catam esse ibidem : quemadmodum et
Joannes Baptista excellentius sanctificatus
fuit in utero Jeremia, quoniam de Joanne
Luc. I, 15. retulit angelus, Replebitur Spiritu Sancto
ex utero matris suæ. Verumtamen multo
plus excellit sanctificatio Virginis sacræ
sanctificationem B. Joannis Baptistæ, quam
sanctificatio Baptistæ sanctificationem Je-
remiæ prophetæ. Etenim Matrem veri Dei
oportebat valde in omnibus præfulgere.
Quum ergo S. Joannes sit in utero Spiritu
Sancto repletus, valde mirabiliter in utero
suæ genitricis sanctificata est Mater Chri-
sti Dei omnipotentis : ad quod pertinet
Ps. XLV, 5. illud in Psalmo, Sanctificavit tabernacu-
lum suum Altissimus. Denique, tam co-
piosa virtus et gratia infusa est Virgini
summæ in utero matris, quod nunquam
peccavit, nec mortaliter nec venialiter : ita
quod nunquam in ea surrexit aliquis inor-
dinatus motus sensualitatis aut fomitis,
nunquam illicita cogitatio, nunquam mala
affectio ; nunquam inordinatum verbum
locuta est, nec negligentia aliqua ei subre-
psit. Hæc sanctificatio fuit benedictio ejus
in utero.

Secundo, benedixit eam Deus in sua na-
tivitate, in qua a suis parentibus Deo de-
votissime fuit oblata, et in qua vere magna
et nova lux orta est mundo : tuncque (ut
creditur) Deus gratiam suam auxit in ea.
In veteri equidem Testamento masculi
per circumcisionem ab originali purga-
bantur peccato, et gratiam gratum facien-

A tem ac virtutes acceperunt per infusionem
seu creationem a Deo : nam sine caritate
et gratia Deo placere, in statu salutis esse
et salutem consequi non valebant. Fe-
mellæ vero salvabantur fide parentum,
quorum fide purgabantur ab originali, non
sine infusione (ut tactum est) caritatis et
gratiæ. Certumque est, Virginem sacram
in originali natam non esse, imo nec Jo-
annem Baptistam, quem tamen constat
circumcisum fuisse : in cujus circumci- *Luc.* I, 59.
sione (ut creditur) gratia Dei in ipso non
B modice aucta est. Unde et in gloriosæ Vir-
ginis nativitate, dum eam parentes sui
Deo tam devotissime obtulerunt, creditur
Deus magnum gratiæ suæ incrementum
posuisse in ipsa.

Tertio, copiosissime eam benedixit post
suam nativitatem. Mox namque ut ratione
uti cœpit sacratissima Virgo, Spiritus San-
ctus (cujus actuali motione indigemus in
omni meritoria actione) direxit et gratio-
sissime movit eam ad omne bonum, præ-
sertim ad Dei notitiam seu contempla-
C tionem, et actualem fervidumque ipsius
amorem : tuncque spiritualiter crescere
cœpit, atque quotidie in omni virtute ve-
hementer proficere. Habitavit autem in
templo, in quo oblata fuerat Deo, ubi cun-
ctis admirabilis fuit et gratiosissima ni-
mis, jugiter Deo intenta, orando, medi-
tando, contemplando dulcissime, diligendo
præfervide. Porro in annuntiatione domi-
nica, quando Christum, Dei Unigenitum,
concepit, exuberantissimum gratiæ ac vir- *Ibid.* 26 et
tutum ei collatum est incrementum : quia seq.
D tunc vera Dei effecta est Mater, atque ex
tunc cœpit incomprehensibilis Deus in-
comprehensibiliter operari in propria Ma-
tre. Idcirco ab illo momento quo in ea
incarnatus est Deus, gratia Dei in ejus
utero quiescentis redundavit valde in eam,
et utique tam copiose, ut decuit a tali filio
tali matri redundantiam communicatio-
nemque bonorum in ipso exsistentium
fieri. Hinc ait Hieronymus : Ceteris gratia
per partes præstatur, Mariæ vero se totam
infudit gratiæ plenitudo. Nam sicut divi-

De Cœlest. hier. c. III, IV, VII, etc.; de Eccl. hier. c. I.

nus Dionysius in pluribus ait locis, quanto quid magis propinquat alicui primo in quolibet ordine, tanto plus participat virtutem et effectum illius primi. Idcirco angelici spiritus de ordinibus primæ hierarchiæ, videlicet Seraphim et Cherubim, abundantius participant illuminationem et influentiam gloriosam a Deo, quam angeli ordinum inferiorum. Quum itaque Christus, secundum suam deitatem, sit causa et fons totius gratiæ ac virtutum per auctoritatem et creationem, secundum humanitatem vero, per modum instrumentalis ac meritoriæ causæ; certum est quod præelectissima ac sacratissima Genitrix ejus, præ ceteris incomparabilem gratiæ plenitudinem ab ipso sortita sit in vita præsenti, incomparabilem quoque felicitatem et gloriam in regno cœlesti. Nec solum accepit a Deo Filio suo dona gratiæ gratum facientis, sed etiam dona gratiæ gratis datæ. Quod enim fuerit prophetissa, patet in cantico ejus, ubi inter cetera

Luc. I, 48. vaticinabatur : Ecce ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Postremo, quis valeat excogitare, quam abundanter bene-

Act. II, 1 et seq. dixit eam Deus in die Pentecostes, quando cum Apostolis ac ceteris utriusque sexus quibusdam Sanctis Spiritum Sanctum accepit? Et eo repleta est tanto exuberantius, quanto ad ejus susceptionem devotius se paravit et supernæ infusionis capacior fuit ac dignior.

Quum ergo tam ineffabili gratiarum plenitudine, omnique liberalitate, caritate et pietate plena sit beatissima Virgo, eam cum omni fiducia accedamus, ejus misericordiam imploremus, ut pro nobis orare, gratiam et virtutes nobis impetrare dignetur, nec sua defensione nos unquam destituat. Gloriemur in hac sanctissima solennitate in Domino, quia in die hac nata est nobis tam præclarissima virgo, tam affectuosissima mater, tam fidelissima advocata, tam misericordissima mediatrix, tam potentissima ac liberalissima auxiliatrix, quæ jugiter orat pro peccatoribus, ita ut si quid gratiæ aut virtutis in nobis est, per ipsam nobis contulit Deus, qui ei misericordiæ regnum commisit. Ipsam ergo post Christum Deum et hominem summe diligere ac venerari et invocare debemus, ejusque humilitatem, mansuetudinem, pietatem, castimoniam, caritatem ac ceteras sequi virtutes, ut ei devotio et veneratio nostra complaceat; nec aliter salutem obtinere poterimus. Idcirco devotissimus ait Bernardus : Altius intuemini, o fratres, quanto devotionis affectu beatissimam Mariam Deus a nobis voluit honorari, qui totius boni in ea plenitudinem posuit, ut proinde si quid in nobis est spei, si quid gratiæ aut salutis, ab ea noverimus redundare. Totis ergo medullis cordium votisque omnibus veneremur Mariam, quoniam sic est voluntas Dei, qui totum nos voluit habere per illam.

Quidam vir sanctus contemplativam vitam ducens, audivit singulis annis sexto Idus Septembris angelorum dulcissimam melodiam. Quumque Deum devotissime exoraret ut sibi revelare dignaretur cur specialiter illa die audiret concentus angelicos, revelatum est ei quod ideo, quoniam illa die nata fuit in mundo sacratissima Virgo; præcepitque ei Deus ut hoc ipsum revelaret sanctæ matri Ecclesiæ, quatenus etiam ipsa in hac die solennitatem de nativitate Mariæ virginis celebraret. Quum ergo hæc summo intimasset Pontifici, ille veritate indagata atque comperta, præcepit hoc festum sexto Idus Septembris universaliter celebrari. Celebrat autem Ecclesia nativitatem Christi, et Virginis gloriosæ, Joannis quoque Baptistæ, quia hi tres sine peccato originali sunt nati.

SERMO SECUNDUS

QUOD B. MARIA CONTRIVERIT CAPUT SERPENTIS, QUOD SIT MEDIATRIX NOSTRA, ET DE SANCTITATE EJUS TESTIMONIA EX EPISTOLIS IGNATII MARTYRIS.

BENEDICTA es a Domino Deo excelso præ omnibus mulieribus super terram. Judith XIII, 23.

Verba ista ad litteram dicta sunt de illa virtuosa atque castissima vidua Judith, quæ quum (Deo auxiliante) occidisset impiissimum Holofernem, ac per hoc populum suum, filios Israel, a maximis liberasset angustiis et a crudelissima morte, et ultra hoc, ad copiosissimam spoliorum abundantiam eos juvisset, principes populi sui et omnes concorditer eam benedixerunt, et verba prætacta Ozias princeps dixit ad eam. Per hanc Judith viduam præfigurata est dignissima virgo Maria, et per Holofernem designatur diabolus, quem prostravit et vicit Virgo sanctissima, præsertim in hoc, quod Christum peperit, qui salvator est mundi, spoliator inferni, victor diaboli. De ipsa etenim in exordio sæculorum Deus prædixit hosti antiquo : *Gen.* III, 15. Inimicitias ponam inter te et mulierem; ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo ejus. *Ibid.* 1-6. Denique, sicut diabolus per unum virum, hominem protoplastum, vicit, infecit ac perdidit genus humanum femina mediante, videlicet Eva virum ad peccatum hortante; *II Cor.* I, 3. sic Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, per unum virum, Dominum Jesum Christum, femina mediante, utpote Virgine gloriosa, carnis substantiam Dei Filio ex suis purissimis sanguinibus ministrante, liberavit genus humanum a jugo diaboli, a fœditate et servitute peccati, a damnatione inferni, et ultra hæc omnia, ad gratiam copiosam in præsenti et gloriam sempiternam in futuro illud reduxit. *Sap.* II, 24. Hinc Sapiens ait : Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum. A Et ad Romanos ait Apostolus : Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors. *Rom.* V, 12.

Itaque Deo summe regratiari debemus, quia non solum providit nobis de omnipotente salvatore, atque idoneo mediatore ac reconciliatore inter se et nos, sed insuper nobis concessit benignissimam mediatricem Mariam, quæ tota piissima est, omni caritate, misericordia, dulcedine, liberalitate plenissima. Nempe ad mediatorem hunc Dominum Jesum Christum indigemus hac B mediatrice : quoniam mediator iste non solum est homo pius, sed etiam justus metuendusque Deus; nec solum est salvator ac advocatus, sed etiam judex terribilis, habens potestatem et corpus et animam projicere in infernum, qui nullum peccatum relinquit inultum, et pro uno mortali flagitio ulciscitur Dei Patris injuriam æternali supplicio. Indigemus ergo mediatrice ad mediatorem tam justum ac metuendum, quæ nos ei pacificet, ipsius mitiget iram, et nobis obtineat gratiam ac C salutem. Et certe gratias Deo, qui talem nobis donavit, quæ tota ineffabiliter misericordissima exsistit ac præpotens valde. Nam mediatori huic tam cara est, et tam singulariter honoranda, quod ab ipso repulsam pati non valet, utpote prædilectissima ac præstantissima Mater ipsius, cui a tam optimo Filio nil decet negari. Quum ergo tot et tanta nobis proveniant bona per mediatricem istam piissimam, rationabile prorsus ac justum est ut ejus saluberrimam nativitatem devotissime celeD bremus. *Matth.* X, 28. *Job* XXIV, 12.

Præterea libellus Historiæ nativitatis Virginis sacræ, a Patribus sanctis est inter

apocrypha computatus ; aliqua tamen ex his quæ ibi narrantur et credibilia satis videntur, nunc breviter referam. Itaque, sicut dicitur ibi, Joachim ex civitate Nazareth oriundus, conjugem duxit Annam ex civitate Bethlehem natam. Erantque justi et irreprehensibiliter conversantes, et substantiam suam in partes tres dividentes : quarum unam dederunt templo et ejus ministris, aliam peregrinis et pauperibus, tertiam sibi et suæ familiæ reservabant. Quumque per viginti aut circiter annos nullam potuissent acquirere prolem, Domino promiserunt quod si eis prolem concederet, divino eam manciparent obsequio. Quumque in quadam solennitate legis, Joachim cum aliis oblationem suam vellet offerre in templo, sacerdos cum indignatione repulit eum, eo quod infecundus exsistens, inter fecundos apparere hostiamque in templo offerre esset indignus. Qui præ confusione domum redire non audens, abiit ad suos pastores, et per aliquot dies cum ipsis permansit. Ibique apparuit ei angelus Dei, prænuntians ei quod ex sua conjuge filiam generaturus esset, dicens : Anna uxor tua pariet tibi filiam, quam vocabis Mariam. Hæc, ut vovistis, erit a sua infantia Domino consecrata, et ex utero matris suæ Spiritu Sancto plena ; nec forinsecus inter populares, sed in templo Dei morabitur, ne de ea quisquam sinistrum quid suspicetur. Et sicut ipsa ex sterili matre nascetur, ita ex ea filius Altissimi mirabiliter generabitur, qui Jesus vocabitur, per quem erit omnibus gentibus salus. His dictis, angelus ab ipso discessit, ejusque conjugi de viri sui absentia lamentanti apparuit, eadem referens ei. Tunc Joachim et uxor ipsius vehementissime gloriantes in Domino, convenerunt, et filiam generantes, vocaverunt eam Mariam. Post hæc completo triennio, filiam ablactatam duxerunt ad templum Domini in Jerusalem cum oblationibus congruis juxta legem, et eam ibi Domino obtulerunt, atque cum ceteris virginibus dimiserunt. Erant autem ibi quindecim gradus quibus ascendebatur in templum, quod situm fuit in monte. Itaque virgo Maria triennis, omnes gradus illos per se ipsam tam expedite ascendit ac si perfectæ fuisset ætatis. Constituta vero in templo, quotidie in omni sanctitate profecit, et ab angelo sancto visitabatur assidue. Denique præinducta valde credibilia sunt. Quum enim Christus præcursorem suum voluerit a sanctis parentibus nasci, ejusque nativitatem prænuntiaverit suo patri, dubitandum non est quin a sanctis parentibus voluerit propriam Matrem nasci ; estque credibile quod ejus nativitatem per angelum prænuntiaverit suis parentibus ; et cetera jam narrata de Virgine sacra, a Sanctis multis et magnis doctoribus asseruntur.

Amplius, quam virtuosa fuerit Virgo sancta, ostenditur ex epistola quam gloriosus martyr Ignatius misit magistro suo beatissimo Joanni apostolo. In qua inter cetera scribit : Sunt hic multæ de nostris mulieribus, Mariam Jesu videre cupientes, ut eam contingant, et ubera ejus tractent, quæ Dominum Jesum lactaverunt, et etiam ut quædam secretiora ejus percontentur. Ipsa enim Salome, quam diligis, filia Annæ, Jerosolymis quinque mensibus apud eam commorans, et aliæ quædam referunt, Mariam omnium gratiarum abundantia et omni virtute fecundam. Et (ut dicunt) in tribulationibus et afflictionibus est hilaris, in penuriis et indigentiis non querula, injuriantibus grata et non molesta ; lætam piis se exhibet, et afflictis coafflicta condolet et subvenire non pigrescit. Contra vitiosos et pestiferos in pugna fidei enitescit. Nostræ novæ religionis et pœnitentiæ est magistra, et apud fideles omnium operum pietatis ministra ; humilibus est devota, et devotius humiliatur. Et miro modo ab omnibus magnificatur, quum a Scribis et Pharisæis ei detrahatur : et sicut nobis a fide dignis narratur, in Maria Jesu humanæ naturæ excellentia sanctitati angelicæ sociatur. Et hæc talia excitaverunt desideria mea et cogunt valde desiderare adspectum hujus

(si fas sit sic loqui) prodigii et sanctissimi monstri. Rursus idem beatus martyr ac præsul Ignatius in alia epistola scribit Joanni apostolo : Si licitum est mihi apud te, ad Jerosolymæ partes volo ascendere et videre Sanctos qui ibi sunt, præcipue Mariam Jesu, quam dicunt universis mirandam et cunctis desiderabilem. Quem vero non delectet videre et alloqui eam quæ Deum deorum peperit, si sit nostræ religionis amicus ? Heu ! quid moror ? Cur detineor ? Bone præceptor, properare me jubeas, et valeas. — Ex istis probatur epistolis, quam ferventer utriusque sexus personæ ex gentilitate ad Christum conversæ, desideraverunt sacratissimam virginem Mariam videre et alloqui, adhuc viventem in carne mortali, et quam longe ac late confluxerunt ad eam. Unde et legitur quod divinus Dionysius, qui in religione christiana fuit tam ardens, accessit Jerosolymæ loca ad videndum beatissimam Virginem. Fuitque ei ostensa in tanta claritate et gloria, quod præ admiratione deficiens, dixit : Nisi aliunde aliam esse Deitatem novissem, non aliam putassem Deitatem quam Virginem benedictam.

Postremo, quum non sit condignus Virginis hujus laudator aut venerator, nisi qui ejus fuerit devotus ac stabilis imitator, studeamus in prætactis virtutibus de quibus eam magnus et valde electus collaudat Ignatius, ipsam sectari. Itaque ejus exemplo simus in tribulationibus afflictionibusque jucundi, injuriantibus non molesti nec indignantes sed gratias referentes, quoniam maximi meriti nobis præbent occasionem, et per eos purgamur ac coronamur a Deo. Non simus faciliter querulosi, imo paupertatem et famem, sitim ac nuditatem æquanimiter (si opus fuerit) toleremus, afflictis et indigentibus condoleamus et succurrere non tardemus. Et si viri sancti in vita hac a locis tam remotis venerunt ut eam viderent et alloquerentur adhuc mortalem, ad modicum tempus, quanto magis ad jucundissimum ejus adspectum in cœlis inseparabilem et æternum ardere ac festinare debemus, quia indubitanter, eam videre, omnia mundi gaudia inæstimabiliter superat ac transcendit ?

Porro de generatione Virginis gloriosæ dicta sunt aliqua supra, in his quæ de solennitate suæ Conceptionis sunt scripta : ubi epistola et evangelium festi præsentis exstant exposita. Et sermones eis ibi annexi possunt hic deservire : idcirco ut vitetur prolixitas, hic plura non scribo. *Cf.* t. XXXI, p. 48 et s.

AD RELIGIOSOS

SERMO TERTIUS

QUANTA FECERIT CHRISTUS SUÆ MATRI, ET DE HUMILITATE EJUS IMITANDA.

BEATAM me dicent omnes generationes. Luc. I, 48.

Quanto sacratissima Virgo erat Christo propinquior, tanto fuit ei similior. Fuit autem propinquissima Christo, utpote vera Mater ipsius, portavitque eum in utero suo, et carnis suæ substantia illum induit ac vestivit. Denique rationalis creatura est incircumscriptibili Deo tanto propinquior, quanto plus ad eum accedit, et quanto amplius ei unitur. Accedit autem ad Deum non corporis gressu, sed mentis affectu,

non locali incessu, sed spirituali profectu, non materialiter ambulando, sed spiritualiter diligendo. Et quo ferventius amat, quo affectuosius ad summum bonum adspirat, eo celerius currit, magis procedit, propinquiusque unitur. Porro Christus secundum quod Deus, essentialiter et interminabiliter est beatus ; secundum assumptam vero humanitatem fuit ab incarnationis exordio, quantum ad superiorem suæ animæ partem, beatus, seu Deum per speciem videns, et ipso beatifice fruens. Credendum est ergo, quod nunquam aliqua rationalis creatura tantum in hac vita propinquavit beatitudini animæ Christi quemadmodum præstantissima ejus Mater, sacratissima Virgo. Et sicut in utero excellentius fuit sanctificata quam gloriosus Joannes Baptista et Jeremias propheta, sic in vita ista (ut credo) clarius vidit Deum quam Moyses legislator, aut Paulus apostolus, quamvis uterque eorum Deum per speciem viderit in hac vita. Erat namque cunctis in caritate ferventior, in puritate præclarior, in dono sapientiæ, in mystica theologia, in omni virtutum perfectione sublimior, et omnibus carior Deo, secretior ac familiarior Spiritui Sancto. Et propriæ Genitrici Deus incarnatus clarius demonstravit, liberalius communicavit eminentiusque conjunxit se ipsum, quam aliis quibuscumque. Hinc ipsa in spiritu præcognoscens Christum Filium suum a cunctis mundi gentibus adoran-
Luc. I, 48. dum, prophetavit se quoque beatificandam ab universis in Filium suum credituris ; et hoc ideo : Quia respexit (inquit) humilitatem ancillæ suæ, id est, me suam humilem, modicam pauperemque ancillam benigne adspexit, et meam approbavit humilitatem in tantum, quod se ipsum circa me et in me ineffabiliter exinanivit, faciendo se ipsum, omnium Creatorem, filium meum, assumens ex me et in me naturam humanam. Hinc sanctissima Virgo
Ibid. 49. subjunxit : Quia fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen ejus.

Quæ sunt magna ista quæ Unigenitus Dei fecit suæ Matri ? Primum et summum est, quod fecit eam suam Matrem. Per quod fecit eam Deo Patri comparentalem, ita quod eumdem cum Patre æterno habet ac genuit Filium, illumque peperit a quo Spiritus Sanctus vere procedit : quod est dignitas quodammodo infinita. Secundum est, quod fecit eam matrem ac virginem : quod nunquam contigit, nec continget amplius in hoc mundo. Supernaturaliter quippe fecundavit eam Altissimus, atque ex mundissimo ejus sanguine corpus Christi formavit, prout sanctus angelus Gabriel nuntiavit eidem : Spiritus San- *Luc.* I, 35.
ctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Et in isto habet similitudinem magnam cum Patre æterno, quoniam sicut ille solus est Pater sine matre Filii exsistentis secum ejusdem naturæ, sic ipsa sola est mater sine patre Filii secum exsistentis naturæ ejusdem. Tertium est, quod fecit eam cooperatricem reparationis salutis universorum. Nam sicut per primam deceptamque matrem, omnes perditi ac damnationi obnoxii et filii *Ephes.* II, 3.
iræ eramus, ita per Matrem istam virgineam, dæmonum deceptricem, reparata est omnium salus, et per eam reformata sunt omnia. Ipsa namque sua profundissima humilitate, purissima virginitate, ardentissima dilectione, perfectissima conversatione, dicitur promeruisse ut ex ea Dei Filius incarnaretur, et quod ex ea Salvator est natus : non quod prorsus id meruit de condigno, sed magis de congruo, et quantum poterat promereri, et quia præ ceteris quasi incomparabiliter meriti erat majoris. Ipsum quoque Salvatorem concepit, enixa est, educavit, et pro communi salute ac redemptione singularissime exoravit. Merito ergo a cunctis generationibus fertur beata, utpote per quam omnium est recuperata beatitudo.

Quartum est, quod prætulit eam omni puræ creaturæ, ita quod eo ipso quo facta est Mater veri Dei, constituta est domina mundi totius, imperatrix angelorum, regina cœlorum, principissa omnium homi-

num, ac dæmonum conculcatrix. Quintum est, quod fecit eam advocatam generis humani, custodem et protectricem totius Ecclesiæ, et omnium matrem fidelium. Idcirco Ecclesia ei se prosternit humiliter, et pietatis ejus pedibus se provolvit. Sextum est, quod regnum misericordiæ ei commisit, reginam misericordiæ, matrem pietatis et gratiæ, mediatricem iniquorum eam efficiens, ita quod innumerabiles miseri et iniqui, imo desperati ac impiissimi per eam salvantur ; et quidquid pietatis ac misericordiæ, quidquid gratiæ et salutis Deus omnipotens et æternus nobis largitur, per eam nobis præstare disposuit. Idcirco vult eam a nobis, post se ipsum, singularissime honorari, devotissime invocari, ac unice præamari tanquam benignissimam procuratricem per quam quidquid gratiæ ac salutis in nobis exstiterit, a fonte omnis boni sortimur, ac desuper obtinemus.

Septimum est, quod tantam divinorum charismatum exuberantiam, tantam eminentiam in gratia gratum faciente, omnique virtute infusa, ac dono Spiritus Sancti ei contulit et infudit, quantam eum condecuit dare propriæ Genitrici, id est ineffabiliter copiosam præ universis electis. Decentissimum etenim erat ut eam quam sibi elegit, prævidit, assumpsit in matrem, præ ceteris, qui sunt famuli et ancillæ, omni munificentia ac opulentia gratiæ suæ impleret et superimpleret. Istud quoque oportuit, ex quo constituit eam reginam regni misericordiæ, matrem pietatis ac gratiæ, mediatricem peccatorum, advocatam Ecclesiæ ac matrem Christianorum, ut esset tam plena ac opulenta, tam gratiosissima ac liberalissima, quatenus de plenitudine sua posset omnibus subvenire, communicare, influere. Octavum est, quod in triumphanti Ecclesia, in regno cœlesti, in patria Beatorum, exaltavit eam mirabiliter et præclare super omnes cives cœlestes, super universos angelicorum spirituum choros : et quanto hic excellentior erat in gratia, quanto in humilitate profundior, in caritate ardentior, in omni virtute perfectior, tanto facta est ibi major in gloria, in sua exaltatione sublimior, in beatifica visione perspicacior, in gloriosa fruitione repletior, in omni felicitate diffusior.

Ecce quam magna, quam mirabiliter et inæstimabiliter magna, præclara ac maxima fecit Virgini benedictæ, qui omnipotens est et solus essentialiter sanctus. Idcirco hanc sacratissimæ virginis Mariæ excellentiam universam jam tactam, sapientialiter contemplemur, frequenter intueamur ; ipsamque Deiferam et incomparabilem Dominam sincerissime inspiciamus, affectuosissime diligamus, suavissime veneremur, et omni felicitati ac eminentiæ ejus cordialissime congratulemur. Ipsam quoque cum omni fiducia et fervore jugiter invocemus, et quantum tota cœlestis curia eam diligat, laudet, honoret, pro posse consideremus.

Postremo ejus virtutes totis viribus assequamur. Ecce quam prona est ipsa omni quantumcumque reo in se et in Filium suum, ignoscere, misereri, succurrere : imo quam benignissime prævenit multos. Ejus ergo exemplo, sit quilibet nostrum omni in se aut in suos peccanti atque quantumlibet injurioso ignoscens, condolens, ac tempore opportuno succurrens, saltem orando, et opera sua bona ei communicando, si non potest alio modo. Iterum, non cessemus humiliare, reprehendere, accusare, vilipendere, dijudicare et castigare nos ipsos. Improperet unusquisque sibi ipsi in conscientia sua omnia peccata sua, et exaggeret ea : sicque ex assidua assuefactione vehementissime humiliandi, vilipendendi, increpandi, corrigendi nos ipsos, pertingemus ad humilitatem habitualem, profundam, completam : qua adepta, non erit in nobis ira neque tristitia propter injurias seu adversa ; imo in talibus erit gloriatio nostra, quoniam omni confusione, adversitate, irrisione et tribulatione reputabimus nos esse dignissimos. Et tunc Deus erit vere ac gratiosissime semper nobiscum, ita quod cum ingenti

ciamur inordinate. Et si aliqua sit persona ex naturali dispositione specialiter amabilis, attractiva, jucunda, suavis, affabilis, socialis, omnino cavendum ab omni sensuali affectu, incauto attactu, periculosa familiaritate ad eam. Quum itaque Deus sit bonum nostrum finale, propter quod cetera cuncta, imo et nos ipsos reliquimus, quatenus ipsum purius, perfectius ardentiusque amemus, sincerius atque stabilius contemplemur, incessabilius atque excellentius veneremur, colamus, laudemus ac invocemus ; abjiciamus omnem inordinatum affectum, omnem complacentiam vanam, omnem motum inanem, omnem dissolutionem, negligentiam et torporem, totaque animi seriositate, instantia et conatu exercitemus cor nostrum circa hoc bonum finale, per actus virtutum, orando, meditando, contemplando, diligendo, psallendo, et quidquid est Ordinis peragendo. Nec in iis fatigetur animus noster, imo quotidie validius inardescat.

Præterea pars ista quam summa et incomparabilis præelegit Maria, est vita contemplativa : Deo vacare, sapientiæ immorari, summo et incommutabili bono mente amorosa intendere, internam ducere vitam, gustare et videre quam dulcis sit Dominus, angelicam et cœlestem in terris habere conversationem ; exterioribus relictis, circa interiora versari. Etenim optima ista pars est illud unum de quo ait Salvator : Unum est necessarium. Hoc etenim unum objectum est Deus. Formaliter vero, est cum Deo unio amorosa, seu intrinsece Deo vivere ac vacare. Istud est finis omnium exercitiorum nostrorum, finis solitariæ ac monasticæ vitæ, finis propter quem adipiscendum in vita hac, mundum et omnia quæ sunt mundi reliquimus, atque nos ipsos abnegavimus, quatenus ab omni terrena sollicitudine liberi, a corporali provisione abstracti, ab omni occupatione mundana remoti, soli Omnipotenti quieta ac stabili, amorosa, pura illuminataque mente vacemus, obsequamur, adhæreamus. Ad quod requiritur ut memoriam denudemus a recordatione impertinentium rerum, distrahentium phantasiarum, perstrepentium specierum. Intellectum quoque nudare oportet ab informatione formarum circa creata versantium, a reflexione ad sensibilia ac terrena, a consideratione transitoriorum ac volubilium entium, solisque speciebus illis intelligibilibus aciem intellectus habere depictam seu informatam, quæ in Creatoris contemplationem dirigunt, elevant et deducunt. Istud est se ab exterioribus cunctis abstrahere, intus recolligere, in Deo simplificare ac figere.

Præterea, quum istud sit valde sublime, præclarum, divinum ac supra vires humanas, non potest homo ad verticem tantæ perfectionis contingere, nisi continuo specialique adjutorio singularis gratiæ Dei : quia necesse est ut stet quasi in indesinenti contactu increatæ sapientiæ Omnipotentis, a qua uberrime illustretur, impleatur, elevetur et accendatur, imo et manuteneatur in alto. Ad hanc vero approximationem sive contactum istum cum Sole sapientiæ, necesse est hominem esse virtutibus in termino excellentiæ perornatum ac roboratum, præsertim caritate, ac sapientia quæ est donum : quæ sapientia est habitus supernaturalis infusus, divinorum cognoscitivus per affectum et gustum ; per quem habitum fit homo facillime illuminabilis a Spiritu Sancto, ac dirigibilis ab eodem ad intuendum ac sapiendum sublimia Dei et invisibilia ejus, omnipotentiam, sapientiam, ac cetera attributa ipsius, et quidquid fides catholica docet esse in Deo.

Insuper, in hoc sapientiæ dono proficit homo : primo, per hoc quod crescit in caritate ; quia quanto quis fuerit in caritate perfectior, tanto in dono sapientiæ invenitur sublimior. Secundo, per hoc quod proficit in puritate interna. Nam quia hæc sapientia malevolam nequaquam ingreditur animam, nec in corpore peccatis subjecto moratur, oportet mentem a vitiis emundari : a quibus quanto præservatur immunior, tanto ad sapientiæ hujus

Ps. XXXIII, 9 ; I *Petr.* II, 3.

Luc. X, 42.

Sap. I, 4.

augmentum et confortationem est aptior, magisque irradiatur a Sole justitiæ. Idcirco oportet juge ac forte studium adhibere ad præcavendum omne peccatum, omnem evagationem, resolutionem, inquietudinem cordis. Tertio, per hoc quod assidue se exercet ad cogitandum de Deo et ad meditandum divina, ita ut incessanter pro posse studeat Deum apprehendere, admirari, extollere, considerare, laudare et contemplari. Ex talibus quippe actibus, habitus ille sapientialis qui donum sapientiæ nuncupatur, in se ipso vigoratur, invalescit, perficitur, et in exercendo actus suos promptus et expeditus valde efficitur, ita ut fiat homini facillimum, jucundissimum atque dulcissimum apprehendere, contemplari, mirari, extollere Deum. Quarto, per hoc quod cogitationes extraneas, considerationes minus necessarias, apprehensiones parum utiles vitat, meliora et vicinio- *Hebr.* VI, 9.
ra saluti attendens. Postremo ad caritatis ac sapientiæ hujus perfectionem non potest homo pertingere, nisi et passiones habeat fortissime refrenatas, penitus reformatas, rationi prorsus subjectas ; sitque in omni virtute morali, in sancta humilitate, in vera mansuetudine, in patientia inconcussa, in sobrietate et continentia perfecte fundatus, imo in omni sua conversatione sollicitus, custoditus ac timoratus.

Exemplo igitur sacrosanctæ Virginis, unum istud summe necessarium inquiramus, amplectamur, et possidere semper conemur, hanc optimam partem præeligamus, custodiamus, servemus, quidquid ab ea retrahit detestemur, atque in monastica conversatione sapienter ac fructuose jugiter gradiamur ad præfatum finem ipsius.

SERMO QUINTUS

QUÆ VIRTUTUM DIVITIÆ SINT CONGREGANDÆ, QUOMODO NE VETERASCANT NEU AMITTANTUR SINT SERVANDÆ.

MULTÆ filiæ congregaverunt divitias; tu supergressa es universas. Prov. XXXI, 29.

Si corporales divitiæ et opulentia hominum quantum ad corpus, sunt bona terrena : quanto magis spirituales divitiæ et opulentia hominum quantum ad animam, sunt spiritualia dona, cœlestia bona, angelica opera, participationes opulentiæ ac perfectionis divinæ? Hujuscemodi autem divitias congregaverunt in cordibus suis filiæ multæ electæ, quæ ab exordio mundi, Creatori in sanctitate et justitia servierunt. Verum has omnes sanctissima virgo Maria est ineffabiliter supergressa in omni spirituali opulentia. Denique divitiæ hominum appellantur ea quæ possident, quibus reficiuntur, vestiuntur et necessaria vitæ adipiscuntur. Hinc virtutes et dona Spiritus Sancti, virtuosa opera, sanctæ affectiones, sinceræ contemplationes rite vocantur divitiæ animarum, quia ex eis spiritualiter reficiuntur, nutriuntur, crescunt, roborantur, atque ad debitam seu congruam spiritualis altitudinis magnitudinisque mensuram pertingunt ; vestiuntur quoque, ornantur et armantur ex eis, ac contra libidinum æstus, contra iracundiæ flammam, contra ignem impatientiæ ac furoris, contra impulsum propriæ voluntatis, sed et contra torporis et aceDdiæ frigus, contra pigritiæ et invidiæ gelu per ea se tuentur ac muniunt. Unde anima his divitiis destituta, dicitur nuda, confusa et ignominiis plena. Propter quod in Apocalypsi Dominus ait cuidam : Tu es pauper, cæcus et nudus ; ideo suadeo tibi emere aurum ignitum, probatum, *Apoc.* III, 17, 18.

ut non appareat confusio nuditatis tuæ.

Studeamus ergo et nos, has in nobis congregare spirituales divitias, et eis animas nostras ornare, ut cœlesti complaceant Sponso. Receptaculum ac repositorium divitiarum istarum sint animæ nostræ, seu vires earum : et in appetitu sensitivo congregemus virtutes morales quæ circa passionum refrenationem versantur, ne ab ira, tristitia, impatientia, concupiscentia, aut alia quacumque passione vulneremur aut superemur, juxta illud in libro Job : *Job* v, 2. Virum stultum interficit iracundia, et par- *Ibid.* xxxvi, 18. vulum occidit invidia; itemque, Non te superet ira ut aliquem opprimas, nec multitudo donorum inclinet te. Neminem nostrum decipiat species, ut ad aliquem sensualiter afficiatur, aut in aliquo carnaliter *Eccli.* xlii, 12. delectetur. Propterea scriptum est : Noli *Dan.* xiii, 56. omni homini intendere in specie. Nec concupiscentia cor alicujus subvertat, ut aliquid eorum quibus utitur aut uti potest, teneat vel affectet privato amore, aut immoderata appetitione : quia ex hoc vitia oriuntur diversa atque enormia, utpote inobedientia, rixa, contentio, indignatio contra superiorem ac alios, cura superflua, distentio vaga, occupatio curiosa, et inquietudo aliorum. Si istud egerimus, innumerabilia evademus peccata. Congregemus itaque in appetitu concupiscibili temperantiam fortem, ne excedamus quotidie in cibo et potu, et ne in somno aut aliquo alio quæramus repausationem carnalem.

Præterea virtutes theologicas et intellectuales septemque dona Spiritus Sancti congregemus in intellectu ac voluntate : ut in primis intellectus illustretur ac decoretur fide contra universos errores perfidiæ et contra intentiones obliquas, quatenus cuncta quæ agimus, fide dirigente ad veram beatitudinem referamus, atque in omnibus Dei quæramus gloriam et honorem. Omnia quoque tentamenta virtute fidei superemus, et firmi in fide omnem puerilem abjiciamus formidinem, decantantes : *Ps.* xxvi, 1, 3. Dominus protector vitæ meæ, a quo trepidabo? Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum. Hinc namque hortatur Apostolus : In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea exstinguere. Denique justus *Ephes.* vi, 16. ex fide vivit; per fidem et misericordiam *Rom.* i, 17. purgantur peccata; fide Deus purificat cor- *Act.* xv, 9. da; fides salvum facit, exaudirique facit. Quidquid non est ex fide, peccatum est. *Rom.* xiv, 23. Hæc est victoria quæ vincit mundum, fides *1 Joann.* v, 4. nostra. Ecce quanta bona affirmat Scriptura de fide : quæ et omnium fundamentum est virtutum, basis structuræ interioris, radix spiritualis conversationis, radius increatæ veritatis, oculus rationis, lux animæ, sapientiæ nutrix. Simus ergo in fide illuminati, certissimi atque firmissimi, in tantum ut quamvis angelus de cœlo aliquid fidei *Galat.* i, 8. christianæ contrarium evangelizaverit, non credamus. Et præsertim nunc mille clypei *Cant.* iv, 4. pendent in propugnaculo fidei, nec ipsi qui credimus modo, tot sumus quot testes fidei veritatis nostræ habemus.

Deinde congregemus in intellectu nostro prudentiam, qua in cunctis discrete agamus, et universa secundum ordinem *1 Cor.* xiv, 40. et honeste fiant in nobis, congruo loco et tempore agenda agentes, et modum in omnibus observantes, ne imperitus fervor præcipitet, nec remissio sub specie discretionis retardet. Hæc virtus, secundum beatissimos patres Antonium et Bernardum, potissime est necessaria monacho, eumque compendiosius deducit ad perfectionem. Congregemus quoque in intellectu nostro dona scientiæ et consilii, ut per salutarem illam Sanctorum scientiam, bene et connaturaliter judicemus de rebus creatis, videlicet : quod ex se et in se vanæ sint, et vanitati subjectæ, imo vanitas vanitatum *Rom.* viii, 20. (juxta quod fertur in Psalmo, Homo vani- *Eccle.* i, 2. tati similis factus est; et rursus, Verum- *Ps.* cxliii, 4. tamen universa vanitas, omnis homo vi- *Ps.* xxxviii, 6. vens); et quod ideo finaliter non sit eis inhærendum, sed tantumdem quærendæ sint in quantum necessariæ utilesve consistunt ad ultimi finis adeptionem aut possessionem. Per donum vero consilii prompte dirigamur a Spiritu Sancto ad in-

quirendum ac inveniendum quid in dubiis et in his quæ rationem transcendunt humanam, magis expediat potiusque agendum sit. Amplius, congregemus in intellectu donum sapientiæ, per quod affective ac dulciter sapiamus et rite per connaturalitatem mente judicemus de Deo, puta quod ipse solus sit summum infinitumque bonum, finis finium, felicitas omnium, cui soli pura ac tota mente est finaliter inhærendum, vacandum atque vivendum.

Insuper, in superiori et intellectivo appetitu, scilicet voluntate, congregemus ante omnia et super omnia caritatem, sine qua nulla virtus est meritoria, formata aut viva, quæ sola directe ac intime unit Deo. Deinde in voluntate congregemus justitiam, per quam Deo quæ Dei sunt, et ejus vicario quæ ei debentur reddamus, proximis quoque sic faciamus sicut ab illis nobis fieri volumus, et ne contenti simus facere quæ tenemur. Congregemus quoque in voluntate nostra pietatem, per quam opera misericordiæ universis pro posse ex totis impendamus præcordiis, in quantum sunt summæ Trinitatis imagine insigniti. At vero, quoniam timor Dei sanctus et filialis, est omnium bonorum conservativus, utpote diligentiæ parens, et faciens declinare a malo ac vitare pericula, et Dei offensam abhorrere et fugere ; hinc et castum istum timorem in nostra anima et voluntate congregare non desistamus.

In hac autem spiritualium congregatione divitiarum, videamus ne impleatur in nobis quod per Aggæum prophetam loquitur Deus : Qui congregavit merces, misit eas in sacculum pertusum. In sacculo pertuso, quod a superiori parte infunditur, per inferiorem effunditur : ideo talis sacculus non impletur ; imo et labor congregationis in eo deperditur. Sacculus ergo pertusus, est cor negligens atque instabile, quod nunc quidem devotum, nunc indevotum exsistit. Unde quod in una congregat hora, perdit in alia ; et quod desuper ei ex divina infunditur pietate, infra amittitur ex humana infirmitate, ignorantia aut pravitate. Vitemus ergo omnem negligentiam, instabilitatem, ignorantiam, et præsertim universam malitiam mentis ; et dona Dei diligentissime conservemus, ne per negligentiam ac recidivationem perdendo, de ingratitudine gravius judicemur.

Postremo, si investigetur qualiter fiat congregatio spiritualium divitiarum prætacta, de qua in Evangelio asserit Christus, Thesaurizate vobis thesauros in cœlo ; et rursus, Facite (inquit) vobis sacculos qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cœlo : respondendum, quod orando Deum cum omni fidei firmitate, instantia et fervore, quum omnium dator et conservator virtutum sit Deus, a quo bona cuncta procedunt, qui operatur in nobis velle et perficere, a quo est omnis boni inceptio, prosecutio et perfectio. Pro infusione igitur et conservatione ac perfectione supernorum charismatum, perseveranter ac devotissime deprecemur. Secundo fit congregatio ista per diligentem insistentiam in omni actu laudabili, omni hora adjiciendo ad merita, et omne tempus fructuose pertranseundo, ut quotidie cum recenti fervore ac intensiori devotione, ea quæ divini sunt cultus exsequamur. Tertio, per internas ad Deum adspirationes fervidas ac frequentes, imo per interiorem exercitationem et occupationem cum Deo indesinentem, quantum possibile est, et jugiter actualem, ut ab interna Dei invocatione, laude, allocutione, meditatione, contemplatione homo non cesset. Quarto, faciendo se eminenter participem omnium quæ in Ecclesia Dei fiunt bonorum, orando ferventer et omni modo sibi possibili laborando pro communi bono ac reformatione Ecclesiæ. Et quia tota radix merendi pendet præsertim ex caritate, ita quod unusquisque est spiritualiter tanto melior ac ditior, quanto fuerit in caritate perfectior ; idcirco congregatio ista per hoc potissime exercetur, quod quis in caritate sincera crescit atque perficitur. Ideo in actuali et puro Deitatis amore incessanter conemur proficere, ad laudem et gloriam ejus.

Matth. VI, 20. *Luc.* XII, 33.

Jacob. I, 17. *Philipp.* II, 13.

I Cor. XIII, 1-3.

Tob. IV, 16; *Matth.* VII, 12.

Agg. I, 6.

IN FESTO
EXALTATIONIS S. CRUCIS

Enarrationem epistolæ quære de Inventione ejusdem ; enarrationem quoque evangelii cum suis sermonibus, ibidem.

SERMO PRIMUS

DE VEXILLO S. CRUCIS, ET QUAM MULTIPLICITER CRUCEM SUAM IN MUNDO CHRISTUS EXALTAVERIT.

LEVABIT *Dominus signum in natio-* A demonstraret exemplum ac traderet do-
* *profugos* *nes, et congregabit dispersos* * *Israel.* cumenta.
Is. XI, 12.

Reges et principes sæculi hujus propria habent vexilla, quæ et ante eos feruntur quando ad prælia gradiuntur. Sic et Unigenitus Patris æterni, Dominus noster Jesus Christus, Rex regum et Dominus dominorum, suum habet vexillum, videlicet sanctam crucem, per quam superavit diabolum, vicit mortem, salvavit genus humanum, cœlestisque regni aperuit januam. Et quoniam (teste Apostolo) abjecta et B suam destruxit eum qui habebat mortis contemptibilia mundi elegit Deus, idcirco ipse Christus, omnium Dominus, non vexillum de argento vel auro formatum, non pulchre ornatum, non humano judicio pretiosum, sed humana reputatione abominabilissimum vilissimumque elegit. Crux namque fuit latronum patibulum. Propter quod dixerat Moyses : Maledictus omnis qui pendet in ligno. Hoc ergo signum Christus sibi in vexillum elegit, ut mundi gloriam confutaret, vanitatem jactantiamque sæculi condemnaret : quia ad hoc Christus C altationem prætactam, congregavit « divenit in mundum, ut humilitatis, paupertatis contemptusque mundi in omnibus

Apoc. XIX, 16.

I Cor. I, 28.

Deut. XXI, 23.

Præterea signum istud levavit Deus « in nationes », quia beati Apostoli, Deo jubente, ubique terrarum prædicaverunt gloriam crucis Christi : qualiter scilicet per passionem et mortem suam in cruce mundum redemit, et per crucem a suo principatu ejecit diabolum. Unde passione sua imminente disseruit : Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras. Et secundum Apostolum ad Hebræos, Christus per mortem imperium, id est diabolum. Princeps quoque Apostolorum in prima sua Canonica : Christus (inquit) peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum. Hoc est quod in Apocalypsi asseritur : Christus dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo. Hac doctrina instructæ gentes ad Deum conversæ, signum crucis sibi levaverunt et erexerunt ubique in suis ecclesiis. Insuper Christus per Apostolorum prædicationem præfatam ac sui vexilli exspersos Israel », id est, electos Israeliticæ plebis per diversas mundi partes divisos

Joann. XII, 31.

Hebr. II, 14.

I Petr. II, 24.

Apoc. I, 5.

et vitiis a Domino separatos, in sua domo, A cœlestis regni, promeruit quoque hominiputa Ecclesia, adunavit per fidem, spem et caritatem, imo ex ipsis et electis gentilibus unam sibi fecit Ecclesiam. Hinc scriptum est : Jesus moriturus erat pro gente, et non tantum pro gente, sed ut filios Dei qui erant dispersi, congregaret in unum. De quibus in exordio primæ epistolæ beatissimi Petri habetur : Petrus apostolus Jesu Christi, electis advenis dispersionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ et Bithyniæ : Gratia vobis et pax multiplicetur. Hæc ergo crucis levatio, est quædam exaltatio ejus.

Joann. XI, 51, 52.

I Petr. I, 1, 2.

Sed advertendum, quod Filius Dei Jesus Christus crucem suam frequenter ac variis modis exaltavit in mundo. Primo etenim eam exaltavit, id est, dignificavit, honorabilem ac pretiosissimam fecit, proprii corporis contactu, videlicet humeris suis eam bajulando ad crucifixionis suæ locum, et in ea sustinendo mortis supplicium. Idcirco in Hymno profunde ac devotissime ait sanctus pater Ambrosius : Arbor decora et fulgida, Ornata Regis C purpura, Electa digno stipite Tam sancta membra tangere. Beata, cujus brachiis Secli pependit pretium, Statera facta est corporis, etc. Hinc S. Andreas apostolus quando ducebatur ad mortem, visa eminus cruce, repletus Spiritu Sancto, devotissime dixit : Salve, crux, quæ in corpore Christi dedicata es, et ex membris ejus tanquam margaritis ornata ; o bona crux, quæ decorem et pulchritudinem de corpore Domini suscepisti. Secundo Christus suam crucem exaltavit, suo roseo ac pre- D tiosissimo sanguine eam copiosissime perfundendo, atque per hoc eam purpuream faciendo. Idcirco cantatur in Hymno : Crux fidelis, inter omnes Arbor una nobilis,... Quam sacer cruor perunxit Fusus Agni corpore. Tertio, tam multa saluberrima ac præclarissima peragendo in ea : quia (ut tactum est) per crucem devicit aerias potestates, satisfecit pro peccatis humani generis reconciliavitque illud Patri æterno, confregit portas inferni, aperuit portam

nibus ineffabilem gratiam et salutem. Propter quod Petrus scribit : Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis, ut nos offerret Deo, mortificatos quidem carne, vivificatos autem spiritu ; deglutiens mortem, ut vitæ æternæ efficeremur heredes. Unde et ad Ephesios asseritur, quod Christus per crucem dissolvit inimicitias in semetipso. Hinc apud Joannem Christus ait : Si exaltatus fuero a terra, id est levatus in cruce, omnia tra- B ham ad me ipsum. Quarto, per Apostolorum prædicationem atque miracula hominibus toto orbe terrarum gloriam et virtutem crucis insinuando, eosque ad venerationem crucis multiplicem, et ejus ubique erectionem, præsertim in ecclesiis, inducendo : quatenus eam conspiciendo, passionem Christi jugiter recordentur, et ipsi diaboli signo crucis et ejus virtute perterreantur ac refrenentur. Imo tantam in cruce confidentiam habent fideles, ut ejus impressione et signatione se ab adversitatibus tueri, in bonis firmari, a dæmonibus protegi credant ac sperent. Quinto, eam hominibus manifestando. Et hæc exaltatio sanctæ crucis facta est in ejus inventione : quoniam usque ad tempus Constantini imperatoris fuit abscondita, et per diligentiam S. Helenæ matris suæ est inventa, atque per miracula divinitus declarata ; sicut de hoc plenius dictum est supra, in sermonibus de Inventione sanctæ crucis.

I Petr. III, 18, 22.

Ephes. II, 16.

Joann. XII, 32.

Sexto, fecit hoc per Heraclium imperatorem, eam de manu perfidi regis Persarum eripiendo, atque ad sanctum templum suum quod tunc in Jerusalem fuit, eam reducendo et constituendo in eo. Quod totum cum præclarissimis copiosissimisque miraculis gestum est. Nempe ut legitur, dum Cosdroe rex Persarum diversa regna vastasset, partem ligni sanctæ crucis, quam B. Helena regina ibi reliquerat, tulit secum. Tunc Heraclius imperator Romanus congregato grandi exercitu, contra exercitum Cosdroe processit, et Deo auxi-

liante prævaluit, sicque populum Cosdroe infidelem convertit ad Christum. Deinde ipso Cosdroe victo et perempto, Heraclius imperator lignum crucis recuperatum, secum ad Jerusalem reportavit. Denique, quum de monte Oliveti descendens, et super regium equum ornamentis imperialibus decoratum sedens, ingredi vellet per portam per quam Christus intravit passurus in crastinum, ecce lapides portæ descenderunt repente, et operientes ingressum, quasi unus paries sunt effecti. Propter quod admirantibus universis, angelus Dei signum crucis tenens in manibus, super portam apparuit, dicens : Quum Rex cœlorum ad passionem per hanc portam intraret, non cultu regio, sed humili asello ingrediens, humilitatis exemplum suis reliquit cultoribus. Quo dicto, disparuit. Tunc lacrimans imperator, discalceavit se, et vestes suas usque ad camisiam exuit, crucemque Christi humiliter sumens, eam usque ad portam devotissime tulit ; moxque lapides ad pristinum locum redeuntes, liberum præbuerunt ingressum. Suavissimus quoque odor ibi a Deo dispersus est, qui universos mirabili recreavit dulcedine. Tunc imperator divino succensus amore, et illustratus a Spiritu Sancto, in hæc crucis prorumpit præconia : O crux splendidior cunctis astris, mundoque celebris, et hominibus multum amabilis, sanctior universis, quæ sola digna fuisti portare talentum mundi. Dulce lignum, dulces clavos, dulcia ferens pondera. Salva præsentem catervam in tuis hodie laudibus congregatam, tuo vexillo signatam. Sicque pretiosissima crux suo restituta est loco in templo. Tunc antiqua Christi miracula sunt copiosissime renovata. Nam mortuis restituta est vita, quatuor paralytici sunt curati, decem leprosi sunt mundati, quindecim cæci illuminati, obsessi quoque sunt liberati, aliique a diversis sunt curati languoribus. Et hæc est exaltatio sanctæ crucis præcipua, de qua nunc solennitatem facit Ecclesia, quia in ea valde sublimata est fides catholica.

Legitur quod in Constantinopoli, Judæus quidam ecclesiam sanctæ Sophiæ ingressus, solum ibi se esse cernens, extracto gladio suo, imaginem Crucifixi in gutture pupugit ; et mox sanguis inde tam copiose effluxit, quod caput faciemque Judæi adspersit. Qui territus, imaginem projecit in puteum. Fugienti vero Judæo obvians quidam Christianus, dixit : Unde venis, Judæe ? Aliquem occidisti. Quumque negaret, dixit Christianus : Vere homicidium perpetrasti, et ideo sanguine es adspersus. Respondit Judæus : Vere magnus est Deus Christianorum, et fides ejus per omnia vera est. Non enim hominem, sed Christi imaginem vulneravi in gutture, et inde protinus sanguis quo adspersus sum, fluxit. Duxitque Judæus ille Christianum ad puteum, et pariter extraxerunt imaginem. In cujus gutture (ut fertur) usque in præsens manet percussionis cicatrix. Tunc Judæus ille tot mirabilibus visis, factus est christianus.

Itaque Christi passionem assidue recogitemus, et Christi sequamur vestigia in omni humilitate, caritate, justitia, pietate, obedientia et patientia. Crucifigamus corpora nostra cum vitiis et concupiscentiis, ne ambulemus in desideriis sicut gentes quæ Deum ignorant, sed cum omni cordis custodia, cum timore et tremore nostram operemur salutem, Christum jugiter deprecantes ut virtute et merito suæ passionis sanctissimæ, nos in omnibus misericordissime intueri, defensare, gubernare dignetur. Imo, per omnia quæ pro nostra assumpsit salute, fecit ac pertulit, pie exaudiat nos.

Galat. v, 24.

Ephes. IV, 17 ; I *Thess.* IV, 5.

Philipp. II, 12.

SERMO SECUNDUS

DE INGRATITUDINE NOSTRA ; ET QUAM VARIIS MODIS CIRCA PASSIONEM DOMINI MEDITANDAM DEBEAMUS OCCUPARI.

MEMORIA memor ero, et tabescet in me anima mea : hæc recolens in corde meo, in Deo sperabo. Thren. III, 20, 21.

Quemadmodum Deus omnipotens et æternus, unus in essentia et trinus in personis, ab æterno decrevit salvare genus humanum per Christi passionem, sic tota salus, perfectio atque profectio nostra consistit in hoc, ut circa Christi passionem habeamus nos debito modo. Denique, ad hoc crucem Christi tam mirabiliter exaltavit Deus hoc die, quatenus passio Christi cordibus nostris tenacius infigatur, et circa Christum pro nobis passum, affectuosius ac reverentialius habeamus nos semper, considerando ex intimo corde quæ, quanta et qualia pro nostra salute unigenitus Dei Filius, verus Deus, assumpsit, fecit ac pertulit ; sicque eidem jugiter gratias referamus, et non negligamus nos ipsos, nec parvi pendamus causam animæ nostræ cum Deo, sed Christum imitari conemur, et ei in omnibus obedientes ac subditi simus : alioqui tanto culpabiliores damnabilioresque erimus, quanto plura atque majora pro nostra salute fecit ac passus est Filius Dei. Itaque quilibet nostrum cum Jeremia dicat propheta : « Memoria memor ero », id est, diligenter recordabor eorum quæ pro me fecit ac toleravit Dominus Jesus Christus, « et tabescet », seu præ admiratione et dolore aut compassione deficiet, « in me anima mea ». Quis enim sufficiat admirari, quod tanti nos æstimavit Creator altissimus, quod tanta pro nobis agere et sufferre dignatus est Filius Patris æterni, quod etiam tam ineffabiliter, imo tam lamentabiliter ac damnabiliter magna est ingratitudo, negligentia et perversitas nostra? Et inde vehementer dolere ac contristari debemus, et emendare nos ipsos. Hinc merito ait Doctor devotus, dominus Bonaventura : Currite et convenite undique, gentes, et admiremini erga vos caritatem Dei, et erga vos ipsos cæcitatem et malitiam vestram. Si enim Filius Dei voluit inseparabiliter conjungi humanæ naturæ, multo libentius deberet anima nostra ipsi inseparabiliter copulari. Si Filius Dei voluit ex tanto caritatis fervore sibi nostram fragilem substantiam cineri et pulveri comparatam unire, multo avidius deberet unusquisque cor suum ad ipsum recipiendum aperire. Quæ est insania animæ nostræ, quod hoc negligit, et potius vult rebus vilissimis adhærere quam Deo? O admirabilis cæcitas hominis, qui quum subsistat ex anima et corpore, et anima incomparabiliter nobilior sit corpore, totum tempus suum expendit in provisione eorum quæ caro requirit, et animam suam negligit ac si nihil esset, nec ipsam in Deo quietare conatur !

Eccli. x, 9; xvii, 31.

Præterea, circa Christi passionem debemus nos occupare pluribus modis. Primo etenim eam considerare debemus ad imitandum, quoniam ipsemet Christus in Evangelio loquitur : Qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam quotidie, et sequatur me. Princeps quoque Apostolorum fatetur : Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus. Et istud uno modo omnibus necessarium est ad salutem, quum dicat apostolus Paulus ad Galatas : Qui sunt Christi, id est, per caritatem et gratiam pertinent ad eum, car-

Luc. ix, 23.

I *Petr.* II, 21.

Galat. v, 24.

nem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis. Quid enim est carnem propriam crucifigere, nisi eam rationi subjicere, per opera pœnitentiæ castigare, ejus desideria refrenare, eam in Dei obsequio exercere? sicut Paulus testatur : Castigo corpus meum et in servitutem redigo. Hæc crucifixio seu crucis bajulatio, est salutaris violentia de qua ait Salvator : Regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud.

I Cor. IX, 27.

Matth. XI, 12.

Itaque passionem Domini nostri Jesu Christi debemus primo considerare ad imitandum, id est ad hoc ut Christum propter nos passum sectemur, et ejus passioni, irrisionibus, opprobriis conformemur, ejus intuitu ac amore omnia aspera et adversa, irrisiones, aspernationes, injurias, læsiones patiendo æquanimiter et gaudenter, quemadmodum Jacobus hortatur apostolus : Omne gaudium existimate, fratres, quum in diversas tentationes incideritis. Hæc quippe est summa et perfectissima vita hominis in hoc mundo, imitatio Crucifixi. Sit ergo regula nostræ conversationis passio Salvatoris, ut tanto plus consolemur, gloriemur in Domino, regratiemurque ei, quanto plus Christo passo conformamur, sustinendo injurias, tribulationes et adversitates, et tanto plus contristemur, quanto amplius ab exemplari hac regula elongamur. Idcirco, quantum in nobis est, optemus ab omnibus conculcari, dejici, vilipendi, adversaque pati.

Jacob. I, 2.

Insuper consideremus, quam caritative Christus pro nobis omnia tulit ; quam patientissime atque humillime, quam fortiter et constanter, quam silenter et modeste in sua se habuit acerbissima ac ignominiosissima passione : quia (ut Isaias propheta prædixit) sicut ovis ad occisionem ductus est, et quasi agnus coram tondente obmutuit ; atque ut in prima sua Canonica sacratissimus ait princeps Apostolorum : Quum malediceretur, non maledicebat ; quum pateretur, non comminabatur. Sed et bajulans sibi crucem exivit, et inter latrones suspensus est. Sic ergo et nos in

Is. LIII, 7.

I *Petr.* II, 23.

Joann. XIX, 17 ; *Matth.* XXVII, 38.

A omnibus patienter et humiliter, constanter, modeste et non verbose nos habere debemus. Sed heu ! quid hic dicemus ? Ubi est christianitas nostra ? Ubi imitatio Christi ? Nam vix aliquis nunc apparet qui pro Christo aliquid pati velit. Omnes statim irascimur, indignamur, et pro posse ulciscimur : imo, pro parva injuria magnam inferimus aut infligere cupimus ultionem. Sic Christum miserrimi imitamur ? Imo, non Christum, sed diabolum sequimur : in quo, ut divinus Dionysius contestatur, B sunt proterva phantasia, amens furor et irrationabilis concupiscentia. De quo in Sapientiæ libro asseritur : Imitantur illum qui sunt ex parte illius. Sed emendemus nos, et Christi passionem pro exemplari semper intueamur ac imitemur.

De Divin. nom. c. IV.

Sap. II, 25.

Secundo passionem Christi considerare debemus ad compatiendum. Nam ut ad Romanos ait Apostolus, Si compatimur, et conregnabimus. Itaque perpendamus universa quæ pro nobis Christus patiebatur in anima sua et corpore, quantum etiam C dilectissimæ Matri suæ adstanti condoluit, et quam ineffabiliter nostris peccatis, ingratitudinibus perditionibusque compatiens fuit. Certe dolor ille suus interior et compassionis acerbitas fuit intensior atque pœnalior quam pœna sua corporalis exterior, quemadmodum quidam in Christi persona satis devote locutus est : Quum tantus sit dolor meus exterior, major tamen est dolor interior, quum te tam ingratum experior. Itaque omnia ista pensando, debemus Christo tenerrimo, innocentissimo, piissimo atque dulcissimo, a D sceleratissimis, atrocissimis, vilissimis tam crudelissime ac pœnalissime cruciato, intime ac cordialissime compati, vana solatia aspernari, carnales delectationes despicere, levitates, dissolutiones ac vanitates abjicere : præsertim quoniam omnia illa Christus absque sua culpa pro nostris toleravit peccatis et pro nostra salute.

Rom. VIII, 17 ; II *Tim.* II, 12.

Philippus cancellarius Parisiensis.

Tertio passionem Christi considerare debemus ad admirandum. Admirari namque debemus, quod Dominus universorum,

Act. X, 36.

Apoc. XIX, 16. Sanctus Sanctorum, Rex regum, Unigenitus Patris verusque Deus, tanta ac talia pro nobis peccatoribus vilissimis, vitiosissimis, ingratissimis pati dignatus est. Ideo *Ps.* CXV, 12. cum Propheta dicamus : Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? *Ps.* CII, 2. Itemque : Benedic, anima mea, Domino, et noli oblivisci omnes retributiones ejus. *Rom.* V, 8, 9. Hinc ad Romanos dicit Apostolus : Commendat caritatem suam in nobis Deus, quoniam quum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est; et *Ibid.* 10. denuo, Quum adhuc inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus.

Quarto passionem Christi consideremus ad gloriandum in Domino, in quantum tam multa bona ex ea sunt consecuta, videlicet : dejectio dæmonum, salvatio hominum, destructio vitiorum, reparatio ruinæ angelicæ, abundantia gratiæ sub evangelica lege, honoratio Dei Patris, major quoque glorificatio Christi humanitatis, informatio et exemplum omnis virtutis. Hinc namque ait Apostolus ad Philippenses : *Philipp.* II, 8-10. Christus humiliavit se, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis; propter quod et Deus exaltavit illum, et dedit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum. Itaque de eadem Christi passione debemus habere compassionem, in quantum fuit Christo tam gravis; et exsultationem, in quantum fuit ita salubris.

Quinto consideremus eam ad regratiandum, ut scilicet de hoc Deo Patri, imo toti supergloriosissimæ Trinitati totis præcordiis regratiemur, quod per Christi passionem tot bona consequimur, a tot malis eripimur, tam gratiose semper juvamur, quia et ex merito passionis Christi indulgentiæ conceduntur.

Sexto consideremus eam ad ferventer amandum, ut scilicet ex hoc quod Christus tot et tanta pro nostra salute assumpsit, egit ac passus est, Deum ardenter amemus, in ipsum per fervida caritatis desideria transformemur, ipsum intra nos caritatis brachiis constringamus seu amplexemur. Si ergo his modis circa Christi passionem nos occupamus, tunc vere crucem Christi in nostris cordibus exaltamus, et Christi passionem mente grata feliciter honoramus.

Refert S. Gregorius, quod quidam Judæus Romam veniens, quadam nocte pernoctavit in templo gentilium; et quamvis christianus non fuit, tamen ob loci horrorem cruce se signavit. Media nocte vidit turbam dæmonum templum illud intrantem, quorum princeps præcepit uni ut videret quis esset ille jacens in templo. Qui quum venisset ad Judæum, clamavit : Heu, heu! vas vacuum, sed signatum. Et statim turba dæmonum fugit. Quibus visis, Judæus ille christianus effectus est. Ecce quanta est virtus crucis. — Rursus narrat Gregorius, quod quædam monialis hortum ingressa, cœpit manducare lactucam absque benedictione crucis præmissa. Moxque a diabolo obsessa, corruit. Quumque S. Equitius venisset ad expellendum dæmonem, dæmon clamavit : Ego quid feci? Ego quid feci? Sedi super lactucam, et illa momordit me. Præcipiente autem Equitio, exiit. — Quidam Christianus apud Syriam, imaginem Crucifixi circa lectulum suum fixit. Post annum aliam domum conduxit, et ex oblivione imaginem in prima domo reliquit. Quumque domum illam conduxisset quidam Judæus, et cum quodam Judæo quem invitavit, in domo illa epularetur, Judæus ille invitatus visa præfata imagine, cum indignatione dixit Judæo habitatori domus illius, cur imaginem Jesu Nazareni in sua haberet domo. Qui excusavit se, dicens quod imaginem illam hucusque non consideravit. Tunc ille quasi pacatum se simulans, abiit, et retulit Judæis quæ vidit. Qui pariter venerunt ad domum præfati Judæi, eumque gravissime afflixerunt, et semivivum extra Synagogam jactarunt. Imaginem quoque conculcantes, cuncta dominicæ passionis opprobria renovaverunt in ea. Cujus quum

latus perforassent, mox sanguis et aqua fluxerunt ex eo. Obstupefacti Judæi, sanguinem collegerunt in vase, et detulerunt in synagogas, omnesque infirmi ex sanguine illo inuncti, protinus curabantur. Tunc compuncti Judæi, omnia recitaverunt episcopo terræ illius, et fidem Christi devote amplexi sunt, suasque synagogas in ecclesias consecraverunt. Atque exinde mos inolevit ut ecclesiæ consecrentur : nam ante, altaria tantum consecrabantur.

AD RELIGIOSOS

SERMO TERTIUS

QUÆ SIT SUMMA CHRISTIANÆ SAPIENTIÆ ; CUI PRO PECCATIS COMPETAT SATISFACTIO ; ET QUOMODO FIDES NOSTRA SIT CONFIRMATA MIRACULIS.

VULNERATUS est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. Is. LIII, 5.

1 *Cor.* I, 20. Vere, Apostolo protestante, stultam fecit *Ps.* CXLVI, 5. Deus, cujus sapientiæ non est finis, sapientiam sæculi hujus. Sed et sapientes sæculi hujus, sapientiam salutarem, hoc est evangelicæ legis, reputaverunt insipientiam et errorem atque figmentum, utpote Deum esse incarnatum, et in assumpta humani- 1 *Cor.* II, 14. tate pro hominibus passum. Carnalis quoque homo non sapit spiritualia et divina : supernaturalia namque et valde supernaturalia et prorsus incomprehensibilia sunt universa fidei christianæ mysteria ; nec potuit talia excogitare aut fingere ratio naturalis adinventiove humana. Et sicut a solo Deo revelata sunt et fluxerunt, sic per supernaturalia et divina argumenta sunt introducta, probata, recepta et credita. Quumque vera, divina et supernaturalia sint, non est dubitatio ulla quin in eorum consideratione consistat contemplatio vere altissima : ad quam nullus exstat idoneus, nisi fuerit desuper copiose illuminatus.

Hæc est igitur summa sapientiæ christianæ, hic apex theoriæ evangelicæ legis, hæc incomprehensibilis altitudo doctrinæ Filii Patris æterni, quod ipse Deus creator omnipotens, sit unus in essentia et trinus in personis, et quod una in summa Trinitate persona, videlicet Unigenitus Patris, factus sit homo ad redimendum genus humanum, quod propter primorum parentum originalem transgressionem erat originali peccato infectum, æterna felicitate privatum, et damnationi, quantum ad pœnam damni, obnoxium ; nec poterat liberari per puram aliquam creaturam, quoniam pura creatura esse non potuit tantæ dignitatis et efficaciæ seu idoneitatis ad promerendum, ut totum genus humanum Deo creatori reconciliaret, eique gratiam promereretur, et beatitudinem recuperaret amissam : quum et peccatum infinitam quamdam sortiatur enormitatem, in quantum offensivum et aspernativum est Creatoris, cujus sanctitas ac majestas est penitus intensive et perfectionaliter infinita. Ipsa quoque natura in infinitum est communicabilis : totam ergo et singula ejus supposita quantumlibet multiplicentur, Deo reconciliare, competere non valebat nisi mediatori dignitatis immensæ. Nam et in sæculo isto videmus, quod facilius quis reconciliat regi terreno unum reum, quam plures. Facilius quoque princeps

talis, ad alicujus sibi dilecti instantiam ignoscit uni aut paucis, quam multis. Idcirco, pro totius humani generis generali offensa satisfacere ac Deum placare, non competebat salvatori dignitatis dumtaxat finitæ.

Rursus, gratia gratum faciens magnæ valde est eminentiæ. Quumque sit supernaturalis similitudo divinæ essentiæ, ponens rationalem creaturam in quodam esse supernaturali, deiformi, ad promerendum vitam æternam idoneo et condigno, etiam ipsa gratia fertur dignitatis quodammodo infinitæ : propterea amissam recuperare, et maxime toti humano generi reparare, nequaquam congruebat nisi liberatori dignitatis illimitatæ.

Amplius, quia beatitudo propter quam Creator æternus, omnipotens et immensus, instituit et creavit genus humanum, est clara, immediata atque per speciem lucida, fruitiva ac beatifica divinæ essentiæ visio, incircumscriptæque bonitatis perpetua ac secura fruitio (quæ gloriosa felicitas est dignitatis quasi immensæ, in quantum est infiniti boni plena ac contentiva possessio) ; idcirco eam humano generi recuperare, soli competebat mediatori idoneitatis et dignitatis interminatæ, videlicet vero Deo. Quumque Deus in suæ deitatis natura nullatenus aptus sit ad satisfaciendum aut promerendum, ac mediandum seu patiendum (nec erat hoc imperfectionis, sed infinitæ perfectionis ac sublimitatis, quoniam satisfacere, promereri, mediare ac pati non competunt nisi inferiori), nec puræ creaturæ possit competere infinita dignitas sive perfectio : hinc Deus factus est homo, ut ex deitate ei competeret efficacia infinita, dignitas aut idoneitas ad subveniendum, satisfaciendum ac promerendum in alia seu assumpta natura ; ex natura vero assumpta, sibi competeret satisfacere, promereri, mediare ac pati. Hinc Deus factus est homo, ita quod Christus in unitate personæ est Deus et homo, quia ejus humanitas ad esse suum personale, æternum et increatum, assumpta est et suppositata in illo.

Denique, quoniam culpa expiatur per pœnam, et pravæ delectationi peccati debetur punitio ; idcirco contigit ut pro peccato humani generis Christus Dei Filius pateretur, atque per suam corporalem temporalemque mortem satisfaceret divinæ justitiæ pro transgressione et delectatione originalis culpæ, imo et omnis peccati hominum universorum : in quantum Christus ex summa obedientia et perfectissima caritate suam amarissimam passionem acceptavit ac ordinavit ad satisfaciendum Deo pro peccatis omnium hominum, ipseque Deus Trinitas passionem Christi, secundum quod ex tanta obedientia et caritate erat ab eo pro hominibus acceptata, et ad eorum salvationem relata seu ordinata, habuit tam acceptam, gratam ac placitam, quod ejus merito ac virtute indulsit humano generi omne peccatum, quantum fuit ex parte hujusmodi satisfactionis. Quæ ex se ad hoc fuit idonea, quamvis ex parte hominum requiratur quod eis meritum passionis Christi applicetur. Quod fit per fidem et sacramenta Ecclesiæ : quia etsi terrenus princeps aliquibus reis ignoscat propter alicujus sibi accepti instantiam, non tamen hoc agit nisi rei dicant se de principis offensione dolere, et ab ea de cetero velle cavere.

Præterea, quoniam ista doctrina reputabatur ab hominibus fatua, Deus omnipotens, qui solus ejus auctor ac testis est, eam copiosissime ac potentissime approbavit et gloriosissime exaltavit, per paucos Christi discipulos, homines idiotas ac simplices, eam ubique terrarum diffundens ac publicans, et adversarias leges, superstitiones, idololatrias destruens absque humana potentia armorumque violentia, et absque omni vulpina versutia arteque magica, ita quod tandem summi philosophi ac potentissimi principes mundi, ad fidem Christi sunt conversi. Nempe Deus altissimus gloriosissimos suos Apostolos divinis

proprietatibus, supernaturalibus virtutibus, miraculosis efficientiis, tam eminentissime decoravit, quod totum rerum ordinem, universitatisque cursum et naturalem entium legem subdidit eis. Quid enim admirabilitatis et excellentiæ non fecerunt sancti Apostoli ? Mortuos suscitaverunt, ex utero matris claudos, cæcos, surdos, mutos ac debiles, alios quoque variis ægritudinibus laborantes, mirabiliter curaverunt. Ostenderunt quoque idololatris visibiliter horribiliterque ad oculum dæmones quos coluerunt in idolis. Sed et angelos sanctos monstraverunt eisdem ; et testimoniis eorum quos reduxerunt ab inferis, probaverunt fidem quam docuerunt, et veritatem evangelicæ legis.

In horum lucida ac salubri notitia consistit altitudo contemplationis sapientiæ christianæ ; et per innumerabiles utriusque sexus personas christifideles, in hac fide ac lege perfectas, Deus sublimis, a tempore Apostolorum usque in præsens, copiosissima ac præclarissima fecit miracula. Itaque Christus crucifixus, clavis perfossus, lancea perforatus, inter latrones suspensus, flagellis dilaceratus, turpissima et acerbissima morte occisus, est altissimum divinissimumque contemplationum nostrarum objectum. In eo propter nos ita tractato consideramus ac intuemur divinæ rigorem justitiæ, quæ maluit Dei Filium taliter pati, quam inulta manere peccata ; divinæ quoque pietatis immensitatem, quæ humano generi tam misericordissime subvenire dignata est ; sed et bonitatem Dei immensam, quæ se ita communicavit hominibus ; caritatem etiam ineffabilem Dei ad homines, quoniam divinæ naturæ in Christo tam propinquissime copulavit naturam humanam, et quod Deus Pater Unigenitum suum sic misit ac præstitit nobis, ipseque Filius Dei ita se ipsum pro nobis obtulit

A Patri ; incomprehensibilem quoque sapientiam superbenedictæ Trinitatis, quæ tam decentissimum ac admirabilem nostræ redemptionis modum excogitavit ac statuit. Propterea in Christo incarnato ac passo contemplamur Deitatis sublimia et humanitatis declivia. Hanc fidem Deus in præsenti solennitate præclarissime sublimavit.

Quoniam ergo Deus Trinitas, Creator omnipotens, Deus adorandus et benedictus, tot et tanta pro redemptione nostra operari dignatus est, et Filius Dei tot et tanta pro ea assumpsit, fecit ac tulit, non parvi pendamus nostræ salutis negotium, nec unquam habeamus nos negligenter, sed Christo grati esse conemur, et ejus vestigia idonee imitemur. Bajulemus crucem nostram quotidie, et reprimamus exteriores interioresque sensus, et appetitum nostrum divinis semper subdamus præceptis ; in actibus pœnitentiæ occupemur assidue, et universos ac singulos nostros defectus inspiciamus ac deploremus, emendemus ac fugiamus pro posse. Postremo, crux Christi sit jugiter cordi nostro infixa, nec aliquid sit tam grave quod non intuitu et amore Christi propter nos crucifixi æquanimiter toleremus. Imo Christo pro omnibus passo unusquisque tam gratus sit, tam amorosa mente adhæreat, tam efficaciter se conformet, ac si pro se solo cuncta esset perpessus. Hoc namque est opus fidelis ministri, ut quod pro omnibus egit ac pertulit Dominus, quasi pro se solo actum arbitretur ac toleratum : et merito, quia et Christus pro quocumque adhuc mallet pati, quam permitteret, quantum in se est, illum perire. Sicque cum Apostolo quilibet devotissime fateatur : In fide vivo Filii Dei, qui dilexit me et tradidit semetipsum pro me.

Luc. IX, 23.

I Joann. IV, 9.

Hebr. IX, 14.

Galat. II, 20.

SERMO QUARTUS

DE CARITATE FRATERNA ; DE SINCERITATE BONORUM OPERUM ; ET QUOMODO IN CHRISTI CRUCE SIT GLORIANDUM.

AMBULATE in dilectione, sicut et Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis. Ephes. v, 2.

Dilectio inter filios Dei et filios perditionis discernit, sine qua claustrum est inferus et spelunca latronum. Unusquisque igitur corde, verbo et opere alteri cooperetur in bonum, adjuvet ad salutem, consilium auxiliumque impendat pro posse. Nemo sic vertatur in dæmonem, ut ex proposito quemquam perturbet, ut aliquem trahat ad Dei offensam, ad partialitatem odibilem, ad mentis interitum, propinando ei calicem mortis, verbum detractionis, peccandi audaciam. Hoc est in dilectione incedere sicut et Christus in ea incessit, confratrum salutem tanquam propriam procurare salutem, orando, fraternaliter corripiendo, pie hortando exemplariterque vivendo. Verumtamen S. Joannes apostolus in sua epistola plus aliquid dicit : In hoc (inquiens) cognovimus caritatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit, et nos debemus pro fratribus animas ponere. Quomodo autem pro fratre suo animam suam ponet, qui non vult modicum laborare aut pati ne ille in peccatum labatur, qui dona Dei sibi concessa proximo communicare non curat, qui diligentiam non apponit ne quempiam scandalizet? Itaque non diligamus tantum verbo et lingua, sed opere et veritate. Caritatem nostram ad proximos non jam blandiendo verbis pandamus, sed opere sinceriter demonstremus. Sed et invicem supportemus in caritate, sicut a Deo volumus supportari.

I *Joann.* III, 16.

Ibid. 18.

« Dilexit » ergo « nos Christus » dilectione æterna et increata in quantum Deus, dilectione quoque creata infusa secundum quod homo. Et ex utraque « tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo », quia in ara crucis se ipsum sponte obtulit Patri pro nostra salute. Judæis quoque se tradidit ad hoc, ut immolaretur Patri in suavissimam hostiam. Nam ex proposito obviam ivit illis, et se ab eis comprehendi ac crucifigi permisit spontanee, sicut prædixit : Nemo tollit animam meam a me, sed ego pono eam ; itemque, Animam meam pono pro ovibus meis. Unde et Isaias prænuntiavit propheta : Tradidit in mortem animam suam, et cum sceleratis reputatus est.

Joann. XVIII, 4.

Ibid. X, 18.

Ibid. 15.

Is. LIII, 12.

Denique nos religiosi, Christo in hoc vicem pro posse reddere cupientes, tradidimus nosmetipsos ei in manu vicarii sui, voluntatem propriam abnegando per solenne obedientiæ votum ; atque obtulimus nos Deo in holocaustum odoris dulcissimi, mancipando nos divinis totaliter per monasticam professionem. Quod ergo promisimus, fideliter impleamus ; et quod incepimus, prosequamur et consummemus. Nil nostri relinquamus nobismetipsis. Deus substantialiter purus et fons puritatis totius, puram requirit oblationem, et illam acceptat ac munerat. Quid est pura oblatio, nisi virtuosa et immaculata operatio ad Dei gloriam ordinata? Studeamus ergo, quantum humana admittit fragilitas, ut bona quæ agimus, non sint malis admixta, ne in psalmodia, orationibus, Horis et Missis simus distracti, negligentes, intimorati. Quod si aliquando ex instabilitate defectuositateque nostra evagationem mentis in-

cidimus, ei tamen non immoremur, sed protinus intuitum cordis ad Dominum reflectamus, et percutiamus cor nostrum super tantis miseriis nostris ; ac contra propriam instabilitatem jugiter præliemur, Dominum invocantes, ut per suam gratiam ac virtutes, per sapientiæ donum, per assuefactionem virilem cor nostrum in se stabilire dignetur.

Præterea exaltetur crux Christi in medio cordis nostri, ut eam indesinenter intueamur, atque in ea salubriter gloriemur, sicut ait Apostolus : Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini mei Jesu Christi. Et rursus apertius loquens, causas quoque hujuscemodi gloriationis insinuans, ait Ecclesia : Nos autem gloriari oportet in cruce Domini nostri Jesu Christi, in quo est salus, vita et resurrectio nostra, per quem salvati et liberati sumus. In cruce igitur Christi oportet nos gloriari, non de hoc absolute gaudendo quod innocentissimus Dei Agnus tot et tanta innocentissime pertulit (imo in hoc compati ei necesse est), sed in quantum ex passione Christi tantus fructus consecutus est, tam Christo quantum ad accidentale præmium, quam hominibus universis electis. Christus namque sua passione, humiliatione, dejectione meruit judiciariam potestatem ac propriæ humanitatis accidentalem glorificationem, quæ resurgendo et ascendendo peracta est; exaltationemque super omne creatum, atque ut honoretur ab omnibus, sicut ait Apostolus : Humiliavit se, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis ; propter quod et Deus exaltavit illum, et dedit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum. Insuper ex Christi passione consequimur tales ac tantos fructus, ut nec comprehendere neque exprimere valeamus : quia per eam sumus a morte æterna redempti, ejus merito sumus in Baptismo purgati atque renati, per ejus merita consequimur gratiam et salutem in aliis sacramentis ; eam cordialiter recordando, veniam et gratiæ incrementum sortimur, ejus fide et recordatione superamus tentationes, ejus virtute et merito fiunt opera nostra Deo acceptiora, secundum quod mente unimus nos Christo capiti nostro et meritis ejus, ac per ipsum et merita ejus petimus exaudiri, nostraque opera bona a Deo misericorditer acceptari. Hinc orationes Ecclesiæ concluduntur, Per Dominum nostrum Jesum Christum. In orationibus quoque nostris privatis debemus semper Deum rogare, ut per omnia quæ Christus pro nostra assumpsit, fecit sustinuitque salute, suscipere nos dignetur. Adhuc autem virtute et merito passionis Christi consequentur electi in die judicii plenam immortalitatem et corporis glorificationem. Per eamdem etiam passionem vehementer debilitata est adversariarum potestatum crudelitas.

His ergo ex causis nos gloriari oportet in cruce Christi, in quo est salus nostra : quia in suæ deitatis visione ac fruitione nostra consistit beatitudo. Sed et vita spiritualis, quæ est vita gratiæ, non habetur nisi in credendo in ipsum : et per eum modo resurgimus a morte animæ, quod est peccatum ; in futuro quoque ad beatæ resurrectionis immutationem pertingent electi. Postremo nos sacerdotes Christi, qui eum in altari Deo Patri quotidie immolamus, Christo specialissime conformari debemus, ut quod ipse semel fecit, pro nobis offerendo se ipsum in cruce, nos quotidie mysterialiter repræsentemus, ejus beneficia atque mysteria recolendo, et quod ipse fecit in Cœna, agamus, ejus corpus et sanguinem consecrando, sumendo ac porrigendo. Idcirco in celebratione devotissimi esse debemus, et mente ad Deum valde suspensi ac fixi : sicque in spiritu ardoris universum opus nostræ reparationis rememoremur.

Galat. VI, 14.

Philipp. II, 8-10.

SERMO QUINTUS

IN PASSIONE DOMINI ATTENDENDUM QUIS PATIATUR, QUALIS SIT QUI PATITUR ET QUANTUS, A QUIBUS PATIATUR, ET QUID PATIATUR.

HÆC *recolens in corde meo, in Deo sperabo.* Thren. III, 21.

Joann. XV, 13. Majorem (ut inquit Salvator) caritatem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Summum itaque beneficium est, dum quis propriam vitam pro alterius redemptione morti exponit. Sed in hoc consideranda sunt multa. Nonne multo plus est, si unicus filius regis terreni pro vili servo se morti exponat, quam si ejus servus pro filio regis se mortis exponat periculis ? Iterum, multo amplius reputatur, si quis pro alio sustineat B mortem ignominiosam, amarissimam et prolixam, quam si mortem pro eo toleret brevem ac levem.

In passione ergo quam pro nobis pertulit Filius Dei, primo debemus attendere, quis sit qui pro nobis passus est, videlicet : quod non homo purus, aut angelus, sed Dei Unigenitus, verus Deus, qui in unitate personæ est Deus æternus et homo perfectus ; atque ut Deus, est dignitatis immensæ, et in quantum ille homo, est dignior toto mundo, pro eo C quod ejus humanitas unita est unione hypostatica Verbo æterno. Ex hac itaque consideratione appretianda et extollenda est nobis passio Christi in infinitum, et pro tanto beneficio ejus ei in infinitum regratiari habemus. Nec possumus ei plene regratiari, sed infinite deficimus a regratiatione condigna, eo quod tam supernobilissimam vitam suam pro nobis exposuit morti.

Secundo in Christi passione debemus pensare, qualis sit ipse qui propter nos D passus est, utpote quam pius et innocens, quam sanctus et sapiens, quam dulcis et A mitis. Hoc namque vehementissime auget et incitat compassionem et gratiarum actionem, quod tam piissimus et innocentissimus Agnus, tam sanctissimus ac sapientissimus vir, tam mitissimus et dulcissimus juvenis, tam pulcherrimus ac tenerrimus homo, pro nobis sustinuit omnia illa. Nonne multo magis compateremur, si cerneremus aliquem mansuetum, irreum et benignissimum hominem pati ac trucidari, quam si hominem durum et rigidum, quamvis justum ? Quantum ergo compatiendum est Christo propter nos passo, tam summe et incomparabiliter pio, innocenti, sancto, sapienti, mansueto, suavi, pulchro ac tenero ?

Tertio in Christi passione intueamur, quantus sit qui propter nos passus est. Tantus est plane, ut de eo secundum ipsius divinitatem dicat Scriptura : Magnus *Ps.* CXLIV, 3. Dominus et laudabilis nimis, et magnitudinis ejus non est finis. Ipse quoque de se ipso secundum naturam assumptam fatetur : Data est mihi omnis potestas in *Matth.* XXVIII, 18. cœlo et in terra. Habetque in vestimento *Apoc.* XIX, ac femore suo scriptum : Rex regum, et 16. Dominus dominantium. Si ex magnitudine et excellentia legati magnitudo causæ perpenditur, nonne maxima causa est, propter quam talis ac tantus legatus in mundum a Patre æterno est destinatus, et pro mundi salute perpessus ?

Quarto in Christi passione est ponderandum, a quibus sit passus. Nempe a proprio fuit discipulo traditus, a peculiari populo accusatus, negatus, occisus. Quod quam grave ei exstiterit, pandit dicendo : Quoniam si inimicus meus maledi- *Ps.* LIV, 13. xisset mihi, sustinuissem utique. Quinto,

a qualibus, puta a crudelissimis, scelera- A sit, utpote propter iniquitates nostras, non *Is.* LIII, 5, 6.
tissimis vilissimisque ribaldis. Cujus rei consideratio valde auget compassionem. Sexto, a quantis : quia a multis millibus Judæorum atque gentilium fuit derisus, blasphematus, contemptus. De quibus per
Ps. XXI, 8. Prophetam testatur : Omnes videntes me, deriserunt me, locuti sunt labiis, et moverunt caput.

Septimo inspiciamus, quid passus sit, scilicet : qualiter passione instante cœpit
Matth. XXVI, 37, 38; *Marc.* XIV, 33, 34; *Luc.* XXII, 43, 44. contristari, pavere, tædere, in tantum quod dixit, Tristis est anima mea usque ad B mortem. Unde et factus in agonia atque prolixius orans, ex timoris et interioris afflictionis vehementia fudit sudorem sanguineum, instar guttarum, in terram. Deinde, qualiter est comprehensus, ligatus, impulsus, trusus, tractus, et a suis discipulis derelictus, a pontificibus interrogatus; qualiter impii qui tenebant illum, illudebant ei, cædentes, ejusque oculos velaverunt, ac serenissimum ejus vultum conspuerunt et percusserunt, et qualiter blasphemaverunt et morti adjudicaverunt eumdem. Dein- C ceps, qualiter ignominiose ligatus, præsentatus est judici, accusatus, irrisus, flagellatus spinisque coronatus, damnatus, atque ad mortem crucem sibi bajulans ductus, inter latrones suspensus, diris clavis confixus, aceto et felle potatus, suæ quoque fidelissimæ ac prædilectissimæ Matri com-
Sap. II, 20. passus. Sicque turpissima ac acerbissima morte peremptus est. Nec unquam sustinuit homo in mundo tam duram mortem ut Christus. Dolor quoque compassionis quo tunc pereuntibus et ingratis condo- D luit, vim doloris in ipso excessit, quemadmodum in ejus persona a quodam devoto prolatum est : Quum tantus sit dolor meus exterior, major tamen est dolor interior, quum te tam ingratum experior. Ex violentissima etiam distractione corporis Christi, dolor suæ passionis vehementissime augebatur ; similiter ex summa illa æqualitate et teneritudine suæ complexionis.

Octavo pensemus, propter quid passus

suas. Posuit enim in eo Dominus iniquitatem omnium nostrum. Quis tam ferreum habet pectus, qui non intime condoleret, si alium et penitus innocentem videret pro suis excessibus graviter cruciari ? Nono perpendamus, quo fine et fructu sit passus, videlicet ut nos ab infernali liberaret interitu, atque æternæ beatitudinis efficeret cives ac filios.

Hæc omnia sapienter, sigillatim, distincte, diligentissime ac cordialissime remiB niscamur et consideremus, ut grati simus Salvatori, compatiamurque ei, et ejus sequamur vestigia, et gloriemur in cruce beneficiisque ipsius, miremur quoque quod tanta fecit ac pertulit pro nostra salvatione, atque ipsius accendamur amore. Debemus equidem Christi passionem considerare : primo, ad recordandum, ne obliviscamur eorum quæ pro nobis perpessus est ; secundo, ad compatiendum ; tertio, ad imitandum ac proficiendum ; quarto, ad gloriandum in cruce ipsius propter C fructus dominicæ passionis ; quinto, ad admirandum et contemplandum caritatem pietatemque Dei ad homines ; sexto, ad diligendum ; septimo, ad quiescendum in ipso tanquam in Salvatore, totius nostræ salutis fonte.

Itaque omnia ista nostris cordibus inscribamus, nostris memoriis imprimamus. Horum consideratio sit sapientia nostra. Per hæc ejiciamus de interioribus animæ nostræ omnes cogitationes inutiles, vanas, iniquas. Quotiescumque in nostro corde D oritur aliqua imaginatio fatua, aliqua apprehensio prava, aut diabolica tentatio aliqua, mox ad recordationem dominicæ passionis confugiamus. Si carnalis apprehensio, concupiscentia aut stimulatio exsurgat in aliquo, statim ad dominicæ passionis recurrat memoriam. Si erumpant adversa, si iræ commotio, impatientiæ impetus, tristitiæ pondus se ingerat ; ex consideratione passionis et patientiæ, mansuetudinis et tranquillitatis Domini nostri Jesu Christi omnia illa vincamus, miti-

tatem, patientiam spiritualeque gaudium amplectamur. Intingatur sanguine Christi pes noster, et Domino nostro saltem aliqualiter conformari, sit gloriatio nostra. Ascendamus cum Christo in crucem, arduam viam salutis viriliter, et patientiæ exercitia strenue aggrediendo. Maneamus quoque cum ipso in cruce, in obedientia et afflictione pœnitentiæ, in mortificatione salubri et propriæ voluntatis fractione perseverando. Moriamur demum cum Christo in cruce, in istis exercitiis cursum nostrum feliciter consummando, carnem quoque cum vitiis et concupiscentiis crucifigendo. Non acquiescamus persuadentibus descensum de cruce, rigorem pœnitentiæ relaxando, pristinam libertatem rursus optando, ad ea quæ mundi sunt adspirando.

Ps. LXVII, 24.

Galat. V, 24.

Postremo dulcescat nobis crux nostra, ut Dei intuitu ac amore omnia promptissimo animo operemur ac patiamur ; et carnalia ac vana solatia respuendo, justitiamque zelando, mereamur desuper consolari, spiritualibus gaudiis refoveri, gustare dulcedinem Dei, futuram beatitudinem prælibare, divinorum stillicidiorum infusiones ac munificentias experiri, ut cum Apostolo ex sententia fateamur : Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita per Christum abundat consolatio nostra ; itemque, Benedictus Deus qui consolatur nos in omni tribulatione nostra. Et cum Psalmista grata jucundaque mente cantemus Deo : Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam. Cui honor et gloria in æternum.

II Cor. I, 5.

Ibid. 3, 4.

Ps. XCIII, 19.

IN FESTO
S. MATTHÆI APOSTOLI
ET EVANGELISTÆ

ENARRATIO IN EPISTOLAM

UNICUIQUE NOSTRUM DATA EST GRATIA, ETC. Ephes. IV, 7-13.

EPISTOLA ista in Officio hodierno rationabiliter legitur, quia in ea de Evangelistis specialis mentio agitur. Itaque ad Ephesios ait Apostolus :

Unicuique nostrum data est gratia gratum faciens, aut gratis data, seu utraque simul, quæ in Apostolis maxime abundabat, qui primitias Spiritus acceperunt, *secundum mensuram donationis Christi,* id est secundum moderamen seu quantitatem qua placuit Christo gratiam unicuique dare : qui cui vult, dat plus, et cui vult, minus, omnibus tamen ultra eorum dignitatem ac meritum. *Propter quod dicit* Psalmista, qui gratiam in novo Testamento collatam præcognovit, et propter eam aliqua prophetavit : *Ascendens* Christus *in altum,* id est in cœlum empyreum in die ascensionis, *captivam duxit captivitatem,* id est, in limbo detentos et sufficienter purgatos, qui propter originalis peccati reatum retardabantur a gloria, et a diabolo tenebantur captivi, eripuit, et secum vexit in cœlum ; *dedit dona* gratiæ ac virtutum *hominibus,* præsertim suis discipulis in die Pentecostes, quibus tunc misit Spiritum Sanctum, qui eorum corda replevit multiplici gratia. Translatio nostra sic habet : Ascendisti in altum, cepisti captivitatem, accepisti dona in hominibus. Sicque Apostolus allegat scripturam hanc secundum sensum magis quam juxta formam verborum. *Quod autem* Christus *ascendit, quid est,* id est, quomodo verum est, et quid innuit, *nisi quia et descendit primum,* id est ante suam ascensionem, *in inferiores partes terræ,* id est in limbum patrum, qui est secus infernum, et in superiori parte ipsius, tamen sub terra? Illuc enim Christus descendit, quantum ad animam suam, in puncto mortis suæ, et fuit ibi usque ad horam resurrectionis suæ, qua Sanctos inde eduxit. Vel, « descendit primum in inferiores partes terræ », id est ad hunc mundum inferiorem et ad habitabilia loca terræ, per assumptionem naturæ humanæ, atque in mundo visibiliter apparendo. Unde protestatur : Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo. *Qui descendit* modis jam tactis, *ipse est et qui ascendit* in die ascensionis, secundum corpus suum et animam, *super omnes cœlos* materiales, et super habitatores eorum. Ascendit enim super omnes creaturas spirituales ac corporales loco et dignitate, seu potius dignitatis suæ

Rom. VIII, 23.

Act. II, 1 et seq.

Ps. LXVII, 19.

Joann. III, 13.

Marc. XVI, 19.

manifestatione. Verumtamen Christus secundum quod homo, infra cœlum empyreum continetur (quod secundum Damascenum est continentia, id est locus contentivus, visibilium et invisibilium), et usque supremum cœli illius Christus ascendit, ubi et residet.

Denique septem sunt cœli seu orbes et sphæræ planetarum. Octavum cœlum est firmamentum, quod vocatur cœlum stellatum, quia in eo sunt stellæ fixæ ; estque partim diaphanum, et partim lucidum. Nonum est cœlum crystallinum seu aqueum, omnino diaphanum, quod philosophi nominant nonam sphæram. Ultra quam quidam astronomi ponunt decimam sphæram, seu decimum cœlum, quod nominant primum mobile. Ultra hos cœlos est cœlum empyreum, maxime uniforme, simplex, immobile, quod est locus et mansio Beatorum. Præter hos cœlos superiores, secundum substantiam omnino incorruptibiles, ponuntur cœli elementares, videlicet cœlum aerium, æthereum, olympium, et igneum.

Sic ergo Christus super omnes cœlos ascendit, *ut adimpleret* omnia* quæ de ipso in lege, Prophetis et Psalmis fuerunt prædicta. Unde in cruce dixit : Consummatum est. Vel, « ut adimpleret omnia » genera hominum, id est quosdam de universis generibus hominum, donis ac gratiis Spiritus Sancti : de quibus in Joanne ait, Si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum. Vel, « ut adimpleret omnia » creata, visibilia et invisibilia, sua dominatione ac præsidentia : quoniam data est ei omnis potestas in cœlo et in terra, et omnia ei subjecta sunt ; omneque genu, cœlestium, terrestrium et infernorum, in ejus honore curvatur.

* *impleret* *Luc.* XXIV, 44. *Joann.* XIX, 30. *Ibid.* XII, 32. *Matth.* XXVIII, 18. *Hebr.* II, 8. *Philipp.* II, 10.

Et ipse Christus *dedit,* id est, pie constituit, *quosdam quidem Apostolos.* De quibus dicit Lucas : Hos duodecim elegit, quos et Apostolos nominavit. *Quosdam autem Prophetas :* quorum unus exstitit Agabus ; multique alii in Actibus Apostolorum leguntur spiritum prophetiæ habuisse. Philippus quoque diaconus habuit quatuor filias prophetissas. Iterum in Actibus legitur : Erant in Ecclesia Antiochiæ prophetæ et doctores, in quibus Barnabas, et Simon, et Lucius. Imo omnes Apostoli per missionem Spiritus Sancti, spiritum prophetiæ sortiti sunt. Denique divinus Dionysius spiritu claruit prophetiæ, ut in ejus constat epistola quam misit beatissimo Joanni apostolo, in qua ei de sua liberatione a Patmos insula prophetavit. Verumtamen, secundum Ambrosium, per prophetas intelliguntur in novo Testamento Scripturarum expositores. *Alios vero Evangelistas :* vel quia Evangelium conscripserunt, ut quatuor Evangelistæ ; vel quia Evangelium prædicaverunt, ut septem primi diaconi et successores eorum. Evangelistæ namque vocantur, qui quamvis sacerdotes non sint, tamen evangelizare ex officio possunt. Unde in Actibus Philippus diaconus appellatur evangelista. Qui tamen actus, etiam presbyteris atque episcopis competit, quum Timotheo episcopo scribat Apostolus : Opus fac evangelistæ. *Alios autem* dedit *pastores et doctores,* videlicet episcopos et prælatos, quorum est gregem Dei spiritualiter pascere et docere. De qualibus loquitur per Jeremiam Deus : Dabo vobis pastores juxta cor meum, et pascent vos scientia et doctrina. Præterea de horum omnium distinctione loquitur modo Apostolus formaliter. Nam materialiter seu subjecto coincidunt ista officia, quia eidem personæ diversæ dignitates et gratiæ conferuntur.

Act. XXI, 8, 9. *Ibid.* XIII, 1. Epist. 10. *Ibid.* VI, 5. *Ibid.* XXI, 8. II *Tim.* IV, 5. *Jer.* III, 15.

Hos itaque dedit Deus *ad consummationem sanctorum,* id est ad hoc ut fideles et sancti in vita hac pertingant ad consummationem seu finem felicem, per illorum ministeria. Ideo subditur : *In opus ministerii,* id est in operosum obsequium, puta ad hoc ut singula officia ordinate exsequantur circa fideles, ad eorum profectum. Nam gratiæ gratis datæ dantur ad aliorum utilitatem. Unde subjungitur : *In ædificationem corporis Christi,* id est propter

Luc. VI, 13. *Act.* XI, 28 ; XXI, 10, 11.

spiritualem ædificationem militantis Ecclesiæ, quæ est mysticum corpus Christi, cujus spiritu spiritualiter vivificatur, et a quo tanquam a capite motum gratiæ influentiamque virtutum sortitur.

Durabit autem obsequium istud, seu ista prælatio, in populo christiano, *donec occurramus omnes,* id est, in die judicii Christo et nobis invicem obviemus : juxta illud Matthæi, Ecce sponsus venit, surgite obviam ei ; Apostolus quoque, Simul (inquit) rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aera; *in unitatem fidei,* id est, idem credentes, quantum ad electos fideles qui nondum Deum per speciem meruerunt videre ; *et agnitionis,* id est claræ contemplationis, *Filii Dei.* Hoc refertur ad Beatos qui ante futurum judicium ad beatificam Dei visionem pertingunt. *In virum perfectum,* id est in statu perfecto, habentes videlicet perfectionem virtutum et fortitudinem animorum : sicque nomine viri non designatur hic certus sexus, sed virilis perfectio. Unde non ait, « in virum perfectum », ad insinuandum quod in resurrectione et postea non erit in hominibus distinctio sexuum, sed quod omnes electi feliciter immutabuntur. *In mensuram ætatis plenitudinis Christi,* id est, in ea ætate resurgemus et occurremus, qua Christus consummatus est et occisus, videlicet in ætate anni tricesimi tertii, et paulo plus, scilicet quatuor mensium, aut circiter. Nam Christus tantum plus habuit de ætate quam triginta tres annos, quantum temporis est a die Nativitatis usque ad diem Parasceves. Porro Apostolus non ait, In mensuram corporis vel staturæ Christi, quoniam unusquisque proprii corporis mensuram recipiet quam vel in juventute habuit, vel habuisset si pervenisset ad eam. Non est autem fas dicere, secundum Augustinum, quod in resurrectione futura dabitur corpori magnitudo quam non habuit nec naturaliter habuisset, vel quod corpora majora ad quantitatem redigentur corporis Christi : sic enim multum periret de illis, quum tamen nec unus periturus sit capillus eorum. Hæc autem probabiliter dicta sunt. Valde quippe difficilis est hic passus, et quidam circa hæc aliter opinantur.

Matth. xxv, 6. — I *Thess.* iv, 16. — I *Cor.* xv, 51, 52. — *Luc.* xxi, 18.

SERMO PRIMUS

QUOD S. MATTHÆUS APOSTOLUS FUERIT SIMUL PROPHETA, EVANGELISTA AC MARTYR.

CHRISTUS dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem pastores et doctores. Ephes. iv, 11.

In his verbis multa comprehenduntur, de quibus infra dicetur. Nunc vero hoc dico, quod ex eis evidenter elicitur quam magna sit excellentia gloriosi et sancti evangelistæ Matthæi. Quamvis enim quinque ista quæ in themate exprimuntur, formaliter distinguantur, id est, diversas habeant rationes diversosque actus, nihilo minus omnia ista sacratissimo Matthæo conveniunt. Ipse enim fuit apostolus ; ipse propheta : quia (ut dictum est) omnes sancti Apostoli post missionem Spiritus Sancti, prophetiæ spiritu claruerunt. Sanctus quoque Matthæus in evangelio suo de multis vaticinatur futuris, videlicet de resurrectione finali, item de extremo judicio, de retributionibus electorum ac reproborum, de finali quoque derelictione Judæorum, de tribulationibus Ecclesiæ tempore Antichristi, de infrigidatione Christianorum circa tempora illa, de persecutionibus quoque sanctorum in sæculo is-

to. Quæ omnia ex revelatione cognovit Spiritus Sancti. Unde in sermone post Cœ-
Joann. XVI, 12, 13. nam Christus dixit Apostolis : Adhuc multa habeo dicere vobis, sed non potestis portare modo ; quum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem, et quæ ventura sunt annuntiabit
Ibid. XIV, 26. vobis. Et rursus in eodem sermone : Paracletus Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis. Habuerunt quoque beati Apostoli multo clariorem et distinctiorem notitiam futurorum, et evidentius de eis locuti sunt, quam Prophetæ veteris Testamenti : quia et Spiritum Sanctum in majori plenitudine acceperunt, tam quantum ad dona gratiæ gratum facientis quam quantum ad dona gratiæ gratis datæ, quam antiqui illi Prophetæ. Hinc enim Joannes
Ibid. VII, 39. dicit : Nondum erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus. Quod intelligendum est de excellentissima illa datione Spiritus Sancti, qua post Christi
Act. II, 1 et seq. ascensionem Apostolis in die Pentecostes infusus est.

Insuper S. Matthæus fuit evangelista, Evangelium conscribendo : juxta quem modum ponuntur quatuor Evangelistæ, videlicet Joannes, Matthæus, Lucas et Marcus. Est autem evangelium S. Matthæi multis excellentiis decoratum. Nam gesta et documenta atque miracula Christi multo plenius scribit quam Marcus, et multo ordinatius quam Lucas, ita quod in conscribendo et recitando magis observat ordinem rei gestæ et loci ac temporis, quam S. Lucas. Nec mirum, quia interfuit. Fuit quoque S. Matthæus pastor, quia prælatus et præsul dignissimus, et verbo et facto, fama, oratione ac sacramentorum administratione pavit oves Salvatoris, spirituales filios suos quos convertit, primo in Judæa, deinde in Æthiopia. Et valde specialiter pavit eos per conscriptionem evangelii sui, per quod universam usque in præsens pascit atque illustrat Ecclesiam. Hinc etiam fuit doctor, non solum verbo prædicationis ut ceteri Apostoli communiter, sed et conscriptione Evangelii, ut tactum est.

Nec solum his gratiis et excellentiis Deus ornavit sacratissimum istum Evangelistam, sed et gratia miraculorum, dono linguarum, splendore sapientiæ excellentis, et triumpho martyrii. Nec in aliquo alio inveniuntur hæc omnia simul : imo nullus præter eum fuit simul apostolus et evangelista ac martyr. Joannes quippe apostolus fuit et evangelista, sed non martyr. Petrus vero et alii quidam, apostoli fuerunt ac martyres, sed non evangelistæ. Marcus autem evangelista fuit et martyr, sed non apostolus. Potest ergo de Matthæo sanctissimo specialiter verificari illud Ecclesiastici : Non est inventus similis illi, qui conservaret legem Excelsi.
Eccli. XLIV, 20.

Præterea in hodierna epistola multa contenta sunt documenta præclara. In hoc namque quod dicitur, Unicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Jesu Christi, primo insinuatur, quanta sit caritas et liberalitas Domini nostri Jesu Christi, qui verus est Deus, et unus cum Patre ac Spiritu Sancto totius gratiæ dator. Quemadmodum enim Pater et Filius et Spiritus Sanctus sunt unus Deus, ita sunt et unus creator, ac unus omnis boni creati dator. Itaque, per hoc quod unicuique electorum datur gratia secundum mensuram donationis Christi, non secundum propria merita, ostenditur caritas Dei, qui absque prævиis hominum meritis, gratiarum suarum charismata multa et magna eis largitur ; itemque liberalitas ejus, in eo quod tam copiose hoc agit. Deus namque dat omnibus affluenter, ut Jacobus dicit. Secundo, per idem verbum ostenditur libertas summi omnipotentisque Christi, qui cui vult, et quantum vult, dat secundum beneplacitum suum. Unde in Exodo protestatur : Miserebor cui voluero, et clemens ero in quem mihi placuerit. Tertio, per idem verbum designatur, quanta sit sapientia Christi, qui dona gra-
Ephes. IV, 7.
Jacob. I, 5.
Exod. XXXIII, 19 ; *Rom.* IX, 15.

tiæ suæ tam ordinate multipliciterque largitur, uni plus, alteri minus, secundum dictamen et ordinem infinitæ sapientiæ suæ : sicut in naturalibus dedit uni rei majorem eminentiam in donis naturæ, quam alteri. Et secundum quod prædestinavit aliquem ad beatitudinem majorem sive minorem, secundum hoc dat ei majorem aut minorem gratiam gratum facientem in vita præsenti. Insuper, per hoc quod Christus tam varios, pulchros ac altos gradus, status ac ordines in militanti Ecclesia posuit, quosdam videlicet Apostolos, quosdam Prophetas, quosdam Evangelistas, quosdam pastores, quosdam doctores, quosdam miraculorum operatores, quosdam in aliis diversis officiis, manifestat immensam sapientiam suam, infinitam quoque potentiam suam. Sapientis quippe est ordinare, et opera sua ordinate disponere, pulchre distinguere, ac debito ordine collocare. Sic fecit in Ecclesia sua Salvator. Unde in Psalmo habetur : Omnia in sapientia fecisti. Sapiens quoque ait : Omnia in mensura et numero et pondere constituisti. Hinc præcordiales Deo gratias referamus super universis beneficiis ejus, toti Ecclesiæ et quibuscumque ejus suppositis condonatis, et ipsum in suis operibus glorificemus, cum Psalmista dicentes : Quam magnificata sunt opera tua, Domine ! Nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ. Et rursus : Non est similis tui in diis, Domine, et non est secundum opera tua.

Ephes. IV, 11. *Ps.* CIII, 24. *Sap.* XI, 21. *Ps.* XCI, 6. *Ps.* LXXXV, 8.

Postremo, quoniam Deus est liberalitatis et opulentiæ penitus infinitæ, paratissimus ad præstandum, dummodo inveniat nos ad suscipiendum dona sua paratos, studeamus nos præparare ad susceptionem charismatum Spiritus Sancti, qui unicuique dat secundum propriam virtutem, seu capacitatem ac dispositionem. Propter quod primo Regum Samuel exhortatur : Præparate corda vestra Domino. Hæc autem præparatio fieri debet per discussionem conscientiæ, per contritionem internam, per veram confessionem, per recessum a pristinis vitiis, per invocationem divini auxilii, per auditionem verbi Dei, per sui ipsius humiliationem et castigationem ; item aliis ignoscendo, et Virginem gloriosam Sanctosque alios invocando. Unde et nunc specialiter beatissimum evangelistam apostolumque Matthæum exoremus devote, ut jugiter intercedat pro nobis. Ejus quoque imitemur virtutes, Christo celeriter obediendo, terrena despiciendo, per vias justitiæ perseveranter ac viriliter gradiendo : quia hæc omnia et alia multa sublimia in beatissimo considerantur et fuerunt Matthæo, prout infra tangetur, ubi et de ejus miraculis referetur.

Matth. XXV, 15. *I Reg.* VII, 3.

ENARRATIO IN EVANGELIUM

QUUM TRANSIRET JESUS, VIDIT HOMINEM SEDENTEM IN TELONIO, MATTHÆUM NOMINE, ETC.
Matth. IX, 9-13.

SANCTUS evangelista Matthæus in evangelio hodierno sui ipsius conversionem describit. Itaque in Matthæo sic legitur :

Quum transiret Jesus a civitate Capharnaum, *vidit hominem,* scilicet Matthæum, *sedentem in telonio,* id est occupatum in exigendo et colligendo vectigalia seu tributa : et forte ad litteram sedit tunc in telonio, id est in domo sive ad mensam ubi vectigalia levabantur. *Matthæum nomine,* qui alio nomine dictus est Levi, sicque Lucas et Marcus eum appellant. *Et ait illi : Sequere me* gressu corporali, et conversione mentali, nec solum per observantiam præceptorum, sed evangeli-

Luc. V, 27, 29; *Marc.* II, 14.

corum quoque consiliorum. Adspexit itaque Jesus Matthæum oculo corporali, et multo profundius oculo spirituali, compatiendo eidem. Et sicut eum extra vocavit, sic per divinitatis suæ potestatem ac gratiam ipsum intus attraxit, et per allocutionem internam edocuit, per caritatem accendit. *Et surgens* Matthæus a loco atque negotio telonii, a pristina conversatione injusta, ab omni cupiditate terrena, *secutus est eum,* utpote Christum, mente devota et corpore rationi subjecto.

Et factum est, discumbente eo in domo, id est Christo manducante in domo Mat- *Luc* v, 29. thæi, qui (ut Lucas refert) fecit Christo grande convivium, *ecce multi publicani,* id est publici transgressores, seu quibusdam publicis et periculosis negotiis, videlicet exactionibus teloniorum aut vectigalium, occupati, *et peccatores,* id est minoribus peccatis intenti, aut ceteri quique transgressores, *venientes* ad domum Matthæi, ab eo invitati, quoniam socii ac noti ejus fuerunt, atque Matthæi exemplo Christum sequi ac pœnitere cœperunt, *discumbebant cum Jesu et discipulis ejus* in domo Matthæi. Sic et tertio Regum Eli- III *Reg.* XIX, 21. seus ab Elia vocatus, legitur convivium exhibuisse sociis, mactavitque eis duos boves.

Et videntes Pharisæi Christum cum publicanis discumbere, *dicebant discipulis ejus : Quare cum publicanis et peccatoribus manducat Magister vester?* quasi dicant, Hoc indecens est et injustum : quum *Ps.* C, 5. dicat Psalmista, Superbo oculo et insatiabili corde, cum hoc non edebam. Et rursus *Eccli.* IX, 22. *Prov.* XXIII, 6. ait Scriptura : Viri justi sint tibi commensales. Et Salomon in Proverbiis : Ne comedas (inquit) cum homine invido.

At Jesus audiens verba hæc Pharisæorum, auditu interiori ad minus, *ait* eis, eorum præsumptionem et elationem redarguendo : *Non est opus valentibus medicus,* id est, sanis medicus necessarius non est, *sed male habentibus,* id est infirmis. Itaque, sicut corporaliter languidi indigent medico, corporalibus infirmitatibus remedia applicante; sic spiritualiter ægri, id est vitiis læsi, passionibus subditi, ad vitia proni, indigent medico spirituali, videlicet bono instructore, virtuoso prælato, qui animarum vulneribus queat mederi, eas a vitiis ad virtutes trahendo. Et quoniam Christus fuit optimus medicus animarum, idcirco publicanis et peccatoribus necessarius fuit, nec debuit illos vitare, sed eis se misericordissime applicare. Et per hoc confutavit Pharisæorum errorem. — Porro auctoritates inductæ ad hoc quod cum peccatoribus non sit edendum, intelligendæ sunt de peccatoribus penitus obstinatis, et quando sic rationabiliter fieri potest; de his quoque quibus periculosum est cum talibus manducare, ne pervertantur ab eis, juxta illud : Cum perverso perverteris. *Ps.* XVII, 27.

Euntes autem, id est, recedentes corporaliter a me, ac a vestro errore ac præsumptione, *discite quid est,* id est, qualiter intelligi debeat et servari, quod in Osee loquitur Deus : *Misericordiam volo,* *Osee* VI, 6. id est compassionem et subventionem circa proximum indigentem, *et non sacrificium* legale, quasi illud sit per se acceptum ac meritorium : imo tale non fuit, nisi ex offerentis devotione. Et præcipue tempore evangelicæ legis, sacrificia legis Mosaicæ cessant, et opera misericordiæ Deo placent. Unde et in Isaia loquitur Dominus : Holocausta arietum et adipem *Is.* I, 11. pinguium nolui. Sed quid velit Deus, subjungitur ibi : Subvenite oppresso, etc. *Ibid.* 17. Hinc Michæas clarius dicit : Numquid of- *Mich.* VI, 6, 7. feram Domino holocausta? Numquid placari potest Deus in millibus arietum? quasi dicat, Nequaquam. In quo ergo placatur subjecit : Indicabo tibi, homo, quid sit *Ibid.* 8. bonum, aut quid Dominus requirat a te : utique facere judicium, et diligere misericordiam, et sollicitum ambulare cum Deo tuo.

Consequenter subditur causa, vel potius signum, quod Deus vult misericordiam magis quam sacrificium. *Non enim veni vocare justos, sed peccatores.* Hoc est quod alibi ait Salvator : Venit Filius hominis *Luc.* XIX, 10.

quærere et salvum facere quod perierat. Sed nonne Christus vocavit ad suum discipulatum Jacobum justum, et Petrum, dili-
Act. x, 14. gentem legis observatorem, qui nunquam comedit omne commune et immundum? *Rom.* VIII, 30. Nonne ad Romanos veraciter dicitur, Quos prædestinavit, hos et vocavit? Quomodo ergo Christus non venit vocare justos? Respondetur dupliciter. Primo, quia secundum Ambrosium, per justos intelligit Scribas et Pharisæos, de sua justitia præsumentes, qui tamen vere justi non erant, sed elati, præsumptuosi et vani: quos Christus non venit vocare per salutarem effectum seu consecutionem salutis (juxta quem modum non est crucifixus pro reprobis). Siquidem de taliter justis ait Apo-
Ibid. x, 3. stolus : Ignorantes Dei justitiam, et suam volentes statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti. Porro, per peccatores intelliguntur humiles pœnitentes, quos Christus vocavit efficienter, seu per consecutionem salutis finalem. Juxta hunc sensum ait Salvator : Confiteor tibi, Pater, quia abs- *Matth.* XI, 25. condisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Ubi per sapientes et prudentes intelliguntur qui in propriis oculis tales sunt, propterea vere sunt stulti ; parvuli vero, id est humiles, vere sunt sapientes. Secundo, dicendum quod Christus hic loquitur de vocatione ad pœnitentiam, quæ peccatoribus competit, et non justis secundum quod tales sunt. Unde in Luca legitur respondisse : Non veni vocare justos, sed peccatores, in *Luc.* V, 32. pœnitentiam. Justos vero vocavit et vocat ad perseverandum in bono, ad proficiendum in eo, ad salutem æternam.

SERMO SECUNDUS

QUOD SINGULARIS GRATIA IN MATTHÆO EMICUERIT ; ET QUOD UBI EST MAJOR VIS CARITATIS, VERBORUM SIT MAJOR EFFICACIA.

SURGENS Matthæus, secutus est Jesum. Matth. IX, 9.

Evangelium istud sacris doctrinis atque mysteriis plenum est. Siquidem in exordio ejus insinuatur infinita misericordia Salvatoris, quoniam hominem publicanum ex officio teloniarii vocavit ad suum discipulatum, et paulo post ad apostolatus offi-
Joann. III, 8. cium. Nam Spiritus ubi vult spirat, et gratia Dei nullis arctatur limitibus : imo
Rom. V, 20. frequenter ubi plus abundavit culpa, postmodum abundat plus gratia. Vocavit itaque Christus Matthæum publicanum ad suum discipulatum et apostolatum, ut per hoc cunctis peccatoribus spem veniæ largiretur. Hac quoque de causa vocavit et
Act. IX, 1 et seq. Paulum adhuc in itinere impiissimo constitutum, quo ivit ad persequendum fideles. Unde ad Timotheum fatetur : Christus
I Tim. I, 15, 16. venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum ; sed ideo misericordiam consecutus sum, ut in me primo ostenderet Christus omnem patientiam, ad informationem illorum qui credituri sunt illi in vitam æternam. Hinc etiam evangelium S. Matthæi in Ecclesia amplius frequentatur seu frequentius legitur, quemadmodum Psalmi sanctissimi David prophetæ, et epistolæ Pauli apostoli. Sunt namque tria peccata quæ magis abundant in mundo, puta superbia, luxuria, avaritia. Peccato superbiæ peccavit Paulus ante suam conversionem. Unde ad Timotheum : Fui *I Tim.* I, 13. (inquit) blasphemus, et persecutor, et contumeliosus. Peccato luxuriæ David peccavit, adulterium committendo cum uxore *II Reg.* XI, 2 et seq. Uriæ, ut secundo Regum habetur. Peccato avaritiæ peccavit Matthæus, terrenis lucris

immoderanter vacando, ut constat ex dictis. Horum ergo trium scripturæ in Ecclesia sancta abundantius frequentantur, ut nullus, cuicumque subjectus sit culpæ, desperet: quoniam tres viri præfati, a peccatis gravissimis ad specialissimam gratiam sunt perducti.

Præterea in prætactis verbis exordii evangelii hujus innuitur, quam immensa potestas fuit in verbis Jesu Christi, præsertim in operatione sua interna, et maxime in deitate sua æterna. Ecce enim ad prolationem unius verbi Salvatoris nostri Jesu *Matth.* IX, 9. Christi, quo dixit, Sequere me, immutatum, compunctum, conversum est cor sanctissimi Matthæi, ita quod qui usque ad hujus verbi auditum cupidus exstitit et mundanus, subito cœpit terrena despicere, ad spiritualia affici, ad Deum converti. Nec mirum quod tanta vis fuit in verbis Salvatoris nostri Jesu Christi : quoniam ipsemet est æternum et unicum Verbum *Joann.* I, 1. Dei Patris, de quo ait Scriptura, In principio erat Verbum. Secundo, quoniam tanto major est vis in hominum verbis, quanto ex ardentiori caritate majorique sanctitate et salutari sapientia profluunt verba ipsa. Christus autem, etiam secundum naturam suam humanam, fuit præ omnibus Sanctis incomparabili sanctitate, ardentissima caritate, summa sapientia plenus, utpote perfectissimus comprehensor, id est, Deitatis essentiam per speciem clarissime cernens, et ea beatissime fruens, quantum ad superiores suæ animæ vires. Tertio, quoniam sanctitatis suæ internæ splendor refulsit in ejus vultu, secundum quod voluit, et ex hoc verba ejus plus movere audientes valebant. Unde et tempore passionis suæ, quum dixisset gentilibus perfidissimisque *Ibid.* XVIII, 4-6. Judæis, Quem quæritis? illique respondissent, Jesum Nazarenum, et ipse dixisset, Ego sum : uno hoc verbo omnes Judæos dejecit in terram, quoniam igneus splendor in vultu ejus resplenduit, et omnipotens suæ deitatis potestas ad hoc specia- *Matth.* XXI, 12; *Joann.* II, 14-16. liter operabatur. Simili modo compescuit atque perterruit corda eorum quos ejecit de templo. Quarto, quoniam tanta fuit fama Salvatoris nostri Jesu Christi et magnificentia miraculorum ipsius, quod ex hoc in verbis ejus efficacia fuit major.

Itaque nemo quantumcumque iniquus aut debilis, dicat : Non possum converti, non possum illa aut illa peccata relinquere, non possum facere bonum istud vel illud. Sed potius diligenter attendamus ac perpendamus infinitam misericordiam ac omnipotentiam Dei nostri, in cujus manu *Prov.* XXI, 1. sunt omnia corda filiorum hominum, et quæcumque voluerit, ea repente convertit ad libitum suum; sicque cum beatissimo Paulo apostolo fateamur : Omnia possum *Philipp.* IV 13. in eo qui me confortat. Idcirco unusquisque faciat quod in se est, ad Dei gratiam se aptando, et ejus auxilium jugiter invocando.

Præterea in evangelio isto docemur, quam velox et prompta fuit obedientia beatissimi apostoli et evangelistæ Matthæi, qui ad unicum Christi præceptum ac verbum brevissimum, protinus secutus est Salvatorem nostrum Jesum Christum, sicut in hodierno legitur evangelio : imo (ut in Luca habetur) statim relictis omni- *Luc.* V, 28. bus, secutus est eum. Discamus ergo et nos exemplo hujus sanctissimi Matthæi apostoli, Deo omnipotenti prompte ac celeriter obedire, ejus divinis instinctibus, angelicis quoque inspirationibus, et sacræ Scripturæ eloquiis obtemperare, sed et vicariis Dei, episcopis, prælatis et superioribus nostris tanquam Deo parere. Nam ut primo Regum Samuel contestatur : Me- *1 Reg.* XV, 22, 23. lior est obedientia quam victimæ; quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare, et quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere. Nempe quam grave sit præceptis Dei non obedire, tangit propheta David loquens Deo : Maledicti qui declinant a *Ps.* CXVIII, 21. mandatis tuis.

Insuper in evangelio isto docemur, quam magna fuit reverentia et liberalitas sanctissimi Matthæi ad Christum, quia (ut Lucas refert) fecit ei et discipulis ejus *Luc.* V, 29. convivium. Sic et fideles liberales et pii

esse debent ad eos a quibus audiunt verbum suæ salutis, talesque reverenter tractare. Propter quod ait Apostolus : Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si carnalia vestra metamus? tanquam dicat, Magnum non est.

I Cor. IX, 11.

Præterea, per corporale convivium quod beatus evangelista Matthæus Christo exhibuit, designatur spirituale convivium quod quotidie facit Christo in tota Ecclesia, ubi ejus evangelium legitur : ex cujus auditione corda hominum compunguntur, convertuntur, proficiunt, Deo se offerunt, et eum in cordis sui sumunt hospitio, atque cum ipso ibidem spiritualiter epulantur, gloriando in contemplatione et dilectione ipsius, seque in actibus bonis reficiendo ac confortando in Domino. Hinc in Proverbiis loquitur Deus : Deliciæ meæ, esse cum filiis hominum ; et in Apocalypsi : Ego (inquit) sto ad ostium et pulso ; si quis aperuerit mihi, et audierit vocem meam, introibo ad illum, et cœnabo cum illo, et ipse mecum. Istud spirituale convivium potest et debet quilibet nostrum quotidie Deo exhibere, ipsum intra se suscipiendo ac continendo per meditationes devotas, per desideria sancta, per observantiam præceptorum, sicque mentem suam reficiendo ac roborando in contemplatione et amore Altissimi. Quod agendo, quasi ipsi Deo præbemus delicias, quia (ut dictum est) deliciæ ejus sunt, esse cum filiis hominum. Iterum Christo convivium facimus, dum membra ipsius, videlicet pauperes et peregrinos, infirmos ac devotos, propter Deum caritative suscipimus, hospitamur, reficimus, repausamus : quoniam ipsemet Christus fatetur, Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Ecce quam pronus ac liberalis debet quilibet Christianus esse ad misericordiæ opera.

Prov. VIII, 31.

Apoc. III, 20.

Matth. XXV, 40.

Amplius, ex hoc evangelio docemur, quam infinita fuit caritas, dignatio et misericordia Christi, qui cum publicanis et peccatoribus sedere, manducare et loqui non sprevit. Nullus ergo tam perfectus, tam magnus et sapiens in suis sit oculis, ut alios adspicere, affari et socios ad colloquendum ac convescendum dedignetur habere, nisi sint tales cum quibus Ecclesia aut Scriptura habere vetat communionem : tamen causa exhortationis et salutis, cum talibus admittitur quibusdam accessus. Itaque Christiani inter se caritative, socialiter, pacifice atque humiliter vivere debent et ambulare, et implere quod ait Scriptura, Quanto major es, humilia te in omnibus ; quod item ait Salvator, Qui major est vestrum, sit vester minister.

Eccli. III, 20.

Matth. XXIII, 11.

Denique, sicut caritatem et misericordiam Christi docet nos evangelium præsens, sic et eorum qui ficte et false justi sunt, hoc est hypocritarum et præsumptuosorum, perversitatem nos edocet. Nam Scribæ et Pharisæi murmurabant adversus Christum, quod tam benigne ad peccatores se habuit. Tales adhuc sunt multi, qui meliores et sapientiores se reprehendere, eorumque opera bona sinistre interpretari non erubescunt. Quorum stultitia magna est vehementer, quoniam se ipsos non intuentur, imo putant se aliquid esse, ut ait Apostolus, quum nihil sint. Horum ergo vitemus vitia et errores, et discutiat unusquisque conscientiam propriam, eamque purget, ornet, custodiat.

Galat. VI, 3.

Præterea, quoniam male habentibus medicus necessarius est, nos qui spiritualiter ægri sumus, fragiles, defectuosi aut vitiosi, ad cœlestem ac summum medicum Jesum Christum confugiamus, ejus gratiam ac misericordiam invocando, ut intus nos sanet a vitiis. Ejus quoque amplectamur medicamenta, id est sacramenta, præcepta ac documenta, in primis sacramentum Pœnitentiæ post Baptismum et lapsum. Sed et exempla seu opera Christi sunt medicamenta peroptima, præsertim passio ejus salutifera. Idcirco qui vulnere superbiæ læsus est, considerando et imitando Christi humilitatem, curare se studeat. Sic qui invidia, ira, incontinentia, avaritia, aut alio quovis peccato animam habet vulneratam, intuendo atque sectando Christi ar-

dentissimam caritatem, maximam mititatem, mundissimam castitatem, summam liberalitatem ac spontaneam paupertatem, sanare se enitatur. Denique Deus est fons misericordiæ, in quo nos oportet a peccatis lavari; fons sapientiæ, in quo illuminari, fons omnipotentiæ, in quo roborari, fons opulentiæ ac beatitudinis, in quo nos spiritualiter ditari ac beatificari oportet. *Osee* VI, 6. Insuper, quoniam misericordia magis placet Deo quam sacrificium, debet unusquisque pro viribus suis, operibus misericordiæ tam spiritualibus quam corporalibus esse intentus : et quod non potest effectu, agat affectu, qui frequenter reputatur pro opere, et acceptatur a Deo. Opera autem misericordiæ spiritualia, sunt hæc septem: consilium dare petenti seu dubitanti aut indigenti, docere ignorantem, corripere vel corrigere delinquentem, consolari mœstum, ignoscere injurianti, supportare onerosum, orare pro omnibus. Opera vero misericordiæ corporalia sunt hæc : cibare esurientem, potare sitientem, vestire nudum, sepelire mortuum, hospitare peregrinos, visitare infirmos, liberare captivos. In horum exercitio consistit pietas christiana. Certumque est quod opera misericordiæ spiritualia sint principaliora et magis coram Deo meritoria et accepta.

Postremo, quoniam Christus venit peccatores ad pœnitentiam vocare, dicendo, Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum : hinc nullus desperet, eo quod penitus infinita sit bonitas et misericordia Dei nostri ; sed qui in peccatis est, statim pœniteat, et tanto cordialius, quanto majora et plura sunt ejus peccata. Vocat etenim Salvator noster Christus quotidie, imo et indesinenter, peccatores ad pœnitentiam, per instinctum divinum, per angelicas inspirationes, per prælatos et prædicatores, per sacras Scripturas et documenta Sanctorum, per beneficia atque miracula, per bonorum quoque exempla, et per adversa. Durus est ergo et nimis durus, qui tot vocationibus non assentit, sed in suis permanet vitiis. Hinc talibus loquitur Deus in Proverbiis : Quia vocavi, et renuistis, despexistis omne consilium meum, et increpationes meas neglexistis ; ego quoque in interitu vestro ridebo et subsannabo, quum vobis quod timebatis evenerit. Itaque pœniteamus, et convertamur ad Dominum, eique jugiter adhæreamus. *Matth.* IV, 17. *Prov.* I, 24-26.

SERMO TERTIUS

DE VITA S. MATTHÆI EVANGELISTÆ, CUM EXHORTATIONE SALUTARI.

ÆTHIOPIA præveniet manus ejus Deo. Ps. LXVII, 32.

His verbis in Psalmo præmittitur, Venient legati ex Ægypto : unde Propheta celerrimam ac gratiosissimam Æthiopum conversionem prænoscens in spiritu, locutus est hæc verba prætacta. Æthiopes quippe convertit beatissimus evangelista Matthæus : de cujus excellentiis atque virtutibus in præinductis sermonibus dicta sunt aliqua, et nunc aliqua sunt addenda. Hoc autem in isto Apostolo speciale fuit et valde mirabile, quia tam gratiosissime ac virtuosissime Deus omnipotens adstitit ei, quod valde celeriter convertit Æthiopum plebem, in qua usque in præsens christiana viget religio. Quum enim gloriosissimus iste Apostolus civitatem Æthiopum Nadeber nomine introisset, reperit ibi duos magos, qui homines loci illius sic suis magicis artibus dementabant, ut quos vellent, membrorum motu, officio ac

sanitate privarent. Qui in tantum superbiæ eruperunt tumorem, quod se adorari fecerunt a populo tanquam deos. Quorum falsitates et magicas artes detexit Apostolus. Quumque magi illi ex hoc indignati, duos adduxissent dracones ignem sulfureum ex ore ac naribus evomentes, occurrit Apostolus. Quo viso, corruerunt coram eo dracones, et dormierunt. Dixitque magis : Ubi est ars vestra ? Suscitate eos, si potestis. Et nisi orassem pro vobis, hoc vobis fecissent dracones quod mihi per eos facere intendistis. Deinde præcepit draconibus ut neminem lædendo abirent ; feceruntque ita. Tunc prædicante Apostolo, ortus est rumor et mœror eo quod regis filius obisset. Quem quum resuscitasset Apostolus, scripsit rex omni populo suo : Venite et videte Deum in humana effigie latentem. Quumque venissent cum aureis coronis sacrificiisque diversis ut sacrificarent Apostolo, compescuit eos : Ego, inquiens, Deus non sum, sed servus Jesu Christi, Filii Dei vivi. Itaque instruente eos ac præcipiente Apostolo, de auro et argento allatis construxerunt grandem ecclesiam, in qua per triginta tres annos sedit et prædicavit B. Matthæus apostolus ; et totam ad Christum convertit Æthiopiæ plebem. Nam rex nomine Egippus, cum uxore sua ac sobole omnique populo suo, accepit Baptisma. Ecce quanta mirabilia Jesus Christus per suum egit apostolum et evangelistam Matthæum.

Præterea excellentia sapientiæ atque constantia præclarissimi hujus Apostoli innotescunt ex hoc, quod quum S. Ephigeniam, præfati regis filiam, a se conversam, et sacro velamine consecratam, quam plus quam ducentis præfecit virginibus, nollet in conjugium dare successori regis prædicti, eo quod Regis æterni sponsa esset effecta, successor ille vehementer indignans, misit spiculatorem, qui Matthæum sanctissimum post celebrationem juxta altare stantem, et manibus in cœlum expansis orantem, occidit, a tergo eum perfodiens gladio. Quo cognito, plebs properavit ut regis incenderet domum, sed a presbyteris et diaconibus sunt detenti. Rex vero, quum nec per magos, nec per matronas posset Ephigeniæ virginis animum ad conjugii inclinare assensum, domum ejus incendere nisus est. Sed Apostolus virgini sanctæ apparens, ignem de domo ejus excussit, et protinus ignis ille regis invasit et combussit palatium, solo rege cum unico filio vix evadente. Qui filius a dæmone obsessus, cœpit patris confiteri facinora, et ad Apostoli properavit sepulcrum. Porro rex leprosus turpissimus factus est. Qui quum curari non posset, interfecit gladio semetipsum. Ecce quomodo Deus mirificavit Sanctum suum, beatum istum Apostolum, ante suam passionem, et in ea, atque post eam. Insuper fratrem Ephigeniæ ab Apostolo suscitatum ac baptizatum, populus constituit regem. Qui per septuaginta annos regnavit, et proprium filium christianum reliquit regni heredem ac successorem. Sicque christianæ fidei cultum per totam Æthiopiam auxit magnifice, et eam replevit ecclesiis. *Ps.* IV, 4.

Nunc igitur gloriosi hujus Apostoli sequamur doctrinam, et ejus exemplo sincerum ac firmum habeamus justitiæ zelum, non solum vitando ea quæ manifeste sunt mala, quemadmodum fuit quod rex cum populo suo voluit sacrificare Apostolo, sed etiam ea quæ bona videntur, et tamen in veritate exstant illicita, sicut bonum videbatur dare Ephigeniam virginem regi uxorem, eo quod rex promisit cum populo suo se christianum futurum, si Apostolus induceret virginem illam ad suum consensum. Itaque, sicut Apostolus prohibuit sibi impendi honorem Deo debitum, ita et nos, juxta doctrinam Apostoli, soli Deo impendi optemus honorem et gloriam ; et omnem superbiam, quæ est propriæ excellentiæ amor inordinatus, abhorreamus. Verumtamen hominibus virtuosis ac præsidentibus honor est impendendus, sed in Deo et propter Deum, ut solus Deus finaliter et propter se ipsum honorétur. *I Tim.* I, 17.

Amplius, ea quæ evidenter sunt mala, sicut superbia, invidia, luxuria, acedia, avaritia, vitemus tanquam æternæ mortis venena. Specialiter quoque, exemplo B. Matthæi, debemus avaritiam detestari ac fugere, quam idolorum servitutem vocavit Apostolus. Nam sicut per idololatriam subdit se homo non Creatori sed idolis vanis, ita per avaritiam subjicit mentem suam rebus vilibus et caducis, sensibilibus ac terrenis, non summo et incommutabili, increato infinitoque bono. Et sicut idololatriæ, ita et avaritiæ multa magna vitia sunt annexa. Propter quod ait Innocentius Papa : Radix omnium malorum est cupiditas ; hæc sacrilegia committit et furta, rapinas exercet et prædas, bella gerit et homicidia, simoniace vendit et emit, inique petit et rapit, injuste negotiatur et fœneratur, instat dolis et imminet fraudibus, dissolvit pactum et violat juramentum, corrumpit testimonium et pervertit judicium. Atque (ut asserit Augustinus) non solum avarus est qui diripit aliena, sed etiam qui servat cupide propria ; estque avarus inferno consimilis, quoniam sicut infernus non satiatur pereuntium animabus, ita nec avarus terrenis divitiis. Merito itaque ait Scriptura : Avaro nihil est scelestius, nihil est iniquius quam amare pecuniam ; nam avarus animam suam habet venalem.

Ephes. v, 5 ; *Coloss.* III, 5.

Eccli. x, 9, 10.

I *Tim.* VI, 10.

Obediamus ergo Apostolo exhortanti, Habentes victum et quibus tegamur, his contenti simus ; soli Deo stabiliter atque finaliter inhæreamus, nec aliquid cupiamus aut diligamus nisi in ipso et propter ipsum.

I *Tim.* VI. 8.

AD RELIGIOSOS

SERMO QUARTUS

DE FRUCTU ATQUE UTILITATE SCIENTIÆ ; DE EVANGELICA PERFECTIONE ; DE DILECTIONE INIMICORUM PATIENTIAQUE MALORUM.

QUI docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti ; et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. Dan. XII, 3.

Est quædam scientia informis et nuda, non ornata caritate atque laudabili vita : de qua ait Apostolus, Scientia inflat. Qua multi contenti sunt, cupientes docti reputari, honorari, et carnalia commoda consequi : qui ex sua scientia damnabiliores redduntur, sicut ait Salvator, Servus qui scit voluntatem domini sui, et non facit, plagis vapulabit multis ; et princeps Apostolorum inquit, Melius erat illis non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem retrorsum reverti. Timeamus hæc verba, o fratres, nos qui scimus Scripturas, et eas audimus quotidie, et tamen negligentes, pigri et reprehensibiles invenimur, nec juxta notitiam conversamur idonee, neque condigne proficimus. O quam multi sunt sæculares idiotæ ac simplices, qui si scirent decimam partem eorum quæ scimus, quam diligenter ac fervide Deo servirent ! Inardescat ergo cor nostrum, et strenue operetur quæ Deo sunt placita : hilarem namque ac fervidum servitorem diligit Deus. Non simus contenti scientia hac informi, sed scientiam formatam, actualem, approbativam operativamque boni possideamus, quum Christus testetur : Si hæc scitis, beati eritis

I *Cor.* VIII, 1.

Luc. XII, 47.

II *Petr.* II, 21.

II *Cor.* IX, 7.

Joann. XIII, 17.

si feceritis ea. Nemo scientia sua ad vanitatem utatur.

Est autem et alia quædam naturalis scientia, seu philosophica peritia, in qua etiam multi inordinate atque superflue occupantur. Sed in primis scire et considerare curemus ea ad quæ tenemur et quæ Deus requirit a nobis, quemadmodum
Eccli. III, 22. scriptum est : Quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper. Horum namque ignorantia est ignorantia juris, quæ a vitio non excusat. Propter quod loquitur Pau-
I *Cor.* XIV, 38. lus : Qui ignorat, ignorabitur. Et per Osee B
Osee IV, 6. loquitur Deus : Quia tu scientiam repulisti, repellam et ego te, ne sacerdotio fungaris mihi. Vere utilis ac salubris scientia est se ipsum cognoscere, non philosophice tantum, videlicet quod sit animal rationale mortale, sed theologice quoque, utpote quare et qualiter sit creatus ac liberatus, et propriam defectuositatem ac culpam, et item ad quas passiones et ad quæ vitia ex sua sit naturali dispositione aut usu proclivior, et quomodo possit ac debeat illis reniti ac prævalere. Certe de- C siderabilior est ista scientia, utilior atque salubrior, præsertim religioso, quam omnium philosophorum doctrina, quam etiam medicinæ juriumque peritia, quanquam, heu ! multi ea neglecta, studeant illis quæ devotionem non nutriunt, nec caritatis augent fervorem, sed instabilem, vagam, inanem efficiunt mentem, curiositatemque fovent. Satagat igitur unusquisque vere cognoscere, judicare, castigare se ipsum ; nec alios audeat temere judi-
I *Cor.* II, 11. care, contemnere, observare : quis enim D scit quid agatur in homine, nisi spiritus ejus ?

Denique est tertia scientia, formata, sa-
Is. XI, 2. lubris, illa potissime quæ est unum de
Dan. XII, 3. septem donis Spiritus Sancti. Qua qui fuerint docti, fulgebunt ut splendor firmamenti. Est enim scientia ista caritati sem-
Sap. X, 10. per annexa : de qua ait Scriptura, Dedit illi scientiam Sanctorum ; et Dominus per
Osee VI, 6. Osee, Misericordiam volui et non sacrificium, et scientiam Dei plus quam holo-

A causta. Præterea qui ad justitiam erudiunt *Dan.* XII, 3. multos, docendo eos qualiter debeant inter bonum et malum discernere, peccata vitare, virtutibus inhærere, justeque vivere : isti fulgebunt instar stellarum in regno beatitudinis æternalis. Nam sicut cœlum ornatur sideribus, sic patria Beatorum electis et civibus sanctis. Propter quod loquitur Paulus : Alia claritas solis, I *Cor.* XV, 41, 42. alia claritas lunæ, alia claritas stellarum ; stella enim differt a stella in claritate, sic erit et resurrectio mortuorum.

Porro, secundum philosophos, stella est clarior pars sui orbis. Quemadmodum ergo stella est clarior reliqua sui orbis parte, sic præclarius diviniusque consistit alios in justitia erudire, quam in se ipso dumtaxat doctum exsistere, et hoc ceteris paribus. Nam qui erudiunt alios, Christo magis assimilantur, qui illuminat omnem *Joann.* I, 9. hominem venientem in hunc mundum. Potest autem quis alium erudire verbo et scripto, atque exemplo. Et nunc de illa eruditione est mentio, qua quis non ver- C bis dumtaxat, sed operibus quoque instruit alios. Imo verbo docere, et juxta doctrinam propriam non facere, est valde damnabile. Ideo loquitur Leo Papa : Facilis sit ratio ad persuadendum, efficax ad loquendum ; majus tamen est docere opere quam sermone, et validiora sunt exempla quam verba. Felix ergo est religiosus qui tam caritative atque pacifice, tam humiliter atque benigne, tam patienter, exemplariter et devote inter suos fratres jugiter conversatur, quod ipso facto alios ad idem informat, et perversorum aversionem, discordiam, superbiam, duritiam, impatientiam indevotionemque tacite increpat et confundit, corrigit et reformat.

Præterea beatissimus evangelista et apostolus S. Matthæus in se ipso erat doctus, imo doctissimus, tanquam unus illorum quibus Christus spoponderat : Quum *Ibid.* XVI, 13. venerit Paracletus, Spiritus veritatis, ille docebit vos omnem veritatem. Ipse etiam ad justitiam plurimos erudivit, quia Nubi-

anos convertit Æthiopes, et conscriptione gloriosa evangelii sui sanctissimi, usque in præsens universam docet Ecclesiam. Atque in evangelio suo præ ceteris Evangelistis ordinate procedit in descriptione verborum et miraculorum ac operum Christi; evangelicæ etiam fidei veritatem præ illis probat ac roborat auctoritatibus Prophetarum, quos copiose allegat.

Ideo juxta tanti Evangelistæ doctrinas conversemur in omnibus. Nam ipse ser-
Matth. v-vii. monem Christi in monte descripsit perfectius : in quo sermone includitur quidquid ad recte vivendum exigitur. Ubi et inter cetera per Evangelistam suum loquitur
Ibid. v, 39. Christus : Si quis percusserit te in unam maxillam, præbe ei et alteram ; itemque,
Ibid. 22. Qui dixerit fratri suo, Fatue, reus erit gehennæ ignis. Ardua sunt hæc, et tamen ista est via salutis : de qua iterum ait,
Ibid. vii, 1. Nolite judicare ; et,
Ibid. v, 48. Estote perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est. Quæ utique deiformis nostra perfectio maxime in caritate consistit : quatenus sicut omni-
Luc. vi, 35. potens Deus, benignus et pius est super
Matth. v, 45. ingratos ac impios, solem faciens oriri super bonos ac malos, pluensque super justos et injustos, et sceleratissimos conservans in esse, ac providens eis de necessariis vitæ, multaque dona naturæ ac bona fortunæ conferens ipsis, nec permittens eos statim a dæmonibus strangulari atque in tartarum trahi sicut merentur, sed conversionem eorum misericordissime præstolans, et per instinctus divinos, per inspirationes angelicas, per allocutiones humanas, per prospera atque adversa invitans ac hortans eos ad meliora ; ita et nos non solum amicis, sed inimicis quoque nostris et persecutoribus, detractoribus, ingratis, molestis, improbis et perversis hominibus, simus ex corde sinceriter caritativi, benevoli, benefactivi, omnique modo nobis possibili ad meliora eos trahere enitamur. Verum hoc nemo potest implere, nisi perfectus, hoc est, a passionum immoderantiis expurgatus, in suis affectionibus reformatus, sapientiæ dono perfusus et Deo plene subjectus, ab omni animositate, ira, impatientia, indignatione, amaritudine alienus. Nisi enim quis humilis valde exstiterit, ex alterius improbitate, irrisione, inflatione, contumelia, injuriatione, cito ad animositatem, iram ac indignationem provocabitur, et alteri se opponet, si potest et audet. Similiter, nisi sit mansuetus plurimum, injuriam sibi illatam vindicare optabit, et propter adversa fiet impatiens, ac pravæ subjacebit tristitiæ.

Oportet ergo nos obtemperare documentis sancti evangelistæ Matthæi ex ore Christi, ut nos ipsos diligamus pure in Deo, et omnes affectiones et passiones nostras habeamus reformatas et simplificatas in eo, et nostris vitiis, negligentiis et perversitatibus irascamur, indignemur, et propter ea tristemur ; propter adversa vero pœnalia, propter opprobria nobis illata, propter damna rerum temporalium, propter corporales infirmitates et persecutiones nequaquam moveamur ad elatio-
nem, iram, impatientiam, tristitiam, vel ad aliam cordis ruinam, quum omnia illa nobis multipliciter exstent salubria, imo et saluberrima ac fructuosissima, dummodo æquanimiter tolerentur. Attendamus quod Christus dixit Apostolis : Ecce ego *Luc.* x, 3. mitto vos sicut agnos inter lupos ; et iterum, Eritis odio omnibus hominibus pro- *Ibid.* xxi, pter nomen meum ; et, Venit hora ut 17. omnis qui interficit vos, arbitretur se ob- *Joann.* xvi, 2. sequium præstare Deo. Si ergo cupimus cum Apostolis coronari, et cum eis in die judicii in judicialibus soliis ad judicandum sedere, conemur in omni patientia et mortificatione vivifica, in omni humilitate et paupertate spontanea, in omni diligentia et fervore sequi eorum vestigia. Beatissimum quoque evangelistam et apostolum Matthæum specialiter diligamus, honoremus ac invocemus tanquam quotidianum nostrum magistrum per evangelium suum. Et sicut ipse post suam ad Christum conversionem factus est tanto liberalior, virtuosior atque perfectior, quan-

to ante erat avarior ac culpabilior ; ita et nos jam simus in religione tanto humiliores, patientiores, devotiores ac ardentio- A res, quanto magis superbi, impatientes, indevoti, acediosi ac perversi eramus in mundo.

SERMO QUINTUS

DE SAPIENTIÆ SUPERNATURALIS EXCELLENTIA ; DE PACE, ET VITÆ BEATÆ PERPETUITATE.

SAPIENTIA *ubi invenitur, et quis est locus intelligentiæ ?* Job XXVIII, 12.

Multa magna et pulchra dixerunt philosophi de sapientia, intelligentes per sapientiam, naturalem notitiam primæ causæ, videlicet Dei, et substantiarum separatarum, quæ apud illos intelligentiæ, apud theologos angeli nuncupantur. Hanc sapientiam dixerunt esse finem et capitaneam ac præceptricem omnium scientiarum, et quod mirabiles habeat delectationes actui suo admixtas. Unde secundum Aristotelem, vir contemplativus et sapiens non C quærit extra se delectari, quoniam in se plenus est theorematibus et contemplationibus dulcibus ac jucundis, sicque habet in promptu in divinis ac spiritualibus delectari. In actu quoque sapientiæ hujus posuerunt beatitudinem hominis, utpote in speculatione optimi speculabilis, ut patet decimo Ethicorum.

Si ergo tanta ac talia dixerunt summi philosophi de sapientia naturali et acquisita, quæ et aliquo modo verificantur de ea, quantum in comparatione ad naturales D scientias, et de naturali ac speculativa hominis felicitate loquendo : quanto magis secundum theologicam veritatem ista et multa sublimiora sentienda atque dicenda sunt de sapientia supernaturali theologicali, tam scholastica seu acquisita, id est sacræ Scripturæ doctrina (præsertim legis evangelicæ theoria in Evangelio scripta ac tradita), quam de sapientia supernaturali infusa, quæ est donum Spiritus Sancti, quæ secundum gradum suum perfectum B est idem in re quod mystica theologia, quæ est sapientia flammigera, affectiva et unitiva ? Et maxime vera sunt hæc, de sapientia ista quæ donum est. Qui vero utramque hanc supernaturalem sapientiam habet, videlicet acquisitam et infusam, in promptu habet considerare mirabilia legis divinæ, et admirari incomprehensibilia fidei christianæ, ac contemplari ea quæ sunt simplicissimæ Deitatis ac superbeatissimæ Trinitatis. Et habet in suis considerationibus ac contemplationibus mirabiliter magnas delectationes spirituales admixtas : si tamen in habitibus istis sapientialibus notabiliter sit perfectus, reformatasque habeat animæ vires ac passiones. Unde et plenus est theorematibus et notitiis divinorum jucundis ac dulcibus. Propter quod ei opus non est ut in exterioribus sensibilibus et caducis quærat solatia, sed intra se habet suorum materiam gaudiorum. Hinc Jonathas et qui erant cum eo, dixerunt se nullo indigere istorum, quia solatio habebant sanctos libros, qui erant in manibus eorum. Et Paulus ait apostolus : Deus spei repleat vos omni gaudio et pace in credendo, id est in considerando et contemplando per fidem ea quæ cadunt sub fide. I *Mach.* XII, 9. *Rom.* XV, 13.

Studeamus ergo in hac utraque sapientia taliter abundare, hoc est, in dono sapientiæ et in notitia seu doctrina sacræ Scripturæ, et in earum actibus, considerationibus seu contemplationibus tam prompte et assidue delectari, ut carnales et viles consolatiunculas detestemur. Nec

in humanis colloquiis aut sæcularium visitationibus recreari quæramus, sed in cellulis nostris occupemus nos hilariter ac devote, orando, psallendo, meditando, contemplando, studendo, scribendo, legendo.

Certe, ut ait Philosophus, sapientia est divina possessio, et vir contemplativus vereque sapiens est amantissimus Deo ; atque ut Ecclesiasticus loquitur, vir eruditus suavis est animæ suæ. Sic gloriosissimus evangelista Matthæus sapiens fuit utraque hac sapientia, sublimiter contemplativus et amantissimus Deo suo ; et de plenitudine sapientiæ suæ communicavit toti mundo per Evangelium quod descripsit, tanquam splendidissimus sol illuminans universum orbem terrarum, Prophetarum oracula evangelicis assertionibus copiose innectens, ita ut si inquiratur, Sapientia ubi invenitur, et quis est locus intelligentiæ ? rite respondeatur, In evangelio S. Matthæi. Ibi enim evangelicæ legis sapientia plane describitur ; ibi Christus, Sapientia æterna, increata, immensa, addiscitur, loquitur et auditur ; ibi veteris Testamenti Scripturæ exponuntur, et Prophetarum vaticinia intelliguntur. Ecce quam compendiose, quam magistraliter et devote descripsit Evangelium S. Matthæus. Ejus ergo doctrinas imprimamus nostris memoriis, et in eis meditemur die ac nocte, ut deliciose consideremus ac firmiter cognoscamus mysteria et miracula, testimonia et præcepta, documenta et consilia, virtutes, sanctitatem, vitam et opera Christi, atque utramque ipsius naturam. Et in omnibus his jugiter occupemur, totamque vitam nostram juxta hæc dirigamus.

Eccli. XXXVII, 22.

Job XXVIII, 12.

Ps. I, 2.

Præterea, si cupimus quod Baruch ait, Disce ubi sit sapientia, ubi sit virtus, ubi intellectus, ut scias ubi sit longiturnitas vitæ, ubi lumen oculorum et pax : si, inquam, istud implere seu ista addiscere cupimus, legamus et intelligere studeamus evangelium S. Matthæi apostoli. Ibi namque est sapientia salutaris, non in libris philosophorum ; ibi quoque est virtus, potestas et vigor contra adversarias potestates ; ibi fides et virtus Salvatoris ejusque virtuosissima vita describitur ; ibi est intelligentia Prophetarum et eorum cognitio, quibus innititur fides. Per quæ omnia edocemur ubi sit longiturnitas vitæ, ubi lumen oculorum et pax. Hæc quippe, sicut in evangelio suo sanctus docet Matthæus apostolus, perfecte et plene sunt in regno cœlorum, in patria Beatorum, ubi fulgebunt justi sicut sol in regno Patris eorum. Unde in die novissimo dicturus est Christus, judex altissimus : Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. Et tunc ibunt justi in vitam æternam, in qua vere et plene est longiturnitas vitæ gloriosæ. Unde cuilibet electo promisit Deus : In cœlo glorificabo eum, longitudine dierum implebo eum, et ostendam illi salutare meum. Hoc salutare Dei Patris, est Christus Dominus, Verbum et Sapientia Genitoris. Qui Christus vere est lumen splendidissimum interiorum ac intellectualium oculorum. De quo cecinit Simeon justus : Quia viderunt oculi mei Salutare tuum, lumen ad revelationem gentium. Ipse quoque est pax nostra, qui fecit utraque unum. Imo, secundum suæ deitatis naturam, ipse est substantialiter pax superdulcissima et immensa, de qua loquitur Paulus, Pax Christi, quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra et intelligentias vestras : quamvis in divinis pax approprietur Spiritui Sancto, quemadmodum caritas, gaudium, usus, et cetera quædam ad voluntatem spectantia ; eo quod Spiritus Sanctus sit emanatio voluntatis, quæ in Patre et Filio una est, et ipse a Patre Filioque procedit per voluntatem.

Baruch III, 14.

Matth. XIII, 43.

Ibid. XXV, 34, 46.

Ps. XC, 15, 16.

I *Cor.* I, 24.

Luc. II, 30, 32.

Ephes. II, 14.

Philipp. IV, 7.

Cf. t. XX, p. 312 A.

Sic ergo sciamus actualiterque pensemus, ubi sit longiturnitas vitæ, id est vita beata vere perpetua et secura, in qua Deus absterget omnem lacrimam ab oculis electorum, ubi mors ultra non erit, nec dolor nec timor, nec gemitus : quatenus consideratione et desiderio vitæ illius despiciamus vitam præsentem cum omni sua vanitate, ambitione et oblectatione ;

Apoc. XXI, 4.

nec quidquam optemus in ea, nisi quod nos ad vitam gloriosam ac sempiternam compendiosius potest conducere, utpote paupertatem, subjectionem, obeditionem, aspernationes, correptiones et correctiones. Atque in tempore isto brevissimo, quod comparatione durationis vitæ beatæ vix unum momentum est, Deo vigilantissime obsequamur in omni humilitate, fervore, cum spirituali profectu et perseverantia fructuosa.

Denique, ubi et in quo longiturnitas ista vitæ felicis consistat, Salomon in Prover- B
Prov. III, 15, 16. biis pandens : Pretiosior (inquit) est sapientia cunctis opibus, et omnia quæ desiderantur, huic non valent comparari ; longitudo dierum in dextera ejus, et in sinistra ejus divitiæ et gloria. Hæc longitudo dierum est unus dies perpetuus, de
Zach. XIV, 9. quo Zacharias ait propheta : In die illa erit Dominus unus, et nomen ejus unum. In cœlesti etenim regno, est dies et longitudo dierum, non ex circumvolutione solis aut orbium, sed ex illuminatione solis justitiæ, qui est Deus, et ex participa- C

tione suæ æternitatis, quæ dicitur ævum. Unde Isaias propheta prædixit : Non erit *Is.* LX, 19. tibi sol amplius ad lucendum per diem, nec splendor lunæ illuminabit te ; sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam. Hoc est quod in Apocalypsi fatetur Joannes apostolus : Civitas non eget sole neque *Apoc.* XXI, 23. luna, nam claritas Dei illuminabit eam. In hoc die est unus omnium Beatorum Deus : qui modo in Ecclesia militanti nomina multa habet, et variis designatur nominibus, secundum quod ex diversis suis effectibus diversimode innotescit, et ex creaturis earumque formis et actibus, diversis modis agnoscitur ; sed in triumphanti Ecclesia, ubi in se ipso per se ipsum conspicitur, quia per speciem (id est propriam essentiam) cernitur, et facie ad fa- I *Cor.* XIII, 12. ciem videtur, nomen ejus est unum, quia ibi una cognitione, multa de ipso noscuntur, quæ et uno nomine ibi signantur incomparabiliter clarius, quam hic per diversas cognitiones et appellationes. Idcirco ad hanc beatificam Dei notitiam incessabiliter adspiremus ac festinemus.

SERMO SEXTUS

DE SUAVITATE GUSTUS DIVINÆ PRÆSENTIÆ, DE SUBTRACTIONE EJUSDEM, DE LACRIMARUM VARIETATE, ET DE PERFECTORUM DEVOTIONE.

* *lugere* NUMQUID *possunt filii sponsi jejunare* quamdiu cum illis est sponsus ?* D Matth. IX, 15.

Ista verba fuerunt Christi ad Pharisæos,
Matth. IX, 14, 15. qui increpabant Christi discipulos quia non jejunabant. Quibus respondit Salvator : « Numquid possunt filii sponsi jejunare quamdiu cum illis est sponsus ? » Quod Christus ad litteram de corporali dixit discipulorum jejunio, et de corporali sua cum illis præsentia. In quibus etiam verbis insinuavit se esse sponsum Ecclesiæ, et discipulos suos esse suos filios, filios utique adoptivos. Per quæ omnia mystice designatur, quod filii sponsi, id est devoti religiosi, quamdiu cum illis est sponsus, jejunare et lugere non valent. Denique, quamvis Sponsus cœlestis universis adsit ac insit fidelibus caritatem habentibus et exsistentibus in gratia Dei, specialiter tamen dicitur tunc adesse, quando per spiritualem consolationem atque sensibilis devotionis jucundam alacritatem adest credentibus : præsertim veris religiosis, ita quod quodam fervore ac promptitudine animi cum gaudio feruntur ac moventur

ad omnia quæ divini sunt cultus ac observantiæ regularis, et festiva eis sunt omnia. Surgunt alacriter, et viam mandatorum, semitas consiliorum, exercitia Ordinis non solum incedunt, sed etiam currunt ac volant, quæ alias dura videntur ; et experiuntur verum esse quod ait Salvator : Jugum meum suave est, et onus meum leve.

Ps. CXVIII, 32.

Matth. XI, 30.

Quum igitur res ita se habet cum eis, jejunare nequeunt nec lugere, loquendo de interiori jejunio, quod est inedia cordis seu desiderium audiendi verbum Dei. Nam ipsi copiose tunc reficiuntur in anima, et audiunt quid loquatur in eis Dominus Deus. Vicissim vero veniunt dies in quibus aufertur ab eis, id est, præfata consolatione atque alacritate privantur, nec devotionem habent sensibilem, sed in quadam velut ariditate, afflictione ac tarditate derelinquuntur, interdum tam vehementer, ut cœlum eis quasi æreum videatur, terraque ferrea, et se a Deo relictos vereantur : et tunc jejunant ac lugent, verbum consolationis, suavitatem internæ refectionis optantes. Et tunc necessaria est eis patientia, discretio et custodia, ne pusillanimitate dejiciantur, ne ad externas et viles consolatiunculas se effundant, ne ab examinatione, purgatione et conservatione conscientiæ suæ desistant. Imo advertant et sciant, sibi expediens fore ut consolatione tali et sensibili alacritate priventur, ne subito extollantur aut inaniter glorientur, nec propriæ experientiæ innitantur, sed ad Deum recurrere, et propriam infirmitatem atque divinarum visitationum vicissitudinem advertere assuescant. Præterea sic relicti, dicere possunt Deo illud Psalmographi : Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras. Tunc ergo audiant Salvatorem benignissime invitantem : Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Tunc ergo eant ad Christum, id est, misericordiam ejus implorent, ad ejus unctionem et consolationem se præparent, et faciendo quod in se est, æquanimiter manum Domini præstolentur ; et cito benignitatem ejus experientur, de quo ait Scriptura : Quia post tempestatem facit tranquillum, et post fletum exsultationem infundit.

Ps. LXXXIV, 9.

Ps. XVI, 4.

Matth. XI, 28.

Tob. III, 22.

Verumtamen advertendum, quod diversæ sunt species lacrimarum. Quædam enim ex abundantia spiritualis lætitiæ atque ex suavissima complacentia Dei nascuntur ; quædam ex desiderio felicitatis futuræ cœlestisque patriæ. Et istæ lacrimæ in prædictorum præsentia Sponsi cœlestis, in consolatione et illuminatione superna affluentius præsto sunt. Quædam vero sunt lacrimæ ex recordatione culparum sui ipsius seu proximorum ; quædam ex compassione dominicæ passionis ; quædam ex vehementi desiderio majoris profectus. Et lacrimæ istæ tam in prætacta Sponsi præsentia quam in ejus absentia sæpe habentur. Quædam vero sunt lacrimæ quæ ex quadam desolatione ac tædio seu deploratione propriæ ariditatis ac tarditatis, seu ex tristitia de recessu atque absentia Sponsi proveniunt. Et istæ lacrimæ oriuntur, dum tollitur Sponsus et redire moratur.

Præterea qui in spirituali vita et exercitatione interna bene radicati, experti et docti sunt, parum curant si sensibilis eis devotio aut consolatio illa interna tollatur ; imo talia Deo committunt, idque præcipue curant ac satagunt, ut conscientiam coram Deo habeant puram, et Creatori mente adhæreant intellectualiter, prompte odientes ac devitantes omne peccatum, quia offensivum ac inhonorativum est Dei, et turpe, obliquum ac fœdum in se, scientes quod vera devotio est promptitudo voluntatis ad ea quæ divini sunt cultus, sive hoc fiat cum sensibili quodam fervore aut consolatione, sive non. Ideo dixit Apostolus : Perfectorum est solidus cibus (id est stabilis consistentia et intellectualis refectio cordis in Deo), eorum qui pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni et mali.

Hebr. V, 14.

Nos ergo religiosi, qui ad hoc sumus in claustro (quod est schola virtutum at-

que cœlestis magisterii studium) constituti, quatenus proficiamus et semper vere ac intellectualiter simus devoti ; ad prætactam habitualem exercitationem internam et consuetudinalem mentis constabilitionem in Deo conemur, et vota nostræ professionis fideliter ac diligentissime impleamus. Quæ quam vehementer nos obligent, quam item sollicite sint implenda, constat ex hoc, quod beatissimus evangelista Matthæus noluit S. Ephigeniam, virginem Sponso cœlesti consecratam per continentiæ votum, tradere regi, quum tamen rex ille tam magna promitteret, et christianæ religionis cultum magnifice vellet augere. Quemadmodum autem sacratissima virgo illa Ephigenia cœlesti Sponso fuerat dedicata, ita et animæ religiosorum. Qui si vere fuerint religiosi, animæ eorum cœlestis Sponsi sunt sponsæ præamabiles, speciosæ valde ac nobiles.

In quo etiam facto patet præclara constantia et invicta justitia gloriosi hujus Apostoli, qui a rege illo nec blandimentis nec aliquo modo potuit flecti contra Dei honorem et animarum salutem. Et quum mortem sibi imminere sentiret, stetit brachiis extentis ad orationem. Ejus ergo sanctam constantiam, invictam justitiam, ardentissimam devotionem pro viribus sequi conemur, ne impetu passionum, vento superbiæ, tentationum impulsu, turbine vitiorum agitemur hinc inde ; ne etiam per adversa seu prospera a rectitudinis statu labamur, et ne propter quæcumque pericula imminentia a devotionis instantia ac fervore deficiamus.

Postremo, quoniam Christus in evangelio loquitur hodierno, Discite quid est, misericordiam volo et non sacrificium ; opera misericordiæ, præsertim spiritualia, diligamus, et quantum possumus exsequamur, onerosos pie portando, juxta illud, Alter alterius onera portate ; afflictis, desolatis, lapsis, tentatis ac miseris omnibus condolendo, et pro viribus consiliis atque auxiliis succurrendo, peccantes fraternaliter corripiendo. Et quoniam, Christo testante, male habentibus medicus necessarius est, cœlestem medicum jugiter invocemus, ut tam nostra quam proximorum curet peccata, passiones reformet, et animas nostras a futuris præservet ruinis. Medicinalibus quoque vasis medici hujus, id est sacramentis Confessionis et Eucharistiæ, utamur quotidie sapienter, salubriter, fructuose, non ex arido usu et superficiali consuetudine, sed de die in diem cum recenti fervore et diligentia ampliori. Medicinalibus quoque appositionibus vicarii Christi, prælati nostri, hoc est correptionibus, correctionibus, informationibus ejus, humiliter obtemperemus; nec more phreneticorum insurgamus adversus eum, contradicendo, indignando aut inobediendo, quum princeps pastorum illis sit locutus : Qui vos audit, me audit ; et qui vos spernit, me spernit. Cui cum Patre et Spiritu Sancto honor et gloria in æternum.

Matth. IX, 13.

Galat. VI, 2.

Matth. IX, 12.

Luc. X. 16.

IN FESTO

S. MICHAELIS ARCHANGELI

ET OMNIUM SS. ANGELORUM

ENARRATIO IN LECTIONEM LOCO EPISTOLÆ

SIGNIFICAVIT DEUS QUÆ OPORTET FIERI CITO, ETC. Apoc. I, 1-5.

LECTIO ista hodie loco epistolæ legitur, quia in ea de sanctis angelis agitur. Itaque ait S. Joannes apostolus :

Significavit, id est, mihi per imaginariam visionem revelavit, *Deus quæ oportet fieri cito,* id est tribulationes fidelium, quas eos in hoc sæculo pati necesse est : quoniam expedit eis pati adversa, ut per ea purgentur a culpis, et gratia atque virtutibus impleantur. Item, per ista « quæ oportet fieri cito », intelligi potest decursus et status omnisque eventus Ecclesiæ in hac vita : quæ omnia revelavit Deus Joanni in Apocalypsi. De quibus dicitur quod oportet ea fieri cito, quia a tempore Apostolorum incepit persecutio Christianorum, et decursus Ecclesiæ. Sed quum ista sint in se futura pure contingentia, nec sine grandi impiorum excessu persecutio fiat justorum, non oportet hæc fieri necessitate absoluta, sed conditionata, seu necessitate consequentiæ, non consequentis. Quum enim a Deo prævisa, et ab ejus sapientia ad electorum profectum præordinata sint, non possunt non fieri secundum istum respectum. Verumtamen providentia Dei necessitatem mutabilibus rebus non imprimit, nec libertatem arbitrii aufert hominibus.

Act. XIV, 21.

Hæc ergo significavit Deus, *mittens per angelum suum,* id est, per angelum fecit hanc revelationem, *servo suo Joanni* apostolo, qui ex humilitate potius vocat se servum Christi quam apostolum. Revelationes autem propheticæ fiunt a Deo ministerio angelorum, ut divinus Dionysius protestatur. *Qui testimonium perhibuit verbo Dei,* id est unigenito Filio Patris æterni, de quo Joannes in evangelio suo dicit : In principio erat Verbum. Vel, « testimonium perhibuit verbo Dei », id est, verba sacræ Scripturæ vera esse testatus est. Itaque Christo et ejus sermonibus testimonium perhibuit Joannes apostolus prædicando, Evangelium conscribendo, sanctissime conversando, miracula faciendo, et multa pro fide catholica patiendo. Hinc in Actibus loquitur Christus Apostolis : Eritis mihi testes in Jerusalem et in omni Judæa et Samaria, et usque ad ultimum terræ. *Et testimonium Jesu Christi,* id est, de Christo testatus est, *quæcumque vidit,* id est omnia quæ Christus fecit ac pertulit. Unde in evangelio suo : Qui vidit (inquit), testimonium perhibet de his, et scripsit hæc. Atque in principio suæ Canonicæ primæ : Quod vidimus oculis nostris, annuntiamus vobis.

De Cœlest. hier. c. IV.

Joann. I, 1.

Act. I, 8.

Joann. XIX, 35 ; XXI, 24.

I *Joann.* I, 1, 3.

Beatus est nunc in spe et merito, *qui legit,* per se studendo, aut alios erudien-

do, *et* qui *audit,* discendo, advertendo seu obediendo, *verba prophetiæ hujus,* id est documenta, præcepta et vaticinia libri hujus prophetici, qui Apocalypsis vocatur; *et servat ea quæ in ea scripta sunt,* id est, memoriter retinet et opere implet ea. Non enim sufficit legere et audire, sine adimpletione eorum quæ præcipiuntur.
Luc. XI, 28. Propter quod asserit Christus : Beati qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud. Verumtamen legere et audire ex caritate, meritoria sunt vitæ æternæ. Et quia non omnes sciunt legere, sufficit ad salutem audire et observare. *Tempus enim prope est,* id est, dies particularis judicii singulorum imminet, quum vita ista brevissima sit : imo et tempus futuri universalis judicii prope est respectu æternitatis. Unde de toto tempore mundi usque ad diem judicii
1 *Joann.* II, 18. dicit Joannes in prima sua epistola : Novissima hora est. Quum ergo tam propinqua sit hora divinæ retributionis, beatus est qui ista legit, audit, observat.

Joannes evangelista scribit et mandat hæc *septem Ecclesiis* particularibus, seu fidelium congregationibus, *quæ sunt in Asia,* id est in septem civitatibus Asiæ minoris, cujus metropolis exstitit Ephesus. Ad illas namque Ecclesias S. Joannes apostolus scripsit et misit hunc librum, scilicet Apocalypsim, quia ab eo erant fundatæ. Per eas tamen ceteræ Ecclesiæ designantur, quoniam septenario numero universitas explicatur, eo quod septem diebus omne tempus decurrat ac evolvatur.

Gratia vobis gratum faciens, quæ est habitus supernaturalis infusus, esse deiforme, spirituale et ad promerendum vitam æternam idoneum, conferens rationali creaturæ cui infunditur, *et pax,* quæ est tranquillitas seu quies mentis in Deo, detur et conservetur vobis, *ab eo qui est, et qui erat, et qui venturus est,* id est a Patre æterno, qui invariabiliter est, et ante omnia erat, in æternumque erit, et venturus est ad inhabitandum, remunerandum ac beatificandum suos electos, sicut ait
Joann. XIV, 23. Salvator : Qui diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum; et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. Hinc et Isaias ait : Ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, ecce merces ejus cum eo. Denique per hanc circumlocutionem, « qui est, et qui erat », etc., designatur æternitas Dei : quoniam quamvis in se simplex invariabilisque consistat, et tota simul, tamen omne tempus includit, comprehendit atque transcendit. *Et a septem spiritibus,* id est septem angelis sanctis, *qui in conspectu throni ejus sunt,* id est, omnipotenti Deo reverenter adsistunt in cœlo empyreo, quod thronus seu sedes Dei vocatur : ubi specialiter residere ac imperare asseritur, quoniam ibi evidentius et excellentius operatur, clariusque ostendit se ipsum. Propter quod per Isaiam loquitur : Cœlum mihi sedes est. Et per hos septem spiritus, universitas angelicorum spirituum designatur, sicut Tobiæ Raphael angelus ait : Ego sum unus de septem qui adstamus ante Deum. Vel per septem spiritus designati sunt illi septem angelici spiritus qui septem Ecclesiis Asiæ præfuerunt, juxta modum quo quidam angeli dicuntur præesse certis personis, quidam communitatibus, quidam civitatibus. — Porro gratia est a Deo effective et per auctoritatem, ab angelis dispositive ac instrumentaliter : nam orant pro nobis, et nostra obsequia offerunt Deo, ejusque gratiam impetrant nobis.

Et a Jesu Christo, qui secundum quod Deus, est idem dator pacis ac gratiæ cum Patre et Spiritu Sancto, sicut unus cum illis est Deus, et unus creator, propter essentiæ unitatem in personis tribus. Idcirco alibi habetur : Quæcumque facit Pater, hæc et Filius similiter facit. Porro Christus secundum quod homo et mediator inter Deum et homines, est causa gratiæ et pacis meritoria ac instrumentalis, quoniam sua conversatione sanctissima et amarissima morte gratiam nobis promeruit et pacem, ac gloriam æternalem. *Qui est testis fidelis,* quoniam veritati in omnibus testimonium perhibuit rectum, et de Patre

Ibid. LXVI, 1; *Act.* VII, 49.
Tob. XII, 15.
Joann. V, 19.
1 *Tim.* II, 5.

et Spiritu Sancto ac se ipso multa testatus est. Propter quod hora passionis dixit Pi-
Joann. XVIII, 37. lato : Ego in hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati. *Primogenitus mortuorum,* id est omnium corporaliter defunctorum, aut salubriter ac spiritualiter mortificatorum, seu a morte resuscitatorum. Quorum primus est Christus homo dignitate et honorificentia atque præconio, tanquam caput universorum. *Et princeps regum terræ.*
Apoc. XIX, 16. Est enim Rex regum et Dominus universorum. Imo Christo etiam secundum suam
I Cor. XV, 27. humanitatem, cuncta creata subjecta sunt.

Qui dilexit nos caritate æterna et in- A creata, in quantum Deus; caritate quoque creata infusa, in quantum homo, sed et naturali amore, tanquam naturæ suæ humanæ consortes suosque fratres. Unde de se ipso testatur : Majorem hac dilectionem Joann. XV, 13. nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis. *Et lavit,* id est purgavit, *nos a peccatis nostris in sanguine suo,* id est passionis suæ merito, per quam nobis promeruit culparum remissionem, gratiæ et virtutum infusionem, felicitatis et gloriæ adeptionem. Sed meritum ejus non B consequimur, nisi nobis per sacramenta Ecclesiæ applicetur, si adsit facultas ad ea : quæ si desit, sufficit bona voluntas.

SERMO PRIMUS

DE ORDINE CREATURARUM, DE MINISTERIO ANGELORUM, DE PROVIDENTIA DEI, ET DE OBSERVATIONE CARITATIS.

GRATIA vobis et pax sit a Deo, et a septem spiritibus qui in conspectu throni ejus sunt. Apoc. I, 4. C

Ps. CXLVI, 5. Deus omnipotens, cujus sapientiæ non est finis aut numerus, universis suis operibus decentissimum ordinem indidit. Et in hoc sapientia ejus relucet : sapientis namque est ordinare. Nec obstat quod
Job X, 22. apud Job scriptum est de inferno : Ubi umbra mortis, et nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Quamvis enim ibi non sit ordo naturæ, nec ordo virtutum aut gratiæ, sed mera confusio atque ma- D litia, est tamen ibidem ordo justitiæ, id est effectus ordinatus divinæ justitiæ unicuique juxta sua demerita retribuentis, videlicet ordo pœnarum juxta diversitates culparum : quoniam qui gravius peccaverunt, seu in gravioribus peccatis sunt mortui, gravius puniuntur ibi; et qui hic socii sunt in culpis, ibi socii sunt in tormentis. Est ergo pulcherrimus ordo in creaturis supersapientissimi Dei. Et hoc etiam in lectione hac hodierna, quæ hodie loco epistolæ legitur, edocetur. Nam inter angelos et homines magna connexio est; similiter inter triumphantem et militantem Ecclesias. Angeli quippe hominum sunt custodes, et triumphans Ecclesia militantem gubernat, juvat ac tuetur Ecclesiam : sicut de hoc divinus Dionysius libro de Ecclesiastica hierarchia profundius scribit.

Denique in lectione præsenti tanguntur duo actus angelorum sanctorum circa homines. Primus est, revelatio secretorum Dei, seu futurorum soli Deo cognitorum : quia propheticæ revelationes per angelos, Deo jubente, fiunt hominibus. Unde in lectione hac dicitur, quod Deus significavit per angelum suum servo suo Joanni quæ oportet fieri cito. Secundus est, quod dona gratiæ angeli procurant hominibus, orando pro eis, et bona eorum repræsentando Altissimo, atque imperfectum eorum pie, quantum possibile est, excusando. Habent autem angeli sancti circa homines etiam alios multos actus, de quibus infra dicetur. Quod autem propheticæ revelationes

fiant hominibus per angelorum obsequium, certissime constat ex eo quod Zacha-
Zach. II, 3, 4. rias propheta ait : Ecce angelus qui loquebatur in me, egrediebatur, et alius angelus egrediebatur in occursum ejus, et dixit ad eum : Curre et loquere ad puerum istum, dicens, Absque muro habitabitur Jerusalem. Porro, quod angeli offerant Deo nostra opera bona, atque ab ipso nobis obtineant gratiarum suarum charismata, patet per id quod Raphael angelus
Tob. XII, 12, 14. loquitur ad Tobiam : Quando orabas cum lacrimis, et sepeliebas mortuos, ego obtuli orationem tuam Domino ; et nunc misit me Dominus ut curarem te. Unde et in
Job XXXIII, 19, 23, 24. Job dicitur : Increpat Deus hominem per dolorem in lectulo, et omnia ossa ejus marcescere facit. Si fuerit pro eo angelus loquens, ut annuntiet hominis æquitatem, miserebitur ejus Deus, et dicet : Inveni in quo ei propitier.

Secundo, ex lectione hac corroboratur veritas fidei christianæ, et infidelium error destruitur. Fuerunt etenim plures increduli, asserentes quod Deus non habet providentiam actuum humanorum, nec certam notitiam inferiorum. De quibus
Ps. LXXII. 11. fertur in Psalmo : Dixerunt, Quomodo scit Deus, et si est scientia in Excelso ? Item-
Ps. XCIII, 7. que : Et dixerunt, Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Jacob. Unde in Job ha-
Job XXII, 12. betur : An cogitas quod Deus excelsior cœ-
Ibid. 14. lo sit ? Itemque, Nec nostra considerat, et circa cardines cœli perambulat. Itaque horum insania apertissime confutatur per hoc, quod Deus altissimus per angelos sanctos revelat hominibus futuros eventus, et futura contingentia prorsus, imo et cordium cogitationes, et quod omnia certe eveniunt sicut prædictum est. Et hoc tam ex veteri quam ex novo Testamento copiosissime atque certissime potest probari : præsertim quum multorum flagitia tam districte et evidenter ac frequenter vindicaverit Deus etiam in hac vita. Nam et tribulationes ac decursum militantis Ecclesiæ per tempus novi Testamenti, revelavit Deus per angelum S. Joanni evangelistæ in Apocalypsi. Et per hoc roboratur fidei veritas christianæ, taliter sentientis. Incredulorum quoque prædictorum rudem perfidumque errorem, sanctus David subtiliter compendioseque reprobat, dicens : Intelligite, insipientes in populo, et stulti, *Ps.* XCIII, 8-11. aliquando sapite. Qui plantavit aurem, non audiet ? aut qui finxit oculum, non considerat ? Qui corripit gentes, non arguet ? qui docet hominem scientiam ? Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt.

Tertio, ex hac lectione inflammamur ad bene agendum. Et hoc duplici ratione : primo, ex intuitu præmii ; secundo, ex consideratione brevitatis vitæ præsentis. Quantum ad primum, hic dicitur : Beatus *Apoc.* I, 3. qui legit et qui audit verba prophetiæ hujus, et servat ea quæ in ea scripta sunt. Quantum ad secundum, subjungitur : Tempus enim prope est. Quæ ergo sunt quæ in libro prophetiæ istius, puta in Apocalypsi, observanda traduntur, et impleri jubentur ? Certe inter illa sunt quæ in eadem Apocalypsi scripta sunt. Nam dicitur ibi ex persona Altissimi : Habeo adversum te, *Ibid.* II, 4, 5. quod caritatem tuam primam reliquisti. Memor esto itaque unde excideris, et pœnitentiam age : alioqui venio tibi cito. Istud omnibus nobis pensandum est, et horrendum. Ecce enim in Baptismo caritatem ceterasque virtutes per infusionem a Deo accepimus. Sed ad ætatem adultam pervenientes, statim quando mortaliter peccavimus, mox caritatem nostram primam amisimus, et innocentiæ vestem perdidimus. Sed quando veraciter pœnituimus confessique sumus, recuperavimus eas. Recidivando vero, rursus eis sumus privati. Et hoc in verbis prætactis improperat nobis Deus, quia in hoc apparet ingratitudo et negligentia nostra, imo et magna irreverentia circa Deum, cui prætulimus bona ista terrena, carnalia et caduca, ac per hoc caritatem Dei amisimus, adhærendo creaturæ magis quam Creatori. Jubet igitur Deus ut recordemur unde excidimus, pœnitentiamque agamus. Nempe qui

peccat et caritatem amittit, cadit a summo usque ad infimum, a statu salutis ad statum damnationis, a luce gratiæ ac decore virtutum ad tenebras excæcationis et turpitudinem vitiorum ; et de filio Dei, de membro Christi, de ministro justitiæ, fit servus et membrum filiusque diaboli, sed
Joann. VIII, 34. et servus peccati. Ecce quanta vilitas, quanta miseria, quanta insania est peccantis. Pœniteat ergo, alioqui Christus cito veniet ei, justus judex et ultor districtus. Propter
Eccli. V, 8, 9. quod Ecclesiasticus præcipit : Non tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem ; subito enim veniet ira illius.

Insuper Deus dicendo, Habeo adversum te, quod caritatem tuam primam reliquisti, specialiter increpat negligentes ac tepidos, qui ad tempus fuerunt ferventes, sed paulatim per negligentiam suam ad teporem et ignaviam sunt prolapsi. Quos reprobat Deus, loquens uni hujusmodi :
Apoc. III, 15. 16. Scio opera tua, quia nec frigidus es, neque calidus. Utinam esses frigidus aut calidus ; sed quia tepidus es, incipiam te evomere de ore meo. Talibus ait Apostolus
Galat. III, 3. ad Galatas : Sic stulti estis, ut quum spiritu cœperitis, nunc carne consummemini ? Itaque, quum tam ineffabilis sit beatitudo justorum, et tanta brevitas vitæ præsentis, præsertim comparatione futu-
Ps. XXX, 25. *Hebr.* XII, 3. ræ, viriliter agamus, non fatigemur animis nostris, quum et mille annorum labo-
Rom. VIII, 18. res et tribulationes non sint condigni ad gaudia unius diei in cœlis.

Postremo in lectione hac edocemur, quam ardenter Christus dilexerit nos, et quanta bona contulerit nobis. Nam de eo
Apoc. I, 5. hic dicitur : Qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo. Unde in
Is. LIII, 6, 5, 4. Isaia fertur : Dominus posuit in eo iniquitates omnium nostrum ; ipse vulneratus est propter iniquitates nostras ; vere languores nostros ipse tulit. Hinc ait et Sal-
Joann. X, 15. vator : Animam meam pono pro ovibus meis. Quoniam itaque mortem sponte sustinuit, et mortem tam acerbissimam, diuturnam, turpissimam, ut nos ab æterna damnatione eripiamur, et gratiam in præsenti gloriamque in futuro adipiscamur ; hinc Christum totis diligamus præcordiis, ei jugiter regratiemur, fideliter ministremus, perseverantes in bono usque in finem, quemadmodum Dominus hortatur : Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi *Apoc.* II, 10. coronam vitæ. — O quanta est caritas et misericordia Dei ad homines, quibus inter cetera beneficia sua etiam sanctos angelos deputat in custodes, in subsidium et informationem, ut scilicet in omnibus viis nostris custodiant nos, nostramque adjuvent *Ps.* XC, 11. infirmitatem, atque ignorantiam nostram illuminent ! Merito itaque festum hoc beatissimi Michaelis principis magni, qui est princeps Ecclesiæ, et omnium angelicorum spirituum solennitatem cum omni devotione, puritate et caritatis fervore celebrare debemus, et angelos sanctos diligere, laudare et invocare, præsertim unusquisque angelum suum custodem, coram quo reverenter ac virtuose debet incedere, ne tam nobilem, pium ac sanctum offendat custodem.

Legitur in historia Judicum, quod dum filii Israel terram promissionis fuissent ingressi, nec observassent ea quæ eis præceperat Deus, angelus Dei apparuit omni- *Judic.* II, 1-5. bus eis, et increpans ipsos, dixit : Eduxi vos de Ægypto, et introduxi in terram hanc, et noluistis audire vocem meam. Cur hoc fecistis ? Quumque angelus loqueretur filiis Israel verba hæc, levaverunt vocem suam et fleverunt, immolaveruntque hostias Domino. Ecce per hanc angelicam apparitionem, increpationem et allocutionem, Deus gloriosus monstravit providentiam suam circa homines, caritatem quoque et pietatem circa eosdem, quos tam paterne corripuit. Acquiescamus ergo angelorum instinctibus et inspirationibus sanctis, quibus a vitiis nos retrahere et ad virtutes inducere satagunt.

ENARRATIO IN EVANGELIUM

ACCESSERUNT DISCIPULI AD JESUM, ETC. Matth. XVIII, 1-10.

MERITO evangelium istud in præsenti legitur festo : primo, quia in fine ipsius de angelis sanctis fit mentio ; secundo, quia in ejus principio inquiritur de regno cœlesti, quod est triumphans Ecclesia, videlicet angelorum ac Beatorum societas ; tertio, quia in evangelio isto loquitur Christus contra scandala pusillorum, quæ præcipue displicent sanctitati ac sapientiæ angelorum. Itaque ait Matthæus :

Accesserunt discipuli, puta Apostoli, *ad Jesum, dicentes : Quis, putas, major est in regno cœlorum?* id est, quem reputas esse virtuosiorem majorisque meriti in Ecclesia militanti, et gloriosiorem ac sublimiorem in præmio in Ecclesia triumphanti? *Et advocans Jesus parvulum, statuit,* id est posuit, *eum in medio eorum,* puta Apostolorum, quos non solum verbo, sed factis edocuit humilitatem ; omnemque elationem et ambitionem penitus reprobavit. *Et dixit : Amen dico vobis, nisi conversi fueritis* a vitiis ad virtutes, *et efficiamini sicut parvuli,* id est, pueris et infantibus conformes effecti fueritis, quantum ad bonas parvulorum proprietates, quæ sunt, innocentia, puritas, simplicitas, etc., *non intrabitis in regnum cœlorum,* quod humilibus, innocentibus et mundis corde paratum est. Hinc beatissimus princeps Apostolorum in prima sua epistola : Deponentes (inquit) omnem malitiam et dolum et simulationes et detractiones, quasi modo geniti infantes rationabiles, lac concupiscite. Denique in parvulis sunt quædam proprietates non bonæ, in quibus eis conformes fieri non debemus, ut sunt, minoratio sensus, incompositio morum, instabilitas animi, irrefrenatio affectionis, et evagationis discursus. Idcirco hortatur Apostolus : Nolite pueri effici sensibus, sed malitia parvuli estote.

I Petr. II, 1, 2.

I Cor. XIV, 20.

Præterea, per parvulum quem Christus posuit in medio, quidam intelligunt ipsummet Christum. Quod ad litteram stare non valet, quia de parvulo isto scriptum est in Marco : Quem quum complexus esset Jesus. Certumque est quod non amplectebatur se ipsum.

Marc. IX, 35.

Quicumque ergo humiliaverit se coram Deo et hominibus, corde, ore et factis, vestitu et apparatu, *sicut parvulus iste,* qui a superbia et ambitione est penitus alienus, *hic major est in regno cœlorum* quam alii minus humiles. Humilitas namque directe disponit ad augmentum gratiæ in præsenti, incrementumque gloriæ in futuro, quia substernit et subdit mentem Deo. Hinc Salomon ait : Humilem spiritu suscipiet gloria. Unde sicut Deus specialiter resistit superbis, sic humilibus gratiam impertitur. *Et qui susceperit unum parvulum talem in nomine meo,* id est, unum humilem propter me caritative hospitatus fuerit seu pie tractaverit, *me suscipit* in membro meo mystico ac ministro : id est, tam gratum est mihi ac si me ipsum personaliter acciperet, mihique fieri judico quod propter me fit meis ministris ac membris. Hinc Christus dixit ad Saulum : Quid me persequeris? Et in Zacharia testatur : Qui tetigerit vos, tanget pupillam oculi mei.

Prov. XXIX, 23.

Jacob. IV, 6; *I Petr.* V, 5.

Act. IX, 4.

Zach. II, 8.

Qui autem scandalizaverit, id est, verbo aut facto inordinato ad peccandum induxerit, *unum,* id est aliquem, *de pusillis istis qui in me credunt,* id est de fidelibus adhuc imperfectis et incipientibus, vel etiam proficientibus nondum perfectis ; *expedit ei ut suspendatur mola asinaria*

in collo ejus, et demergatur in profundum maris. Nam melius est ei juste occidi et corporaliter mori atque in hac vita puniri, quam impie vivere, Deum offendere, proximum perdere, quoniam malum culpæ est incomparabiliter pejus quam malum pœnæ. Istud tamen potissime verum est de scandalo activo et passivo prout sunt peccata mortalia. Tunc autem scandalum activum est mortale peccatum, dum verbum aut factum scandalizantis in se mortale est, utpote caritati aut justitiæ contrarium; vel quando in se veniale est, et tamen homo intendit aut nititur per illud aliquem ad mortalem inducere culpam, parvi pendens ejus salutem, per hoc quod non vult placentia sibi dimittere propter proximi sui salutem. Quod quam iniquum sit, patet ex verbis Pauli dicentis : Sic autem in fratres peccantes et percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis. Denique, loquendo de scandalo activo et passivo prout venialia sunt peccata, adhuc melius esset occidi, prout occidi dicit solum malum pœnæ, quam scandalizare aut scandalizari : quoniam peccatum est fugibilitatis immensæ, eo quod Deus sit honorabilitatis et amabilitatis penitus infinitæ. Ideo potius deberet homo velle mortem corporalem perferre, quam venialiter peccare.

I Cor. VIII, 12.

Et bene ait Salvator, « Qui scandalizaverit unum de pusillis istis » : quia ut ait S. Hieronymus, qui scandalizatur parvulus est; majores namque non recipiunt scandala. Unde perfectorum non est scandalizare aut scandalizari, quia tam fortiter uniti sunt Deo et in virtutibus stabiliti, ut tam magnum malum non operentur unde quis merito debeat scandalizari, quamvis nonnunquam venialiter peccent : hoc quippe humanæ fragilitati est indulgendum. Ex factis quoque et verbis aliorum inordinatis non scandalizantur, sed peccantibus compatiuntur, et orant pro eis, cautioresque fiunt, imo et feliciores, juxta illud : Felix quem faciunt aliena pericula cautum. Hinc Psalmista loquitur Deo : Pax multa diligentibus legem tuam, et non est illis scandalum.

Ps. CXVIII, 165.

Væ æternæ damnationis imminet *mundo,* id est mundanis et intimoratis hominibus, *a scandalis,* id est propter scandala quæ sibi invicem inferunt atque ab invicem patiuntur, per quæ æternam damnationem merentur. *Necesse est enim ut veniant scandala* activa et passiva. Hoc certe necesse est, non absolute, sed ex suppositione, quoniam homines nolunt peccata sua relinquere, ad quæ concomitatur scandalizatio aliorum, maxime pusillorum ac impiorum. Juxta hunc sensum ait Apostolus : Necesse est ut veniant hæreses, ut qui probati sunt, manifesti fiant. Unde quod dictum est, « Necesse est ut veniant scandala », quidam exponunt sic : Expediens est ad electorum exercitationem et probationem. *Verumtamen væ homini illi per quem scandalum venit,* id est, qui alium scandalizat mortaliter. Ex hoc concluditur, quod scandala evenire, non sit necessarium absolute, quia tunc omnis scandalizans excusaretur a culpa, quum omne peccatum sit voluntarium.

I Cor. XI, 19.

Si autem manus tua vel pes tuus scandalizat te, id est, si per aliquem actum seu usum manuum aut pedum tuorum ad peccatum induceris, scilicet per contactum aut gressum vel cursum, *abscinde eum,* scilicet manum vel pedem, non realiter ipsa membra, sed inordinatum eorum usum et actum : juxta quem sensum ait Apostolus, Mortificate membra vestra quæ sunt super terram; *et projice abs te,* id est, vitiosum usum membrorum repelle a te. *Bonum est tibi ad vitam ingredi,* id est, melius est tibi salvari, *debilem vel claudum,* id est ordinatis, intensis ac delectabilibus membrorum tuorum actibus carentem, *quam duas manus vel duos pedes habentem,* id est, vitiosis actibus horum membrorum utentem, *mitti in ignem æternum.* Quemadmodum ergo castratus propter regnum cœlorum vocatur, qui amore felicitatis futuræ ab omni concubitu abstinet, non qui membrum generati-

Coloss. III, 5.

Matth. XIX, 12.

onis abscindit ; sic Christus docet manum aut pedem abscindere, quantum ad usum illicitum, sicque claudus ac debilis nuncupatur, qui membra præfata ab actibus restringit illicitis.

Et si oculus tuus scandalizat te per incautum, incustoditum, libidinosum adspectum, *erue eum,* quantum ad talem usum, imo abusum, *et projice abs te,* sicut de manibus dictum est. Hinc in Ecclesiastico fertur : Noli circumspicere in vicis civitatis ; averte faciem tuam a muliere compta. Unde orat propheta David : Averte oculos meos, ne videant vanitatem. Valde necessaria est ista erutio atque projectio oculorum. Oculo enim quid nequius creatum est? *Bonum est tibi cum uno oculo ad vitam ingredi,* id est, salubrius tibi est cum moderato oculorum usu salvari, *quam duos oculos habentem,* id est, usu irrefrenato utentem, *mitti in gehennam ignis.*

Eccli. IX,7, 8. *Ps.* CXVIII, 37. *Eccli.* XXXI, 15.

Insuper præinducta exponi possunt et ita : « Si manus tua vel pes tuus scandalizat te », etc., id est, si aliquis tibi tam carus, propinquus seu utilis videtur ut propria manus tua, aut pes tuus, seu oculus, et tamen ad peccata te trahit, et ex ejus familiaritate, tactu seu unione peccatum incurris, segrega te ab ejus familiaritate, contactu, unione, adspectu, quantum potes. « Bonum est tibi ad vitam ingredi debilem vel claudum », id est talium amicitia et auxilio destitutum, « quam duas manus vel duos pedes habentem, mitti in gehennam ignis », id est, talium auxilio et amore vallatum, damnari.

Videte ne contemnatis unum, id est aliquem, quantumcumque modicum aut vilem, *ex his pusillis,* id est imperfectis fidelibus mihi servientibus. Per hoc Salvator excludit causam ac fomitem scandalizationis. Multi etenim idcirco non metuunt alios scandalizare, quoniam parvi pendunt eorum personam, nec attendunt dignitatem naturæ ad Dei imaginem factæ, nec pretium sanguinis Christi pro illis effusi. Consideremus ergo nobilitatem animæ rationalis, et beatitudinem ad quam condita est, et quanta pro ejus salute tota superbenedicta Trinitas fecit, quanta pro ea Christus sustinuit, quanta beneficia contulit, inter quæ est dignissimum sui corporis et sanguinis Sacramentum ; sicque neminem aspernemur, sed cum Apostolo proferamus : Quis scandalizatur, et ego non uror? Hinc subditur et alia ratio cur pusilli non sint spernendi : *Dico enim vobis, quia angeli eorum,* id est angeli sancti eis a Deo custodes collati, exsistentes, quum volunt, *in cœlis,* id est in cœlo empyreo, quod est mansio Beatorum, *semper,* id est indesinenter et in ævo omne tempus comprehendente, *vident faciem Patris mei qui in cœlis est,* id est, clare et immediate per speciem intellectualiter contemplantur essentiam Patris mei cœlestis. Quum ergo tanta sit dignitas hominum, ut custodiantur ab angelis sanctis, Deo feliciter ac clare fruentibus, non sunt spernendi nec scandalizandi.

II *Cor.* XI, 29.

SERMO SECUNDUS

DE PUERORUM BONIS CONDITIONIBUS A NOBIS IMITANDIS ; DE HUMILITATE MISERICORDIAQUE, ET DE VITANDO SCANDALO.

NISI conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Matth. XVIII, 3.

Quam vere et valde arcta sit via salutis, ex evangelio hodierno comprobatur, quod sacris plenum est documentis. Itaque,

Matth. VII, 14.

quum Apostoli interrogassent Christum, A quis major esset in regno cœlorum, ipse difficultatem obtinendi regnum cœleste ostendens, respondit : « Nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum ». Quocirca sanctus scribit Hieronymus : Sicut parvulus non perseverat in iracundia, læsus non meminit, videns pulchram mulierem non delectatur, non aliud cogitat et aliud loquitur ; sic et vos nisi talem habueritis innocentiam et puritatem, regnum cœlorum non poteritis intrare. Pensemus intente hæc verba, et cognoscemus quam paucissimi sint in gratia Dei, in statu salutis, in numero filiorum Dei ac electorum. Quis nunc est qui læsus non reminiscatur injuriæ sibi illatæ ultionemque cupiat, qui dolo non utatur, nec perseveret in motu illicito?

Denique sunt aliæ multæ proprietates parvulorum laudabiles, in quibus eis assimilari necessarium est ad salutem. Quarum prima est, quod faciliter corripi possunt ac corrigi, nec audent resistere. Et in hoc oportet nos esse ut parvulos, ut C scilicet correptiones verborum et correctiones debitæ punitionis æquanimiter suscipiamus, præsertim a superioribus nostris : correptio tamen fraterna a quolibet proximo est gratanter accipienda. Qui autem corripi aut corrigi dedignantur, similes sunt furibundis atque phreneticis et obsessis, qui corporaliter vulnerati, non patiuntur sibi medicinalia applicari. Imo, tanto insipientiores sunt illis, quanto vulnera animæ, scilicet peccata, præsertim mortalia, sunt magis nociva hominibus D quam vulnera corporis. Hinc Salomon loquitur : Egestas et ignominia ei qui deserit disciplinam ; qui autem acquiescit arguenti, glorificabitur. Et iterum Salomon protestatur : Viro qui corripientem dura cervice contemnit, repentinus superveniet interitus. Itaque quicumque veraciter sapiens est, cum gratiarum actione et gaudio suscipit increpationes. Idcirco in Proverbiis asseritur : Argue sapientem, et diliget te.

Prov. XIII, 18.

Ibid. XXIX, 1.

Ibid. IX, 8.

Secunda est, quod parvuli non despiciunt consortia pauperum puerorum, et libenter associant se parvulis. Qui ergo Deo placere desiderat, inferiores et pauperes ac infirmos non aspernetur, sed pium et socialem se præbeat eis. Hinc Ecclesiasticus ait : Oculos tuos ne transvertas a paupere, et animam esurientem ne despexeris ; neque exasperes pauperem, sed congregationi pauperum te affabilem facito. Denique unusquisque laudabiles parvulorum proprietates sequens, libenter B se associet parvulis, id est humilibus et virtuosis hominibus, ne cum perversis pervertatur. Nam prava societas maxime nocet. Propter quod in Ecclesiastico scriptum est : Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea ; et qui communicaverit superbo, induet superbiam.

Eccli. IV, 1, 2, 7.

Ps. XVII, 27.

Eccli. XIII, 1.

Tertia parvulorum bona proprietas est, quod non quærunt superflua, sed habentes necessaria victui, contentantur. Ita et qui salvari affectat, avaritiam aspernetur, et necessariis, non superfluis delectetur, sciens quod omnium vitiorum radix sit cupiditas. Unde avarus inferno similis perhibetur : quoniam sicut infernus non satiatur pereuntium animabus, sic nec avarus temporalibus rebus. Imo, sicut hydropicus quanto plus bibit, tanto plus sitit ; ita avarus quo plura adipiscitur, eo plura acquirere nititur. — Sunt autem et aliæ multæ laudabiles parvulorum proprietates, ut quod faciliter placantur, quod facillime comminationibus perterrentur, quod dociles dirigibilesque consistunt, et parentibus suis obediunt. Ita quilibet Christianus debet cito esse placabilis, et audito sermone de districtione divini judicii et acerbitate infernalis supplicii, debet esse formidolosus ac timoratus, non vane securus ; docilem quoque et dirigibilem eum esse oportet, et superioribus obedientem.

I *Tim.* VI, 10. *Prov.* XXVII, 20.

Nunc igitur redeat unusquisque ad se ipsum, et interiora sua discutiat, an vere conversus sit et factus ut parvulus in proprietatibus præinductis. Sed heu ! multi sunt duri et vindicativi, fallaces et callidi,

animosi et cupidi, et prætactis proprietatibus omnino contrarii. Hi ergo advertant quam longe sint a via salutis, seque emendent in omnibus.

Secundo, ex evangelio instruimur hodierno, quam magna ac felix virtus sit ipsa sancta humilitas, quum dicat Salvator : *Matth.* xviii, 4. Quicumque humiliaverit se sicut parvulus iste, hic major est in regno cœlorum. Unde probatur, quod quanto profundius se ipsum humiliat homo, tanto sublimius ac gloriosius exaltatur et coronatur a Deo. Propter quod ait S. Bernardus, quod beatissimam virginem Mariam Deus nunquam super universos angelorum ordines exaltasset, nisi ipsa primo se ipsam sub cunctis hominibus humiliasset. Idcirco prin- I *Petr.* v, 6. ceps Apostolorum hortatur : Humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis. Hujus autem signum est, quod sicut Saul per suam humilitatem meruit a Deo sublimari ad regnum Israelitici populi, ita per suam superbiam meruit regno privari. Unde primo Regum I *Reg.* xv, 17. Dominus ait ad eum : Nonne quum parvulus esses in oculis tuis, caput Israel factus es? Hinc in Ecclesiastico scriptum *Eccli.* vii, 19. est : Humilia valde spiritum tuum. Humilitas namque est fundamentum virtutum, in tuto constituens hominem, per quam meretur homo defendi a Domino.

Tertio, ex evangelio isto docemur, quam ineffabiliter placeant Deo misericordiæ *Matth.* xviii, 5. opera, quum Christus testetur : Qui suscipit unum parvulum in nomine meo, me suscipit. Sit itaque unusquisque ad omnia misericordiæ opera totis viribus pronus. Ecce si Christus adhuc personaliter ambularet in terra ut olim pauper et humilis, quantum quilibet Christifidelis optaret et conaretur quod illum posset hospitare, reficere et bene tractare? Cur ergo piger est ad opera misericordiæ circa peregrinos et pauperes, quum ipsemet Christus affir- *Ibid.* xxv, 40. met sibi id fieri quod illis fit in nomine suo? Ubi est fides nostra?

Quarto, ex evangelio isto principaliter informamur, quam detestabile et iniquum sit scandalizare pusillos aut quoslibet proximos. Hoc etenim est caritati Dei ac proximi valde contrarium, quia qui aliquem scandalizat, inducit eum ad offensam et irreverentiam Dei, atque ad læsionem et maximum damnum sui. Nil enim tam nocivum est homini ut propria culpa; nec ulla alia ei nocet adversitas, si eum non vincat impatientia, aut alia quævis iniquitas. Hinc quilibet obligatur ædificare proximos suos. Propter quod in Ecclesiastico scriptum est : Unicuique mandavit *Eccli.* xvii, 12. Deus de proximo suo. Et Christus ait : Luceat lux vestra coram hominibus, ut vi- *Matth.* v, 16. deant bona facta vestra, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est. Hinc ad Romanos ait Apostolus : Quæ pacis sunt *Rom.* xiv, 19. sectemur, et quæ ædificationis sunt, in invicem custodiamus. Itemque : Ne pona- *Ibid.* 13, 15. tis offendiculum fratri vel scandalum; noli illum perdere, pro quo Christus mortuus est. Imo, quam diligentissime scandalum proximorum vitandum sit, pandit idem Apostolus, rursus protestans : Si esca scan- I *Cor.* viii, 13. dalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem. Studeamus ergo proximos nostros ædificare verbo et opere, quia ad hoc obligamur ex fraterno ac divino amore. Nam ut sanctus asserit Augustinus, qui in conspectu hominum male agit, omnes eos, quantum in se est, spiritualiter necat a quibus conspicitur, et tot mortibus totque æternis damnationibus dignus est, quot proximos scandalizat. Denique, quam enorme sit proximos scandalizare, docet B. Bernardus, dicendo : Non tibi videtur Christus graviorem ab illo pati persecutionem, qui suggestione maligna, exemplo pernicioso, scandali occasione ab eo avertit animas quas redemit, quam pertulit a Judæo, qui sanguinem illius fudit? Dicunt autem doctores, quod propter pusillorum scandalum evitandum, dimittendum sit quidquid dimitti potest, triplici salva veritate, videlicet veritate vitæ et doctrinæ atque justitiæ.

Quinto, docet nos evangelium præsens,

quam diligenter debeamus vitare omne scandalum, præsertim scandalum propriæ animæ. Caritas namque incipit a se ipsa. *Matth.* xviii, 8, 9. Debemus ergo juxta Christi doctrinam, omnia membra nostra et sensus custodire ac refrenare, ne Deum offendamus per ea. Omnes quoque occasiones peccandi oportet vitare, videlicet incautos adspectus, confabulationes, contactus, præsertim amplexus et oscula, ex quibus oriuntur motus lascivi. Et maxime illa vitanda sunt ac dimittenda, dum quis ex eis se sentit carnaliter stimulari ac affici, aut in hoc propriam fragilitatem interdum expertus est. Propter quod cautior esse tenetur, ne recidivet. Et qui ita non faceret, similis esset stulto serpentem in gremio suo tenenti, a quo se sentiret intoxicari : idcirco peccaret enormiter, atque (ut Bonaventura sentire videtur) mortaliter.

Postremo, docet nos evangelium præ- *Ibid.* 10. sens, ne contemnamus pusillos. Ideo quilibet proprias penset transgressiones, defectuositates, vilitates, et infinita pericula quibus expositus est, sicque despiciat semetipsum. Etenim qui proximos aspernatur, a Deo contemni meretur. Ob hoc *Is.* xxxiii, 1. Isaias ait : Væ qui spernis ; nonne et ipse sperneris ? Quum fatigatus desieris con- *Malach.* ii, 10. temnere, contemneris. Et Malachias : Numquid non pater unus omnium nostrum ? Nonne Deus unus creavit nos ? Quare ergo despicit unusquisque fratrem suum, violans pactum patrum nostrorum ? In quibus sacratissimis verbis tangitur rationabilis causa cur unus non debeat spernere alium, utpote, quia secundum carnalem propagationem ab eodem primo parente Adam descendimus, secundum animam vero ab eodem Deo conditi sumus. Hoc *Job* xxxi, 13, 15. considerans sanctus Job, dixit : Si contempsi judicium subire cum servo meo ; numquid non in utero fecit me, qui et illum ? Itaque, si pensemus quantæ dignitatis sit homo, in quantum ad summæ Trinitatis imaginem conditus, et ad æternam beatitudinem procreatus, Christique sanguine liberatus, et angelum sanctum habens custodem, potissime ob hoc quod Dei Unigenitus, verus Deus, in unitate personæ naturam assumpsit humanam, neminem despiciemus. Nihilo minus peccator, in quantum peccator, spernendus est : quia ut talis, est Deo contrarius, dissimilis atque odibilis. Idcirco ait de viro justo Propheta : Ad nihilum deductus *Ps.* xiv, 4. est in conspectu ejus malignus, timentes autem Dominum glorificat ; itemque, Ini- *Ps.* cxviii, 113. quos odio habui. — Hinc ergo ne sanctos angelos offendamus, diligentissime caveamus ne homines eorum custodiæ deputatos scandalizemus, ne simus causa perditionis eorum, ne reædificationem murorum cœlestis Jerusalem, hoc est angelicæ ruinæ suppletionem, impediamus : alioqui angeli sancti indignabuntur nobis justissime. Sed et proprium angelum unusquisque ubique honoret, diligat et exoret, præsertim tempore tribulationis atque angustiæ. Hinc ait S. Bernardus : In quovis diversorio, in quovis angulo reverentiam exhibe angelo tuo ; ne audeas cogitare, loqui aut agere illo præsente, quod præsente me non auderes. Iterumque : Quoties, inquit, cernitur gravissima tentatio urgere, et tribulatio vehemens imminere, invoca custodem tuum, directorem tuum, adjutorem tuum angelum sanctum ; non dormitat nec dormit, etsi quandoque ad tempus dissimulat.

Denique sancti angeli nostris bonis operibus congratulantur, orantibus adstant, vota et preces hominum offerunt Deo, et de nostris peccatis quasi contristari videntur. Unde in Vitaspatrum narratur, quod quidam sanctus eremita vidit angelos sanctos adsistere Fratribus. Quumque Fratres conferebant de Deo et pertinentibus ad salutem, beati angeli cum jucundissimo vultu eis appropinquabant et arridebant ; quum vero de sæcularibus et inutilibus loquebantur, angeli quasi cum indignatione atque tristitia discedebant ab eis, venientesque dæmones in forma porcorum, volutabant se inter illos. Itaque, dum Christiani conveniunt, non nisi de utilibus ac salutaribus rebus loquantur, ut angeli eis congratulentur et adstent.

SERMO TERTIUS

QUID SIT ANGELUS ; DE NUMERO HIERARCHIARUM ; DE NUMERO ANGELORUM, ET QUOS ERGA NOS EXERCEANT ACTUS.

MICHAEL princeps magnus stat pro filiis populi tui. Dan. XII, 1.

Hic aliqua sunt dicenda per ordinem. Primo, quid sit angelus ; secundo, de numero hierarchiarum, et ordine angelorum sanctorum ; tertio, de numero angelorum seu angelicorum suppositorum ; quarto, de angelorum officiis ; quinto, de actibus angelorum infimi ordinis circa homines singulos quibus custodes sunt assignati.

De primo hoc advertendum, quod in universitate ac ordine creaturarum, primum ac summum locum habent angeli sancti, et præ ceteris creaturis sunt Deo omnipotenti simplicissimo et perfecto similiores, propinquiores, et magis perfecti in naturalibus donis. Unde secundum Augustinum, angelus factus est prope Deum, materia prope nihil. Porro Deus gloriosus et superexaltatus, est purus actus, simplicissimum ens, immaterialissimus et incircumscriptibilis spiritus, creator omnipotens, immortalis et prorsus invariabilis. Processio autem creaturarum a Deo, fit per similitudinem quamdam, quum et omne agens producat simile sibi. Angeli ergo qui immediate a Deo procedunt, sunt substantiæ intellectuales, immateriales, immortales, corporibus formaliter non unibiles, a sua creatione repleti scientia : et istud convenit eis per dona naturæ. Per dona vero gloriæ angeli sancti ab exordio quo se ad suum Creatorem per caritatem et gratitudinem converterunt, beati effecti sunt, et confirmati in bono, repleti beatifico gaudio, utpote Deum clare per speciem invariabiliter contemplantes.

De secundo cognoscendum, quod juxta divini Dionysii documenta in libro de Cœlesti hierarchia, tres sunt angelorum hierarchiæ, et novem chori seu ordines eorumdem. Suntque in qualibet hierarchia tres ordines : in prima hierarchia sunt Seraphim, Cherubim et Throni ; in media hierarchia sunt Dominationes, Virtutes et Potestates ; in infima, Principatus, Archangeli et Angeli. cap. VI.

Porro distinctio ordinum primæ hierarchiæ accipitur penes actus quibus immediate Deo inhæretur. Ad quod tria sunt necessaria. Primum et maximum est dilectio : et hoc pertinet ad Seraphim, qui est primus et summus ordo. Seraphim namque interpretatur inardescens sive incendens : sicque ordo iste ab ardore præcipuo divini amoris nomen sortitur. Secundum est cognitio : et hoc ad Cherubim spectat. Nam Cherubim plenitudo scientiæ interpretatur : et ita ordo iste secundus ab eminentia sapientiæ nomen sumpsit. Tertium est tentio, comprehensio, fruitio sive inhæsio : et hoc spectat ad Thronos, qui interpretantur sedes, quia in eis tanquam in sedibus Dominus majestatis residet ac quiescit, dum illos in se facit quiescere.

At vero distinctio ordinum mediæ hierarchiæ accipitur penes modum præsidendi hominibus in communi. Ad quod tria concurrunt. Primum est, imperare : et hoc spectat ad Dominationes, qui sunt quartus ordo, ad quem pertinet inferioribus præesse ordinibus, eisque imperare quid agant, et in divinis ministeriis ipsos dirigere. Secundum est, operari jussaque exsequi : quod pertinet ad Virtutes, qui sunt quintus ordo, ad quem pertinet efficacia exsequendi faciliter quidquid

eis præcipitur, et difficilia quæque posse peragere. Idcirco operatio miraculorum attribuitur eis. Tertium est, refrenatio adversantium seu remotio impedimentorum : quod ad Potestates, qui sextus sunt ordo, pertinet, cujus est et dæmones compescere, et eorum potestatem arcere, ne homines tentent et gravent aut noceant quantum vellent, et possent nisi cohiberentur.

Insuper distinctio ordinum infimæ hierarchiæ sumitur penes regimen hominum in speciali. Nam quidam præsunt uni provinciæ seu regno, aut integræ communitati : et hi dicti sunt Principatus, qui sunt septimus ordo. Alii præsunt alicui multitudini, ut civitati : et hi Archangeli appellantur, qui et majora annuntiare dicuntur, suntque ordo octavus. Quidam vero sunt deputati ad unius personæ custodiam : qui Angeli nuncupantur, et minora nuntiare feruntur, suntque nonus ac infimus ordo.

Denique istud per simile in terreno regno potest attendi. Nam ministrorum regis terreni, quidam operantur immediate circa personam regis, quemadmodum assessores et consiliarii ac cubicularii : quibus similes sunt ordines primæ hierarchiæ. Quidam vero habent officia circa gubernationem regni in generali, non deputati huic vel illi urbi sive provinciæ : ut principes militiæ et judices curiæ. His similes sunt ordines mediæ hierarchiæ. Alii deputantur ad regimen aliquarum partium regni, sicut præpositi et ballivi atque hujusmodi minores officiales : quibus ordines infimæ hierarchiæ sunt similes.

De tertio est sciendum, quod secundum veritatem sacræ Scripturæ, innumerabilis est multitudo angelorum sanctorum. Unde
Job xxv, 3. de eis scriptum est in Job : Numquid est numerus militum ejus? Et Daniel ait :
Dan. vii, 10. Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia adsistebant ei. Ubi per numerum determinatum, et per maximos numeros in se replicatos, insinuatur indeterminata et innumerabilis multitudo angelicorum spirituum, sicut et in Apocalypsi legitur : Erat numerus angelorum *Apoc.* v, 11. millia millium. Verumtamen ex Scripturis possumus certum aliquid cognoscere de inæstimabili multitudine angelorum. Quum etenim universi angeli qui singulis præsunt hominibus, sint de infimo choro, ad minus sunt tot angeli sancti de infimo choro, quot nunc sunt aut unquam simul fuerunt aut simul erunt homines in toto mundo. Nam et infideles et infantuli materno in utero, habent angelos custodes. Demum, secundum divinum Dionysium, *Cf.* t. XXI, quanto chorus angelicorum spirituum est p. 232 C'. altior, tanto plures in se continet angelos sanctos. Sicque in supremo choro forsan in duplo aut amplius plures sunt, quam in infimo ordine. Ecce quantus angelorum exercitus servit Omnipotenti, et quanta est pulchritudo ac gloria paradisi cœlestis.

De quarto sciendum, quia ut ait Apostolus, omnes sunt administratorii spiritus, *Hebr.* i, 14. in ministerium missi a Deo propter electos ; tamen non omnes mittuntur ad exteriora obsequia, sed aliqui de superioribus ordinibus mittuntur ad ordines inferiores, et illi ad exteriora ministeria transmittuntur. Insuper, quilibet ordo accepit nomen ab eo quod sibi magis specialiter convenit.

De quinto considerandum, quod angeli de infimo ordine multos habent actus circa homines sibi commissos ; et non solum a spiritualibus nocumentis, videlicet a peccatis, sed etiam a multis corporalibus nocumentis eos præservant. Unde et pueri adhuc in utero clausi, angelos habent custodes, quia in utero materno possunt pueris nocumenta accidere, ita ut exire non possint, aut moriantur. Similiter, indigent angelica subventione ne a Baptismi susceptione impediantur. Post Baptismum vero angeli varios habent actus in hominibus quos custodiunt. Primus est, quia (ut tetigi) a diversis periculis et corporalibus malis ac damnis præservant eos, ne scili-

cet ruina, demersione, prælio, aut simili modo intereant improvise. Secundus actus est, quod corporalia bona procurant hominibus, videlicet sanitates, et expedita itinera, ac necessaria vitæ. Unde Tobias oravit ut angelus Dei comitaretur filium suum. Tertius actus est, quod a diversis vitiis retrahunt hominem. Et hunc actum habent in omni homine quantumlibet vitioso : nam et angelus bonus retrahet Antichristum ab aliquibus vitiis. Quartus actus est, quod ad bona incitant hominem : et hoc variis modis, videlicet intellectum illuminando, de pœnis inferni et futuro judicio memoriam ac timorem incutiendo, passionem Christi et alia salutaria ad memoriam reducendo, affectum quoque dispositive inflammando ex consideratione bonitatis Dei beneficiorumque ejus. Quintus actus est, quod adjuvant et confortant hominem contra crudelitates, calliditates et tentamenta diaboli, et dæmonum sævitiam ac potestatem refrenant ne hominem tentent quantum cupiunt, et possent si permitterentur. Sextus actus est, quod angelus protegit et specialiter adstat homini tempore mortis, ne tunc a dæmonibus superetur, præsertim ne cadat in desperationem aut infidelitatem, ad quæ peccata tunc maxime conatur diabolus infirmantem inducere. Septimus actus est, quod orationes et desideria bonaque opera hominis offert Deo, et hominis imperfectum excusat, Deique gratiam ei reportat, et conservat eam in homine. Octavus est, quod animam hominis egredientem de corpore, pro posse consolatur, prosequitur et adjuvat coram Deo. Nonus actus est, quod animam in purgatorio exsistentem interdum visitat, et de suffragiis quæ fiunt pro ea, futuraque liberatione ac beatitudine sempiterna ac certa, eam (ut creditur) consolatur.

Tob. v, 21.

A

B

C

Quum ergo tot beneficia nobis impendant angeli sancti, merito eos diligere ac venerari atque fideliter invocare debemus quotidie. Et ut ad eorum beatissimam societatem pertingere valeamus, necesse est ut eorum caritatem, concordiam, tranquillitatem ac puritatem imitari conemur, bestialia vitia gulæ et luxuriæ, diabolica quoque contagia superbiæ, invidiæ, crudelitatis, ac cetera evitando peccata, et sobrietati, castitati, humilitati, caritati, pietati ceterisque insistendo virtutibus.

SERMO QUARTUS

DE ANGELORUM MINISTERIO AC BENEFICIIS ; DE EORUM BEATITUDINE, AMABILITATE ; ET DE HUJUS FESTI INSTITUTIONE.

NEMO est adjutor meus nisi Michael princeps vester. Dan. x, 21.

Luc. xv, 10.

Quum dicat Salvator, Gaudium erit angelis super uno peccatore pœnitentiam agente, rationabile valde est ut de angelis sanctis festum agamus in terra cum gaudio, qui de nostra conversione et salute tam caritative ac solenniter gaudent in cœlo. Denique de hominibus sanctis festum tenemus, quorum sanctitatem Deus per miracula monstrat. Quum ergo de angelorum sanctitate ac beatitudine simus certissimi, dignum et justum est ut solennitatem de ipsis faciamus devotissimam et jucundam. Ad quod etiam aliæ rationes prætactæ sunt : quia videlicet tot beneficia ipsi nobis impendunt, et dignantissima caritate nobis ministrant, quum tamen sint protectores, doctores et domini nostri. Propterea ministerium quod nobis impendunt, est ministerium caritatis et pietatis, dignationis et humilitatis, non inferiori-

D

tatis aut vilitatis, seu indigentiæ proprie dictæ : juxta quem modum Christus ministravit discipulis, et prælati ac principes, servi dicuntur subditorum suorum, quia eorum dignitas atque officium ordinatur ad subditorum commune bonum, non ad præsidentium privatum commodum vel honorem. Hinc Pontifex summus vocat se servum servorum Dei.

Luc. xxii, 27 ; *Joann.* xiii, 4 et seq.

Præterea, ut in sermone sanctus tangit Bernardus, propter tres causas angeli sancti libenter ministrant hominibus. Primo, propter Deum, quem vident propter homines hominem factum, atque hominibus obsecutum. Secundo, quia ejusdem naturæ cum angelis sumus, saltem in genere, utpote rationis et intellectualitatis participes, beatitudinisque capaces. Tertio, quoniam ex hominibus eorum instaurandi sunt ordines. Hinc ait S. Bernardus : Hujus tanti ministri (videlicet Christi) gratia, nil mirum si dignanter, imo et libenter angeli sancti nobis ministrent ; nam et ipsi nos amant, quia Christus nos amavit. Dicitur vulgari proverbio : Qui me amat, amat et canem meum. Nos ergo, o beati angeli, catelli sumus Domini, quem summe diligitis : catelli, inquam, cupientes saturari de micis quæ cadunt de mensa dominorum nostrorum, qui estis vos. Hæc dico, ut ampliorem de cetero erga beatissimos angelos habeamus fiduciam, et familiarius in omni necessitate eorum invocemus auxilium, dignius quoque in eorum præsentia conversari conemur, et magis ac magis eorum nobis conciliare gratiam, captare benevolentiam, exorare clementiam studeamus.

Matth. xv, 27.

Insuper institutio solennitatis hodiernæ sic habuit ortum. In Apulia vir dives perditum quærens taurum, quum eum in monte Gargano reperisset, sagittam ex ira direxit in eum. Sagitta autem retorta est, et virum illum a quo emissa fuerat, vulneravit. Quod quum cives retulissent episcopo, ille indixit eis triduanum jejunium, ut interim Deum concorditer exorarent, quatenus eis revelare dignaretur qualiter res illa admirabilis contigisset. Quo peracto, S. Michael apparuit episcopo, dicens : Sciatis hominem illum mea voluntate proprio telo esse læsum. Ego enim sum Michael archangelus, qui locum hunc, scilicet montem præfatum, tutum servare et honorare decrevi, et isto miraculo demonstravi me esse inspectorem atque custodem hujus loci in terris. Quumque episcopus retulisset hæc civibus, ipse cum eis processionaliter ivit ad montem prædictum, usque circa verticem ejus, ubi erat spelunca. Et ingredi non præsumens, præ foribus orationi vacavit ; et rediit ad urbem suam, juxta quam situs fuit mons ille, quæ vocabatur Sipontus.

Postmodum Sipontini contra Neapolitanos tunc adhuc gentiles præliaturi, patronum suum Michaelem instanter orabant ut eis auxiliaretur. Apparuitque episcopo, promittens ei triumphum. Quumque Sipontini contra Neapolitanos inissent certamen, cœpit mons Garganus tremore vehementissimo concuti, cœperunt et fulgura crebra micare, igneæ sagittæ volare, et tenebræ montem obducere, ita ut sexcenti viri de Neapolitanis interierunt. Ceteri vero tot mirabilibus visis, ad fidem Christi conversi sunt. Tunc Sipontini Deo et Michaeli archangelo glorioso gratias devotissime referentes, dubitare cœperunt an locum præfatum in Gargano monte intrare deberent et dedicare. Super hoc ergo episcopus consuluit summum Pontificem. Qui respondit : Si locus ille esset ab homine dedicandus, hoc congrueret fieri in die præfatæ victoriæ ; si autem aliter placeret beatissimo Michaeli, de hoc ejus esset requirenda voluntas. Quumque dominus Papa, et episcopus ejusque cives orationibus insisterent atque jejuniis, S. Michael apparens episcopo, dixit : Non opus est vobis dedicare ecclesiam a me ædificatam ; nam ego qui condidi, dedicavi. Tunc die sequenti, juxta Michaelis præceptum, episcopus cum civibus locum illum cum ingenti devotione ingressus est, et sicut S. Michael ei prædixit, invenit in spelunca cryptam

magnam ac tria altaria, quorum duo in parte australi erant sita, tertium in parte orientali, venerandum et rubeo pallio circumtectum. Celebratis ergo ibi Missarum solenniis, quum sacram communionem singuli accepissent, omnes ad propria cum immenso gaudio redierunt. Episcopus vero constituit ibi sacerdotes ac clericos, ut divinum ibi Officium jugiter celebrarent. In eadem demum spelunca aqua emanat dulcissima, qua populus post communionem potatur, ægritudinesque diversæ curantur. Tunc omnibus his auditis, dominus Papa instituit ac præcepit, hunc diem in honore S. Michaelis omniumque angelicorum spirituum in tota esse Ecclesia celebrandum.

Amplius, de beatitudine angelorum cognoscimus, quod ab exordio quo statim post suam creationem converterunt se devote ad suum Creatorem, beati fuerunt, et Regem gloriæ, Deum majestatis immensæ, fontem pulchritudinis infinitæ, principem opulentiæ ac deliciositatis prorsus interminatæ, viderunt clare et fruitive per speciem, infinita Dei bonitate et increata ejus dulcedine delectabilissime et plene ad libitum perfruentes, cum summa securitate et inseparabili ac ardentissima caritate. Sunt ergo vultui gloriæ Dei incessanter inavertibiliterque intenti, in abyssum lucis immensæ cum inæstimabili jucunditate demersi, atque totaliter in Deum sublimem ac benedictum conversi, transformati, absorpti. Ecce quanta est beatitudo et gloria angelorum sanctorum; quanta est dignitas hominum, qui vallantur talium custodia ministrorum; quanta est caritas atque dignatio Dei ad homines. Cur ergo negligimus nosmetipsos, carnalia et terrena magis quam spiritualia ac divina bona amantes? Cur Deo et angelis sanctis sumus ingrati, in eorum præsentia tam irreverenter, tam indevote et culpabiliter conversantes, turpiterque agentes? Sed prætacta pensantes, vitam in omnibus emendemus.

Præterea patet ex præinductis, quam magna sit honorabilitas angelorum. Primo, quia in ordine creaturarum locum sortiuntur supremum, et in omni naturali perfectione, sapientia ac virtute præfulgent, suntque mundissimæ, splendidissimæ ac fortissimæ creaturæ. Secundo, præhonorabiles sunt propter supernaturalia dona gratiæ ac gloriæ eis collata, quæ faciunt eos incomparabiliter honorabiliores quam dona naturæ prætacta, quia per illa beatissimi sunt et conjunctissimi Deo. Tertio, valde sunt honorabiles propter dignitatem officiorum suorum, quibus circa regimen mundi generisque humani subministrant Altissimo, prout in sermone præcedenti est dictum.

Præterea de amabilitate angelorum perfacile esset plura inducere. Quum enim unumquodque tantum habeat de amabilitate quantum de bonitate, constat quod vehementer amabiles et præamabiles sint angeli sancti, tam in donis naturæ quam in muneribus gratiæ et gloriæ tam sublimiter præfulgentes. O quam amandissimæ sunt sacratissimæ illæ mentes angelicæ, quæ nunquam aliqua culpa sunt inquinatæ, quæ a sua creatione in tanta manserunt puritate et perfectione, atque a primo suæ beatificationis instante, Deum naturaliter infiniteque bonum tam ardentissime dilexerunt, tam incessabiliter inspexerunt, tam promptissime honoraverunt; quæ Regi sæculorum immortali, invisibili, jugiter in cunctis obediunt omnino plenissime, et eum devotissime laudant, atque humillime ac profundissime admirantur! Hæc ergo eorum tanta bonitas naturalis ac supernaturalis, est prima ratio eos amandi valde intense. Secunda est, beneficentia eorum ad nos : quod tam dignanter nobis ministrant, tantaque nobis bona impendunt, sicut prætactum est. Tertia est, quoniam ipsi priores nos dilexerunt, et valde nos diligunt, de quorum conversione tam cordialiter gratulantur, et quorum salutem tam ardenter appetere cognoscuntur. Quarta est, quia eorum utcumque fratres exsistimus et concives. Diligamus ergo et honoremus cum omni reverentia et fervore angelos

I *Tim.* I. 17.

sanctos, tanquam gloriosos Dei filios, tanquam speciosissimos ac strenuissimos Creatoris altissimi milites, tanquam carissimos ejus amicos fidelissimosque ministros, tanquam secretarios et consiliarios ejus ac obedientissimos vernas, ei æternaliter ac reverentissime adsistentes, et tanquam patronos, magistros, rectores, custodes ac dominos nostros.

Postremo pensemus, quam inclyta et præclara sit ista solennitas. Si enim cujuslibet angeli tanta est dignitas, tanta celebritas, quanta est ista universorum angelorum solennitas? De quorum inæstimabili multitudine dictum est præcedenti sermone. Quibus nunc addo, quia ut in Revelationibus S. Brigittæ legitur, tanta est angelorum multitudo, quod quamvis homines A universi qui unquam fuerunt, sunt vel erunt, nunc simul essent in mundo, adhuc cuilibet possent pro custodia deputari decem angeli sancti. Hinc quoque S. Thomas ex dictis divini Dionysii probat esse credendum, quod in quadam incomparabili multitudine angeli sancti excedant inferiorum multitudinem rerum, quemadmodum corpora cœlestia quasi incomparabiliter excedunt in magnitudine corpora inferiora. O quam gloriosissimum est, tanto summi Regis exercitui associari, adesse, misceri atque inseparabiliter adunari! Vere decentissimum est, Regem majestatis immensæ tam innumerabiles tamque præclarissimos milites habere ac possidere. Ad quorum beatissimam societatem cupiamus fervide, ac jugiter laboremus pertingere.

Cf. p. 433 D.

AD RELIGIOSOS

SERMO QUINTUS

DE TRIPLICI HIERARCHIA ANGELORUM, DE EORUM PERFECTIONE, BEATITUDINE AC DILECTIONE, ET QUOMODO ILLIS SIT CONGRATULANDUM.

CONSURGET Michael princeps magnus, qui stat pro filiis populi tui. Dan. XII, 1.

Creator sublimis et benedictus, cujus sapientiæ non est finis, universitatem creaturarum et machinam mundialem pulcherrime ordinavit, atque a summo usque ad infimum sapienter distinxit ; utiliter quoque diversa entium genera concatenavit, et omnia convenienter locavit. Denique, quia effectum decet suæ causæ aliquo modo proportionari, conformari, quum agens producat simile sibi, omnisque processio causatorum a suis principiis causalibus per similitudinem fiat ; hinc Deus, qui est simplicissimus spiritus et supersapientissima mens, omnipotens virtus liberrimaque voluntas, in supremo creaturarum ordine creavit ac statuit entia quædam simplicia, intellectualia, incorporalia, immortalia, libera et robusta, splendidissima ac nobilissima. Et hæc entia a philosophis intelligentiæ nuncupantur, eo quod sint omnino intellectualis naturæ, et mentes a materia separatæ, sapientia plenæ : unde et substantiæ separatæ ab illis vocantur. A theologis vero appellati sunt angeli. Has præclarissimas creaturas supergloriosissimus Deus in tres hierarchias divisit, et quamlibet hierarchiam in tres ordines, ita quod novem sunt chori seu ordines angelorum. In quolibet etiam ordine sunt superiores, inferiores ac medii. Porro infimæ hierarchiæ angelicæ subordi-

navit ac junxit Altissimus humanam seu ecclesiasticam hierarchiam, ut regatur ab illa, et purgetur, illuminetur ac perficiatur ab ipsa. Nam Angeli infimi chori, singulis præsunt hominibus ; Archangeli, personis sublimibus ; Principatus, regnis atque provinciis. Hinc Michael, qui in veteri Testamento præfuit Synagogæ, nunc præest militanti Ecclesiæ. Est enim de supremo ordine infimæ hierarchiæ.

Præterea, quamvis harum creaturarum magna sit dignitas, perfectio beatitudoque naturalis, prout de hoc doctiores philosophi multa vera scrutati sunt et scripserunt ; nihilo minus, quasi incomparabiliter major est earum dignitas, sublimiorque perfectio, ac plenior beatitudo supernaturalis, prout divina testatur Scriptura, et Sancti edocuerunt. Quod ut clarius intelligatur, aliquid breviter est tangendum de naturali dignitate, perfectione ac beatitudine angelicorum spirituum. Quorum excellentia, nobilitas atque felicitas naturalis constat ex hoc, quod inter cuncta creata sortiuntur primatum, et Creatori majestatis immensæ sublimique, propinquissimi consistunt. Unde, ut asserit Augustinus, Deus fecit angelum prope se, materiam prope nihil. Idem constat ex hoc, quod eorum natura est pura : quia sunt simplices formæ, incorporei spiritus, immateriales essentiæ et intellectus separati, in se absque communione et connexione ac contagione materiæ subsistentes. Hinc sicut calor consequitur ignis naturam et cognatus est igni, sic intellectualis perfectio consequitur angelorum naturam, ita quod intelligibiles species, sapientia atque scientia, et virtutes naturales eis sunt concreatæ. Hinc magna vehementer est eorum actualitas, vigor, agilitas. Creatorem quoque tam clare contemplantur et noscunt sicut ex ordine universi et ex rebus creatis, ac per formas intelligibiles creatas conspici potest sive agnosci. Porro, secundum theologicam veritatem, multo excellentior est eorum dignitas, perfectio et beatitudo supernaturalis : quoniam non in solis naturalibus sunt creati, sed dona gratuita iis sunt concreata. Nec solum contemplantur Deitatis essentiam per creatas intelligibiles formas, sed quid sit Deus clare cognoscunt, ejusque inaccessibilem lucem, incircumscriptam substantiam, interminabilem majestatem in se ipsa clare ac facialiter, immediate et per speciem increatam feliciter intuentur, ita quod divina essentia eis loco intelligibilis speciei conjungitur, estque eis quod videtur et quo fit visio, seu species et objectum.

Præterea, quia ad hoc conditi sumus ut in hac vita conversationem habeamus in cœlis, id est vitam spiritualem et puram, circa divina atque cœlestia jugiter occupatam et ad cœlestem patriam anhelantem, et post vitam præsentem angelicis conjungamur spiritibus in cœli empyrei mansionibus gloriosis, debemus indesinenter ad angelicæ vitæ imitationem conari : et hoc primo et maxime per caritatem ferventem. Est namque in angelis sanctis caritas ardentissima et perfecta, et instar ignitissimi ferri inflammatissimique carbonis, divini amoris ardore accensi sunt, caritatisque igne totaliter penetrati, et flamma dilectionis operti. Hinc acutissime et intensissime feruntur in Creatorem, et instar calidissimæ bullientisque aquæ, amorifero impetu flammigeroque affectu in ipsum transiliunt, ascendunt, volant, jactantur, quemadmodum bulliens aqua vi caloris sibi impressi extra se ipsam jactari videtur, et impetu quodam ferri in altiora se. *Philipp.* III, 20.

Denique, quum angelorum natura sit intellectualis dumtaxat, non sensitiva aut vegetativa, vis affectiva intensissima ac vehementissima est in eis, nec retardatur per sensitivarum vegetativarumque virium actiones aut affectiones. Ideo juxta divini et magni Dionysii documenta, supervervidissime et superacutissime et superæstuantissime moventur in Deum, et ejus amore totaliter transformantur, ut quasi in sanctissimæ dilectionis affectum De Cœlest. hier. c. VII.

videantur converti : præsertim quum Deitatis substantiam, bonitatem, amabilitatem, dulcedinem, majestatem et gloriam tam clare intueantur, seque tam præelectos a Deo et tot beneficia consecutos ab ipso non solum certissime sciant, sed et felicissime experiantur. Taliter ergo et vere ineffabiliter altiori, perfectiori ardentiorique gradu ac modo quam excogitare aut exprimere valeamus, diligunt Deum. Insuper se invicem ineffabiliter amant, et in caritatis visceribus se mutuo suavissime complectuntur. In hujus itaque geminæ dilectionis perfectione eos sequi conemur, ut sicut Deus est summe et incomparabiliter, infinite ac substantialiter bonus, amabilis, pulcher, dulcis, sapiens, pius, sanctus, perfectus, liberalis et felix ; sic incomparabiliter, pure et calidissime afficiamur ad ipsum, omnesque affectiones, actiones et occupationes retardantes, retrahentes aut impedientes ab ejus amore dignissimo, quantum possibile est vitemus. Quum enim dicat Apostolus, Qui in *Rom.* VIII, 8. carne sunt, Deo placere non possunt ; oportet in primis carnalia desideria refrenare, et spiritualibus inhærere, seque super omnia sensibilia elevare, et mentem in Deo defigere. Deinde nos invicem affectuosissime atque sinceriter diligamus, et unusquisque alteri cooperetur in bonum, neminem scandalizans, sed omnes verbo et factis ædificans. Hinc princeps Apostolo- *I Petr.* IV, 8. rum hortatur : Ante omnia mutuam in vobismetipsis caritatem continuam habentes, quoniam caritas operit multitudinem peccatorum.

Præterea angeli sancti infinitæ beatitudini Creatoris inæstimabili præcordialitate et jucunditate congratulantur, ex summa illa dilectione ad ipsum : quemadmodum condemnati, ex magno illo odio quo odiunt Deum, beatitudini et omnipotentiæ ac excellentiæ ejus inæstimabiliter invident. Unusquisque etiam angelorum felicitati et gloriæ omnium ceterorum tam cordialiter et intense congaudet, quam intime et ferventer diligit eos. Et quoniam unusquisque civium supernorum distincte et plene ceteros omnes cognoscit, omnibusque congaudet ; omnium beatitudines et gaudia redundant in singulos, et quod quisque in se ipso non habet, in altero possidet. Sic et nos intimo ac integro corde congratulari debemus universæ beatitudini omnique eminentiæ et infinitæ perfectioni Domini Dei nostri, secundum quod eum summe et incomparabiliter diligere obligamur. Unusquisque etiam spirituali profectui et universæ prosperitati ac gratiæ cujuslibet sui confratris debet assidue congaudere ex sincera dilectione. Idcirco summe vitanda est omnis ambitio ac invidentia, quia ambitiosi et invidi virtuti et gratiæ atque excellentiæ invident proximorum. Veretur etenim ambitiosus ne eum præcedat in honore aut prælatione, qui eum præcedit in prudentia, gratia ac virtute. Hinc ambitiosi et invidi sunt detractores, et aliorum bona denigrare conantur, ac eos deprimere, in tantum ut crebro facta illorum veraciter virtuosa ac dona Spiritus Sancti illis collata, trahant in pejus, attribuantque dæmonibus, similes eis qui dixerunt de Christo : In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmones. *Luc.* XI, 15.

Amplius, in angelis sanctis est summa pax pectoris, id est suavissima et imperturbabilis tranquillitas mentis in Deo, in quo omnino dulcissime æternaliterque quiescunt. Est item in eis concordia inter se maxima, nulla unquam dissensio, nulla prava suspicio, nulla displicentia sive aversio ; nec superiores despiciunt inferiores, nec infimum summus, nec superioribus invidere inferiores ullatenus possunt, sed viget et regnat in omnibus caritas plena. Hanc itaque pectoris pacem, hanc mentis in Deo dulcem stabilemque quietem, apprehendere et sectari, amplecti et possidere nitamur ; prætactam quoque cum aliis semper servemus. Nempe si zelum amarum habemus, et contentiones sunt inter nos, mendaces et impii sumus. Ubi enim zelus et contentio, ibi inconstantia *Jacob.* III, 14. *Ibid.* 16.

et omne opus pravum. Idcirco, o fratres, si qua consolatio in Christo, si quod solatium caritatis, si qua societas spiritus, si qua viscera misericordiæ, implete gaudium meum, ut idem sapiatis, unanimes, id ipsum sentientes ; quatenus imago cœlestis Jerusalem et similitudo angelicæ pacis atque concordiæ in nobis resplendeant, illamque beatitudinem consequamur de qua Christus disseruit : Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. Unusquisque igitur tanquam angelus pacis, omnia scandala, universas perturbationes, cunctam discordiam vitare, sedare, tollere enitatur. Atque quæ pacis sunt, sectemur semper, et quæ ædificationis sunt, in invicem custodiamus, quatenus angeli sancti delectentur esse nobiscum, tanquam cum suis concivibus familiaribusque amicis.

Philipp. II, 1, 2.

Matth. V, 9.

Rom. XIV, 19.

SERMO SEXTUS

DE ANGELORUM BENEVOLENTIA ERGA NOS, DE ILLORUM ACTIBUS ; QUOMODO SINT A NOBIS IMITANDI, ET DE VITANDO SCANDALO.

OMNES sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos qui hereditatem capiunt salutis. Hebr. I, 14.

Dominus et Salvator in sermone quem fecit discipulis in Cœna novissima, inter cetera dixit : Qui major est in vobis, fiat sicut minor ; et qui præcessor est, sicut ministrator. Hoc est quod alibi ait Scriptura : Quanto major es, humilia te in omnibus. Sed si quis ita superbus et durus est, ut exemplo hominum renuat emolliri, nec inferioribus seu æqualibus ministrare ac subdi dignetur, saltem beatissimorum angelorum exemplis ædificetur et convertatur, humiliet se, obsequiosusque fiat. Siquidem angeli sancti, non obstante omni eorum excellentia super homines tam in donis naturalibus quam gratuitis, et præsertim in muneribus gloriæ, nobis pauperrimis ministrare non aspernantur, sed benignissime ad nos descendere, nobis adstare, adesse, opem præbere dignantur. Ecce quanta est ista dignatio, quanta benignitas, quanta dilectio. Ad bona nos excitant et instigant, errantes reducunt, aversos convertere satagunt, a diversis periculis et peccatis nos præservare non cessant. O quanta est eorum patientia, misericordia, benevolentia circa nos infelices, et quam gravis est nostra ingratitudo, impudentia, improbitas, imo perversitas ! Nempe, quum ipsi sint illustrissimi milites Creatoris, mundissimi spiritus et simplices mentes, excellentissimæ creaturæ, omni sapientia et virtute, omni immortalitate, felicitate et gloria plenæ, nos autem lutea vasa, viles vermiculi, sordibus pleni, fæcibus involuti, et ignorantiis, passionibus defectuositatibusque repleti, ad omnia mala pronissimi, qui peccatis peccata quotidie addimus ; nihilo minus sustinent nos in omnibus his, atque in tot vitiis et peccatis quæ fecimus. Et quamvis eorum obsequiis tam ingrati, et coram eorum præsentia tam irreverentes simus, attamen instant, hortantur, inspirant ut convertamur.

Luc. XXII, 26.

Eccli. III, 20.

Erubescamus ergo de tanta impudentia, ingratitudine et irreverentia nostra ; sanctisque angelis simus de cetero gratiores, atque eorum præsentiæ, dignitati et excellentiæ reverentiam impendamus et sapientialem pudorem, erubescentes nos coram eis negligenter et viliter, carnaliter culpabiliterque habere. Eos quoque invocemus devote, laudemus eximie, honoremus decenter, diligamus ferventer.

Insuper actus eorum sectemur, eorum inspirationibus obtemperemus, eorum sequamur directionem. Actus autem eorum sunt, Deum indesinenter secundum extremum posse eorum toto diligere corde, et actualiter ei esse intentos semper ac incessanter per contemplationem purissimam ferventissimumque cor, ac tranquillissimam pacem imperturbabiliter possidere in eo ; summam quoque concordiam mutuo habere, et Deum sine cessatione cum maxima attentione et jucunditate laudare, reverentissime honorare, humillime glorificare filialiterque vereri ; invicem purgare, illuminare, perficere : ita quod superiores purgant, illuminant et perficiunt inferiores, non ab immunditia aut aliqua culpa, sed a dissimilitudine quadam et luminis minoratione. Et de mysteriis atque effectibus Dei est illuminatio illa. Nam divinam essentiam omnes immediate in se ipsa et per se ipsam conspiciunt.

Denique omnia ordinatissima sunt in eis. Et ut divinus Dionysius contestatur, non præsumit nec audet quispiam angelorum sanctorum præfixos sibi transgredi terminos, sed unusquisque quod sibi incumbit sive injunctum est, diligentissime ac agilissime complet. Et in hoc eos imitari ad religiosos potissimum spectat, quorum religio ordo vocatur : quoniam apud eos et in eis omnia ordinatissima esse debent, ut determinato tempore dormiant, et suo tempore alacriter surgant, vigilent, psalmodiis et divinis intersint Officiis cum omni reverentia, attentione et vigilantia mentis, omnique loco ac tempore agant quod locus ipse et tempus requirunt. Nec aliquis se intromittere audeat de impertinentibus sibi, neque præsumat transgredi terminos sibi præfixos ; sed quod ex sua vocatione ab ipso exigitur, cum debita seriositate et perseverantia exsequatur. Non ingerat se Maria ad ea quæ Marthæ incumbunt, sed Martha potius conqueratur quod a Maria non adjuvatur. Cui nihil officiorum commissum est, agatur in talibus magis quam agat ; nec inferior superiorem purgare, illuminare, perficere præsumptuose attentet, nec junior seniorem increpet indecenter. Nihilo minus præceptum fraternæ correptionis unusquisque implere tenetur loco et tempore congruo, cum vera discretione. Unusquisque quoque gratiam sibi desuper præstitam, aliis communicare potest et debet, caritative, pie, humiliter. Sic namque inferior corripere et hortari potest superiorem. Ecclesiastica quippe hierarchia assimilari non potest in omnibus angelicæ hierarchiæ : quia in angelorum ordinibus quanto angelicus spiritus est altior dignitate, choro, officio, tanto perfectior est sapientia, sanctitate, scientia et virtute. In hominibus vero non semper majores sunt sapientia et virtute, sanctitate et gratia, qui majores sunt ecclesiastica dignitate, prælatura, gradu, officio, auctoritate. Ideo quamvis in angelis inferior superiorem non purget, illuminet sive perficiat, in hominibus tamen contingere potest oppositum.

Amplius, quemadmodum angeli sancti, non obstante confirmatione sua in bono et certitudine qua de sua æterna beatitudine summe securi sunt, cum reverentiali tremore vultui majestatis divinæ intenti sunt, et cum filiali timore Creatori adsistunt, eumque cum profundissima mentis inclinatione collaudant ; ita et nos pauperculi, cum omni reverentia et tremore, cum omni subjectione et humiliatione, Deo majestatis immensæ in conspectu angelorum psallere, adstare et ministrare debemus cum magna concordia, uniformitate et tranquillitate, ne quis fraternitati humiliter psallenti, sua animositate, impetuositate, inadvertentia, incuria aut somnolentia offendiculum pariat : imo sicut Ananias, Azarias et Misael quasi uno ore laudabant Deum, ita et nos. Sic namque angeli sancti in nostra psalmodia delectabuntur, prævenientque psallentes, et corda illustrabunt psallentium tam decenter, juxta illud Psalmistæ : Prævenerunt principes conjuncti psallentibus.

Postremo, in evangelio hodierno valde

De Cœlest. hier. c. III.

Deut. XIX, 14.

Luc. X, 40.

I *Petr.* IV, 10.

Ps CXXXVII, 1.

Dan. III, 51.

Ps LXVII, 26.

opportune ac terribiliter loquitur Christus judex noster contra scandalizantes. Quia enim nunc agitur sanctorum solennitas angelorum, qui de hominum custodia et salute sunt ita solliciti, hominumque eis commissorum profectui intime congratulantur, et de eorum scandalo, defectu, periculo displicentiam habent ; certissimum est quod angelis valde displiceant ac repugnent, et eos dire offendant et graviter inhonorent, qui scandalizant pusillos. Hinc Christus causam unam cur pusilli non sint scandalizandi aperiens : Angeli (inquit) eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei. Quum itaque tanta sit dignitas hominis, ut custodiatur ab angelo, ut ad summæ adorandæque Trinitatis imaginem et similitudinem sit creatus, Christi quoque sanguine liberatus, atque ad angelicæ beatitudinis veritatem et æqualitatem obtinendam productus, cum ingenti sollicitudine cavere debemus ne eum in aliquo scandalizemus. Nempe si impium est lædere corpus, percutere faciem, excutere oculum, vitam corporalem auferre, quanto magis impium atque damnabile est animam vulnerare, rationem offuscare, voluntatem pervertere, vitam gratiæ menti auferre? Et maxime periculosum ac vitiosum censetur communitatem turbare, conventum scandalizare, plurimorum impedire profectum. Propterea, prorsus damnabile et enorme est, in congregatione habere se negligenter, spirituali profectui non studere, non reprimere passiones, non componere mores, nec vivere timorate, exemplariter, fructuose. Væ eis qui contentioni deserviunt, qui oblocutionibus linguas suas relaxant, qui ad agendum remissius provocant alios, qui partialitatem inducunt sive ad murmurandum et contradicendum ceteros movent, qui per ista aut consimilia male informant ac destruunt juniores. Caveamus ergo hæc omnia semina perditionis æternæ, et memores nostræ professionis, elaboremus omni qua valemus virtute nostris satisfacere votis, omni die proficere, exemplariter conversari, vitamque Deo dignam et sanctis angelis placitam, usque in finem deducere.

Matth. XVIII, 6-10.

Ibid. 10.

SERMO SEPTIMUS

DE BENEFICIIS ANGELORUM, ET QUOD MAGNITUDINI CARITATIS RESPONDEAT PRÆMIUM : DE HUMILITATE ITEM, PURITATE ET CARITATE.

ANGELIS suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. Ps. XC, 11.

Sciens Creator sapiens atque omnipotens infirmitatem, ignorantiam ac malitiam hominum multam et magnam nimis, misericordissime providit eis de angelica custoditione et subventione, ut scilicet per angelos sanctos abstrahantur a vitiis imminentibus, a corporalibus quoque periculis, et inducantur ab eisdem ad deplangendum peccata præterita, excitentur item ab eis a negligentiæ suæ torpore ad bona agenda. Illuminant etiam angeli sancti hominum corda, et diversimode admonent eos, terrent, consolantur, inspirant, et protegunt sibi commissos a dæmonum tentamentis, reprimuntque ferociam dæmonum, ne impugnent et noceant quantum possent si permitterentur.

Denique omnia beneficia ista angeli gloriosi libenter omnino impendunt hominibus. Primo, propter summæ majestatis præceptum, cui in cunctis promptissime parent et cum reverentia summa obediunt. Deus namque hæc eis præcepit. Se-

cundo, ex zelo divini honoris. Quemadmodum enim angeli sancti ardentissime diligunt Deum, sic maxime cupiunt eum ab omnibus honorari. Idcirco, sollicite ea hominibus exhibent per quæ ad divinæ majestatis honorificentiam inducuntur, atque ab inhonorationibus et injuriis Dei eos diligenter retrahere moliuntur. Tertio faciunt ista libenter, ex ingenita eis pietate, qua valde abundant. Quum etenim piissimi sint, gloriosi, sapientes ac fortes, et videant homines multipliciter ac miserabiliter periclitari, tentari, decipi, et a dæmonibus crudelissimis ac callidissimis dilaniari et conculcari, miserentur et condolent miserrimis hominibus, quos vident tam proclives ad mala, tam infirmos ad resistendum dæmonibus et peccatis, tam tardos ac debiles ad bona, tam faciles ad seductiones, tam infectos ac imperfectos, in tantis periculis constitutos : hinc promptissimi sunt succurrere eis. Quarto, ex caritate sua ad homines, quos diligunt tanquam intellectualis naturæ participes, et tanquam ad angelicam beatitudinem obtinendam creatos, imo et tanquam fratres et concives ac socios suos futuros. Quinto, ex reverentia incarnationis Verbi æterni humanitatisque Christi. Quum enim videant Deum et creatorem suum esse hominem factum, et humanam naturam Deo in unitate personæ conjunctam, et super omnium angelicorum altitudinem ordinum sublimatam, imo et omni enti creato prælatam, ex horum consideratione atque ex reverentia sua ad Unigenitum Dei ejusque humanitatem, concipiunt reverentiam quamdam ad genus humanum, et hominibus dignanter ac libentissime obsequuntur, auxiliantur, adsistunt. Sexto, propter quamdam propriam utilitatem. Nam sciunt ex hominibus instaurandam esse ruinam civitatis suæ supernæ Jerusalem. Accidentale etiam quoddam præmium et gaudium angelis sanctis accrescit ex eorum quos custodiunt et gubernant salvatione. Siquidem et qui angelorum directione salvantur, angelos suos custodes in regno cœlesti æternaliter habent in valde speciali amore præcipuoque honore, et regratiantur eisdem condigne.

Denique homines prædestinati, juxta diversitatem et excellentiam meritorum ad diversos pertingunt ordines angelorum. Et de hoc S. Gregorius quamdam inducit adaptationem, dicendo : Sunt quidam qui parva capiunt, et hæc ipsa fratribus nuntiant. Isti ad Angelorum ordinem spectant. Alii summa cœlestium secretorum capere valent, aliisque denuntiant. Isti ad Archangelos pertinent. Alii miracula operantur : qui ad Virtutum pertinent chorum. Alii dæmones ab obsessis ejiciunt : et hi ad Potestatum pertinent ordinem. Sicque adaptat deinceps, ut patet in homilia. Verumtamen adaptatio ista intelligenda est pie, ac ceteris paribus. Quum enim essentiale præmium correspondeat caritatis perfectioni, certum est quod quanto quis fuerit in caritate ferventior atque perfectior, tanto ad altiorem pertingit chorum cœlestem, dummodo perseveret, etiamsi nec parva nec magna annuntiet proximis. Nec illi semper sunt sanctiores, qui plura et majora agunt miracula, aut validius fugant dæmonia, quum et beatissimus sanctissimusque Joannes Baptista nullum in vita hac fecerit signum, ut Joannes testatur evangelista. Istud quoque Salvator insinuat in evangelio hodierno. Quum enim interrogassent Apostoli eum, Quis, putas, major est in regno cœlorum? statuit parvulum inter eos, et dixit : Quicumque humiliaverit se sicut parvulus iste, hic major est in regno cœlorum. Hoc est, quanto quis fuerit et perseveraverit humilior in Ecclesia militanti, tanto erit sublimior in Ecclesia triumphanti. Humiliationi enim quæ ex caritate procedit ac informatur, exaltatio illa cœlestis aptatur, debetur ac redditur, secundum quod iterum legitur : Qui se humiliat, exaltabitur. Nam quamvis caritati, non humilitati, proportionetur directeque detur præmium essentiale, tamen quia humilitas ad omne bonum disponit, ita quod quanto quis profundius se

Joann. x, 41.

Matth. xviii, 1-4.

Luc. xiv, 11.

ipsum humiliat, tanto majora gratiæ dona atque perfectius caritatis incrementum sortitur a Domino ; ideo dixit Christus,
Matth. XVIII, 4. Quicumque humiliaverit se sicut parvulus iste, major erit in regno cœlorum : in majori humiliatione includendo ac præsupponendo dilectionem majorem.

Itaque, quum tanta sit angelorum sanctorum altitudo ac dignitas, excellentia atque felicitas, ad eorum societatem nequaquam valemus pertingere nisi per veram humilitatem, per animæ puritatem, per spiritualem amorem. Propter primum istorum, in evangelio hodierno loquitur
Ibid. 3. Filius Dei : Nisi conversi fueritis et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Propter secundum, jubet
Ibid. v. 9. ut membra scandalizantia abscindamus, non per amputationem substantiæ, sed per refrenationem abusionis membrorum, ne peccemus ; et item ut eos vitemus, quantumcumque sint cari, ex quorum familiaritate, societate, approximatione scandalizamur seu lædimur. Propter tertium
Ibid. 10. dicit, Videte ne scandalizetis* unum de pusillis istis : quia videlicet hoc caritati contrariatur.

* contemnatis

Enitamur ergo hæc tria implere. Et in primis instar parvulorum humiliemus nos ipsos, et simus pauperes spiritu, viles, insipientes, defectuosi in oculis propriis, nec tales reputari ac dici ab aliis recusemus. Omnem quoque correptionem, correctionem, aspernationes, injurias cum gaudio toleremus : imo nec arbitremur no-
Judith XIII, 27. bis posse injuriam fieri, sed cuncta supplicia et adversa judicemus nostris demeritis esse minora, dicentes illud in libro
Job XXXII, 27. beati Job : Peccavi, et vere deliqui, et ut eram dignus non recepi. Hinc bonas parvulorum proprietates assumamus ac possideamus, ut facile ignoscamus nec illatæ reminiscamur injuriæ, nulla unquam fraude utamur, modicis simus contenti, doci-
I *Petr.* II, 1, 2. les ac dirigibiles exsistamus. Sicque deponentes omnem malitiam, et omnem dolum et simulationes et invidias et detractiones, quasi modo geniti infantes rationabiles, lac innocentiæ concupiscamus, atque in christianæ simplicitatis infantiam redeamus, in tantum ut non cogitemus de aliis mala, nec temere judicemus, neque ad suspiciones malas simus proclives, neque alicui insidiemur occulte. O quam longe sunt a salute duri corde et vindicativi, qui facile offenduntur, et offensionis suæ difficulter obliviscuntur, tempus et modum diræ retributionis excogitantes, non pensantes quod in veteri quoque scriptum sit lege : Non quæres ultionem, nec me-
Levit. XIX, 18. mor eris injuriæ civium tuorum ! In Ecclesiastico quoque : Homo homini servat
Eccli. XXVIII, 3, 4. iram, et a Deo quærit medelam ? quis exorabit pro peccatis illius ? Itaque, quanto plus cupimus a Deo in præsenti vita per dona gratiæ exaltari, et in cœlis per dona gloriæ elevari, tanto profundius humiliemus nos ipsos, et tanto perfectius amplectamur prætactas parvulorum proprietates.

Insuper scandalizantia membra abscindamus et projiciamus a nobis, ut non
Rom. VI, 13. exhibeamus membra nostra arma iniquitatis diabolo, sed arma justitiæ Deo. Linguam loquacem, detrahentem, pungitivam, frangentem silentium, præcidamus ; oculos evagantes, incustoditos, eruere non moremur. Gulositatem ventris, tactum inverecunde prosilientem, et omnem exteriorum interiorumque sensuum irrefrenationem abjiciamus, et corpora nostra redigamus in animarum nostrarum obsequia. Rationis propriæ judicia, et propriæ voluntatis affectus ac libertates, superiorum nostrorum judiciis ac præceptis semper ac prompte subdamus ; mentem in Deo stabilire conemur. Sicque per omnia quæ a Deo accepimus, Deum colamus ac veneremur.

Postremo, in sincerissima ac fervente caritate Altissimi indefesse proficiamus, Deum intra nos complectentes, ejus infinitæ beatitudini congaudentes, ei semper placere et corda nostra unire optantes, ejus beatificam fruitionem adipisci desiderantes. Ipsum totis viribus honoremus, et ultra

vires honorare optemus ; ipsum quoque cupiamus ab omnibus honorari, atque ex isto caritatis affectu scandalum omne vitemus, omnesque ædificare et ad Dei honorificentiam verbis, vita et fama provocare nitamur.

Unusquisque etiam angelum suum quotidie specialiter invocet ac honoret, cordialiter amet, et eum offendere vereatur ; A deprecetur que angelum suum ut sibi misericorditer adstare, opem et protectionem impendere semper dignetur, illuminationem, directionem, ducatum sibi indesinenter exhibeat, imperfectum suum supplere, preces suas et opera bona Deo offerre, atque ab eo gratiarum charismata sibi reportare non dedignetur. Ad laudem Dei omnipotentis.

IN FESTO

S. HIERONYMI DOCTORIS ECCLESIÆ

Enarrationem epistolæ, item et evangelii, require in Communi Sanctorum de Confessore non pontifice.

SERMO PRIMUS

DE PRÆCONIIS AC VIRTUTIBUS S. HIERONYMI.

BONORUM laborum gloriosus est fructus. Sap. III, 15.

Verbum istud in confessore excellentissimo, beatissimo patre Hieronymo, clarissime et copiosissime est impletum. Ejus etenim vita a principio usque ad finem fuit sanctis laboribus plena. Sed nunc hujus sacratissimi et incomparabilis viri præconia et excellentiæ ac virtutes, ordinate tangenda sunt.

Prima laus ejus est, studiosa ac honesta pueritia ejus. Puerulus etenim missus est Romam studii causa. Et quum esset puer mirabiliter ingeniosus, naturali suo ingenio addidit indefessos labores, non voluptati, non vanitati, non lasciviis unquam vacans, ut moris est puerorum, sed die ac nocte diligentissime studens, caste devoteque vivens : sicque in brevi litteris Græcis, Latinis atque Hebraicis excellenter instructus est. Hinc ipsemet in Regula, ad
cap. 11. Eustochium loquitur : Me, antequam vicesimum ætatis annum attingerem, urbs Roma in summum præelegit magistrum, in omnibus pene liberalibus artibus eruditum.

Secunda laus ejus est, gloriosa et admiranda ejus conversio. Quamvis enim in pueritia studiosus esset et castus ac devotus, non tamen adhuc erat totaliter spiritualis, sed aliquid de hujus mundi spiritu habens. Propter quod sapientia philosophorum ac rhetorum sibi sæpe plus sapuit quam propheticorum librorum. Unde in Regula protestatur : Non hanc sanctam fatuitatem(videlicet christianæ sapientiæ supernaturalem doctrinam, quæ mundi, non Christi, spiritum habentibus stulta videtur) didicit Plato, non Aristoteles, non certe miser ego Hieronymus, fatuorum sapientium (id est philosophorum) imitator, antequam sancta verbera luerem. Quum enim Hieronymus nondum plene conversus, de die Ciceronem et de nocte studeret Platonem, eo quod sermo incultior in libris propheticis sibi non complaceret, quadam vice febribus languens, ad Christi tribunal est raptus ; et interrogatus cujus esset conditionis, christianum se esse audacter respondit. Cui Judex : Mentiris, nam Ciceronianus es. Obmutescente ergo Hieronymo, fecit eum Judex durissime flagellari. Orantibus autem pro ipso Sanctis adstantibus, et ipsomet veniam postulante emendationemque pollicente, rediit ad se ipsum, et lacrimis reperit se perfusum,

suasque scapulas ex verberibus quæ acceperat, terribiliter liventes. Atque ex tunc plenius conversus et totus spiritualis effectus est.

Tertia laus ejus est, zelus justitiæ fervidus quo fuit valde accensus. Post castigationem namque præscriptam, totum se dedit studio Scripturarum atque virtutum, et contra clericorum ac religiosorum lasciviam verbo et scripto fortiter loquebatur, et usque ad finem vitæ suæ continuum sibi fuit certamen contra iniquos, contra hæreticos, contra gulosos ac lubricos in sacris ordinibus constitutos, et falsos fictosque monachos, quos omnes acriter reprehendit, insectabatur, confudit.

Quarta laus ejus est, patientia sua in adversis. Nam ob causam prætactam, oderunt eum et graviter persequebantur quidam religiosi et clerici. Quumque adhuc satis juvenis, ob suam sapientiam ac virtutem ordinatus fuisset in Romana Ecclesia presbyter cardinalis, mortuoque Papa, Hieronymus summo pontificatu dignus ab omnibus acclamaretur, præfati æmuli ejus juxta lectulum ipsius vestem posuerunt femininam, quam ipse, more solito ad Matutinas surgens, sine advertentia induit, sicque ecclesiam introivit. Quo viso, impii irriserunt eum et expulerunt, tanquam qui feminam habuisset secum in lecto. Hoc idem testatur S. Eusebius ejus discipulus, in epistola de morte ipsius. Hieronymus vero impiissimis illis compatiens, et cuncta patientissime ferens, ad beatissimum atque doctissimum præsulem Gregorium Nazianzenum profectus est, et in divinis Scripturis ab illo est eruditus. Ab hæreticis quoque et aliis invidis innumerabiles detractiones, diffamationes, persecutiones, insidias est perpessus, in tantum quod eum esse hæreticum publice mentiebantur. Sed et egregiam ejus translationem ac alia scripta falsissime criminabantur.

In quibus omnibus invictissimæ patientiæ mansit. Nam teste S. Eusebio, dixit : Gratias ago Deo meo quia dignus habitus sum ut odiat me mundus, maleficum me esse garriens ; scio namque ad æternam perveniri gloriam per infamiam bonamque famam. Utinam ob Domini mei Jesu Christi nomen atque justitiam universa me infidelium turba persequatur ; utinam in opprobrium meum exsurgat hic mundus. II *Cor.* VI, 8.

Quinta laus ejus est, sua rigorosissima ac sanctissima vita in eremo, deinde in cœnobio. Relinquens namque præfatum S. Gregorium Nazianzenum, ingressus est eremum, in qua (ut ipsemet scribit) super nudam humum macilentissimum corpus suum sacco opertum, somno cogente, paululum reclinavit ad quiescendum. Ossa ejus præ abstinentia et macie vix sibi invicem cohærebant ; cutis ejus instar Æthiopis denigrata est, solis ardore exusta. Cibus ejus et potus fuit modicissima herba et aqua ; lacrimis et gemitibus insistebat diebus ac noctibus ; sæpe integras jejunavit hebdomadas, semel tantum se reficiens. Et quum ferarum socius esset ac scorpionum, tamen stimulo carnis exagitavit eum spiritus fornicationis, ita quod puellarum choris et Romanis deliciis se interesse sibimet videbatur ; ipse vero a fletibus, abstinentiis, pectorisque tunsionibus et Dei invocationibus non cessavit, donec mentis rediret tranquillitas. Epist. 22.

Sexta laus ejus est, eminentia et fructuositas sapientiæ suæ : quia in omni naturali philosophia et in divinis Scripturis profundissimus fuit, et omnium Prophetarum exposuit libros, et semper studiosissimus exstitit, scripta et commentaria doctorum Hebræorum perlegit ac didicit. Transtulit quoque totam Scripturam canonicam, et præcipiente Damaso Papa, divinum ordinavit Officium. Sicque pro communi illuminatione Ecclesiæ, pro exstirpatione errorum, pro universorum salute innumerabiles fecit labores. Denique, quam sublimis fuerit contemplator, constat ex eo quod ipsemet ait in Regula : Ego homunculus sic abjectus, sic vilis in domo Domini, adhuc vivens in corpore, an-

gelorum choris sæpe interfui, de corporeis nihil per hebdomadas sentiens, et divinæ visionis intuitu, post multorum forte dierum spatia, præscius futurorum, corpori reddebar. Quid ibi manens felicitatis habebam? quid inenarrabilis delectationis sentiebam? testis est ipsa Trinitas, quam cernebam nescio quo intuitu; testes sunt et ipsi spiritus beati qui aderant; testis est et conscientia mea, qui tantis bonis fruebar, quot et qualia nescit proferre mollities corporis nostri.

Septima laus ejus est, beatissimus finis ipsius, videlicet pretiosissima et sacratissima mors sua. Appropinquans etenim morti, præcepit spiritualibus filiis suis ut corpus suum nudarent, nudatumque ponerent super terram. Erat quoque sacratissimum corpus ejus tam squalidum ac deforme, quod terribile erat cunctorum adspectui. Nam præ abstinentiis fuit tam macilentum, quod ossa ejus per articulos potuerunt numerari; sic verberibus cruentatum ex disciplinis, ut leprosi potius corpus crederetur quam hominis sani. Quumque nudus super nudam humum collocatus esset, exhilaratus est valde, et omnes deosculatus est Fratres, et sapientissimum ac devotissimum fecit eis sermonem. Quo finito, petiit sibi corpus Christi afferri. Quod quum unus Fratrum deferret ad ipsum, auxilio Fratrum se prostravit in terram, affectuosissime ac lacrimose prolixeque orans, et de Eucharistiæ sacramento ac mirabilibus ejus profundissime loquens. Quod quum reverentissime accepisset, in terram se reclinavit supinum, et manus suas supra pectus suum in modum crucis tenens, Simeonis prophetæ canticum legit. Quo finito, tanta lux illic de cœlo descendit, ut instar solis intuentium reverberaret adspectum, nec possent virum beatissimum morientem aliqualiter intueri. Qua luce ad horam ibi manente, quidam adstantium conspexerunt exercitum angelorum ibi undique discurrentium, sicut in arundineto scintillæ discurrunt. Quidam vero angelos non viderunt, sed vocem desuper audierunt, dicentem : Veni, dilecte mi, quoniam tempus est ut pro laboribus tuis mercedem accipias, quos mei causa viriliter supportasti. Tunc subito anima ejus de corpore tanquam splendidissimum sidus egressa est, atque a Christo cum omni honore suscepta. Moxque suavissimus odor ibi adspersus est, durans et manens per dies multos. Eadem hora manifestavit Deus gloriam S. Hieronymi Augustino et Cyrillo atque Severo Sulpitio.

Octava laus ejus est, excellentia innumerabilium miraculorum quibus Deus eum glorificavit. Et in vita ejus fuit mirabile, quod leo spina læsus in pede, accessit Hieronymum, qui spinam extraxit. Quo facto, leo mansit in cœnobio, eidem deserviens, pergensque cum asino, et eum non lædens : de hoc in ejus Legenda leguntur miranda. Denique, teste Eusebio, in die sepulturæ viri sanctissimi, quidam a nativitate cæcus, corpus illius tangendo visum adeptus est. Alius juvenis surdus et mutus, sanctissimum Hieronymi corpus deosculans, loquelam obtinuit et auditum. Hæreticus quidam dicens corpus Hieronymi dignum esse incendio, repente igne cœlitus veniente, usque ad cineres est combustus : quo viso, multi hæretici vere fideles effecti sunt. Alia valde magnifica signa de hoc sanctissimo leguntur Hieronymo, in quo excellentiæ fidei christianæ correspondebat excellentia vitæ. Fuit quoque beatissimus Hieronymus virgo, ut scribit Eusebius; et ut ipsemet in fine Regulæ suæ testatur, centenarius fuit quando Regulam illam composuit.

Hunc ergo gloriosissimum fidei christianæ signiferum, veritatisque fidei testem idoneum, fideliter imitemur, præcipue veneremur, fervide diligamus, devoteque invocemus, carnalia contemnentes, et opera pœnitentiæ strenue exercentes.

Sap. III, 7.

Luc. II, 29-32.

AD RELIGIOSOS

SERMO SECUNDUS

DE MULTIPLICI SCIENTIA S. HIERONYMI, DE TRIBUS QUÆ MUNDUS AMAT AB EODEM CONTEMPTIS, ET QUO SIT FERVORE IMITANDUS.

IN scientia sua justificabit ipse servus meus multos. Is. LIII, 11.

Verba hæc de Christo litteraliter scripta, de sanctissimo viro congrue per tropologiam accipiuntur. Ipse namque justus et fidelis servus Dei Hieronymus, per suam salutarem scientiam multos justificavit, et universam usque in præsens illustrat Ecclesiam. Habuit quippe multiplicem scientiam : primo et maxime, illam quæ est unum de septem Spiritus Sancti donis, per quam homo affective cognoscit ac judicat, in rebus creatis non esse finaliter B quiescendum, sed eas esse vanitati subjectas, eisque tantumdem esse utendum quantum utiles aut necessariæ sunt ad virtuose agendum, ad promerendam vitam æternam, ad obtinendum beatifice summum et incommutabile bonum. *Rom.* VIII, 20.

Præterea, quantum sacer doctor Hieronymus in ista salubri scientia, sine qua nemo potest salvari, excellens fuerat ac abundans, innotescit ex hoc quod universa carnalia et terrena, sensibilia et mundana, caduca et vana tam perfectissime C sprevit, et necessariis vitæ tam strictissime utebatur. Tria sunt enim quæ in mundo occurrunt optanda, ad quæ alia reducuntur, puta : deliciæ, divitiæ, et honores. Quæ omnia gloriosus Hieronymus non solum non affectavit, sed etiam plenissime aspernabatur, atque eorum contraria, afflictionem carnis, inopiam rerum, vilipensiones, devotissime et copiosissime amplectebatur. Qualiter enim corpus suum A in deserto afflixerit jejuniis, abstinentiis, disciplinis, vigiliis, stratu, planctu, gemitibus et vestitu, ipse sibi in Regula sua et alibi testis est; sanctus quoque ejus discipulus Eusebius scripsit ac protestatur. In tantum equidem per prædicta afflixit se, quod membra ejus sacco operta, præ deformitate, macilentia, desiccatione, exustione, horrida erant solo adspectu; cutis corporis sui squalida fuit, et æthiopicæ carnis dispositionem ex solis ardore aliisque prætactis contraxit; ossa ejus sibi invicem vix hærebant. Somnum ex proposito non accepit, sed eum repugnantem somnus interdum oppressit, et modicissime dormiebat, et super nudam jacuit humum. Modicum sicci panis et herbæ cum aqua, fuit ejus refectio. Unde inde sic loquitur : De cibis et potibus taceo, quum et languentes frigida aqua utantur, et coctum aliquid accepisse luxuria sit. Ecce qualiter sprevit delicias, et corpus suum extreme afflixit, ita quod pene refriguit et tanquam præmortua exstitit caro. Cujus vestigia saltem utcumque sequi curemus, nec ea quæ carnem delectent, sed quæ sustentent eam, quæramus; castigemusque eam discrete, ut sit rationabile nostrum obsequium. Secundo, perfectissime contempsit divitias : quia quum esset filius viri opulenti ac nobilis, omnia prorsus propter Christum reliquit, tenuissimo atque asperrimo victu atque vestitu contentus. Similiter sprevit honores; et varias oblocutiones, diffamias, irrisiones, perse- *Rom.* XII, 1.

cutiones et tribulationes patientissime ac abundantissime patiebatur. Quæ omnia surdis scivit auribus pertransire, sicut in prologo fassus est : Nec affectamus laudes hominum, nec vituperia formidamus.

In librum Esther.

At vero præfatæ salutari scientiæ opponitur prudentia carnis, quæ (Paulo testante apostolo) mors est, id est mortale peccatum atque interitus animæ. Et est prudentia ista carnis, quædam industria seu diligentia obtinendi seu retinendi commoda carnis, videlicet ea quæ ipsam delectant, et ad prosperitatem pertinent temporalem. De hac carnali prudentia multi religiosi plus habent quam licet et expedit eis : qui carni suæ nimis propitii exsistentes, dum quasi discreti volunt videri, fiunt carnales et laxi, suntque gulosi, et delicata quærunt, non necessaria tantum. Quumque in fundamento spiritualis conversationis, quod est sobrietas seu edomatio carnis, deficiant, parum aut nihil, raro aut nunquam proficiunt.

Rom. VIII, 6.

Secundo, S. Hieronymus habuit excellenter sæcularem philosophicamque et naturalem scientiam, in tantum quod (prout ipsemet fatetur in Regula sua) antequam vicesimum attingeret annum, Roma eum in summum elegit magistrum, cunctis pene liberalibus eruditum artibus. Quamvis autem ista scientia non sit in se meritoria aut demeritoria, virtuosa aut vitiosa, tamen bene utentibus ea, et rite ordinantibus eam ad theologicam veritatem, ad sapientiæ contemplationem, ad Dei amorem, prodest non parum. Nam et ad intelligendum Scripturas, ad convincendum hæreticas pravitates, ad instruendum alios in his quæ fidei sunt et salutis, plurimum confert, Augustino dicente : Cognitio proprietatum naturalium rerum pandit abdita Scripturarum. Sicque sanctus pater Hieronymus hac est usus scientia, et multa philosophica documenta suis inseruit libris, et docuit nos ubi et a quibus sint scripta ea quæ Paulus apostolus a philosophis seu poetis dicta allegat. Unde et sanctus refert Hieronymus, antiquos doctores et expositores Scripturæ tanta naturalis scientiæ dogmata suis theologicis miscuisse voluminibus, ut nescias quid in scriptis illorum primo aut potissimum debeas admirari, excellentiamne scientiæ sæcularis, an divinæ.

cap. 11.

Tertio, habuit scientiam diversarum linguarum, per quam valde præclare profuit toti Ecclesiæ. Scivit namque idioma Arabicum, Hebraicum, Latinum et Græcum : per quam peritiam transtulit nobis Scripturas ex Hebraico in Latinum, et diversarum linguarum inspexit translationes. Per hanc scientiam suam multos justificavit, id est, a diversis liberavit erroribus, salubriterque instruxit et roboravit in fide, virtuosæque vitæ succendit amore.

Quarto, habuit scientiam Scripturarum acquisitam tam eminentem et plenam, quod acutissima et obscurissima Scripturarum potuit explanare, et fidem ipsam contra ejus inimicos defendere. Quam scientiam creditur etiam ex infusione et revelatione Spiritus Sancti partim adeptus : de qua ait Apostolus, Alii per Spiritum datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ. Per hanc quoque scientiam, Ecclesiæ profuit vehementer, et contra hæresiarcharum ac Judæorum atque gentilium philosophorum ac idololatrarum scripsit perfidias, confutavitque illorum insanias, et fidei argumenta aperuit, ejusque fundamenta elucidavit. Propter quod dici potest de illo illud Danielis : Ipse revelat profunda et abscondita, et novit in tenebris constituta ; et quod iterum ait Scriptura, Abscondita produxit in lucem. Composuit demum plurimos libros devotionales, morales, salubres et sapientiales epistolas, et per hæc in scientia sua justificavit quamplures, quorum vitia increpavit, quorum corda ad virtutum traxit amorem ; et maxime per saluberrimam, moralissimam ac probatissimam suam scientiam, quam in Regula sua expressit ac docuit, multos omnino justificavit, quos ad vitam perduxit religiosam, vel roboravit ac perfecit in ea.

I Cor. XII, 8.

Dan. II, 22.

Job XXVIII, 11.

Porro, non solum per suam scientiam multos justificavit, sed etiam per virtuosissima suæ sanctissimæ vitæ exempla, per suam laudabilissimam famam, per orationum suarum suffragia, et præsertim per ea quæ scripsit de Patribus sanctis in primo Vitaspatrum libro ac alibi. Unde ait in Regula : Dum per eremorum antra septem annis sanctos Patres ibi degentes, tanquam angelos in cœlis consistentes, assiduo labore itineris, arduisque vivendi incommodis, atque innumeris calamitatibus visitarem ; de quorum vita moribusque mirificis, quæ luculenter conspexi, libellum compegi, qui vobis sit velut lucerna super candelabrum ad informationem religionis ac vitæ.

Hujus igitur gloriosissimi studiosissimique Hieronymi inflammemur exemplis, ad laborandum indesinenter pro incrementis virtutum quotidianis, ad certandum bonum certamen fidei contra invisibiles hostes, contra omnium vitiorum et passionum concupiscentiarumque acies, contra proprii sensus immansiones, contra propriæ voluntatis tortuositates, ut saluberrimam nobis ipsis violentiam inferamus, donec fracti, reformati et exercitati in omnibus, cum omni promptitudine semitam obedientiæ, itinera disciplinæ, vias vitæ perambulemus, atque in viscera caritatis, bonitatis ac pietatis affectum, in zelum justitiæ transformemur, ut jam non aliud valeamus appetere nisi justitiam, nisi Dei honorem, nisi universorum salutem, nisi incessabilem in omni gratia ac virtute profectum.

Postremo, diligentissime consideremus gloriosissimi ac sapientissimi patris nostri Hieronymi studia ac labores, imo et diuturnum in sæculo isto martyrium. Nempe quum recessisset a Roma, et per tempus habitasset cum S. Gregorio Nazianzeno, ingressus est eremum, et horribilia solitudinis loca per sex aut septem annos circuiens, quantum in hoc laboravit, sudavit, sustinuit, partim jam tactum est, et ipse circa finem libri primi Vitaspatrum diffusius recitat. Insuper ad quatuor annos solitariam ac eremiticam vitam duxit in tanto rigore, ut humanas transcenderet vires, sicut pro parte jam tactum fuit. Et quam acerrime ibi tentatus sit, quam laboriosissime quoque restiterit, pandit dicendo : In horrida solitudine illa erat mihi quotidie gemitus, quotidie lacrimæ ; quum scorpionum et ferarum tantummodo socius essem, sæpe (per imaginationem aut apparitionem) choris intereram puellarum ac Romanis solatiis, atque in frigido corpore sola libidinum incendia pullulabant ; continue flebam, repugnantemque carnem hebdomadarum inedia subigebam. Post hæc ad Bethlehem rediens, reliquum vitæ suæ tempus in translationibus et expositionibus Scripturarum, in informationibus hominum, in dispositione et ordinatione ecclesiasticorum Officiorum, in compilatione epistolarum ac diversorum tractatuum, in disciplinis acerrimis, in jejuniis abstinentiisque strictissimis, in vigiliis supra modum, in assiduis lectionibus sacris, in persecutionibus multis ac magnis fructuosissime sibi ac toti Ecclesiæ expendit per annos (ut legitur) quinquaginta et quinque. Nam et centenarius fuit quando Regulam suam conscripsit, prout ipsemet in Regula protestatur. Epist. 22.

Ejus ergo accensi exemplis, vivamus in cœnobio vere claustraliter ; in religione, vere religiose ; in Ordine, veraciter ordinate.

SERMO TERTIUS

DE SERVANDA IN MONASTERIIS CONCORDIA, DE OBEDIENTIA, ET EX DICTIS HIERONYMI ERUDITIONES PIÆ RELIGIOSIS ACCOMMODÆ.

QUICUMQUE hanc regulam secutus fuerit, pax super illum. Galat. VI, 16. Inter omnes sanctorum Regulas Patrum, videtur beatissimi Hieronymi Regula potissimum doctrinalis, moralis et valde sententiosa ac pulchra. Ipse itaque in principio Regulæ suæ docet a duobus caritatis præceptis inchoandam esse monasticam vitam, et de caritate affirmat : Hæc sola reddit hominem Deo viventem ; hæc religiosos, hæc monachos facit. Sine caritate, monasteria sunt tartara, et habitantes in eis sunt dæmones ; cum hac vero, sunt paradisus in terris, et in eis degentes sunt angeli. Ideo, quamvis longa macerent jejunia, et quidquid aliud peragatur, si intus desit caritas, nondum ad infimum religionis gradum perventum est. Omne ens, secundum philosophos, tantum habet bonitatis, quantum unitatis. Propterea corporaliter adunatis in cœnobio, sit cor unum et anima una, quemadmodum in principio *Act.* IV, 32. primitivæ Ecclesiæ, multitudinis credentium fuit cor unum et anima una. Nulla vita pro certo deterior, quam simul degere corpore et non mente ; et vere infelices sunt, quibus non inest una sed diversa voluntas. Sit itaque vobis semper unus affectus, una fraternitas, una voluntas, una proportio morum, una jucunditas, una tristitia, ne uni displiceat quod alteri placet, et ne, quo alter gaudet, alter tristetur : sicque habere poteritis religi- *Ps.* LXVII, 7. onis propositum, si unanimes in domo Domini habitetis.

Ecce istud est primum ac saluberrimum gloriosi Hieronymi documentum. Quo constat, quam vehementissime sit religiosis vitanda omnis dissensio, omnis contentio et universa discordia, et quomodo omnia exteriora exercitia sua ordinare debeant ad interiorem profectum, præsertim ad caritatis augmentum. Quidquid itaque simul agimus in divinis seu exterioribus, puta cantando, psallendo, legendo aut laborando, totum caritative atque concorditer peragamus, nec quisquam sit sui capitis, aut præceps vel passionatus. Nullus sit animosus aut singularis, nullus sua importunitate aut vehementia seu inordinatione alios turbet, aut devotionem impediat fratrum suorum : quin potius unusquisque, quantum salva caritate atque justitia fieri potest, aliis cedat humiliter, et paci provideat proximorum, sollicitus ne quempiam scandalizet sive contristet. Nec gaudeat dum totum secundum suum potest facere caput. Caritas namque non quærit quæ sua sunt, sed *I Cor.* XIII, 5. quæ aliorum. Et propter vitandum scandalum pusillorum, est omittendum quidquid triplici veritate salva potest omitti, videlicet veritate vitæ, veritate doctrinæ, veritate justitiæ. Hinc hortatur Apostolus : Nihil agatis per contentionem, neque per *Philipp.* II, 3. 4. inanem gloriam, sed per humilitatem superiores vobis invicem arbitremini, non quæ sua sunt singuli considerantes, sed quæ aliorum.

Insuper, quia in religiosis obedientia præcipue commendatur, quæ et inter tria vota religiosorum, candentia præeminet, hinc sanctissimus pater Hieronymus ad obedientiam frequenter ac diligenter nos admonet : Ne producatur, inquiens, in medium prælati pravitas, quæ plerumque subditis præstat causam magnæ ruinæ, *I Petr.* II, princeps Apostolorum Petrus jubet obe- 18.

dire non solum dominis bonis atque modestis, sed etiam dyscolis. Et ne forte grave videatur voluntati humanæ, ita se abnegare et obedientiæ tollere crucem, proponit præmium quo omnis labor, etiam
I *Petr.* II, 19. gravis, dulcescat, dicendo : Hæc est gratia. O felix et abundans gratia ! In obedientia,
**alias* clausa summa virtutum causa * : nam simplici gressu hominem ducit ad Christum ; et mens non solum excusatur a ratione reddenda de subditis, sed nec obligatur reddere de se ipsa. O summa libertas, qua obtenta, vix possit homo peccare ! Hinc denuo ait : Hortor, moneo et exoro, subjicite vos in omni obedientia et timore et reverentia præsidenti, ut jam omnino nihil velle aut nolle aliter liceat quam mandaverit præsidens faciendum. Nihil grave, nihil videatur importabile, si jussum non concordat propriæ voluntati. Vere obediens, et qui pro Christo caret omni voluntatis arbitrio, nihil novit difficile, nihil injustum. Mementote quoniam in religionis ingressu omnem volendi ac nolendi libertatem dimisistis pro Christo, nisi quæ ipse per suos vicarios ordinaret de vobis. Obeditis firmissime Christo, dum ejus vicario obeditis. Nondum vivit Deo, nondum religionis ac Christi semitas attigit, qui non efficitur tam simplex et purus, ut quidquid sibi fuerit mandatum a præsidente, angelico putet ore transmissum. Ecce quam seriose ac sapientissime docet nos Doctor iste sanctissimus, obedire etiam integro, prono ac præcordiali affectu. Quoniam ipsam nostram voluntatem per obedientiæ votum solenne obtulimus, ideo periculosum est discernere ; periculosius, obniti seu excusare ; periculosissimum, contradicere, non curare, seu repugnare :
I *Reg.* XV, 23. imo Samuele testante, quasi peccatum ariolandi est, repugnare ; et quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere.

Præterea, de cautela in loquendo servanda hortatur, dicendo : Inter vos nunquam disputetur de vita alterius. Maneat divino examini omne judicium. Peccata vestra cognoscite, delicta vestra plorate. Omnium vita, sanctitatis exemplum vobis appareat. Vos existimate universis pejores. Sic menti vestræ inhæreat puritas, ut indecens sit cogitare, nefasque credere, aliquem præter vos ipsos posse peccare. Si quem alicui audieritis detrahentem, procul fugientes, dimittite eum quasi serpentem, ut verecundia victus, discat de aliorum actis silere. His verbis satis notantur et increpantur irreligiosi, et incipientes religiosi, qui ad temeraria judicia, oblocutionisve verba, atque ad discutiendum aliorum facta sive negotia, vitiose ac damnabiliter sunt proclives ; item, qui alios observare non verecundantur, et curiositati deservientes, negligunt semetipsos ; qui in oculis proximorum cernunt festucam, in suis nec trabem : ideo miseri, sibi ipsis placentes, audaces et intimorati ac ficti sunt, ad querelas, murmurationes indignationesque proni. Qui utinam proprias calamitates, defectuositates, contemptibilitates ac vilitates adspicerent. Hinc sanctus pater Hieronymus ad considerationem districtionis divini extremi judicii nos cohortans, inquit : Nunquam murmur, nunquam illicita verba, nunquam litium sonitus, inter mortuos sæculi sonent. Sepulta cadavera nunquam inter se jurgia peragunt in sepulcris : sic et vos sopiti somno quietis et pacis, exspectantes sponsum ac judicem vestrum, exspectate magnum et terribilem judicii diem, diem calamitatis, iræ et miseriæ, ubi cœlum simul cum terra pavebit, cœlorumque omnes movebuntur virtutes, trementes erunt angeli simul cum Sanctis. Tunc singulorum vitæ discutientur discrimina, et merita apparebunt. Semper tuba illa terribilis in vestris perstrepat auribus : Surgite, mortui, venite ad judicium. Ecce Rex in manu potenti venit, a cunctis vult exigere rationem. Certe de minimis cogitationibus, certe de levibus otiosisque verbis, si reddere de singulis rationem parati non eritis, projiciemini in carcerem infernalem.

Matth. VII, 3. *Soph.* I, 15. *Luc.* XXI, 26. *Matth.* XXIV, 31. *Ibid.* XII, 36.

Amplius, de lecti qualitate sanctus ait

Hieronymus : Volo vos singulis noctibus brevi et duro stratu jacere in cellulis vestris, non in mollibus plumis, sed aut in paleis vel straminibus, sive ligneis potius capsis quam lectulis, ut et membra domita stratum potius horreant quam affectent. Ad imminentis somni quietem magis impellat necessitas quam voluptas. Sic ob duritiem istam levis et brevis occupet sopor, quod non sit fas solitis illusionibus noctium mentem sopitam torqueri.

Porro, quia ad contemplationis sinceritatem ordinanda sunt ista, idcirco ad illam exhortans : Religiosi, inquit, intus manentes nihil sentiant nisi pium Dominum Jesum ; hunc solum possideant paradisum, ubi dulci et jucunda quiete ineffabilem Trinitatem intueantur ; choris intersint angelicis, dulcibus eorum melodiis misceantur, concinendo in ecclesia divina mysteria. Informet mentem, tantorum Patriarcharum et patrum antiquorum memoria ; Prophetarum oracula dulci meditatione cor accendant ad divina promissa ; apostolica documenta, cuncta fidei detegant sacramenta. Evangeliorum codex semper ut speculum teneatur in manibus. Martyres sancti cuncta mundi adversa et tempestates hujus maris procellosi, cum omnibus diabolicis versutiis et infestationibus dæmonum, doceant conculcare. Si sic feceritis, nihil vobis dulcius erit quam his interesse conviviis, his pabulis satiari, quibus semel degustatis, terrena omnia amara cernentur ; et tunc Dominus talia vobis ostendet, qualia non nisi assuetæ mentes noverunt. Scio quid loquor. Nam ut quasi insipiens loquar, ego homunculus sic abjectus, sic vilis in domo Domini, adhuc vivens in corpore, angelorum choris sæpe interfui, de corporeis nihil sentiens per hebdomadas, et divinæ visionis intuitu, post multorum forte dierum spatia, præscius futurorum, corpori redditus flebam. Quid ibi manens felicitatis habebam ? quid inenarrabilis delectationis sentiebam ? testis est Trinitas ipsa, quam cernebam nescio quo intuitu ; testes sunt et ipsi beati spiritus qui aderant ; testis est et conscientia mea, qui tantis bonis fruebar, quot et qualia nescit proferre mollities corporis nostri. Ecce ex verbis his innotescit, qualis et quantus fuerat beatissimus iste Hieronymus, qui ad tam altissimam, ad tam cœliformem ac diuturnam devenit in præsenti vita contemplationem, quod per hebdomadas de corporeis nihil sensit.

Postremo, quia religiosorum profectus ex diligenti regimine superiorum suorum magna ex parte dependet, sanctus hic Doctor etiam unumquemque prælatum eorum hortatur : Attende (inquiens) diligenter quam gravis tibi imponitur sarcina, qui de subditorum animabus, corporibus, verbis et moribus apud divinum obligaris examen. Cave ne de te etiam levis suspicio possit oriri in malo, ne tibi commissos dispergas. De hoc alia multa scribit, præsertim ne ex officii dignitate superbiat, sed timoratior, laboriosior et exemplarior fiat.

Tam sanctissimi ergo Patris nostri doctrinam et conversationem sequamur, cujus regulam qui fuerit consecutus, super eum erit pax Dei : quia in præsenti pacem pectoris obtinebit, atque in patria pace æternitatis fruetur. Ad laudem Domini. *Galat.* VI, 16.

IN FESTO
S. REMIGII EPISCOPI

SERMO UNICUS

DE LAUDIBUS ET EXCELLENTIIS S. REMIGII.

VOCATUM est nomen ejus ab angelo priusquam in utero conciperetur. Luc. II, 21.

Hæc verba ad litteram de Christo sunt scripta, quæ spiritualiter de beatissimo præsule S. Remigio congrue exponuntur. Hic quippe electus Dei multis a Deo gratiis est ornatus. Prima excellentia ejus, est prænuntiatio suæ nativitatis et impositio nominis ejus a Deo. Quum etenim Francia a Vandalis graviter esset vastata, angelus Dei apparuit cuidam recluso viro sancto qui visum amiserat et pro pace Gallicanæ Ecclesiæ exorabat assidue, dicens : Scito quod mulier illa Cilinia nomine, filium nomine Remigium pariet, qui Francorum plebem ab adversariis liberabit. Quod dum solitarius ille retulisset Ciliniæ, et illa non crederet, quoniam vetula erat, adjecit : Scias quod quum ablactaveris puerum, oculos meos lacte tuo perunges, et visum recipiam. Quumque hæc omnia essent impleta, Remigius adhuc puer, in gratia, virtute et sapientia quotidie crescens, mundum fugit, reclusoriumque intravit. In quo solus soli Deo devotissime vacans, vitam duxit sublimiter contemplativam.

Secunda excellentia ejus, est fructuosissima præsidentia ejus in episcopali officio. Quum etenim fama ejus undique augeretur, in Remensem archiepiscopum a populo concorditer est electus. Et factus episcopus, quantum crevit ætate et dignitate, tantum et sanctitate atque episcopalis officii fructuositate. Nam gentem Francorum non solum a visibilibus, sed ab invisibilibus quoque hostibus liberavit, regemque Franciæ nomine Clodoveum, gentilem, cum populo copioso ad Christi fidem convertit, vel potius in fide instruxit ac baptizavit. Siquidem rex præfatus christianissimam habuit conjugem, quæ eum ad fidem convertere nitebatur, sed nequivit. Tandem maximo adversariorum exercitu contra Clodoveum veniente, ipse promisit Deo suæ uxoris, quod si ejus virtute obtineret victoriam, ipsius susciperet fidem. Quumque ad libitum prævaluisset, accessit S. Remigium, atque ab eo fidei instructionem ac Baptismum suscepit. Itaque S. Remigius verbo prædicationis, exemplo sanctæ conversationis, assiduo orationum fervore, et omni modo sibi possibili plebem rexit sibi commissam : imo et alios plurimos traxit ad viam salutis, et instar splendidissimæ stellæ, in medio fulsit Ecclesiæ. Fuit quoque doctor egregius, et sanctitate, doctrina ac fama christianum undique populum ædificavit.

Tertia excellentia ejus, est virtus miraculorum quæ Deus egit per eum. Quum enim Clodoveum regem esset baptizatu-

rus, et stans juxta fontem, sacrum chrisma non haberet, ecce columba desuper veniens, ampullam chrismate plenam portavit in rostro, de quo regem sanctus unxit Remigius. Quæ ampulla nunc usque in Remensi servatur ecclesia, atque ex ea usque in præsens reges unguntur Francorum. Insuper tantæ innocentiæ fuit ac mititatis, quod passeres de ejus manu et mensa, tempore refectionis advenientes, acceperunt ciborum reliquias. Quodam etiam tempore a quadam invitatus matrona, vino deficiente in dolio, crucem super dolium faciens, Dominum invocavit, moxque vinum superfluens et emanans, per medium fluxit loci quo jacuit dolium.

Legitur quoque, quod Clodoveus rex post suum baptismum volens Remensem ditare ecclesiam, dixit B. Remigio : Tantum tibi do de terra et contentis in ea, quantum circuieris, me post meridiem dormiente. Quumque infra spatium quod sanctus circuivit Remigius, contineretur et molendinum, molendinarius S. Remigium repulit indignanter. Cui Remigius : Amice, non sit tibi molestum ut habeamus simul hoc molendinum. Non acquiescente molendinario, cœpit rota molendini retrorsum converti. Clamavit ergo molendinarius post B. Remigium : Serve Dei, veni, et habeamus pariter molendinum. Respondit S. Remigius : Nec mihi nec tibi. Quo dicto, aperiens terra os suum, absorbuit molendinum. Hoc autem sanctissimus præsul Remigius protulit, non ex impatientia aut affectu vindictæ, sed ex instinctu Dei occulto et zelo justitiæ. Simili modo, dum tempore quodam S. Remigius, Deo revelante, famem cognovisset futuram, et bladorum cumulos congregasset in quadam villa, quidam rustici inebriati ignem supposuerunt. Quo cognito, sanctus dixit Remigius : Semper focus est bonus. Verumtamen posterorum qui hoc fecerunt mares, rupti in genitalibus erunt; feminæ, gutturosæ consistent. Quod sic in illa contigit villa, quousque per Carolum regem fuerunt dispersi. Deinceps alia multa præconia de sancto possent referri Remigio, ut quod virgo fuit, in innocentia mansit, solitarius exstitit. Tanti igitur Sancti sequamur vestigia, imitemur virtutes, sectemur constantiam.

Postremo, Genebaldus vir providus neptem S. Remigii duxit uxorem. Postmodum causa religionis vir ille et uxor ipsius se mutuo absolverunt, et Genebaldum fecit Remigius Laudunensem episcopum. Quumque uxor ejus quasi informationis causa sæpe veniret ad eum, tandem peccavit cum ea. Quæ concepisse se cernens, nuntiavit hoc præsuli. Qui remandavit uxori : Quoniam de latrocinio acquisitus est puer, volo ut Latro vocetur. Post hæc concepit a viro suo episcopo, et peperit filiam, quam episcopus jussit vocari Vulpeculam. Tunc Genebaldus lapsum suum considerans, accessit S. Remigium, et omnia ei narravit. Quem pie consolans Remigius, reclusit in cellula per septem annos, ut pœnitentiam ageret. Evolutis tot annis, apparuit angelus Genebaldo, dicens peccatum suum esse dimissum, et jubens ei exire de cellula. Qui respondit : Non possum, quoniam dominus meus Remigius ostium clausit, et suo illud munivit sigillo. Cui angelus : Ut scias cœlum tibi esse apertum, ostium istud salvo sigillo nunc aperietur. Quo facto, Genebaldus projecit se in medium ostii in modum crucis, dixitque : Etiam si Dominus meus Jesus Christus advenerit, non tamen egrediar, nisi dominus meus Remigius, qui me clausit, hoc jubeat. Tunc angelo præcipiente, S. Remigius venit, et Genebaldum educens, officio eum restituit pristino. Perseveravitque Genebaldus episcopus in sanctis operibus, et Latro filius ejus ei in episcopatu successit : qui etiam sanctus fuit. Ad laudem et gloriam Dei.

IN FESTO
S. FRANCISCI CONFESSORIS

SERMO PRIMUS

DE EXCELLENTIIS S. FRANCISCI, DE MORTIFICATIONE PRIVATI AMORIS ET DE INNOCENTIA EJUS COLUMBINA.

EGO stigmata Domini nostri Jesu Christi in corpore meo porto. Galat. VI, 17.

Hæc verba S. Paulus apostolus in propria dixit persona ad litteram : quæ excellentissimo confessori beatissimo patri Francisco valde sublimiter competunt, quoniam quinque vulnerum Christi impressuras seu stigmata, quæ erant realiter vera vulnera, in suo corpore accepit et tulit. Hunc præelectum Christi ministrum ac imitatorem perfectum, Deus fons pietatis tot gratiis præornavit, ut sufficienter admirari non valeamus nec ejus præconia digne effari. Nihilo minus in Dei misericordia confidendo, tentabo vel modicum quid de tam præclarissimo Sancto ad omnipotentis atque piissimi Dei laudem gloriamque proferre.

Prima gloriosissimi hujus Francisci excellentia, est admirabilis et gratiosissima ejus conversio. Nam iste Franciscus in civitate Assisio natus et mercator, pannos scilicet vendens, dies suos pene usque annum vicesimum in vanitatibus perdidit. Erat equidem valde vagus, vanus, lascivus, sumptuosus, et cum coætaneis sociis suis ivit die noctuque per civitatis suæ plateas cantando et vanitatis suæ signa monstrando. Interdum etiam portavit vestem superiorem pro media parte ex subtili et optimo panno, et pro media parte ex grosso vilique panno. Quod fecit, non ex sua inopia, sed vanitate et petulantia. Sed et frequenter, dum sedit ad mensam cum suis parentibus, auditis signis sociorum suorum præ foribus, statim surrexit et ivit ad eos, quamvis vix pro media parte finivisset refectionem. Socii quoque sui fecerunt sæpe eum quasi præpositum suum, et tunc pretiosissima ac lautissima fecit præparari convivia : quibus finitis, iverunt cantando per urbem, et Franciscum fecerunt quasi domicellum suum, ita quod una eorum pars eum præcessit, alia sequebatur ; ipse vero fustem quasi pro sceptro portavit in manu. Verumtamen reverentiam quamdam et bonam inclinationem habebat ad Deum, et postulantibus ab eo aliquid sibi tribui propter Deum, nunquam negavit, aut certe rarissime. Fuit et probus, contentiones et lites vitando. Verum, ut tactum est, tam vagus fuit, quod parentes sui, quibus singulariter carus fuit, sæpe de hoc contristabantur. Præterea, quum tempus miserendi ejus propinquasset, cœpit eum Pater misericordiarum et Deus totius consolationis variis sibi modis allicere, et mentem ipsius multipliciter visitare : aliquando per adversa, interdum per visiones et somnia, interdum

II *Cor.* I, 3.

quoque per spiritum prophetiæ. Nam semel cum aliis captus et incarceratus, aliis valde dolentibus, ipse mirabiliter exsultavit. Interrogatus a sociis cur gauderet, respondit : Bene possum lætari, quia adhuc per totum mundum venerabor ut Sanctus. Sæpe vero Deus per consolationes internas et suavitates spirituales cor ejus benignissime atque dulcissime visitare, alterare et sibi attrahere dignabatur. Sicque ad Christum conversus est. Imo, quum quadam nocte post cœnam cum sociis suis lautissime consummatam, iret in eorum medio tanquam domicellus, venit sibi dulcissima consolatio talis a Deo, et ita cœpit carnalia totaliter aspernari : quia ut dicit S. Gregorius, gustato spiritu, desipit omnis caro.

Secunda excellentia ejus, est rigorosa et maxima pœnitentia quam peregit. Siquidem peccata sua tam ubertim et assidue deploravit, quod flendo lumen pene perdidit oculorum, et ultra humanas vires, vigiliis, abstinentiis, jejuniis et variis corporis castigationibus insudavit.

Tertia excellentia ejus, est laboriosa et gloriosa victoria qua, Deo auxiliante, vicit se ipsum, hoc est mortificatio sui ipsius vivifica et perfecta. Per biennium enim a sua conversione vel circiter, antequam primos suos sanctissimos socios convertit et congregavit, et antequam Regulam edidit, fregit se ipsum mirabiliter valde : quia in propria civitate ivit quotidie mendicando in veste pauperrima, et quidquid sibi dabatur, accepit in una scutella, ac talem commixtionem ciborum, naturæ suæ ultra modum contrariam, manducavit. O qualis violentia naturæ hoc fuit; quam sublimiter carnem suam cum concupiscentiis crucifixit ! Denique quadam die festiva transiens mendicando, quum venisset circa domum in qua fuit chorea, paululum erubescens de sua mendicitate, divertit ab ea; sed protinus, Deo inspirante, rediens ad se ipsum, increpavit se valde, et vim inferens sibi, intravit domum in qua fuit chorea, et coram chorizantibus genua flectens, manibus simul junctis, dixit : Orate pro me, quia adhuc valde superbus sum.

Galat. v, 24.

Quarta excellentia ejus, est admirabilis innocentia, purissima vita et præclarissima sanctitas ejus. Etenim per prædicta pervenit ad sui ipsius totalem mortificationem vivificam, ad plenissimam privati amoris exstirpationem, ad paradisiformem innocentiam, ad sincerissimam ac fervidissimam Dei dilectionem. Sunt etenim duo amores : quorum unus, scilicet amor Dei, est omnis boni origo; alius, scilicet amor sui, hoc est privatus, improbus et ad se reflexus, est radix omnis peccati. Itaque amor Dei, id est caritas infusa, qua Deum propter se, proximumque in Deo et propter Deum diligimus, est omnium origo virtutum et omnium fons bonorum : sine qua nihil est meritorium, nihil Deo acceptum, quoniam ipsa est forma virtutum, vita animæ, apex et finis omnium divinorum charismatum; ex qua imperative aut elicitive oportet procedere omnem virtuosum ac meritorium actum. At vero amor sui est, quo rationalis creatura diligit se in se, non in Deo et ultimo fine, sed ea sibi vult et cupit quæ propriæ voluntati aut inclinationi seu naturæ aut assuefactioni placent, aut delectabilia vel appetibilia exstant. Hic amor, omnium est origo, causa et incitamentum culparum : quia ex hoc maledicto perversissimoque amore oritur affectus inordinatus propriæ excellentiæ et honoris, id est superbia; desiderium voluptatum gustus et tactus, puta gula et luxuria; appetitus divitiarum, hoc est avaritia; item jocari, ludere et ridere, et breviter vitia universa. Cur enim injuriantibus indignamur sive irascimur, nisi quia diligimus nos in nobis ?

Sanctus ergo Franciscus pervenit ad ardentissimum sincerissimumque Dei amorem, atque plenariam privati amoris eradicationem : ideo Deum super omnia incomparabiliter præamavit, et se ipsum amavit pure in Deo. Ideo quidquid placuit Deo, quidquid animæ suæ fuit salubre aut utile ad complacendum Deo, ad proficien-

dum in gratia, ad approximandum et concrescendum ad gloriam sempiternam, hoc summe desideravit, in hoc potissimum delectabatur : puta in paupertate, in contemptu et vilipensione sui ipsius, in adversitatibus, castigationibus, injuriis, in obedientia ac ceteris exercitiis bonis ; atque in horum contrariis tristabatur. Non enim volebat laudari, honorari, deliciari, ditari, sed talia vehementissime abhorrebat ac fugiebat. Unde dum quadam vice, tempore hiemali ambularet cum uno de Fratribus suis primis, interrogaretque eum in quo consisteret perfecta lætitia, ipsemet inter cetera dixit, quod perfecta lætitia non esset in magna sapientia, nec in prædicatione prævalida, nec in reputatione humana. Quumque Frater ille sciscitaretur ab ipso in quo ergo consisteret, ipse B. Franciscus respondit : Ecce jam frigus magnum est, et nos male vestiti sumus et esurimus. Si ergo de sero alicubi peteremus hospitium propter Deum, et paterfamilias diceret, Quid quæritis ? cur hinc inde discurritis ? hinc abite ; et nos diceremus ad eum, Jam frigore, fame et nuditate affligimur, jube nos propter Deum suscipi ; et ille durius responderet, nos vero tertio rogaremus, et ille tunc diceret, Illi pultrones et ribaldi, sunt homines absque pudore, et informari non possunt verbis, ideo eos informabo verberibus ; sicque veniret cum fuste nodoso, et nos pedibus conculcaret, vulneribusque impleret, et vulneratos jactaret in nives : ecce, frater, in hoc esset perfecta lætitia.

Denique, ex hac beatissima privati amoris evulsione et mortificatione salubri, perductus est ad profundissimam christianæ simplicitatis innocentiam, quia in bonitatis, caritatis et pietatis viscera et affectum transformatus est totus, omnibus cupiens ac faciens bonum, nemini malum. Sicque ad conformitatem status innocentiæ quem habuit primus homo in paradiso, eminenter pervenit : unde omnes creaturas, fratres aut sorores vocavit, etiam inanimata et elementa, atque cœlestia corpora. Hinc etiam aves et ceteræ bestiæ ei ad libitum obediebant. Nam interdum in medio avium ambulavit, et undique veste sua tetigit eas, nulla tamen recessit a loco. Interdum quoque cum socio suo se in medio avium cantantium collocavit, Horasque legit, nec aliqua abiit avis. Item quum quidam ferocissimus lupus cuidam civitati, et cunctis per viam euntibus, esset terribilis et molestus, beatissimus Franciscus cum socio suo perrexit ad lupum. Qui viso Francisco, cœpit in eum horribilem impetum facere. Franciscus vero signum opposuit crucis, et mox quasi mitissimus agnus substitit lupus. Quem Franciscus durissime increpavit, deinde dixit : Frater Lupe, ego volo pacem facere inter urbem istam et te, dummodo mihi promittas ut de cetero nullum lædas. Quumque lupus posuisset pedem suum in manu B. Francisci, duxit lupum in civitatem, et coram toto populo fecit lupum rursus promittere quod nullum læderet unquam. Franciscus quoque promisit lupo necessaria vitæ. Et ex tunc lupus ivit quotidie ostiatim pro sustentaculo vitæ : cui et cives satis dederunt. Et post aliquot annos mortuo lupo, majores urbis fuerunt non parum tristati. — Amplius S. Franciscus purissimæ exstitit vitæ, cuncta carnalia, terrena, caduca plenissime abnegans et contemnens : unde et paupertatem vocavit dominam suam. Fuitque totus ardentissime ac integerrime in Deum conversus, transformatus, absorptus.

Quinta excellentia ejus, est contemplationum suarum excessus. Sæpissime quippe rapiebatur in Deum, et toto corpore elevabatur in aere interdum spatio octo aut circiter pedum, interdum spatio unius arboris, quandoque usque ad altitudinem turrium, sæpissime tam alte quod videri non potuit.

Sexta excellentia ejus, est stigmatum Christi portatio, seu quinque vulnerum ejus impressio. Quum enim in monte cujusdam eremi orationi et contemplationi devotissimæ esset insistens, apparuit ei

Christus in forma Seraph alati ac vulnerati ; et tunc accepit ab eo quinque vulnera, quæ veraciter vulnera erant, et frequenter dolorem vehementem sensit in eis. Sic et innocentissima atque sanctissima virgo beata Elisabeth de Spalbeec quinque vulnera accepit ac tulit in corpore suo.

Septima excellentia ejus, est maximus fructus quem fecit in Ecclesia Dei. Nam ipso vivente, multa millia intraverunt Ordinem suum, quæ devotissime conversabantur. Per se ipsum quoque et socios B suos ac Fratres, convertit undique innumerabiles homines, etiam multos sceleratissimos peccatores, prædicando, orando, hortando, miracula peragendo, virtuose et exemplarissime conversando. Insuper ardore caritatis et fidei intravit cum sociis A suis terram Sarracenorum, et ibi inter ceteros convertit Soldanum. Obtulit quoque se ibi ad pœnam ignis pro fidei christianæ defensione contra perfidiam impiissimi Mahometi.

Octava excellentia ejus, est virtus et magnificentia miraculorum suorum, de quibus modicum tactum est, et in libro de Actibus mirabilibus S. Francisci multa leguntur, similiter in sua Legenda. Sed et post felicissimum obitum suum, inter reliqua multa et magna prodigia, suscitavit mortuos multos.

Hæc paucissima de multis et ineffabilibus præconiis ejus sint dicta, ad gloriam Omnipotentis, et ut tanti Patris sequamur vestigia, contemnendo terrena, tentationibus et vitiis fortissime resistendo, virtutibus insistendo.

AD RELIGIOSOS

SERMO SECUNDUS

DE SIMPLICI ET PERFECTA CARITATE S. FRANCISCI ; DE SUBSTANTIALIBUS VOTIS RELIGIOSORUM ; DEQUE TRIPLICI GRADU PERFECTÆ CARITATIS.

HÆC est via ; ambulate in ea, et non declinetis ad dexteram neque ad sinistram. Is. XXX, 21.

Ephes. II, 4; *Galat.* II, 4. Propter nimiam caritatem suam qua dilexit nos Deus Pater, unigenitum Filium suum misit in mundum, ad instruendum et redimendum genus humanum. Denique, ab exordio sæculorum dedit et impressit cordibus hominum legem quamdam, legem utique naturalem : cujus observantia, una cum fide Christi venturi explicita vel saltem implicita, observantia (inquam) ex caritate et fide confirmata, exhibita, D ad salutem suffecit. Nunquam etenim possibile fuit, homines viatores sine fide formata Deo placere. At vero tempore procedente, et vitiorum mole atque congerie invalescente, naturali hac lege in cordibus obscurata in tantum quod ad idololatriam sunt delapsi, Deus omnipotens, cui nullus est similis in legislatoribus, misit Moysen servum suum, per quem legem naturalem dando Decalogum renovavit, præceptis illis moralibus cærimonialia ac judicialia multa adjiciens. Verumtamen lex illa per Moysen data, multipliciter erat imperfecta : quippe quæ nec gratiam continebat, nec dabat, sed promittebat et figurabat. Ideo ubi temporis plenitudo advenit, ipsemet Legislator æternus ac summus, in assumpta humanitate advenit, in terris visus est, et cum hominibus conversatus,

Job XXXVI, 22.

Exod. XX et seq.

Hebr. VII, 19.

Galat. IV, 4.

Baruch III, 38.

Matth. v-vii. evangelicam legem proprio ore, sedens in monte, deprompsit ; Testamentumque novum, non quale olim, sed prorsus perfectum, gratiosum et salutiferum condonavit : quod et scripsit, non in lapideis ac corporalibus tabulis, sed in fidelibus mentibus per Spiritum Sanctum, præsertim die sacratissimo Pentecostes, quando, ut sua passione imminente prædixit, paracletus Spiritus Sanctus discipulos suos omnem docuit veritatem. Nihilo minus legem hanc evangelicam, supernaturalem, perfectam, paulo post per Evangelistas redegit in scriptis : cujus observantiam non raro tepentem et grandi ex parte deficientem, frequenter dignatus est renovare, accendere et augere, ad hoc principaliter influente ac operante Spiritu Sancto in cordibus electorum, qui per sanctos Patres, virtuosos prælatos, prædicatores idoneos, atque sacrarum religionum institutores, corda resuscitavit credentium, animas inflammavit tepentium, et fidem pene emortuam revivificavit in ipsis.

II Cor. III,3.

Act. II, 1 et seq.

Joann. XVI, 13.

Inter hos præclarissimos fuit signifer ille mirabilis seraphicusque Franciscus, cui Omnipotens revelavit quæ a sapientibus et prudentibus hujus mundi abscondit. Qui plane Franciscus desuper electus, præelectus, mirabiliter unctus, exuberanter instructus, calidissime inflammatus ; demum, ut paucis multa perstringam, in sanctuarium Dei ingressus, in Deitatis oceanum mersus, in divitias gloriæ raptus, in regionem supersplendidissimæ lucis prorsus immensæ et increatæ translatus, factus est quasi secretarius et consiliarius supergloriosissimi Creatoris, incerta et occulta sapientiæ æternalis intelligens et edoctus. Hic beatissimus vir sanctum Evangelium ad litteram, imo quoad apicem, id est supremam evangelicæ legis perfectionem, assumpsit pro regula : quod nullus Patrum religiosorum ante ipsum taliter legitur peregisse. Hæc igitur via, via est sine dubio compendiosa, pulchra, pacifica : de qua saluberrima, cœliformi, rectissima via Paternitatibus vestris, o Patres dignissimi, paululum, prout Dominus dederit, locuturus, hortor et precor ut ejus gratiam in primis imploremus, sine quo nemo salubriter dicere potest, Dominus Jesus.

Matth. XI, 25.

Ps. L, 8.

I Cor. XII,3.

Vere, ut dulcissimus ac illuminatissimus pater noster Bernardus, ac viri illustres Hugo et discipulus ejus Richardus testantur, caritas quo fortius invalescit, eo validius prædominatur in corde ; quo mentem sincere amantis magis inebriat, eo minus certis coarctatur limitibus, nec ratione compescitur : impetum facit, erumpit, pandit se, communicat et effundit se undique. Hoc animadvertentes, o venerandi ac præclarissimi Patres, sustinete modicum quid insipientiæ meæ, et supportate me saltem hac vice, et quod ex caritate procedit, æquanimiter tolerate. Non enim quasi informare præsumens aut increpare intendens hæc loquor, imo potius veluti in memoriam vobis reducens quemadmodum scriptum est : Da sapienti occasionem, et addetur ei sapientia.

II Cor. XI, 1.

Rom. XV, 15.

Prov. IX, 9.

Ea igitur tempestate qua sanctus fuit Franciscus, abundante iniquitate, suscitavit, unxit, implevit, succendit Salvator spiritum hujus Francisci, quum et ipse per lata proficisci cœpisset perditionis itinera, in benedictionibus dulcedinis eumdem prævenïens, ita quod mundus et omnis concupiscentia ejus ac vanitas illi vehementer desipuit, et solus Creator suavissime sapuit ei. Præterea duo velut volumina, duo præcandida lumina ostendit et aperuit ei. In quorum primo ac majori, puta in sapientiæ dono, intuebatur incomparabilem illam penitus abyssalem et incircumscriptibilem excellentiam, opulentiam, beatitudinem, bonitatem, amabilitatem honorabilitatemque Dei. Unde exclamavit : O Deus meus, quid tu ? et denuo, Deus meus, et omnia mea. In secundo autem et minori, hoc est in dono scientiæ, limpide contemplabatur sui ipsius defectuositatem, imbecillitatem et culpam. Hinc in hanc quoque vocem erupit : Deus meus, quid ego ? gustans et cernens quam

Ps. XX, 4.

optime David cecinerat Domino : Quid est homo, quia innotuisti ei? homo vanitati similis factus est; itemque, Substantia mea tanquam nihilum ante te. In primo lumine illo, in splendore ac radio sapientiæ salutaris, clare dulciterque cernebat quam infinite amabilior, dignior, appretiabilior ac venerabilior sit bonitas illa increata, fontalis, æterna, omni bonitate creata. Et sic totus ac totaliter ferebatur, resolvebatur ac transformabatur in Deum, cujus respectu lucidissime vidit totum universum esse tanquam stateræ momentum, et veluti nihilum ac inane. Ideo comparatione illius, cetera omnia, præsertim ista terrena, carnalia et caduca, aspernabatur ut stercora. Quidquid cognovit sibi accommodum ad complacendum et appropinquandum, uniendum atque vacandum bono illi superpulcherrimo, superdulcissimo et immenso, ad obtinendum ac beatifice possidendum hoc unicum superamœnissimum bonum, in quo est omnium bonorum omniumque pulchrorum et omnium desiderabilium plena, perfecta, infinita possessio, avidissime totis amplectebatur præcordiis.

Ps. CXLIII, 3, 4. *Ps.* XXXVIII, 6. *Is.* XL, 15, 17. *Philipp.* III, 8.

Hinc in sui ipsius despectu, correptione et corporis afflictione, omnique pœnitentiali exercitatione, in jejuniis, abstinentiis, vigiliis, disciplinis ac consimilibus, in paupertate, penuria, fame, frigore, nuditate, sicut in omnibus delectabatur divitiis. Hoc patuit in collatione quam cum fratre Leone deambulans, per duorum milliariorum iter protraxit, protestans nec in miraculorum operatione, neque in eloquentia omniumve linguarum scientia, nec in futurorum abditorumque cordis reseratione, aut celeberrima sermocinatione, perfectam esse lætitiam, sed in quorumlibet opprobriorum, repulsarum, percussionum et læsionum imperturbata ac hilari perpessione : O (inquiens) frater Leo, inter et super universa Sancti Spiritus charismata quæ electis et dilectis suis Christus concessit, est vincere se ipsum, et Dei amore cuncta aspera et adversa libenter perferre. Hæc ergo gloriosus christianæ sapientiæ vexillifer Franciscus in se ipso operibus adimplevit, hæc Fratribus commendavit, hæc in Regula tetigit ac publice prædicavit, non utique qualitercumque, sed eminenter omnino ac valde præcipue. Propterea, sicut indignus est Christianus vocari, qui Christi virtutes ac vestigia non satagit imitari; ita nec Frater Minor vere meretur appellari, qui in prætactis virtutum effectibus effectuumque istorum excellentiis ducem et legislatorem suum Franciscum sectari condigne non nititur. Non enim est Fratrum Minorum circa communia quæque languere, imo potius ad evangelicæ legis perfectionem ferri, festinare, satagere, atque (ut plenius dicam) ad evangelicæ perfectionis culmen ac apicem efficaciter proficisci, viriliterque sortiri. Gloriaris tu, Frater Minor, Ordinem tuum inter Ordines religiosorum supremum perfectissimumque consistere? Audi quid Cartusiensibus scripserit ille, cujus consilium fuit quasi consilium Dei : Altissima, inquit, est professio vestra; cœlos penetrat, par angelis est, angelicæ similis puritati; et cetera, quæ me tantæ professionis defectuosissimum exprimere pudet ac terret. Quid itaque de perfectione ac præeminentia professionis Fratrum Ordinis S. Francisci censendum videtur?

Bernardus ad Fr. de M. D.

Timeamus, o Patres ac Fratres, timeamus actus nostros. Quod vovimus Domino Deo nostro, non moremur reddere : displicet quippe illi stulta et infidelis promissio. Tam alta et ardua Omnipotenti promittere, perfectionis summæ exordium est; sed juxta exigentiam et eminentiam tam sublimium perfectionum non conversari nec proficere, summa damnatio est : præsertim quum voti, et potissime voti solennis, transgressio, enormius crimen sit quam violatio juramenti. Si non progredi in via Dei, est regredi, et non proficere, est deficere : quam damnabile arbitrandum, paulatim tepescere, et non potius quotidie sollicitiorem, custoditiorem timoratioremque fieri, nec quasi tumentes su-

Eccle. V, 3.

Job XXXI, 23.

per se fluctus semper timere Judicem summum, in cujus manum incidere, adeo est horrendum, ut vir cujus cor non reprehendit eum in tota vita sua, deprompserit : Quis mihi hoc tribuat, ut in inferno protegas me, et abscondas me donec pertranseat furor tuus ? etc. Sanctus inquit Hieronymus : Sive comedo, sive bibo, sive aliud quid facio, semper videtur auribus meis insonare vox illa terribilis : Surgite, mortui, et venite ad judicium, etc. Verum inter tot laqueos totque pericula constitutis, quid restat agendum, nisi ut interim, imo protinus ac indesinenter, cum ingenti formidine, compunctione et diligentia confugiamus ad thronum gratiæ, ad viscera misericordiæ Dei nostri, ad pedes ac vulnera Salvatoris, per cujus gratiam facile redditur quod per naturam valde difficile aut etiam impossibile perhibetur ?

Hebr. x, 31. *Job* xxvii, 6. *Ibid.* xiv, 13. *Hebr.* iv, 16. *Luc.* i, 78.

Denique nulla forma, nulla virtus nullusque habitus tam prompte, expedite, diuturne ac delectabiliter agit ut caritas, spiritualis dilectio jam perfecta, non caritas incipientium neque proficientium tantum, sed perfectorum. In quorum persona dixit Apostolus : Quis nos separabit a caritate Christi ? tribulatio ? an angustia ? an persecutio ? an fames ? et rursus, Certus sum quia neque mors, neque vita, etc. Hoc rite consideravit qui ait : Nil durum, nil grave, nil amarum, nil letale computat amor verus. Quod ferrum, quæ vulnera, quæ pœna, quæ mortes amorem poterunt superare perfectum ? Hinc juxta sanctorum Patrum doctrinam, spiritualis ista dilectio seu caritatis perfectio, finis et complementum est omnium evangelicorum consiliorum, trium quoque votorum omni religioni essentialium, et universarum monasticarum institutionum regulariumque observantiarum. Hinc Alexander, Thomas, Bonaventura, Albertus et alii protestantur, quod cuncta evangelica Christi consilia ordinantur et tendunt ad hoc, ut primum illud divinæ legis præceptum, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, perfecte impleatur, quantum in hac vita possibile exsistit. In qua impossibile est nobis indesinenter, scilicet sine interruptione, actualiter diligere toto corde secundum extremum posse nostrum : imo talis dilectio solis convenit ac inest Beatis. Porro perfecti viatoris est, tali dilectioni, quantum possibile est, quotidie propinquare ac conformari, non solum vitando contraria caritati, quæ ex Dei præceptis jubemur vitare, ut sunt universa peccata mortalia cunctis prohibita, sed etiam illa quæ quamvis in se non sint illicita aut iniqua, tamen communiter et frequenter sunt homini occasio et fomentum peccandi, et a caritatis profectu impediunt seu retardant : qualia potissime sunt carnalis voluptas, opulentia seu propriorum possessio, sensualis ac naturalis affectio, et ipsa voluntatis libertas, deinde delicata refectio, otiositas, confabulatio, et similia. Quæ omnia Christus et sancti Patres consuluerunt et docuerunt ac ordinaverunt esse vitanda, et veri timorati ac fervidi religiosi abhorrent ac fugiunt. Nempe, quo ista diligentius incessabiliusque vitamus, eo utique in divino amore magis proficimus.

Rom. viii, 35. *Ibid.* 38. S. Petrus Chrysol. *Deut.* vi, 5; *Matth.* xxii, 37.

Sed quia de his quasi innumerabilia tradita sunt præcepta, decreta, consilia, documenta conscripta, instituta et prolata, tangendum est unum dogma compendiosum, in quo omnia ista comprehenduntur, et per cujus impletionem omnia alia complentur, ut scilicet diligamus Deum toto corde super omnia, et nos ipsos ac proximos pure in Deo. Nempe Christo testante, in his duobus punctis tota lex pendet et Prophetæ, hoc est tota divina Scriptura. Quid est ergo Deum toto corde diligere ? quid item, se ipsum ac proximos pure in Deo ? Certe, ut ait Philosophus, diligere est alicui bonum velle. Deo autem non possumus majus bonum velle, nisi quod ipsemet est, utpote infinitam bonitatem, omnem perfectionem et beatitudinem ejus. Hoc est ergo Deum sincere in se et propter se ipsum diligere, hæc omnia toto cordis affectu ei favere, atque de tam in-

Matth. xxii, 40.

finitis divitiis gloriæ ejus ei assidue totis præcordiis congratulari. Quumque caritas sit virtus unitiva, transformativa et conformativa, consequenter spectat ad sincerissimum Dei amorem, vehementer desiderare secum jugiter et inseparabiliter esse, ipsum clare ac immediate facialiter intueri, voluntatemque propriam ejus voluntati in cunctis subjicere ac conformare. Amplius, quum ipse superpræstantissimus Deus sit omnis boni origo, causa, dator, conservator et finis, primum et summum honorabile, et maxime formidandum ; ad caritatem hanc pertinet, Deum super omnia totis viribus honorare et formidare, omne bonum ei adscribere, ipsum summe laudare, et ab universis et singulis semper velle laudari, timeri, honorari ac coli : sicque pro aliorum conversione et salute infatigabiliter ac frequentissime laborare, orare, fatigari omni modo sibi possibili ac congruenti. Ecce istud est Deum in se et propter se vere et sincere diligere. Et quo in actibus istis plus crescimus, eo in sancta caritate perfectiores efficimur.

Præterea se ipsum et proximos in Deo diligere, est sibi ipsi ac proximis omnia illa velle, optare, procurare, quæ sibi ac proximis necessaria aut expedientia sunt ad complacendum inhærendumque Deo, et ad obtinendum finaliter beatificam fruitionem ipsius. Quumque ad ista potissime prosint et conferant homini, pro suis peccatis corripi, corrigi ac puniri, pro suis superbiis humiliari, dejici, vituperari ac despici, pro suis delectationibus pravis pœnitere, affligi, satisfacere, jejuniis et abstinentiis macerari, orationibus, fletibus, vigiliis, disciplinis quotidie exerceri ; idcirco veraciter in Deo se ipsum et proximos amat, qui hæc omnia appetit sibi ipsi et proximis, et eadem amplexatur, jucundeque patitur, aut strenue operatur. Denique istud est privatum et improbum sui ipsius amorem radicitus exstirpare, se ipsum saluberrime mortificare, carnem cum vitiis et concupiscentiis crucifigere. Quamvis ergo se ipsum ita relinquere, abnegare, odire, sit naturæ grave in se, atque difficile ex se, attamen per dona gratiæ et virtutes infusas, per caritatem et confortationem, directionem, inspirationem et consolationem divinam, per sapientialem quoque considerationem multiplicium ac saluberrimorum fructuum homini inde provenientium, per quotidianam assuefactionem fiunt hæc omnia homini religioso ac bono, non solum facilia, sed insuper etiam valde jucunda. Etenim per hæc salutaria exercitia, per immobilem patientiam in omni adversitate, per virilem ac strenuam sui ipsius in omnibus abnegationem, superationem ac mortificam vivificationem, fructus optimos consequimur, purgationem a culpis præteritis, præservationem a malis futuris, ereptionem a suppliciis vitæ sequentis, profectum in gratia, augmentum in gloria, conformationem passionis dominicæ, corroborationem filiationis ac dilectionis divinæ. Si igitur homines ægri patiuntur æquanimiter se uri, secari, incidi ob corporis sanitatem : quanto magis Christiani, præsertim religiosi, libenter ferre debent abjectiones, aspernationes, correptiones, irrisiones, opprobria et quæcumque adversa propter consequendos fructus prætactos, præcipue Christi amore, et pro suæ sacratissimæ passionis assecutione ?

At vero in universis jam prætactis divinæ dilectionis ac fraternæ caritatis effectibus, aut privati exstirpatione amoris, in patientissima tolerantia cujuscumque adversitatis, sanctissimus Christi confessor Franciscus fuit præfulgens. Unde et filialem atque plenissimam habuit confidentiam in providentia Dei, in bonitate et misericordia ejus, et in veritate promissionum ipsius. Hinc noluit sollicitari pro crastino ; nec commendavit multum insistere studio, sed magis implere quod sanctus dixit apostolus Jacobus : Si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter. Denique fratri Joanni, ministro Bononiæ, qui ibidem stu-

Galat. v, 24.

Jacob. i, 5.

dium ordinavit, graviter maledixit, nec pœnituit eum, nec retractavit, dixitque illi : Tu vis destruere Ordinem meum? Volebam Fratres Ordinis mei magis orare quam legere. Minister autem ille non pœnitendo, gutta perforatus sulfurea, cum maximo exspiravit fœtore : cujus animam accepit diabolus.

SERMO TERTIUS

QUIBUS DE CAUSIS STATUS RELIGIONIS A PRISTINIS RIGORE ET FERVORE IN MULTIS DEFECERIT.

SIT timor Domini vobiscum, et cum diligentia cuncta facite. II Par. XIX, 7.

Hæc sunt verba religiosissimi Josaphat regis Juda, quibus instruit omnes, præsertim religiosæ observantiæ cultores, ut omnia suæ religionis decreta timorate ac diligenter exsequantur. Omnis itaque Frater religiosus cupiens perfectorum imitari vestigia, efficaciter prædicare, ignea ac penetrantia verba proferre, desuper illustrari, Scripturas profunde perspicere, sermonem sale conditum proponere : tota diligentia incessabilique conatu studeat cordis munditiæ, compunctioni internæ, humilitati profundæ, ac omnem Deitatis vitare offensam, in præsentia majestatis æternæ semper sollicite ambulare, nec gloriari nisi in cruce Christi, ejusque passionem mente sic intueri, ac si eum côram se præsentialiter pati conspiceret, flagellari, spinis coronari clavisque perforari. Ita egerunt S. Franciscus et primi socii ejus. Isteque fuit optimus status Ordinis ejus, cui successit inferior minus laudabilis, eorum qui studio sapientiæ erant intenti : prout Deus omnipotens ostendit in visione S. Francisco, per statuam grandem, cujus caput aureum fuit et valde formosum, pectus vero et brachia de argento. Hinc demum S. Franciscus sæpe locutus est Fratribus suis : Vobis, o fratres, hæc tria recommendo : simplicitatem, contra inordinatum appetitum scientiæ; orationem, contra evagationes inutiles; et paupertatis amorem, et ipsam paupertatem in omnibus.

Coloss. IV, 6.

Mich. VI, 8.

Galat. VI, 14.

Præterea, o venerabiles Patres, viri prudentes, quia nunc congregati estis in loco hoc ad prospiciendum ac providendum communi bono totius Ordinis vestri, ad corrigendum delicta, ad reformandum collapsa, ad præcavendum mala futura, ad proficiendum in omni bono, atque ob hanc causam plurimi vestrum ex locis remotis non sine laboribus magnis huc pervenerunt; absit ut tantus labor fiat inanis, et tantus conventus sit infructuosus : imo ad gloriam Dei copiose nunc agite ea propter quæ convenistis; inite consilium, prudenter consulite, quid magis expediat ponderate. Tres quippe sunt partes prudentiæ, Tullio attestante : memoria præteritorum, consideratio præsentium, providentia futurorum. Recolite ergo in primis qualiter sanctus Ordo vester incepit, quomodo floruit, viguit et fructificavit ad tempus, et quibus ex causis cœpit tepere, deficere, ac paulatim in plurimis ad extremam, heu! devenit ruinam. Deinde perpendite qualiter modo statis, qualiter aut quantum profecistis aut defecistis. Sicque providete ne (quod absit) ad laxiorem et negligentiorem statum labamini.

Præterea, quantum ex libro de Verbis et actibus S. Francisci datur intelligi, prima occasio recedendi a primo fervore et perfectissimo statu sanctissimi Ordinis vestri, atque a saluberrima simplicitate, pu-

ritate, paupertate ac humilitate S. Francisci, videtur fuisse confidentia quædam scientiæ propriæ, et judicandi audacia. Unde in libro recitatur prætacto, quod prælati et scientiati Ordinis vestri, primo ac magis restiterunt S. Francisco, dicentes hoc esse servandum, illud non ; et illud rationabiliter esse dictum, non istud : de quorum inani scientia temerarioque judicio multum doluit idem Sanctus, ipsosque acriter reprehendit.

Secunda eorumdem malorum occasio fuisse videtur, immoderata occupatio in studendo, seu curiosus superfluusque appetitus scientiæ : non illius quæ est donum
Is. XI, 2. vel unum septem donorum Spiritus Sancti, et inter dona gratiæ gratum facientis locatur, sed scientiæ acquisitæ, scholasticæ, aut etiam naturalis et philosophicæ,
I *Cor.* VIII, 1. quæ solet inflare, et inter dona gratiæ gratis datæ locum sortitur. In eodem insuper libro refertur, quod congregatis in capitulo generali Fratribus, præsente domino Ostiensi, asseruit : Fratres mei, Dominus vocavit me per viam humilitatis et simplicitatis ; hanc quoque viam mihi ostendit in veritate pro me et volentibus credere mihi et sequi me ; nec per viam scientiæ me vocavit. Vos autem confundet per sapientiam et scientiam vestram, et puniet vos ; atque cum vituperio vestro redibitis ad statum vestrum, velitis nolitis. Et Fratres qui scientiæ curiositate ducuntur, in die tribulationis manus suas invenient vacuas : ideo mallem eos roborari virtutibus. Verumtamen hoc non dixit eo quod lectio sacræ Scripturæ sibi displicuit, sed ut a superflua cura discendi retraheret universos. Consideravit namque tempora non longe futura, in quibus jam præsciebat scientiam inflativam debere esse occasionem ruinæ sui Ordinis. Hinc quemdam sociorum studio nimis intentum, post mortem suam increpavit, præcipiens eum inde recedere, et jubens eum per viam humilitatis et simplicitatis incedere. Docuit quoque et frequenter asseruit, eos qui convertuntur in prædicationibus Fratrum, non converti propter scientiam prædicationemque sermocinantium, sed per orationes et lacrimas Fratrum humilium et simplicium domi manentium. Insuper B. Francisco in orationibus constituto locutus est Dominus : Ego non elegi te pro homine eloquente et litterato super familiam meam, quia nec te nec illos qui sunt vel erunt veri observatores regulæ tibi a me datæ, volo ambulare super viam scientiæ et eloquentiæ, sed super viam humilitatis et simplicitatis, et sic ero cum eis.

Denique his concordat et ratio : quoniam naturale est, quanto quis intentius se occupat circa actum et exercitium unius potentiæ, tanto remissior est intentio et occupatio ejus in aliis viribus. Idcirco, dum homo vehementer se occupat in exercitio intellectus, considerando acute subtiles materias atque difficiles quæstiones, aut quod detestabilius esset, studendo curiosa et inania ; fervor caritatis, affectio devotionis studiumque virtutum in via affectiva decrescunt, tepescunt, minuuntur, et nisi provideatur, penitus exstinguuntur : unde et paucos doctores scholasticos videmus canonizatos, et forsitan neminem præter Thomam.

Tertia horum causa et occasio exstitisse videtur, frequens et quasi assidua conversatio inter sæculares, potissime præsidentium et sermocinantium : quibus quamvis necessarium sit inter sæculares versari, loqui, convesci, tamen hoc fit eis spiritualis læsionis occasio, interioris dispersionis, infrigidationis, acediæ et carnalitatis cujusdam origo, nisi antequam præsint et prædicent, sint in Dei timore bene fundati, salubriter mortificati, atque in omni virtute rite habituati ac stabiliti ; alioqui, juxta beatissimi patris nostri Antonii assertionem, sicut pisces si diu extra aquam sint, moriuntur, sic religiosi hujusmodi inter sæculares versando, torpore multiplicique percutiuntur inertia. Frater quoque Ægidius dixit : Frater Minor qui ad alios convertendos egreditur, vereatur ac

videat ne ab aliis subvertatur. In cujus rei typum Deus populo Israelitico jussit vitare connubia et consortia Chananæorum, alioqui certissime illorum involverentur sceleribus. Hinc in libro de Actibus S. Francisci legitur : Ipse Pater, futura prospiciens, cognovit per Spiritum Sanctum, et multoties Fratribus dixit, quod multi Fratres occasione ædificandi convertendique alios, vocationem suam dimittent, sanctam videlicet humilitatem, puram simplicitatem, orationem et devotionem, ac dominam paupertatem ; sicque eveniet eis, quod unde putabant plus imbui, devotione impleri, amore accendi et mente illuminari, inde occasionaliter fient plus frigidi, vani et vacui, nec ad priorem redibunt fervorem : quoniam tempus vivendi et proficiendi juxta suam vocationem, consumunt et amittunt in vano falsoque studio ; ac per hoc, quod videbantur habere auferetur ab eis. Et addidit : Sunt multi Fratres qui totum studium suum et sollicitudinem ponunt in acquirendo scientiam, dimittentes sanctam suam vocationem, extra viam humilitatis et orationis mente et corpore evagando ; qui quum prædicaverint populo, et inde noverint quosdam ædificari, inflantur, et de lucro et opere alieno extollunt se tanquam de suo, quum tamen magis in condemnationem et præjudicium suum prædicaverint populo, et nihil ibi secundum veritatem fuerint operati, nisi ut instrumenta illorum per quos Deus hujusmodi fecit fructum. Quos enim putant se prædicatione sua atque scientia ædificare et convertere, hos Deus orationibus, meritis ac lacrimis sanctorum, pauperum, humilium ac simplicium Fratrum convertit : quamvis et ipsi humiles Fratres ignorent hoc, ne forsitan inaniter moveantur. De his multa notabilia verba S. Francisci ibi leguntur.

Exod. xxxiv, 15, 16 ; *Deut.* vii, 2, 3.

Matth. xxv, 29.

Porro qui se ipsos ingerunt ad exeundum et prædicandum, nec tam caritate quam vanitate aut quadam carnalitate adspirant et incitantur ad hoc, cupiuntque honorari, solenniter salutari ac recipi, laute refici, egregie tractari, et ditiorum quærunt hospitia, non jam sanctum imitantur Franciscum, sed Scribas et Pharisæos, quos Christus in Evangelio acerrime legitur increpasse. Et hæc tango, o devotissimi Patres, non quod tale quid de vobis vestrisque sentiam, sed ne quid hujusmodi oriatur inter vestros aliquando. Proni enim sunt sensus hominis, et cogitatio cordis humani in malum proclivis est ab adolescentia sua ; et religiosos devotos, maxime qui aliis præsunt aut prædicant, Satan callidus periculosius tentat, habens nimirum fiduciam quod Jordanis influat in os ejus.

Matth. xxiii.

Gen. viii, 21.

Job xl, 18.

Præterea vestræ sollicitudini, o timorati, circumspectissimi Patres, incumbit, præsidendi et evangelizandi officia nequaquam committere nisi idoneis, utpote his qui quantum permittit humana fragilitas, vita, ætate, scientia, ad præsidendum, ad hierarchizandum consistant idonei ; in quibus amor privatus prorsus evulsus sit, et quibus crucifixus sit mundus ; quorum corda in totius boni honesti affectum, in viscera caritatis ac pietatis, in zelum justitiæ, in desiderium honorificentiæ Dei, conversa sint ; qui non norint nisi justitiam esurire jugiter ac sitire ; qui peccantibus potius compatiantur quam indignentur ; qui quod edocent verbis, exsequantur operibus ; et quanto plus aut diutius foris detinentur, et quo fortiora aliis sermocinantur, eo domum reversi efficacius operentur, exemplarius conversentur, et rigorosiores sibi ipsis exsistant, communi mensa contenti sint, nec a divinis se retrahant, nisi forsitan infirmitate cogantur, neque ob studium : siquidem maledictum studium per quod divinum negligitur Officium. Nempe, ut veritas ipsa parumper tangatur, quid quatuor Ordinibus sic nocuit vehementer, quam immoderatum inordinatumque studium, quo cognitioni veritatis magis quam actioni virtutis, inflammationi caritatis, exercitationi internæ devotionis ac observantiæ regulari, perversissime insipientissimeque insisti-

Galat. vi, 14.

Matth. v, 6.

tur, quum tamen ingratum sit Spiritui Sancto quidquid ei offertur, neglecto eo ad quod homo ipse tenetur ?

Præterea, juxta divinissimi, sacratissimi theologicissimique Dionysii documenta, non est audendum, aliis fieri ducem in quocumque ordine sacro, ecclesiasticove officio aut hierarchico actu, nisi quis secundum virtutem et habitum bonum deiformissimus sit, id est valde deiformis et eminens, et luce sapientiæ exuberanter perfusus, ita ut de plenitudine sua aliis queat communicare, purgando, illuminando, perficiendo. Prætacta ergo præsidendi et evangelizandi officia prorsus angelica et divina, non nisi excellenter et copiose purgatis, illuminatis et perfectis sunt committenda. Quod clarius constat, si definitio pastoris a B. Gregorio in Pastorali tradita, perpendatur. Sanctus quoque Franciscus generalem Ordinis sui pastorem describens, dixit : Homo iste (inquit) debet esse vita gravissimus, discretionis magnæ, famæ laudabilis, privatis affectionibus carens, ne dum in parte plus diligit, in toto scandalum generet. Orationis studium sit illi amicum, ita tamen quod certas horas animæ suæ, et certas gregi suo distribuat. Nam et primo mane debet sanctissimum Missæ sacrificium præmittere, atque ibidem longa devotione se ipsum ac gregem divinæ protectioni affectuosius commendare.

De Eccl. hier. c. III.

Non ergo neophytis, tantæ perfectionis officia sunt committenda. Etenim qui se ipsum claustro et camera cohibere vix potest aut satagit a motibus vanitatis aut brutalis commotionis, qualiter in medio sæcularium, laudantium, adulantium, applaudentium, aut etiam injuriantium, hoc implebit? Hinc sanctus deprompsit Franciscus : Multum ædificantur Fratres simplices ac subditi, dum eorum ministri et prædicatores vacant orationi, seque libenter inclinant ad opera humilitatis et ad obsequia vilitatis. Aliter namque non valent absque sui confusione, præjudicio et condemnatione, de talibus Fratres alios admonere, quoniam Christi exemplo, oportet prius facere quam docere. Sit ergo exemplarissimus, activus, communis, irreprehensibilis inter Fratres, qui foris gloriosus est sermonibus et doctrinis inter sæculares. Sit (quantum sibi possibile est) primus et ultimus in divinis, in claustro, qui ad frequentanda divina Officia alios exhortatur in sæculo. Nec per passiones et vitia lædat se ipsum, qui aliorum vulnera interiora per divinorum eloquiorum medicamina curare apponit, ne ei dicatur : Medice, cura te ipsum ; et, Qui alium doces, te ipsum non doces?

Act. I, 1.

Luc. IV, 23.

Rom. II, 21.

Idcirco magnus iste Franciscus, ut legitur, ministros et prædicatores maxime monebat et inducebat ad humilitatis opera exercenda quemadmodum alii Fratres, præsertim propter ipsorum ædificationem. Si autem privilegiis gaudere voluerint, lautius refici, nec pondus portare diei ac æstus, et corporaliter repausare dum alii matutinale decantant officium, haud dubium quin nocivi sint plurimum, utpote dissensionis occasio, murmurationis fomentum, singularitatisque rei, et in præsenti suam sortiantur mercedem : quum et philosophi protestentur, quod sicut similitudo et conformitas, dilectionis est causa ; sic dissimilitudo et singularitas, dissensionum est ratio. Hinc in Regula sua effatur S. Hieronymus : Nulla pro certo vita deterior est, quam simul degere corpore et non mente. Et vere infelices sunt, quibus non una sed diversa inest voluntas. Sit itaque vobis semper unus affectus, una fraternitas, una voluntas, una proportio morum, una jucunditas, una tristitia, ne quod uni placet, displiceat alteri, et quo unus gaudet, alter tristetur.

Matth. XX, 12.

Denique, qui præest aut prædicat, ne in sui occasione officii ista incurrat incommoda, prædicatione finita, aut exteriori occupatione sopita, ad secretum suum recurrere non moretur, ad orationes, psalmodias et meditationes sanctas mox revertatur, et coram Deo se passim discutiat, mentem in Deo simplificet, recolligat et

stabilire conetur. Sicque in exercitiis istis internis desuper in abscondito hauriat gratiæ incrementum, sapientiæ inundationem, divinorum charismatum unctionem, et affluentiam tantam, ut ad publicum regressus, queat de plenitudine sua aliis abundanter salubriterque influere, juxta quod sacratissimus apostolici agminis princeps hortatur : Unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei.

I Petr. IV, 10.

Quarta prædictorum malorum occasio fuisse videtur, otiositas quædam intercedens. Quum enim humanæ fragilitati non sit sine eminentissima gratia bene possibile, indesinenter et sine interpolatione spiritualibus actibus inhærere, convenit ei, interdum manuali operi bono ordinate insistere, ne et tædium patiatur, et otium præstet locum fabulationi. Nam et archianachoreta ille eximius Antonius magnus, quum in eremo residens, tædio quodam afficeretur, clamavit ad Dominum : Domine, volo salvari, et non permittunt me cogitationes. Quid faciam in hac tribulatione animæ meæ? Qui Deo monente exsurgens, vidit quemdam in specie sua sedentem, ac manibus operantem, denuoque orantem. Erat autem angelus Domini, ad eruditionem et consolationem Antonii missus. Qui sanctus Pater magnifice consolatus, sic egit : et ita sancti Patres in eremo communiter observabant, ut recitat Cassianus. Sanctus quoque Bernardus in epistola ad Fratres de Monte Dei, sic esse agendum expressit. Hinc item sublimis Franciscus in suo disseruit testamento : Ego manibus meis laboravi, et volo laborare, et volo firmiter quod omnes alii Fratres laborent, et de laboritio quod pertinet ad honestatem, vivant; qui nesciunt, discant. Hinc in libro de Mirabilibus actibus S. Francisci, de primis ejus Fratribus narratur : Soliti erant quotidie orare et laborare manibus, ut omnem otiositatem animæ inimicam, a se penitus effugarent. Surgebant media nocte, et orabant devotissime cum infinitis lacrimis atque suspiriis. Insuper in eodem conscriptum est libro : Nullus coram B. Francisco otiosus apparere poterat, quin statim dure corriperet eum. Siquidem etiam ipse totius perfectionis exemplar, manibus suis humiliter laboravit : Volo, inquiens, omnes Fratres meos laborare, et exercitari humiliter in operibus bonis, ut minus simus hominibus onerosi, et ne cor aut lingua in opere evagetur; qui vero nil sciunt operari, addiscant. Lucrum vero et mercedem laboris, non laborantibus, sed gardiani aut familiæ arbitrio committendum esse dicebat. Præterea illo in libro sic continetur : Quodam tempore, ad evitandum otiositatem, quæ est mater omnium malorum, maxime in religioso, ordinavit ut quolibet die post cibum statim Fratres simul cum ipso se exercerent, ne bonum quod tempore orationis obtinuerunt, per verba inutilia et otiosa, ad quæ homo dispositus est, maxime post cibum, perderent totaliter aut in parte. Ecce hæc omnia sunt valde salubria ac notanda, et quantum capere valeo observanda. Nempe post refectionem deambulare, confabulari, otio locum dare, innumerabilium culparum tam commissionis quam omissionis origo est, sentina, occasio et causa et fomentum : imo omni religioso refrenatio linguæ valde est necessaria. Propter hæc S. Franciscus ordinavit, ut si quis verbum otiosum proferret, confestim Orationem dominicam diceret ; similiter qui audiret alium otiosum verbum proferre, protinus eum corriperet.

Eccli. XXXIII, 29.

At vero plures occasiones ruinæ præfatæ sancti Ordinis vestri non diu post ejus exordium, possent assignari, quas vos ipsi, o præclarissimi Patres, melius scire potestis. Et ne rursus hujuscemodi malum tempore vestro aut postea accidat, providere tenetur Paternitas vestra. Nec enim poterunt vitia devitari, nisi eorum occasiones diligenter vitentur.

SERMO QUARTUS

QUALITER CHRISTI AMARISSIMA PASSIO SIT A RELIGIOSO, PRÆSERTIM DIVINI VERBI PRÆCONE, CONSIDERANDA AC MENTIBUS FIDELIUM INCULCANDA.

RECOGITATE eum qui talem sustinuit a peccatoribus adversus semetipsum contradictionem, ut non fatigemini animis vestris. Hebr. XII, 3.

Quamvis omnibus devotis et sanctis fuerit salubre, generalem acerbissimam Christi passionem recolere quotidie diligenter, seriatim, compassive, profunde, tamen in saluberrimo exercitio isto beatissimus Franciscus fuit præcipuus valde. Unde in libro de Actibus ejus narratur, quod quodam tempore paulo post suam conversionem, quum ambularet solus per viam, alta voce plangendo, quidam spiritualis vir obvians ei, et metuens ne ex alicujus infirmitatis dolore sic plangeret, dixit : Quid habes, Frater? Respondit S. Franciscus : Ita merito irem per totum mundum absque verecundia et rubore, passionem Domini mei Jesu Christi deflendo. Quo audito, vir ille cœpit pariter flere cum B. Francisco ac fortiter lacrimari ; et in hoc S. Franciscus gaudebat. Denique tantus erat amor et fervor atque compassio B. Francisci ad dominicam passionem, quod de propriis afflictionibus et infirmitatibus non curavit, nec eis adhiberi remedia fecit seu permisit, nisi forsitan præcepto adstrictus.

Qualiter autem passio Christi sit multipliciter recolenda, et de cordis præparatione ad passionis illius recordationem, optime scribit Bonaventura in Stimulo amoris. Abjicienda est quippe in primis tota et omnis distractio cordis, ipsaque mens in Deo figenda est, et amorose Christo unienda per caritatem. Et attendendum, quod pro nostra redemptione Unigenitus Dei tot et tanta pertulerit : sicque A pensandum, quis, qualis et quantus sit ipse qui tam amarissimum et ignominiosissimum mortis genus pro nobis pati dignatus est, imo voluit et elegit (videlicet quod ipse sit verus Deus verusque homo, et quanta fuerit innocentia sua, quam mira et maxima teneritudo et passibilitas suæ complexionis, quam summa nobilitas suæ humanitatis); item, pro quibus et qualibus passus sit, atque a quibus, qualibus et quantis ; et rursus, quæ, quanta et qualia; insuper quam caritative, libenter pariter et patienter, qua causa, quo modo, quo fine, quo fructu. Suntque omnia ista reminiscenda tam compassive ac diligenter, quasi impræsentiarum conspiceremus propriis oculis speciosum forma præ filiis hominum, superdignissimum Filium Dei Patris ac virginis Matris, omnia ista pati, sic et sic capi, ligari, conspui, flagellari, spinis coronari, morti adjudicari, ad mortem propriis humeris crucem portare, in cruce tam violentissime distendi, diris clavis perfodi, inter latrones suspendi, atque tam diu in ea cruciari inæstimabiliter, suæ quoque dulcissimæ Genitrici intime condolere. *Ps.* XLIV, 3.

Amplius, multipliciter sunt omnia ista pensanda. Primo, ad recolendum, necnon reminiscendum quotidie, ne simus ingrati de tot et tantis beneficiis, tanto et tali benefactori. Secundo, ad condolendum tam innocentissimo, amorosissimo et benignissimo Salvatori. Tertio, ad imitandum et conformandum nos passioni ejus pro posse in tota vita usque in finem, et ad considerandum ac sequendum utcumque pro modulo nostro ac viribus, virtutes quas in sua sacratissima passione nobis ostendit,

et ex quibus passionem illam acceptavit A et toleravit, utpote, ardentissimam ejus ad nos caritatem, piissimam compassionem qua nostris compatiebatur periculis, patientiam, humilitatem, constantiam, mititatem, etc. : ut sic in omni humiliatione, tribulatione, correptione, castigatione, injuriatione cordialiter gloriemur, et quidquid boni egerimus, ac mali passi fuerimus, pro nihilo reputemus. Quarto, ad regratiandum, imo admirandum quod talis ac tantus pro nobis miserrimis ac pessimis omnia illa pati decrevit. Quinto, ad resi- B stendum ac prævalendum in omni tentatione. Nec enim est aptius efficaciusque remedium ad victoriose prævalendum in tentationibus universis, quam intenta meditatio hujus tam virtuosissimæ ac medicinalissimæ passionis, quæ utique est omnium liber, doctrix ac documentum virtutum, et compendiosissimum medium proficiendi in cunctis virtutibus, omnique dono, fructu et beatitudine Spiritus. Sexto, ad contemplandum infinitam misericordiam atque justitiam Dei, et altitudi- C nem consilii sapientiæ ejus super modo et veritate nostræ salvationis. Septimo, ad inflammandum, quatenus ex universis jam tactis validissime inflammemur in Christi amore, et totius supergloriosissimæ Trinitatis sincerissima dilectione.

Itaque omnia istà, o venerabiles religiosissimique Patres, in primis inculcate, indelebiliter inscribite cordibus filiorum vestrorum, vestro regimini commissorum, deinde et sæcularium hominum, ac omnibus quibus evangelizatis ; et in omni D sermone, ista cum omni compunctione et fortitudine spiritus intermiscete, quatenus prætactis modis passionem Dei creatoris et salvatoris sui recogitent et revolvant, ut discant carnalia et mundana contemnere, ad cœlestia et æterna suspirare, in omnibus timorate et honeste et exemplariter se habere, omnem vanitatem, imo fatuitatem in vestimentis abjicere ac vitare, in operibus misericordiæ spiritualibus ac corporalibus abundare, et novissima sua assidue speculari, justi et caritativi consistere, turpissima ac vilissima carnis vitia detestari, præceptum fraternæ correptionis (quod vix aliquis rite adimplet) prudenter implere.

Postremo, in diebus his malis et in tempore isto pessimo, simus specialissime fervidi, et sanctis actibus incessanter infatigabiliterque intenti ; lacrimose et indesinenter oremus pro communi bono Ecclesiæ, quæ, heu, heu ! nunc undique ab invisibilibus ac visibilibus hostibus conculcatur ; pro ejus reformatione in omnibus, pro infidelium repressione ac conversione, pro vivis et mortuis ploremus singuli lacrimis, verbis, singultibus, doloribus, desideriis, dicendo illud Mathathiæ verbum : Væ mihi, ut quid natus sum videre contritionem populi mei et civitatis sanctæ, quum datur in manibus inimicorum ? Sancta ejus in manibus extraneorum facta sunt ; templum ejus sicut homo ignobilis ; vasa gloriæ ejus captiva abducta sunt ; trucidati sunt senes et juvenes ejus. Quæ gens non hereditavit regnum ejus ? Quæ erat libera, facta est ancilla ; et cetera quæ nostis. Et ecce hæc omnia, et multo pejora meruimus. Quæ gens sub cœlo habet legem tam spiritualem, tam perfectam atque divinam, ut Christiani ? Et quæ gens tam irrefrenate atque enormiter legem suam transgreditur ut Christiani vel potius Antichristiani ? En quomodo utriusque sexus personæ incedunt vestitæ ? Nonne ac si promisissent se mutuo ad scelera provocare ? Nam cum morte pactum fecisse videntur, et cum inferno fœdus iniisse. Transgressi sunt pactum sanctum, mutaverunt jus, prævaricati sunt fœdus æternum.

Et nunc, o optimi Patres, præcones verbi cœlestis, communes adjutores omnium prælatorum Ecclesiæ, clamate, ne cessetis, quasi tubæ exaltate voces vestras, annuntiate Christianis peccata eorum, et ut omnes ubique pœnitentiam agant, adversariis sacratissimæ fidei se opponant vi-

1 Mach. II, 7-11.

Is. XXVIII, 15.

Ibid. XXIV, 5.

Ibid. LVIII, 1.

Act. XVII, 30.

I *Mach.* III, 2. riliter, et cum lætitia prælientur prælia Israelis, paratissimi mori pro fide. Sed utinam ordinatius procederetur. Utinam cum summa diligentia Pontifex summus reformationi totius insudaret Ecclesiæ, et nunc per alios hoc operaretur pro posse : imo se ipsum in primis ac curiam suam ac Romanam Ecclesiam reformaret, juxta hæc quæ super hoc scripserunt viri doctissimi, dominus Petrus de Alliaco, et cancellarius Parisiensis Joannes, deinde ante eos ferventissimus ac sanctus pater Bernardus, et alii quidam Catholici.

Verum hæc tantumdem tetigisse sufficiat. Vestrum erit ea plenius exsequi, diffusius prædicare, totisque viribus publice et private pro defensione Ecclesiæ infatigabiliter laborare. Hanc quoque filioli vestri exhortatiunculam, seu potius commemoratiunculam, dignanter suscipite. Novit cordium perscrutator, quam specialem affectionem habeat pusilla et vilis persona mea, vel potius bestia ista, ad gloriosum A Franciscum, et ad sanctum Ordinem ejus omnesque ejus personas regulariter conversantes. Et nisi jam restitisset reclusio hæc, non omisissem præ nimia caritate accedere et visitare sanctum exercitium vestrum. Quod quia in supposito non potui, per hæc scripta effeci. Præstet omnipotens misericordissimus Deus, ut sub vestro regimine observantia regularis permaneat, augeatur, perficiatur ac saluberrime crescat, ita ut culpæ vitentur : quia nec S. Franciscus otiosum verbum vel B levem risum in personis Ordinis sui sustinuit. De tot et tantis sceleribus quæ jugiter fiunt, de tanta inhonoratione supersacratissimi Creatoris, de tot millium animarum perditione, ingemiscamus ; et cum metu ac reverentia Altissimo serviamus, ut nostram ac proximorum salutem totis viribus cum timore ac fervore sine intermissione operemur. Ad laudem et gloriam Omnipotentis, qui est super omnia Deus sublimis et benedictus. Amen.

NOTA. — Tres ultimi sermones, *ad religiosos* scilicet, in 1ª editione desiderantur ; inveniuntur autem in 2ª. Horum qui inscribitur *sermo tertius* est Collatio (quæ periisse videbatur) missa Capitulo generali Fratrum Minorum de Observantia. (Vide tom. I, p. LXVIII, n. 170.) Sermo qui præcedit hanc Collationem videtur fuisse velut ejus introductio ; qui vero eam sequitur, quasi quædam conclusio.

Præfatum Capitulum sedit Mechliniæ, anno 1464, ut constat ex cod. ms. 9068, 12ª, bibliothecæ regiæ Monacensis, in quo reperiuntur fragmenta hujus Collationis.

IN FESTO

S. DIONYSII ET SOCIORUM EJUS

MARTYRUM

ENARRATIO IN EPISTOLAM

SANCTI PER FIDEM VICERUNT REGNA, ETC. Hebr. XI, 33-39.

EPISTOLA ista convenienter in festis plurimorum legitur martyrum, quia in ea docet Apostolus quam mirabilia Sancti per fidem sint operati, et quam dura sint pro fide perpessi. Loquitur autem Apostolus ad litteram de Sanctis veteris Testamenti. Unde verbis hujus epistolæ præmisit : Deficiet me tempus enarrantem de Gedeon, Barac, Samson, Jephthe, David, Samuel et aliis Prophetis, qui per fidem vicerunt regna. Et loco illorum Ecclesia posuit : Sancti, etc. Itaque ad Hebræos dicit Apostolus : *Hebr.* XI, 32, 33.

Sancti per fidem vicerunt regna. Nam præfati judices ac Prophetæ Israelitarum, credendo in Deum prævaluerunt contra regna gentilium, scilicet Madianitarum, Ammonitarum, Philistinorum atque Syrorum, sicut in libris Judicum ac Regum plenius recitatur. Sed et sancti principes novi Testamenti, Theodosius imperator, Carolus rex, Godefridus de Bolonia, ac alii multi, virtute fidei christianæ regna infidelium superaverunt. Porro martyres sancti regna vicerunt incredulorum aut malignorum, non illis materiali gladio resistendo, sed illorum persecutiones patientissime tolerando, et illorum errores ac vitia detegendo ac rationabiliter reprobando. *Operati sunt justitiam,* id est opera justa. Nam justus ex fide vivit, et fides est fundamentum ac directrix in omni opere virtuoso, ac oculus mentis, docens ad quem sint finem omnia opera bona referenda. *Adepti sunt repromissiones,* hoc est bona eis a Deo promissa, scilicet dona gratiæ in præsenti, et dona gloriæ in regno cœlesti. *Obturaverunt ora leonum.* Hoc corporaliter fecerunt Samson et David, qui occiderunt leones. Quod et Christiani quidam fecisse leguntur, ut Godefridus de Bolonia. Merito quoque Danielis prophetæ misit Deus angelum suum, et conclusit ora leonum, ne læderent eum. Quod in multis novi Testamenti martyribus factum non dubitatur, qui nudi leonibus ac ceteris feris projecti, manserunt intacti. *Exstinxerunt impetum ignis,* hoc est, igne læsi non sunt, ut tres pueri in camino. Aaron quoque thurificando et orando, ignem quo pravi incendebantur Judæi, exstinxit, ut in Numeris legitur. Et istud de multis utriusque sexus martyribus gloriosis in novo Testamento copiosissime atque verissime scriptum est, quorum multi per dies et noctes in ardentissimis

Habac. II, 4; *Rom.* I, 17.

Judic. XIV, 6; I *Reg.* XVII, 35.

Dan. VI, 22.

Ibid. III, 50.

Num. XVI, 47, 48.

manserunt illæsi fornacibus. *Effugaverunt aciem gladii,* hoc est, exercitum adversariorum gladiis suis præcinctum, verterunt in fugam. Quod in libris Judicum ac Paralipomenon legitur sæpius factum, et multo frequentius in novo contigit Testamento. *Convaluerunt de infirmitate,* hoc est, miraculose curati sunt, ut Job et Ezechias. Quod in novo Testamento innumerabilibus vicibus accidit : imo quædam sacratissimæ virgines atrocissime flagellatæ, aut uberum suorum abscisione punitæ, valde miraculose fuerunt curatæ, ut beatissimæ Catharina, Agatha, Barbara. *Fortes facti sunt in bello* corporali contra visibiles hostes, atque in bello interiori contra invisibiles hostes. *Castra verterunt exterorum,* hoc est, extraneorum seu alienigenarum fortalitia everterunt ac destruxerunt. *Acceperunt mulieres de resurrectione,* id est per resurrectionem a morte, *mortuos suos,* id est filios suos defunctos, vel (ut quidam exponunt) suos maritos. Elias namque suscitavit filium viduæ Sidoniæ, et Eliseus filium Sunamitis. Porro in novo Testamento pene innumerabiles Sancti suscitaverunt defunctos.

Job XLII, 10; IV *Reg.* XX, 7.

III *Reg.* XVII, 22. IV *Reg.* IV, 35.

Alii autem distenti sunt, id est pro fide et justitia in tormentis extenti, *non suscipientes redemptionem,* id est, a suppliciis erui non volentes, quum possent, si tyrannis voluissent præbere consensum, *ut meliorem invenirent resurrectionem,* id est, beatam resuscitationem in die novissimo consequerentur. Istud de innumerabilibus Sanctis in novo scriptum est Testamento, et de septem fratribus aliisque nonnullis in veteri. Et certum est quod martyres evangelicæ legis communiter in equuleo distendebantur. *Alii vero ludibria et verbera experti,* id est injurias verborum ictuumque perpessi, *insuper et vincula et carceres,* ut Jeremias, Michæas, Samson, et alii multi in lege Moysis, atque innumerabiliter plures in lege Christi. *Lapidati sunt,* ut Jeremias in Ægypto, et Zacharias filius Joiadæ pontificis inter templum et altare. In evangelica quoque lege Stephanus. Paulus quoque apostolus : Semel (inquit) lapidatus sum. *Secti sunt,* ut Isaias propheta. *Tentati sunt* per prospera et adversa, ab hominibus atque dæmonibus, imo et a Deo, quamvis diversimode. Unde Sapiens ait : Deus tentavit justos, et invenit illos dignos se. Unde et sanctus Job dixit : Probavit me quasi aurum quod per ignem transit. *In occisione gladii mortui sunt,* id est gladio interfecti. Nam et Manasses rex implevit Jerusalem sanguine innocentium usque ad os, ut quarto Regum habetur; et sacratissima legio Thebæorum pro Christo occisa est gladio. *Circuierunt in melotis,* id est in vestibus factis de pilis camelorum, qualis fuit vestis sanctissimi Præcursoris. Vel, melota est pellis hispida animalis quod melus vocatur. *In pellibus caprinis,* sicut Elias. *Egentes* victu et amictu, *angustiati, afflicti,* id est mente et corpore tribulati. *Quibus dignus non erat mundus.* Hoc dupliciter intelligi potest. Primo, quod ipsi vilipenderunt mundum et ea quæ in mundo sunt, juxta illud Joannis : Nolite diligere mundum, neque ea quæ mundi sunt. Secundo, quod homines mundani non fuerunt Sanctorum conversatione cohabitationeque digni. *In solitudinibus errantes,* ut David cum viris suis, quum pateretur persecutionem Saul, et Mathathias cum sociis suis sub Antiocho impio, ut primo Machabæorum narratur; *in montibus, et in speluncis, et in cavernis terræ,* id est, in talibus locis se abscondentes vel demorantes, ut Deo vacarent liberius, juxta illud in Psalmo : Ecce elongavi fugiens, et mansi in solitudine.

Act. VII, 58. II *Cor.* XI, 25. *Sap.* III, 5. *Job* XXIII, 10. IV *Reg.* XXI, 16. *Matth.* III, 4. IV *Reg.* I, 8. I *Joann.* II, 15. I *Reg.* XXI-XXX. I *Mach.* II, 28. *Ps.* LIV, 8.

II *Mach.* VII.

Jer. XXXVII, 14; III *Reg.* XXII, 27; *Judic.* XVI, 21.

II *Par.* XXIV, 20-22.

Et hi omnes testimonio fidei, id est actione virtuosa procedente ex fide, vel passione propter fidem suscepta, dante testimonium illis quod vere fideles fuerunt (nam sicut operatio arguit formam, sic conversatio fidem), *probati,* id est a Deo approbati commendabilesque effecti (juxta illud Sapientiæ, Tanquam aurum in fornace probavit electos Dominus, et

Sap. III, 6.

quasi holocausti hostiam accepit illos), *inventi sunt* a Deo infallibili judice, *in Christo Jesu Domino nostro,* id est per virtutem et gratiam ejus, quia et Sancti veteris Testamenti per fidem Christi venturi salvati sunt.

SERMO PRIMUS

CUJUSMODI FUERIT VIRTUS ET EFFICACIA FIDEI QUA ILLUSTRIS ERAT S. DIONYSIUS.

OMNIA *possibilia sunt credenti.* Marc. IX, 22.

Ista sunt verba Christi. Quæ quam vera sint, gloriosus Apostolus ad Hebræos diffuse ostendit, ubi multos præclaros ac virtuosos effectus attribuit fidei, dicens : *Hebr.* XI, 4-8. Fide Abel plurimam hostiam obtulit, per quam testimonium consecutus est esse justus; fide Enoch translatus est : sine fide enim impossibile est placere Deo. Fide Noe aptavit arcam in salutem domus suæ; fide Abraham obedivit exire in locum quem accepturus erat. Insuper alios multos effectus adscribit ibidem Apostolus *Ibid.* 11. fidei : ut quod Sara sterilis et antiqua con- *Ibid.* 17. cepit; quod Abraham filium suum Isaac *Ibid.* 20. immolare paratus fuit; quod Isaac filiis suis Jacob ac Esau benedixit, similiter *Ibid.* 21. Jacob filiis Joseph, et quod Joseph mori- *Ibid.* 22. ens, de egressu filiorum Israel ex Ægypto *Ibid.* 24. prædixit; quod Moyses negavit se filium *Ibid.* 27-31. filiæ Pharaonis regis Ægypti, et Ægyptum reliquit, celebravitque Pascha; quod filii Israel per medium maris Rubri transierunt, quod muri Jericho corruerunt, quod Rahab meretrix mortem evasit suscipiendo et liberando exploratores Israeliticæ plebis. His verbis adjungit Apostolus quæ in expositione hujus sunt dicta epistolæ, *Ibid.* 33. scilicet : Sancti per fidem vicerunt regna, etc. Ex quibus patet, quanta sit fidei virtus et efficacia, ita quod ea quæ impossibilia exstant hominibus per naturam, possibilia, imo et facilia eis fiant per fidem et gratiam. Ideo loquitur Christus : *Marc.* XI, 22, 23. Habete fidem Dei. Amen dico vobis, quia quicumque dixerit huic monti, Tollere et mittere in mare, et non hæsitaverit in corde suo, sed crediderit quia quodcumque dixerit fiat, fiet ei. Denique Christus mirabilia quæ fecit, corpora animasque curando, fidei communiter fuit adscribens, dicendo : Fides tua te salvum fecit. *Matth.* IX, 22; *Marc.* X, 52; etc. Quum enim fides sit omnium fundamentum virtutum, et totius spiritualis conversationis ac interni ædificii radix, necesse fuit fidem specialiter commendari, et magnam ei a Deo virtutem conferri. Unde et Augustinus fidem extollens : Nullæ (inquit) majores divitiæ, nulli thesauri, nulli honores, nulla hujus mundi major est substantia, quam fides catholica, quæ peccatores salvat, cæcos illuminat, ægros curat, catechumenos baptizat, fideles justificat, pœnitentes reparat, justos augmentat, martyres coronat, virgines et viduas et conjugales casto pudore conservat, clericos ordinat, sacerdotes consecrat, in æterna hereditate cum sanctis angelis collocat. Iterum ait : Sicut in radice arboris nulla prorsus apparet pulchritudo et species, et tamen quidquid est in arbore pulchritudinis aut decoris, ex illa procedit; sic quidquid meriti, quidquid beatitudinis anima est susceptura, ex fidei fundamento procedit. Hinc ergo debemus esse in fide firmissimi atque certissimi, præsertim quia ut ait Gregorius, Jam nos ipsi qui credamus, vix tot sumus quot veritatis fidei testes habemus.

Inter quos beatissimus ac divinus iste Dionysius fuit de præcipuis unus, prout

ex his quæ infra de eo dicentur, patebit. Nam et ipse ante suam conversionem summus erat philosophus, nec unquam se fidei subdidisset, nisi cognovisset certissime efficacia esse fidei argumenta, nec aliquid magicæ artis esse in Christianis. Denique in hoc innotescit divini et sacratissimi Dionysii magnitudo et sanctitas, quod universæ actiones et omnes passiones seu tribulationes quas in hodierna epistola fidei adscribit Apostolus, in divino Dionysio exstiterunt. Ipse etenim in fide fuit perfectus, ardentissimus et valde certissimus : ad quod etiam insuperabiles et copiosissimas habuit rationes, quæ infra tangentur.

Hebr. xi, 33 et seq.

Itaque sanctus pater, magnus Dionysius, per fidem vicit regna : quia ut in ejus fertur Legenda, quum ab apostolo Paulo fuit conversus et plene instructus in fide, atque Atheniensium ordinatus episcopus, ipsam civitatem quæ principalis fuit in Græcia, et maximam partem regionis illius convertit ad Christum. Postmodum quoque a S. Clemente Papa missus ad metropolim Gallorum Parisios, multos convertit ibidem, et diversas fabricavit ecclesias, clericosque diversi instituit ordinis. Ecce quomodo per fidem vicit regna, habitatores regnorum Deo subjiciens, dæmonibus abstrahens, et ad suum discipulatum obedientiamque eos perducens. Hæc est felix et gratiosa victoria, qua homines ab obsequio crudelissimorum inimicorum, videlicet dæmonum, et a jugo iniquitatis eruuntur, et Deo subduntur, virtutibus mancipantur, et in via constituuntur salutis. Sic enim Deus dixit ad Jeremiam prophetam : Ecce constitui te super gentes et regna, ut evellas et dissipes, et ædifices et plantes.

Jer. i, 10.

Secundo, B. Dionysius cum sociis suis sanctis martyribus Rustico et Eleutherio, per fidem operatus est justitiam, non solum divina præcepta, sed evangelica quoque consilia adimplendo ; summo quoque obediendo pontifici S. Clementi, pergendo juxta ejus imperium ad regnum Gallorum, qui magnæ animositatis erant ac feritatis, et ritu gentilitatis pertinaciter involuti. Ideo ad convertendum eos accedere arduum fuit. Unde et beatissimus Thomas apostolus, quum juberetur a Christo ire ad Indos, dixit : Domine, quocumque volueris mitte me, præterquam ad Indos. Dionysius tamen prompte ac fortiter obedivit summo Antistiti in facto prætacto, et tanquam mitissimus agnus cum sanctis sociis suis ferocissimos illos aggressus est lupos, et multos eorum convertit in agnos.

Tertio, per fidem cum sociis suis adeptus est promissiones, non solum obtinendo beatitudinem æternalem in cœlis, sed etiam multa dona, quæ Christus electis suis promisit in terris. Nam quoniam propter Christum omnia sua reliquit, centuplum adeptus est in vita præsenti, videlicet affluentiam supernorum charismatum copiosam, os et sapientiam cui non poterant contradicere adversarii sui ; et constituit eum Christus super familiam suam tanquam servum prudentem atque fidelem.

Matth. xix, 29.

Luc. xxi, 15.

Ibid. xii, 42.

Quarto, per fidem obturavit ora leonum : quia quum præfectus gentilis fecisset eum ad ferocissimas bestias fame provocatas jactari, et illæ impetuose accurrerent, et sanctus pater Dionysius eis signum crucis opposuisset, mox velut mansuetissimæ sunt effectæ. Spiritualiter quoque obturavit leonum ora, videlicet dæmonum, qui tanquam leones rugientes circueunt, quærentes quem devorent. Quorum impiis suggestionibus, tentationibus, susurrationibus imposuit finem, silentium et triumphum, non solum eos abjiciendo a se, sed ab aliis etiam multis. Rursus, obturavit ora eorum, quia per idola eos loqui et respondere prohibuit. Nos quoque prætacto modo obturare debemus ora leonum, resistendo viriliter suggestionibus et tentationibus dæmonum, juxta illud Jacobi : Resistite diabolo, et fugiet a vobis. Unde et princeps Apostolorum hortatur : Sobrii estote et vigilate, quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret.

1 Petr. v, 8.

Jacob. iv, 7.

1 Petr. v, 8.

Quinto, per fidem exstinxit impetum ignis. Nam super ferream cratem flammis suppositis, nudus extentus est, nec tamen consumptus. Spiritualiter vero, prorsus exstinxit impetum ignis iracundiæ, impatientiæ, ceterorumque vitiorum. Idcirco nos exemplo divini Dionysii, ignem concupiscentiæ, flammam iræ, fervorem impatientiæ, accensionem avaritiæ, omniumque vehementiam vitiorum in nobis ipsis, Deo auxiliante, exstinguere semper debemus, et tranquillitati, liberalitati mansuetudinique studere : quoniam Salomone testante, Qui impatiens est, operatur stultitiam ; et, Ira in sinu stulti requiescit.

Prov. XIV, 17. *Eccle.* VII, 10.

Sexto, divinus Dionysius effugavit aciem gladii. Nam tantus divinæ gratiæ splendor in ejus resplenduit vultu, quod frequenter pagani ad eum capiendum armati concurrentes, viso eo, mox omni ferocitate deposita, ejus se pedibus provolvebant, aut ingenti timore percussi, ab ejus præsentia fugiebant.

Septimo, per fidem fortis factus est in bello : quia diabolum, mundum ac carnem devicit, et quidquid sibi intulerunt tyranni ac impii, patientissime tulit. Insuper pro fide distentus est super ferream cratem. Ludibria quoque et verbera, vincula et carceres est perpessus : quum enim Fescennius præfectus a Roma venisset Parisios, et sacratissimum Dionysium invenisset populo prædicantem, statim fecit eum capi, colaphizari, conspui, derideri et loris durissimis alligari, flagellari et incarcerari cum sociis suis, ut infra diffusius referetur.

Postremo, ex præsenti docemur epistola, quanta electi Dei in vita hac sint passi adversa, quanta opprobria, derisiones, injurias atque supplicia, quatenus sic discamus patientiam in adversis, et per arctam viam salutis incedere, atque in præsenti pœnitentialem ducere vitam, simplici victu humilique vestitu esse contenti, et propter Deum mortificari quotidie, ut strenue perseverando in bonis, inveniamur finaliter probati in Christo Jesu Domino nostro.

Matth. VII, 14.

ENARRATIO IN EVANGELIUM

QUUM AUDIERITIS PRÆLIA ET SEDITIONES, ETC. Luc. XXI, 9-19.

EVANGELIUM istud in festis plurimorum legitur martyrum, quia in eo Christus prædixit quanta pro eo sancti martyres erant passuri. Itemque, sicut Lucas ait, sancti Apostoli interrogaverunt Christum de tempore destructionis templi Jerusalem ; atque ut Matthæus describit, interrogaverunt etiam tempus finalis judicii consummationisque sæculi. Quibus respondit :

Luc. XXI, 7. *Matth.* XXIV, 3.

Quum audieritis prælia, id est pugnas extraneorum contra se invicem, *et seditiones,* id est dissensiones intraneorum seu concivium vel domesticorum contra se mutuo, *nolite terreri* inordinato et carnali timore avertente hominem a recto judicio et a via justitiæ. Unde alibi ait : Nolite timere eos qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere. Unde et Salomon contestatur : Justus quasi leo confidens, absque terrore erit. *Oportet primum hæc fieri,* id est, ante destructionem civitatis et templi Jerusalem, necesse est contingere præfata prælia et seditiones in populo Judæorum, non fatali aut absoluta necessitate, sed necessitate conditionata et consequentiæ, tanquam a Deo prævisa et prænuntiata, quæ tamen in se ipsis sunt contingentia. Oportuit ergo hæc fieri, hominum exigente malitia, eo modo

Matth. X, 28. *Prov.* XXVIII, 1.

Matth. XVIII, 7. quo impossibile est scandala non venire. Item, oportuit, id est, opportunum fuit,
I *Cor.* XI, 19. hæc evenire, modo quo oportet esse hæreses : quatenus qui probati sunt, manifesti fiant. *Sed nondum statim finis :* id est, his auditis et factis, nondum aderit templi destructio, vel consummatio sæculi aut tribulationum, imo majores sequentur, sicut subjungitur. Porro Josephus refert, quod Jesu Nazareno crucifixo, Judæi pugnaverunt contra Samaritanos, et econtra, et inter se habuerunt dissensiones ac lites. Tandem quoque se opposuerunt Romanis.

Tunc dicebat illis, videlicet Christus discipulis suis : *Surget gens contra gentem,* id est, minores provinciæ contra se invicem præliabuntur, *et regnum adversus regnum,* id est, majores provinciæ idem facturæ sunt. *Et terræ motus magni erunt per loca, et pestilentiæ, et fames,* id est caristia. Sed quum omnia ista naturaliter accidunt, cur Salvator asserit ea in signum futurorum oriri? Nam (ut ait Gregorius) quæ ordinate veniunt, signa non sunt. Ad hæc respondet Gregorius, quod loquitur de his quæ ordinem temporum non observant. Alii dicunt, quod omnia ista multo abundantius solito fuerunt imminente destructione Jerusalem, et adhuc abundantius erunt fine mundi instante : et ita sunt signa. *Terroresque de cœlo,* id est, terribilia quædam apparebunt in cœlo aerio aut superiori. Unde recitat Josephus, quod imminente destructione Jerusalem, stella similis gladio pependit per annum super Jerusalem, et currus equitesque armati et acies apparuerunt in aere, præliantes. *Et signa magna erunt :* quia et tunc vitula inter immolantium manus peperit agnam, secundum Josephum, et alia magna et valde insolita tunc fiebant.

Sed ante hæc omnia injicient vobis manus suas, et persequentur. Statim enim post missionem Spiritus Sancti, quum ad
Act. IV, V, VII. tempus prædicassent in Jerusalem gloriosi Apostoli, cœperunt Judæi eos persequi, captivare, incarcerare, occidere, et Stephanum lapidaverunt, ut patet in Actibus Apostolorum. *Tradentes* vos *in synagogas,* id est in publicos conventus : quemadmodum in Actibus habetur, quod dum beatissimus princeps Apostolorum curasset natum claudum, principes sacerdotum cum suo concilio statuerunt Apostolos in medio, ut eos convincerent; *et custodias,* id est carceres, juxta illud : Posuerunt Apostolos in custodia publica. *Trahentes ad reges et præsides,* id est, violenter ducentes vos tanquam maleficos ad majores minoresque præsidentes, *propter nomen meum,* id est propter hoc quod me invocatis, prædicatis et colitis. Vel, « propter nomen meum » negandum, id est ob hoc ut cogant vos me abnegare. Sic Petrus et Jacobus ducti sunt ad Herodem, Paulus ad Festum. *Continget autem vobis in testimonium,* id est, præfata persecutio eveniet vobis in testimonium quod vere discipuli mei estis : cujus rei testis est, quod tanta sustinetis pro me. Vel, « continget vobis in testimonium » condemnationis persecutorum vestrorum, qui vestras prædicationes despiciendo et vos ipsos persequendo, damnationem sibi merentur gravissimam.

Act. IV, 1 et seq. *Ibid.* V, 18. *Ibid.* XII, 1 et seq. *Ibid.* XXV, XXVI.

Ponite ergo in cordibus vestris, id est, firmiter proponite, *non præmeditari quemadmodum respondeatis,* id est non præparare vos ad dandum responsa persecutoribus vestris : hoc est, non formidetis nec anxii sitis quod in respondendo deficiatis. Non enim est causa vestra, sed mea. Unde quum S. Perpetua conjugata, esset pro fide incarcerata, et in nocte veniret ad partum, clamaretque pariendo, concaptivi dixerunt ad eam : Quum modo sic clames, quomodo poteris die crastino tormenta sustinere tyranni? Respondit : Ista est causa mea, illa est Dei causa; ista est causa naturæ, illa gratiæ. Subditur : *Ego enim dabo vobis os,* id est promptam loquelam, juxta illud Isaiæ, Dominus dedit mihi linguam eruditam; *et sapientiam,* id est cognitionem et defensionem creden-

Is. L, 4.

dorum, promptas ac rationabiles responsiones, *cui non poterunt* vere atque de jure seu efficaciter *resistere et contradicere omnes adversarii vestri,* videlicet hæretici, pagani, Judæi, ceterique iniqui. *Act.* VI, 10. Hinc in Actibus fertur, quod Judæi non poterant resistere sapientiæ et Spiritui qui loquebatur per Stephanum. Verumtamen false et violenter restiterunt infideles fidelibus.

Trademini autem in captivitatem et mortem *a parentibus, et fratribus, et cognatis, et amicis,* id est ab his qui erant vestri amici antequam credidistis in me, quum tamen a tam propinquis et caris tradi, sit gravius afflictivum, quoniam (teste Gregorio sancto) majorem inferunt pœnam adversa a talibus personis illata, de quarum caritate et fiducia præsumebatur. *Ps.* LIV, 13. Propter quod Christus ait in Psalmo : Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique, etc. *Et morte afficient ex vobis. Et eritis odio omnibus hominibus,* id est quibusdam seu multis de omni genere hominum. Vel, « omnibus » secundum carnem sentientibus. Vel dicit, « omnibus », ad insinuandum multitudinem adversariorum : juxta quem sensum ait *Philipp.* II, 21. Apostolus, Omnes quæ sua sunt quærunt.

Propter nomen meum, id est propter me, hoc est ob id quod in me creditis mihique adhæretis. Hinc in sermone post Cœnam dixit Salvator Apostolis : Si de mundo *Joann.* XV, fuissetis, mundus quod suum erat diligeret; quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. *Et capillus de capite vestro non peribit.* Hæc est locutio hyperbolica, ut sit sensus : Ex tantis tribulationibus nullum vobis damnum proveniet, sed maximus fructus, quia in resurrectione nec capillum minus habebitis quam ad corporis pertinebit dispositionem ac ornamentum. Quum ergo capillus sit extra corpus, nec sentiat, nec tamen sit perituras, multo minus peribit corpus vestrum aut ossa vel anima : si tamen interim patientia adsit. Propter quod subditur : *In patientia vestra possidebitis animas vestras,* id est, patientiam habendo in adversis, custodietis animas vestras a culpa, et securas eas in Deo habebitis, ita quod peccando eas non perdetis. Patientia nam- *Jacob.* I, 4. que opus perfectum habet, ut dicit Jacobus. Unde in Proverbiis legitur : Qui *Prov.* XIV, patiens est, multa gubernatur prudentia; 29. qui autem impatiens est, exaltat stultitiam suam.

SERMO SECUNDUS

DE COMMENDATIONE S. DIONYSII; DE CARITATE, DE DISTANTIA AMORIS DIVINI AB AMORE NOSTRO, ET DE INTERNA PACE.

AMANTISSIMUS Domini habitabit confidenter; in eo quasi in thalamo tota die morabitur, et inter humeros illius requiescet. Deut. XXXIII, 12.

In his verbis divinus et sacratissimus Dionysius multipliciter commendatur. Primo, a sua præcipua bonitate et pretiositate, quoniam « amantissimus Domini », id est carissimus Deo fuit. Secundo, a sua secura mansione. Nam quamvis tempore suo infinitæ fuerint tribulationes Christianorum a tyrannis, a perfidis quoque Judæis, a quibusdam philosophis, ab hæreticis, nihilo minus inter tot adversa sanctissimus pater Dionysius fuit valde imperterritus et securus, tanquam fortis discipulus æternæ et increatæ Sapientiæ loquentis : Qui *Prov.* I, 33. me audierit, absque terrore quiescet. Ter-

tio, ab inhabitatione valde gratiosa Dei in eo. Quarto, a quiete Dei in ipso.

Primo itaque divinus Dionysius in his verbis laudatur a sua præcipua bonitate et pretiositate, quia amantissimus Dei fuit et est. Tanto etenim rationalis intellectualisque creatura est melior, pretiosior, dignior et honorabilior, quanto est carior Deo. Bonum namque est appetitus objectum, et bonum intellectualiter cognitum, objectum est appetitus intellectivi, videlicet voluntatis. Porro voluntas Dei semper justa et recta, uniformis et simplex est : ideo quanto quid melius est, tanto est amabilius voluntati divinæ seu Deo. Nulla autem est bonitas major in creatura quam caritas seu actualis dilectio qua diligit Deum. Et per hanc creatura rationalis fit Deo summe amabilis. Nec mirum, quia per caritatem Deo potissimum assimilatur atque conjungitur, imo in ipsum transformatur. Quia itaque divinus Dionysius fuit amantissimus Deo, constat quod ardentissime Deum dilexit : idcirco præcipue bonus fuit, pretiosus, honorabilis et prædignus. Hinc eum specialiter diligere et honorare debemus tanquam carissimum Dei electum, et tanquam amicum Altissimi, adoptivumque filium Dei. In hac etiam bonitate beatissimum Dionysium imitemur, puta in caritate, Deum ob suam infinitam et incomparabilem bonitatem, immensam dulcedinem, interminabilem pulchritudinem, superplenam et incircumscriptibilem perfectionem, super omnia fervide diligentes, desiderantes ac venerantes. Ad quod necesse est, carnales affectiones, terrenas cupiditates, dissolutiones et negligentias cordis abjicere, Dei mandata implere, verba prava vitare, et coram Altissimo sollicite ambulare, omni cum diligentia mentem a vitiis custodiendo, eamque, orando, meditando, contemplando et adspirando, ad Deum frequenter levando. Sic ergo agamus, quoniam in præsentia atque intuitu summi Judicis omnia inspicientis, jugiter ambulamus.

Mich. VI, 8.

Præterea, inter amorem quo amat nos Deus et inter amorem nostrum, hoc distat, quod amor Dei æternus et increatus, est causa omnis boni in nobis, sed amor noster, præsertim amor naturalis, acquisitus, non infusus, causatur in nobis a rebus. Quum ergo Sancti dicuntur Deo amabiles, non est intelligendum quasi amor Dei causetur a bonitate seu caritate Sanctorum ad ipsum, aut quasi eorum bonitas Dei præcedat amorem : imo quanto Deo sunt amabiliores, et quanto sunt meliores Deumque ferventius diligentes, tanto plus sunt præamati a Deo, qui ex sua ad eos æterna dilectione dare decrevit et dedit eis quod diligant ipsum. Hinc ait Joannes apostolus : Nos diligamus Deum, quoniam ipse prior dilexit nos. Nempe, quum amare sit alicui bonum velle, illum Deus plus diligit, cui majorem gratiam in præsenti majoremque gloriam in futuro dare decrevit et præstat. Hinc quoque magnus iste Dionysius verissime amantissimus Domini perhibetur, quia tam multiplicia ac præclarissima gratiarum charismata contulit ei Deus, ut infra dicetur. O quam magnum est esse amantissimum Deo ! Magnum valde reputatur in sæculo isto, esse dilectum alicui regi terreno, et habere specialem familiaritatem ac amicitiam ejus. Incomparabiliter ergo majus est, summo Regi sæculorum, immortali, invisibili, esse carissimum. Sed reges et magnates sæculi hujus non dignantur omnes seu quoscumque ad specialem sui amicitiam ac familiaritatem admittere. Tanta vero est summi Regis, Dei omnipotentis, pietas atque dignatio, quod non solum dignatur hoc, sed universos invitat ad præcordialem, specialem ac familiarem sui amorem, dicens per Christum et Moysen : Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex omni virtute tua. Nemo igitur se excuset, præsertim quum Deus incessanter tot beneficia nobis omnibus largiatur.

I *Joann.* IV, 19.

I *Tim.* I, 17.

Deut. VI, 5; *Matth.* XXII, 37.

Secundo in verbis thematis divinus Dionysius commendatur a sua secura habitatione qua in militanti habitavit Ecclesia

intrepidus et securus inter omnia ejus adversa. Unde de populo christiano vere virtuoso et sancto, in Isaia Deus prædixit: *Is.* xxxii, 18. Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, et in tabernaculis fiduciæ, et in requie opulenta. Sedet enim nunc in pulchritudine pacis internæ, quæ est tranquillitas mentis in Deo, de qua angeli *Luc.* ii, 14. cecinerunt : Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Quam pacem habent viri sancti etiam inter adversa, in quibus gloriantur in Domino et regratiantur Altissimo. Sedent quoque in tabernaculis fiduciæ, futuram beatitudinem fiducialiter præstolantes, et ejus amore omnia aspera hilariter perferentes, quum dicat Salvator: *Matth.* v, 10. Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum *Luc.* vi, 23. cœlorum ; itemque, Gaudete in illa hora et exsultate, quia merces vestra magna est in cœlis. Unde ad Romanos Apostolus : *Rom.* v, 3. Gloriamur (inquit) in tribulationibus ; et *Ibid.* 2. rursus, Gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei. Insuper, sedent in requie opulenta, quoniam requiescunt in Deo per fidem, spem, caritatem et contemplationem, sicque ditantur variis donis Spiritus Sancti, proficientes omni hora in gratia, sicut I *Cor.* i, 5. Corinthiis scribit Apostolus : In omnibus divites facti estis in Deo, in omni verbo et in omni scientia. Quum itaque mentes Sanctorum in mundo hoc per tot virtutes et dona Dei sint confirmatæ, et ab omni inordinato amore, a pravo et carnali timore, ab instabilitate fragilitatis humanæ purificatæ, plus cupientes adversa et aspera quam prospera mundi ac mollia, idcirco hic habitant confidenter. Quod utique val- *Prov.* xv, 15. de jucundum est, Salomone dicente : Secura mens, quasi juge convivium. Hinc *Ps.* xxvi, 1. David rex dixit : Dominus illuminatio mea et salus mea, quem timebo ? Et denuo : *Ps.* iii, 7. Non timebo millia populi circumdantis *Job* xxxi, 34. me. Et sanctus Job ait : Si expavi ad multitudinem nimiam. Talis fuit sanctus et sapientissimus Dionysius, qui inter persecutiones Christianorum innumerabiles securissimus mansit, et diversos ac profundissimos libros composuit, epistolas multis misit, fidem longe ac late constantissime prædicavit, contemplationibus altissimis ultra humanas vires cœliformiter fuit intentus. Ad hanc mentis in Deo constantiam laboremus; vanas et pueriles abjiciamus formidines : quia ut Salomon loquitur, Qui timet Deum, nihil trepidabit. Unde *Eccli.* xxxiv, 16. rursus exhortatur : Fili, honora Deum, et *Prov.* vii, 1 ; cf. t. VII, valebis ; præter eum vero ne timueris p. 50 D. alienum. Sed heu ! multi sunt qui plus verentur damna rerum, vituperia homum, infirmitates corporum, quam Dei offensam et ejus districtum judicium.

Tertio divinus et gloriosus Dionysius commendatur a gratiosa valde Dei habitatione in eo. Deus quippe omnium in caritate et gratia exsistentium corda inhabitat. Propter quod in prima Joannis asseritur : Deus caritas est, et qui manet in caritate, I *Joann.* iv, in Deo manet, et Deus in eo. Itaque quo 16. fideles in caritate Dei plus crescunt, tanto gratiosius eos inhabitat. Valde igitur gratiosissime B. Dionysium in divino amore tam ardentissimum inhabitavit, ita quod Deus in eo tanquam in thalamo tota die, id est assidue atque in luce suæ gratiæ, habitavit. In thalamo quippe est sponsa, cum qua sponsus deliciatur. Ita in S. Dionysio fuit devotissima ac ferventissima anima ejus, prædilecta sponsa Altissimi, quam ipse brachiis caritatis jugiter amplectebatur, per flammigeram unionem sancti amoris suavissime deosculabatur, per supernorum infusionem aut augmentationem charismatum liberalissime fecundavit, ita quod deliciæ ejus erant esse *Prov.* viii, cum ea, in ea, et in intimis ejus. Studea- 31. mus ergo et nos ut corda nostra semper sint habitacula Spiritus Sancti per caritatem et gratiam, non domicilia atque prostibula dæmonum per culpam mortalem. Omnis etenim anima, aut est Christi sponsa, aut diaboli adultera. Ideo unusquisque satagat absque mortali vivere culpa.

Quarto commendatur gloriosissimus pater, doctor, præsul et martyr, divinus Dionysius a requiescentia Dei in ipso. Deus

equidem (sicut jam tactum est) in omnibus caritatem habentibus demoratur, sed in contemplativis etiam specialiter requiescit : quoniam eis instar amorosi ac fidelissimi sponsi familiarius se conjungit, et magis continue ac intime in ipsis consistit. Porro S. Dionysius contemplator fuit altissimus, homo cœlestis, conversator angelicus virque seraphicus. Et hoc ex materiis librorum quos edidit, præsertim ex Mystica theologia, lucidissime constat. Sed et de superbeatissima Trinitate, de superessentiali et simplicissima Deitate, de natura atque ordinibus angelorum profundissime scripsit.

Cf. t. XVI, p. 445 et s.

Postremo in prætactis præconiis, glorio- A si viri ac martyres sancti Rusticus et Eleutherius socii præelecti Dionysii benedicti, eidem Sancto sublimiter sociantur. Erant namque et ipsi Deo carissimi et inter adversa intrepidi, habitacula Spiritus Sancti, et lumine contemplationis ornati. Hos igitur martyres gloriosos, qui sicut in vita sua se invicem dilexerunt, ita in morte non sunt separati, et sicut socii fuerunt in laboribus sanctis variisque suppliciis vitæ præsentis, ita nunc socii sunt in felicitate et gloria empyrei orbis, devotis- B sime invocemus, fervide diligamus, fortiter imitemur, et ad summi Dei contemplationem, ad futuræ beatitudinis considerationem crebrius nos extendamus.

SERMO TERTIUS

QUOMODO S. DIONYSIUS SOL IN ECCLESIA FUERIT; DE EJUS VITA ET EXCELLENTIIS; ET DE ECLIPSI TEMPORE PASSIONIS DOMINICÆ MIRABILI.

SOL in adspectu vas admirabile, opus Excelsi, radios igneos exsufflans ; magnus Dominus qui fecit illum, et in sermonibus ejus festinavit iter. Eccli. XLIII, 2, 4, 5.

Verba ista ad litteram de materiali planetarique sole scripta, de beatissimo ac divinissimo Dionysio spiritualiter convenientissime exponuntur. Ipse enim multis de causis sol appellatur. Primo, quoniam sicut sol sua luce totum illuminat mundum, sic excellentissimus doctor Dionysius universam suis doctrinis illustrat Ecclesiam, ut infra clarius innotescet. Secundo, quoniam sicut sol cunctis planetis ac astris exstat splendidior, sic post Apostolos et Evangelistas, inter universos Doctores Ecclesiæ illuminatissimus Dionysius profundior, sapientior et excellentior invenitur; estque doctrina ipsius magna auctoritate vallata, non solum ob ejus eximiam sanctitatem et præclara miracula, sed C etiam quia beatissimi Pauli apostoli fuit discipulus, et ab eo per triennium (ut legitur) est instructus. Hinc Hugo de S. Victore vocat Dionysium principem theologorum, et antonomastice nominat eum Theologum. Tertio, quoniam sicut sol inter omnia luminaria cœli major est quantitate, sic prælectus Dei Dionysius inter cunctos Doctores Ecclesiæ emicat multiplici dono virtutum ac gratiæ. Fuit etenim doctor, præsul et martyr, gratia prophetiæ, magnificentia miraculorum, sanctitate D eximia, gratia quoque (ut videtur) linguarum, venerandissima senectute, discipulatu et familiaritate Apostolorum ornatus. Quarto, quoniam sicut sol inferiora calefacit, fecundat, lætificat, sic beatissimus Dionysius ardentissimis suis eloquiis corda accendit fidelium divino amore, atque ad bene agendum provocat scriptis, exemplis, fama, miraculis, orationum quoque et meritorum suorum suffragiis, et

universam lætificat militantem Ecclesiam.

Denique istis ex causis sanctissimus pater Dionysius recte vocatur « vas admirabile », quia tot gratiarum receptaculum fuit. Eratque « opus Excelsi », videlicet Dei altissimi, qui solus potest hominem ad tantam virtutum sublimitatem, ad tam deiformem perducere perfectionem. Hinc divinus Dionysius « radios igneos » exsufflavit, id est sapientiæ suæ verba ardentia, splendida documenta, virtutum fulgorem, famæ sanctæ nitorem. « Magnus Dominus qui fecit illum », qui in corpore corruptibili tot et tanta supernorum charismatum dona plantavit. « Et in sermonibus Dei festinavit iter », id est, Deo jubente sanctus hic Pater celeriter ivit ad prædicandum per regna diversa.

Sed nunc gloriosissimi Dionysii virtutes et excellentiæ breviter sunt tangendæ. Prima excellentia ejus, est sublimitas sapientiæ, scientiæ, virtutum ac vitæ, quibus præ ceteris splendebat gentilibus ante suam conversionem. Quum enim adhuc esset
Act. XVII, 34. gentilis philosophus et Atheniensis, fuit præ ceteris valde ingeniosus ac studiosus, honestus et probus seu virtuosus, loquendo de virtutibus acquisitis, et eo modo quo quidam gentilium idololatrarum virtuosi fuisse narrantur, ut Hector, Julius, Cato et Tullius : juxta quem sensum ait S. Hieronymus, quod Deus concessit Romanis adhuc paganis monarchiam propter eorum virtutes. Unde Dionysius ante suam conversionem, a philosophis vocabatur Theosophus, id est Deum sapiens ; et Ala cœli, id est altitudine scientiæ suæ volans in cœlum ; ac Ionicus, quasi summus Græcorum philosophus. Fuit etiam rhetor mirabilis, astronomusque præclarus. Et fuit tam studiosus, quod ab Athenis usque in Ægyptum perrexit, ut ibi convenientius astronomicæ speculationi vacaret, eo quod aer sit ibi subtilis, quietus et purus, ita quod rarissime ibi sint tempestates et nubes.

Secunda excellentia ejus, est gratiosa ejus conversio, quam S. Lucas evangelista A compendiose describit, inter cetera dicens, quod quum Paulus apostolus venisset *Act.* XVII, 16 et seq. Athenas, quæ fuit nobilissima urbs Græcorum, in qua studium philosophiæ maxime viguit, incitabatur spiritus ejus in ipso, videns idololatriæ deditam civitatem, id est, anima ejus in se ipsa accendebatur et provocabatur ad prædicandum illis idololatris. Disputabat ergo cum Judæis et gentilibus ad Judæorum legem conversis, in Synagoga eorum, et in foro loquebatur quotidie ad adstantes. Quidam autem Epicurei et Stoi- B ci philosophi disserebant et disputabant cum Paulo. Aliique dicebant : Quid vult seminiverbius hic dicere ? Alii vero dicebant : Novorum dæmoniorum videtur annuntiator esse. Et apprehendentes Apostolum, duxerunt eum ad Areopagum, id est ad vicum in quo Mars colebatur : qui erat ibi vicus præclarior, quoniam ibi erat curia nobilium, et schola liberalium artium ; in quo et Dionysius floruit, et a vico illo Areopagita vocatus est. Quumque in vico illo staret Paulus apostolus, dixerunt ad C eum : Possumusne scire quæ sit hæc nova tua doctrina ? Nova enim quædam infers auribus nostris. Athenienses autem ad nihil aliud vacabant, nisi aut dicere aliquid novi, aut audire. Stans itaque Paulus in medio Areopagi, dixit : Viri Athenienses, per omnia quasi superstitiosos vos video. Præteriens enim et videns simulacra vestra, inveni aram in qua scriptum erat : Ignoto Deo. Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis.

Circa intellectum horum verborum sci- D endum est, quod Filio Dei Domino nostro Jesu Christo in cruce pendente, quum fieret supernaturalis illa eclipsis, Dionysius cum suo consocio Apollophane fuit *Matth.* XXVII, 45. in Heliopoli urbe Ægypti, vacans astronomiæ. Et visa illa eclipsi, admiratus est nimis, et multa de hoc cum suo contulit socio. Athenienses quoque philosophi considerantes mirabilia quæ fuerunt in illa eclipsi, præ admiratione obstupescentes dixisse leguntur : Aut Deus naturæ patitur, aut sidera fallunt, aut machina mun-

di peribit. Fuit enim illa eclipsis valde supernaturalis. Primo, quoniam naturalis eclipsis non fit nisi tempore conjunctionis incensionisque lunæ, dum directe supponitur soli. Tunc autem oppositio seu plenilunium fuit. Secundo, quoniam naturalis eclipsis non obscurat totam terram. Tunc autem factæ sunt tenebræ super universam terram, ut Evangelista testatur. Tertio, quia quum luna fuerit soli opposita circa sextam horam in medio cœli, tamen in vesperis restituta fuit suo loco in oriente. Quarto, quoniam illa eclipsis duravit per tres horas, quod supernaturale tunc fuit. Alia quoque mirabilia fuerunt in illa eclipsi. Unde philosophi tot mirabilibus visis, constituerunt aram illi Deo cujus virtute illa fiebant. Et quia illius Dei non habuerunt determinatam notitiam, affixerunt altari pro titulo, Ignoto Deo, id est, ara ista consecrata est in honore Dei nobis ignoti. Quem etiam orationibus et genuflexionibus, non animalium immolationibus, dixerunt esse colendum. De his multa scribit divinus Dionysius in epistola sua ad S. Polycarpum, in epistola quoque ad Apollophanem.

Matth. xxvii, 45.

Quum itaque Paulus apostolus dixisset Atheniensibus, Quod ignorantes colitis, utpote Deum, cui consecrata est ara illa, et cujus virtute facta est illa eclipsis, ego annuntio vobis; Dionysius diligentissime cœpit Apostoli verba advertere. Et quamvis facile crederet verbis Pauli, non tamen nisi post longissimam atque acerrimam cum Apostolo disputationem se credere fatebatur. Eisque disputantibus, contigit cæcum quemdam coram eis transire. Dixitque Dionysius Paulo : Si dixeris huic cæco, in nomine Dei quem prædicas, Vide, et viderit, statim credam. Sed ne magica arte utaris, ego tibi formam verborum præscribam. Sed ut omnis tolleretur suspicio, Paulus dixit Dionysio ut ipsemet verba illa proferret. Dixit ergo Dionysius cæco : In nomine Jesu Christi nati de Virgine, crucifixi, mortui, qui resurrexit, et ad cœlum ascendit, vide. Et protinus vidit.

Act. xvii, 23.

Tunc Dionysius cum sua familia et uxore nomine Damaris, ad fidem conversus est. Unde in Actibus legitur : Quidam viri adhærentes Paulo, crediderunt. In quibus et Areopagita Dionysius, et mulier nomine Damaris, et alii quidam cum eis.

Act. xvii, 34.

Tertia excellentia divini Dionysii, est sancta et fructuosissima præsidentia ejus. Nam triennio a Paulo apostolo informatus, Atheniensis episcopus est effectus : ubi prædicationi insistens, ipsam civitatem et maximam partem regionis illius convertit ad Christum. Verumtamen Beda et Scholastica historia dicunt : Hic est Dionysius qui a Paulo ordinatus episcopus, Corinthiorum gloriose rexit Ecclesiam. Ex quo videtur, quod fuit Corinthiorum episcopus. Potuit equidem successive in diversis locis præesse. Quum autem audisset magistrum suum Paulum Romæ a Nerone incarceratum, illuc profectus est; et Paulo per martyrium coronato, a B. Clemente in Galliam cum Rustico et Eleutherio missus est. Veniensque Parisios, multos convertit ibidem et undique.

Quarta excellentia ejus, est profundissima et maxima sapientia ejus, et quod tam multos, altos ac utilissimos libros edidit ac conscripsit inter tot persecutiones totque labores. Scripsit etenim librum de Divinis characteribus, in quo loquitur de summa Trinitate; item de Divinis nominibus, de Angelica hierarchia, de Ecclesiastica hierarchia, de Mystica theologia, de Symbolica theologia, alia quoque valde multa ac præclara volumina. Sed et diversas epistolas ad diversas personas, videlicet ad Joannem apostolum, ad Polycarpum, ad Timotheum, ad Titum, ad Caium, ad Dorotheum, ad Demophilum, etc. Huic divino Dionysio creditur Paulus revelasse ea quæ non licuit homini loqui, quæ scilicet vidit raptus in tertium cœlum. Unde de talibus tam profundissime ac elegantissime Dionysius scripsit, ut non a Paulo videatur ea didicisse, sed personaliter per raptum in tertium cœlum vidisse. Et sicut ante suam conversionem fuit summus philosophus,

II Cor. xii, 2, 4.

sic postmodum fuit summus theologus. Unde Damascenus taliter nominat eum : divinissimus ac theologicissimus sacratissimus Dionysius. Ex quibus verbis monstratur quantus in corde illius magni Joannis Damasceni fuit Dionysius iste.

Quinta excellentia ejus, est gloriosum martyrium ejus, et magnitudo miraculorum quæ contigerunt in eo. Quum enim Fescennius præfectus a Domitiano imperatore missus, venisset Parisios, et beatissimum Dionysium invenisset populo prædicantem, mox jussit eum captum, colaphizatum, irrisum, consputum atque durissimis loris vinctum, cum sociis suis sanctis Rustico et Eleutherio sibi adduci; fecitque eos a duodecim militibus acerrime flagellari, et magno pondere catenarum ligatos incarcerari. Sequenti die divinus Dionysius super ferream cratem igne supposito nudus extentus est, laudavitque Dominum, dicens : Ignitum eloquium tuum vehementer, et servus tuus dilexit illud. Deinde ad ferocissimas projectus est bestias, a quibus mansit intactus. Tunc eum in fornacem jactaverunt ardentem, sed ab igne mansit illæsus. Mox post hoc cruci affixus est, et diu cruciatus in ea. Inde ab iniquis depositus, rursus cum sociis suis aliisque fidelibus multis in carcerem est retrusus. Ubi dum celebraret, et fideles communicaret, Dominus Jesus Christus cum splendidissima luce advenit, et divinum Dionysium communicavit, dicendo : Accipe hoc, care meus, quoniam mecum est merces tua magna nimis. Post hæc, cum sociis suis est præfecto præsentatus, et novis attritus est suppliciis; et postremo ei ac sociis suis capita sunt abscissa. Tunc corpus beatissimi Dionysii protinus se erexit, caputque proprium elevavit, et illud inter brachia sua per duo milliaria tulit, angelo duce et cœlesti lumine præcedente, a loco dicto mons Martyrum, usque ad locum in quo nunc Dei providentia et sua electione quiescit. Tanta autem ibidem angelorum sanctorum insonuit melodia, quod multi eam audientes, conversi fuerunt.

Ps. CXVIII, 140.

Porro, quum post aliquantulum tempus S. Regulus præsul celebrans, Apostolorum nomina recitasset, adjunxit : Et beatis martyribus tuis Dionysio, Rustico et Eleutherio. Quo dicto, cœpit mirari quod eorum nomina sic sine advertentia protulit : quia eos adhuc vivere æstimavit. Moxque apparuerunt ei tres columbæ super crucem altaris sedentes, habentes sanctorum martyrum nomina sub suis pectoribus sanguine insignita. Quibus visis, agnovit Sanctos migrasse ad Dominum. Clodoveus rex Francorum corpus sanctissimi Dionysii irreverenter discooperiens, os ejus confregit ac rapuit, et protinus amens effectus est; pœnitens vero, sanitatem recepit. Michael imperator Græcorum, misit Ludovico regi Francorum, filio Caroli Magni, libros divini Dionysii de Hierarchiis, de Græco ad Latinum translatos. Qui cum gaudio suscepti sunt, et in ecclesia S. Dionysii positi. Tunc decem et novem infirmi fuerunt curati. Ex quo probatur, quod iste B. Dionysius Areopagita in Galliam missus fuit, de quo certum est quod illos edidit libros. Idem testantur Hincmarus Remensis episcopus et Joannes Sarracenus in epistolis suis ad Carolum regem; atque ex Revelationibus S. Brigittæ idem ostenditur. Postremo, in Speculo historiali multa leguntur præclara ac mirabilia de S. Dionysio, et qualiter Carolo Magno frequenter apparuit, Dagobertoque regi subvenit : quæ brevitati studens, dimitto. Sed et alia multa de excellentiis hujus Sancti possent hic recitari, quæ prolixitatem vitans pertranseo. Fuit autem nonaginta annorum dum prætacta pro Christo supplicia est perpessus.

Ecce hunc amantissimum Dei electum devotissime invocemus, singulariter diligamus, efficaciter imitemur; ejus sapientiam, patientiam, ferventissimam caritatem, pietatem, justitiam jugiter amplectamur.

AD RELIGIOSOS

SERMO QUARTUS

QUARE SOLI COMPARETUR ILLUMINATISSIMUS DOCTOR ET MARTYR SANCTISSIMUS DIONYSIUS.

SOL in adspectu vas admirabile, opus Excelsi, radios igneos exsufflans; magnus Dominus qui fecit illum, et in sermonibus ejus festinavit iter. Eccli. XLIII, 2, 4, 5.

Verba ista de sole planetari et orbiculari litteraliter scripta, de excellentissimo ac splendidissimo viro, sanctissimo Dionysio Areopagita, episcopo, doctore ac martyre, recte accipiuntur. Quemadmodum enim sol iste sensibilis ex suo adspectu admirabilis exstat ob suæ pulchritudinis eminentiam, ob suæ lucis exuberantiam, ob suæ activitatis seu causalitatis magnitudinem, ob sui motus velocitatem, ob suorum effectuum varietatem; sic sanctissimus et illustrissimus Dionysius vere mirabilis, laudabilis honorabilisque consistit propter hæc omnia.

Quemadmodum ergo sol materialis primo admirabilis est ob suæ pulchritudinis eminentiam (nam inter omnia sidera et planetas est speciosissimus); sic magnus et divinus Dionysius primo est admirabilis, laudandus, venerandus et imitandus propter excellentiam sui interioris multiplicisque decoris. Fuit namque omni virtute præclare ornatus, ferventissimus in amore, elevatissimus in contemplatione, heroicus et perfectus in omni sua conversatione. Fuit quoque morali pulchritudine decoratus, utpote venustissimis moribus in cunctis conspicuus. Unde si quid venialis culpæ interdum ex humana fragilitate incurrit, protinus igne sui amoris consumpsit, atque per alia multa illud mox abluit; omnique hora in pulchritudine profecit interna, et facies ejus interior, videlicet intellectus seu mens, coram Deo resplenduit donis sapientiæ, scientiæ, intelligentiæ atque consilii, virtute fidei et prudentiæ : imo tanta fuit in eo lux gratiæ, tantus sanctitatis ac sapientiæ splendor, quod in exteriori ipsius vultu tanta frequenter splenduit claritas, tantus igneus fulgor, tam angelicus apparatus, quod adversarii ejus qui venerant capere eum, viso eo territi, mox fugerunt.

In hac igitur pulchritudine beatissimum virum sectari non desistamus, quotidiana nostra peccata quotidie abluamus per cordialem contritionem, plenam confessionem, satisfactionem condignam, per gemitus et ploratus, per opera supererogationis, per fervorem divini ac fraterni amoris, per ardentes affectus boni communis, per æstuantia desideria honorationis divinæ majestatis ab omnibus, per pudorem et erubescentiam de nostris peccatis, per frequentes elevationes mentis ad Deum, et aliis facillime ignoscendo : quia per hæc et alia quædam, venialia dimittuntur, gratia et virtutes augentur, pulchritudo interior non solum conservatur, sed et perficitur. Et qui in istis quotidie se exercet, strenue occupat, assidue immorari assuescit, lignum, fœnum et stipulam non colligit, imo aurum, argentum, lapides pretiosos fidei fundamento superædificat. Occupemus ergo nos jugiter

I Cor. III, 12.

fructuose : et quanto diutius sumus in Ordine, quanto magis senescimus, quanto amplius ab hominibus reputamur, quanto majora aut plura a Deo dona sumpserimus, tanto vere humiliores, timoratiores, ferventiores efficiamur. Et indesinenter simus solliciti ne interior animæ nostræ vultus coram Deo fœdus appareat, aut aliquo modo commaculetur ; sed potius studeamus ut anima nostra quæ Salvatoris sui sponsa esse tenetur, ei quotidie magis ac magis complaceat, intimius uniatur, profundius immergatur, omnique hora speciosior fiat. Propterea Omnipotentis præsentiam semper pensemus, et coram eo nos incessanter constituamus, custodiamus, examinemus et occupemus.

Secundo divinissimus ac præstantissimus Dei electus Dionysius soli comparatur et sol vocatur, ob suæ lucis exuberantiam. Quemadmodum enim inter omnia cœlestia corpora sol lucidissimus est in se ipso, sic inter Sanctos Dei gloriosus doctor, martyr ac præsul Dionysius, magna ac admirabili splenduit luce. Nam et naturalis ingenii acumine valde præviguit, et lumine intellectus præfulsit. Naturalibus quoque scientiis fuit sublimiter præornatus, ita quod summus habebatur philosophus, et ob naturalis suæ sapientiæ præeminentiam appellabatur ante suam conversionem a gentilibus magistris, Ala cœli, atque Theosophus, id est Deum sapiens et divina præclare cognoscens. Porro ad fidem Christi a Paulo conversus apostolo, cœpit mox in omnibus admirabilis ac ferventissimus fieri, luceque gratiæ cœlestis superimpleri, evangelicæ legis sapientia copiosissime illustrari, totius sacræ Scripturæ intelligere sensum, et utriusque Testamenti Scripturas suo imprimere cordi, gratia altissimæ contemplationis sublimari, fidem secundum statum perfectum perfecte ac luculentissime possidere, rationes credendorum cum purificatissimæ mentis intelligentia certissima atque firmissima hereditare ac intueri. Sicque multiplici luce naturæ ac gratiæ, multiformi quoque sapientia et scientia erat splendidissime instar solis repletus, ornatus, præfulgens, ipsoque sole coram Deo incomparabiliter pulchrior, purior atque splendidior. Idcirco et nos ejus exemplo satagamus intus desuper adimpleri spiritualiterque ditari. Nec simus contenti angustiis nostris, sed omni die proficiamus in melius, ut lux gratiæ, splendor sapientiæ salutaris, intelligentia Scripturarum, contemplatio divinorum augeantur ac perficiantur usque in finem in nobis. Et imperfectum nostrum, defectuositates et miserias nostras quotidie acutius ac profundius intelligendo, non arbitremur nos apprehendisse, sed semper avidius meliora æmulemur charismata, et viciniora saluti apprehendamus.

Tertio theologicissimus Dionysius comparatur soli, ob suæ activitatis et causalitatis magnitudinem. Quemadmodum enim sol inter planetas et astra est summe activus et causalis, seu majoris ad causandum virtutis ; ita divinus Dionysius fuit inter Sanctos Altissimi vehementer activus, causalis ac virtuosus. Nam sicut sol totam illuminat machinam mundi, et suo accessu atque recessu in zodiaco, generationis et corruptionis dicitur causa in inferioribus istis ; sic gloriosus et præelectus Dionysius per sapientiam suam, et per libros quos edidit, per suam virtuosissimam vitam, per sua miracula, per suos quos hinc inde misit discipulos, universam Ecclesiam non solum tempore suo, sed nunc usque et usque in finem sæculi mirabiliter et copiosissime illustravit. Scripsit namque pulcherrimos ac profundissimos libros, in quibus difficiliora Scripturarum loca elucidavit. Qui libri instar pulcherrimorum astrorum in tota micant Ecclesia, omniumque acuunt, clarificant, vincunt, elevant et accendunt ingenia. Et ipse electus Christi, christianæ religioni, verbo, scripto et factis plurimum profuit valde. Enitamur ergo et nos pro posse nostræ exiguitatis alios illustrare saltem exemplo, fama, oratione ; et opportuno loco ac tempore,

Act. XVII. 34.

Philipp. III, 13. I *Cor.* XII, 31. *Hebr.* VI, 9.

etiam verbis caritative hortando, prudenter consulendo, pie corripiendo, omnique modo nobis possibili gratiam quam suscepimus, proximis liberalissimo ferventissimoque affectu communicando.

Quarto comparatur soli, ob sui motus velocitatem : quia non solum velocissime, promptissime ac habitualissime ferebatur mente in Deum contemplando atque amando, sed instar aquilæ per Ecclesiam militantem volavit, per terras undique discurrebat, prædicando ac mirabilia perpetrando, et innumerabiles convertendo. Nam et Atheniensium quamplures ac maximam Græciæ partem convertit ; deinde, tanquam splendidissimus sol ingressus est
Ps. LI, 10. Galliam, in qua tanquam uberrima fructificavit oliva. Et nos itaque pro aliorum conversione, pro totius mundi salute, pro vivis ac mortuis, omni qua possumus laboremus et oremus virtute.

Quinto comparatur soli, ob suorum effectuum varietatem. Quemadmodum enim sol valde mirabiles, diversos ac fortes habet effectus in cœlestibus et terrestribus, in elementis ac mixtis, imo et in terræ visceribus ac occultissimis locis ; ita venerandissimus senior Dionysius admirabiles, varios atque prævalidos produxit effectus in hominum cordibus per sua verba et opera, orationes atque miracula, virtutes ac scripta, plurimos purgando, illuminando, perficiendo, compungendo, terrendo, consolando et inflammando. Et in omnibus habuit socios gloriosos Rusticum presbyterum Eleutheriumque diaconum, sibi fidelissime adsistentes, constantissime cooperantes, in omni virtute inclyte consummatos, qui et secum palmam martyrii sunt adepti.

Hunc ergo præstantissimum ac divinissimum virum, sanctissimum præsulem, victoriosissimum martyrem, elevatissimumque doctorem, laboriosissimum ac fructuosissimum in Dei Ecclesia operatorem, specialissime honoremus, singulariter diligamus, devotissime invocemus una cum gloriosis sociis ejus.

SERMO QUINTUS

DE LIBRIS S. DIONYSII ; ET QUOMODO IN PRIMITIVA ECCLESIA SÆCULO MONACHI ABRENUNTIABANT.

NONNE *Dominus fecit Sanctos suos enarrare omnia mirabilia sua, quæ confirmavit Dominus omnipotens stabilis in gloria sua ?* Eccli. XLII, 17.

Vere inter Sanctos Altissimi qui ejus mirabilia enarraverunt, fuit unus de maximis sacratissimus et excellentissimus doctor, antistes ac martyr Dionysius, qui tam maximi fuit fervoris, quod non suffecit ei mirabilia Dei loquendo ac prædicando narrare, sed curavit ea ad perpetuam rei memoriam, ad Omnipotentis honorem atque totius Ecclesiæ ædificationem præcipuam, etiam in scriptis redigere. Scripsitque ea ferventissimo, affectuosissimo ac profundissimo stilo, diversa componens volumina plurimasque epistolas, non obstantibus innumerabilibus ac gravissimis tribulationibus quibus tunc plena fuit Ecclesia. Unde de mirabilibus Dei quæ fecit in cœlesti Jerusalem, in angelicis mentibus, in patria Beatorum, scripsit in libro de Angelica hierarchia. Porro de mirabilibus Dei in Ecclesia militanti, et de diversis ritibus, observantiis, cærimoniis Ecclesiæ primitivæ, scripsit in libro de Ecclesiastica hierarchia. Sed et de variis mirabilibus Dei in utriusque Testamenti libris conscriptis, tangit in diversis voluminibus suis ; similiter de miraculis San-

ctorum Ecclesiæ primitivæ, de quibus omnibus longe et late, diu et copiosissime prædicavit.

Deinceps hujus sacratissimi Dionysii multæ et magnæ sunt excellentiæ. Et quamvis fuerat omni virtutum excellentia mirabiliter decoratus, specialissime tamen abundavit in multiplici sapientia, utpote philosophica et theologica, acquisita et infusa, atque in theologia anagogica, symbolica et mystica. Eratque contemplator elevatissimus, mysticam copiosissime theologiam expertus, in dono sapientiæ consummatus. Insuper mirabiliter abundavit in divini amoris ardore, et ignei instar carbonis arsit in Deitatis dilectione. Fuitque totus accensus zelo divini honoris desiderioque fraternæ salutis, tanquam veraciter alter Paulus, totis optans præcordiis Deum in omnibus perfectissime honorare, atque ad idem alios universos affectans inducere. Ex quibus processit alia excellentia ejus, videlicet infatigabilis labor suus pro communi bono Ecclesiæ, in discurrendo, prædicando, docendo, episcopale officium exercendo, et compilando tractatus quamplurimos de divinis, angelicis et ecclesiasticis rebus. Ideo Christus ei in carcere celebranti dignatus est apparere, deditque ei corpus suum, dicendo : Accipe hoc, care meus, quia merces tua magna est nimis. Alia demum excellentia ejus, est abundantissimus fructus quem in Ecclesia fecit modis prætactis. Rursus excellentia ejus alia, est dignitas sua episcopalis. Alia etiam ejus excellentia, est gloria atque constantia sui martyrii, et miraculorum præclaritas quæ contingebant in eo. Siquidem ferocissimis projectus bestiis, mansit illæsus ; in fornacem item ardentem jactatus, nequaquam est ustus ; et quum atrocissime cum suis sociis flagellaretur, patientissimus perstitit. Super ferream insuper cratem extentus est, igne supposito ; atque post hæc cruci affixus, in ea diu est tortus. Sed et alia multa perpessus est. Et tandem decapitatus, proprium caput levavit de terra, tulitque illud propriis manibus per duo milliaria, angelo duce et cœlesti lumine præcedente, concinentibus angelis sanctis in aere. Quorum melodiam cœlestem plurimi audientes, ad fidem conversi sunt. Et merito tam specialiter est ab angelis beatissimis honoratus, qui tam reverentissime, altissime ac devotissime scripsit de eis, honoravitque eos variis modis totis viribus suis.

Porro in libro de Ecclesiastica hierarchia, de sacramentis quibusdam Ecclesiæ tractans, de ritu et mysterio monasticæ institutionis secundum primitivæ morem Ecclesiæ inter cetera loquitur. Ponitque tres ordines perficientium, utpote : ordinem diaconorum, quem asserit esse mundativum seu purgativum ; ordinem quoque sacerdotum, quem dicit esse illuminativum ; et ordinem episcoporum, quem esse perfectivum fatetur. Conformiter ponit tres ordines eorum qui perficiuntur : unum et infimum, eorum qui excluduntur, puta catechumenorum, qui lecto evangelio, egrediebantur ecclesiam, nec admittebantur ad inspectionem aut participationem mysteriorum sacrorum ; secundum, populi communis atque fidelis, qui ad sacramentorum communionem ac visionem admittitur ; tertium, monachorum : ita quod inter eos quorum est purgari, illuminari ac perfici, monachi sunt supremi, quorum est, generali virtute et perfecta conversationis castitate esse mundatos. Unde quidam Apostolorum vocaverunt eos Dei famulos, propter purum atque assiduum Dei famulatum. Alii vocaverunt eos monachos, a monade seu unitate, propter singularem eorum vitam, quæ simplicium contemplatione et tractatu unit eos ad divinæ simplicitatis conformitatem, ac perfectionem Deo amabilem. Propter hoc ecclesiastica constitutio attribuit eis perfectivam gratiam, scilicet quoad se ipsos ; et sacerdotali (non pontificali) invocatione benedicuntur, sacerdotumque ministerio sanctificantur a Deo. Sacerdos namque monachum benedicens, stat ante altare, cum cantu invocans Deum pro monacho.

Monachus autem qui benedicitur, retro sacerdotem stat erectus, nullum genu flectens, nec super caput Evangelia habens. Sacerdosque monachum benedicens, interrogat monachum, an omnibus sæcularibus conversationibus et phantasiis velit renuntiare. Quo respondente quod imo, recitat ei sacerdos quæ sit perfecta atque sancta conversatio monachorum, et quod oporteat eum perfectius vivere plebe communi. Signansque eum cruce, tondet ipsum cum invocatione sanctissimæ Trinitatis. Pristina quoque veste exuens eum et alia induens, et cum cunctis fidelibus qui adstant osculans eum, facit eum Eucharistiæ communicare.

Præterea, quod monachus nullum genu flectit, nec super caput Evangelium habet, designat quod non est officii sui alios edocere seu Deo adducere, aut animarum gerere curam, sed sui esse sollicitum, et singulariter erigi ad superna. Quod autem retro sacerdotem stat, significat quod debet sacerdotibus obedire, eisque se prompte credendo, ab ipsis ad divinam scientiam sibi competentium sursumagi. Quod autem renuntiat sæcularibus conversationibus ac phantasiis, significat perfectam monachorum sapientiam ordinatam : quia ipsorum est ad sanctam unionem recolligi. Signatio quoque cruciformis designat in eis abstinentiam ab omnibus carnalibus desideriis. Detonsio vero capillorum caput denudans, signat in eis mundam et non fictam conversationem, nec mentis simplicitatem exteriori compositione ficte ornatam, sed mentem in sui puritate ad Dei conformitatem esse erectam, non per apparentiam exteriorem, sed per singularem Dei virtutem interiorem. Mutatio vestis in ipsis, significat translationem ad gradum et ordinem altiorem, atque ut differant a vita plebis communis. Porro, quod osculantur eum sacerdos atque adstantes, signat communionem fidelium, qui Deo conformantur, et sibi invicem in eo spiritualique gaudio sibi mutuo condelectantur. Quod autem communicat tandem, designat quia si vere retinuerit vitam monasticam, erit contemplativus sacrorum, non ut populus, neque secundum modum vulgi communicabit sacramentis, sed secundum spiritualem intelligentiam notitiamque divinam. Eucharistiæ quippe acceptio, est consummatio cujuslibet ecclesiasticæ participationis, quia singuli ordines secundum proprios gradus aut dignitates participant Eucharistia tanquam divinissima atque dignissima inter divinas communiones quibus nunc participamus ad nostræ deificationis elevationem ac perfectionem.

Ecce ex præinductis beatissimi Dionysii eloquiis constat, quod in monachis debet esse continua ac perfecta sollicitudo interna pro proprii cordis custodia pura, mentisque elevatio ad superna : quia ipsorum est Deo semper uniri, et corde ad cœlestia adunari, ut ad nihil terrenum inclinetur eorum affectus, ut Deo in vera ac intima simplicitate deserviant, omni fictione, calliditate ac duplicitate abjectis.

Postremo, monachorum est renuntiare sæcularibus rebus, non solum quantum ad possessionem seu adeptionem earum, sed etiam cogitationibus affectionibusque ipsarum, ut non sit eis pro temporalibus aut vitæ necessariis cura, quatenus puro ac libero mentis ascensu ferantur in Deum, atque in ipso quiescant.

Hæc igitur studeamus peragere et implere ; et si nondum tales exsistimus, tales fieri strenue laboremus : et gloriosissimum virum, magnum Dionysium, qui tam originaliter ac fundamentaliter scripsit de monachali conversatione et perfectione, ritu, consecratione ac mysterio monachorum, nos religiosi et monachi, tanquam specialem magistrum qui solus veraciter sufficit ad fidei confirmationem, specialiter valde diligamus, veneremur et invocemus ; ac præfatas ejus virtutes, caritatis fervorem, sapientiæ claritatem, zelum divini honoris, affectum boni communis, sanctorum laborum instantiam, patientiamque invictam fideliter, perseveranter ac fervide imitemur. Ad laudem Dei.

IN FESTO
S. LUCÆ EVANGELISTÆ

Enarrationem epistolæ, Qui timet Deum, etc., *cum suo sermone, require in festo S. Joannis evangelistæ ; enarrationem evangelii,* Designavit Dominus Jesus et alios septuaginta duos, etc., *in festo SS. Simonis et Judæ.*

SERMO PRIMUS

DE LAUDIBUS S. LUCÆ EVANGELISTÆ, ET QUOMODO NATURALIA FIANT VIRTUOSA.

VOS estis lux mundi. Matth. v, 14. Ista sunt verba Christi ad Apostolos. Quæ de Evangelistis etiam aptissime exponuntur. Fuit ergo sacratissimus Lucas evangelista lux mundi, quoniam Evangelium et Actus Apostolorum conscribendo, totum illuminavit orbem terrarum, id est totum genus humanum, et usque in præsens illuminat atque in finem sæculi illustrabit universam in terris militantem Ecclesiam.

Hujus sancti Evangelistæ multæ sunt laudes et excellentiæ. Prima, quod in naturalibus fuit præclarus. Quæ quamvis in se non sint meritoria, tamen dum bene utimur eis, sunt instrumenta adjutoriaque virtutum. Lucas vero evangelista optime usus est eis. Fuit ergo in naturalibus, scilicet in donis naturæ et artibus atque habitibus acquisitis, multum sublimis. Nam ut ait Græcus expositor, egregiæ indolis fuit et velocis ingenii ; Græcorum quoque scientiam et poesim, rhetoricam ac persuadendi leporem, philosophiamque didicit. Fuit etiam medicus valens ; et pictor subtilis, gloriosæ Virginis depinxit imaginem.

Secunda laus ejus est, sua perfecta ad Christum conversio. Et dicunt nonnulli, quod fuit unus de septuaginta duobus Christi discipulis. Unde Græcus expositor ait, quod acceleravit ad Judæam, et corporaliter atque verbo tenus Christum adiit, ac ejus discipulus factus est, plurimumque conversatus cum eo. Theophilus vero testatur, quod non fuit discipulus Christi ab initio prædicationis Christi, sed tempore procedente. Porro S. Hieronymus asserit eum fuisse discipulum Apostolorum, non Christi ; et Glossa testatur, quod prædicanti Domino Jesu non adhæsit, imo post ejus resurrectionem venit ad fidem. Quibus magis consonare videtur quod ipsemet Lucas in procœmio evangelii sui fatetur, dicendo : Quoniam quidem multi conati sunt ordinare narrationem quæ in nobis completæ sunt rerum, sicut tradiderunt nobis qui ab initio viderunt, etc. Quidquid autem horum dicatur, ipse B. Lucas, natione Syrus et Antiochenus, omnia sua reliquit, et Christi imitator perfectus est factus, pristinas suas artes postponens, et documentorum miraculorumque Christi avidissimus studens effectus est. *Luc.* 1, 1, 2.

Tertia laus ejus est, quod Paulo apostolo tam inseparabiliter usque ad Pauli mortem adhæsit. Consideravit namque sapientiam et fervorem multamque excellentiam tanti Apostoli. Ideo sapientissime egit, quod ei tam fideliter mansit cohærens, juxta quod in Ecclesiastico scriptum est : Cum viro sancto assiduus esto; *Eccli.* XXXVII, 15. et item, Quum videris sensatum, statim *Ibid.* VI, 36. evigila ad illum. Unde ad Timotheum loquitur Paulus : Lucas est mecum solus; II *Tim.* IV, 11. et alibi, Salutat vos Lucas medicus caris- *Coloss.* IV, 14. simus. Hinc in Actibus Apostolorum gesta Pauli describit apostoli usque ad finem libri.

Quarta laus ejus est, quod tam copiosissime illuminavit totam Ecclesiam, non solum Evangelium, sed et Actus describendo Apostolorum. Ejusque evangelium est valde ornatum, planum, plenum, delectabile et jucundum. Nam fundamentaliter incipit a Christi præcursore, atque de Christi incarnatione, nativitate, circumcisione, oblatione in templo, multa saluberrime ac compendiosissime scribit, quæ ab aliis erant Evangelistis omissa. Hinc S. Lucas dicere potuit illud Ecclesiastici : Doctri- *Eccli.* XXIV, 44-46. nam quasi antelucanum illumino omnibus, et enarrabo illam usque in longinquum, et illuminabo omnes sperantes in Domino, et relinquam illam omnibus quærentibus sapientiam. Unde et hic Evangelista merito appellatus est Lucas, quia certissime lucens, imo et lucidissimus fuit, radios sapientiæ suæ per scripta sua ubique diffundens.

Quinta laus ejus est, quod in virginitate permansit. Ex quo elicitur, quod honestissimæ fuerit conversationis, etiam ante conversionem suam ad Christum, quod scilicet in tot artibus occupatus ac eruditus, florem non perdidit virginitatis. Possent et aliæ ejus laudes commemorari, ut quod sancta senectute exstitit decoratus. Nam octoginta quatuor vixit annis, secundum Hieronymum in libro de Viris illustribus : quod etiam alibi loquitur.

Itaque tam gloriosi Evangelistæ documentis obediamus, adhæreamus vestigiis, castitatem sequamur.

AD RELIGIOSOS

SERMO SECUNDUS

DE DUODECIM CONSILIIS EVANGELICIS : E QUIBUS TRIA PRÆEMINENT, QUÆ RELIGIOSI VOVENT, PAUPERTATIS VIDELICET, CASTITATIS ET OBEDIENTIÆ ; QUIBUS JUNGUNTUR HIC QUARTUM ET QUINTUM, ID EST CARITATIS ET PATIENTIÆ.

LUX in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt. Joann. I, 5.

Verba hæc de Christo litteraliter scripta, de ejus evangelista lucidissimo Luca congrue exponuntur, qui luce evangelii sui lucet in tenebris hujus mundi, tenebrosa illuminans corda, nisi sint indurata et reproba, quæ Evangelistam istum non comprehendunt per formatam notitiam, salutarem scientiam, vitæque imitationem. Porro, sicut Evangelista iste præfulgidus in evangelio suo omnium Christianorum vitam sufficienter instituit ac informat, describendo generalia Christi præcepta ac fidei documenta atque moralia dogmata ; sic et religiosos specialiter edocet, Salvatoris describens consilia, ac perfectissima ejusdem opera, in quibus eum sectari spe-

cialiter obligantur religiosi. Quemadmodum autem ponuntur decem præcepta, ita duodecim sunt Christi consilia, a sanctis Evangelistis sparsim expressa. Inter quæ eminent tria, omni substantialia religioni.

Primum ergo consilium est de castitate perpetua observanda. Unde ait Salvator : *Luc.* XIV, 26. Si quis venit ad me, et non odit patrem *Matth.* XIX, 12. suum et matrem et uxorem ; item, Sunt eunuchi qui se ipsos castraverunt propter regnum Dei. Et quum discipuli dixissent *Ibid.* 10, 11. ad eum, Si ita se habet causa hominis cum uxore, non expedit nubere ; ipse respondit : Non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est. Quo responso ostendit istud non esse necessitatis, sed supererogationis, nisi eis qui castitatem voverunt. Quæ quanta sit virtus, constat ex eo quod *Eccli.* XXVI, 20. in Ecclesiastico fertur : Omnis ponderatio auri non est digna continentis animæ. Istud consilium seu castitas hæc per lapidem designatur sapphirum, qui aerii exstat coloris, quemadmodum cœlum quando serenum est. Sic pauperes a terrenorum carnaliumque affectu penitus elongati, atque cœlestibus solis intenti, colorem habent cœlestem et animum cœliformem. Sapphirus quoque libidinis ardorem refrigerat, et oculos purgat. Sic castitas concupiscentiarum tollit et exstinguit fervorem, interioresque purgat oculos, ne concupiscentiis et carnalibus appetitionibus offuscati, a divinorum contemplatione, a veri ac falsi, boni ac mali discretione ac actibus rationis impediantur, sed divina atque salubria limpide speculentur, II *Cor.* III, 18. prout ait Apostolus : Nos revelata facie gloriam Domini speculantes.

Secundum consilium est de paupertate servanda. De quo ait Sapientia Dei Patris : *Matth.* XIX, 21. Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus ; et denuo, *Luc.* XIV, 33. Qui non renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Cujus rei exemplum præbuit semetipsum, *Ibid.* IX, 58. dicendo : Volucres cœli nidos habent, et vulpes terræ foveas ; Filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet. Et iterum dixit : Beati pauperes, quia vestrum est regnum Dei. Hæc paupertas designatur per lapidem smaragdum, qui viridissimi est coloris, in tantum quod ex ejus propinquitate et fulgore, aer circumstans videtur virere. Ita paupertas spontanea, eo ipso quo avaritiam, quæ idolorum est servitus, tollit, et cupiditatem omnium vitiorum radicem prosternit ac sedat, mentem facit pulchre virere, et omni virtute virescere. Smaragdus quoque in tantum amator sive exactor est castitatis, quod carnalium operum fœditatem non patitur nisi rumpatur. Sic voluntaria et religiosa paupertas castitatis est nutrix, quemadmodum opulentia carnalitatum est mater. Smaragdus insuper morbum avertit caducum ac tempestates. Ita certissime ista paupertas inquietudines sollicitudinum et timorum, ac variarum tentationum et vitiorum quæ ex avaritia nascuntur et hominem ad ruinam impellunt, tollit seu mitigat. *Luc.* VI, 20. *Ephes.* V, 5. I *Tim.* VI, 10.

Tertium consilium est de propriæ voluntatis abnegatione seu obedientia plena. De quo asserit Filius Dei : Qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam quotidie, et sequatur me ; itemque, Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. Hoc consilium ceteris duobus jam prætactis præstantius est, quia per obedientiam mactatur ac Deo sacrificatur ipsa voluntas : idcirco significatur per topazium, qui aurei fertur coloris, imo omnium est colorum. Quemadmodum autem aurum inter metalla præfulget, sic obedientiæ virtus inter prætacta vota atque consilia religiosorum, et omnium actus virtutum sub obedientia cadere possunt. *Luc.* IX, 23. *Joann.* XII, 25.

Præterea, quia religiosi debent esse huic mundo defuncti, et perfecte implere quod hortatur Apostolus, Nolite conformari huic sæculo, sed renovamini spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in sanctitate et justitia veritatis ; hinc recte divinitus est statutum, ut prætacta faciant tria vota, quia per ea plenarie elongantur ab his *Rom.* XII, 2 ; *Ephes.* IV, 23, 24.

quæ in mundo magis abundant, et a radicibus vitiorum: quia ut sanctus ait Joannes apostolus, Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ. Castitas autem contrariatur concupiscentiæ carnis, et eam refrenat, eamque refrenando a diversis ac gravibus præservat peccatis. Idcirco, nequaquam sufficiat religioso a carnalibus abstinere operibus, sed a concupiscentia quoque omni illicita, ab omni cogitatione lasciva, a carnali adspectu, ab osculis atque amplexibus contactibusque infectivis, sensualibus, libidinosis, imo ab omni eo quod carnalem concitat affectionem ac stimulum. Porro paupertas contrariatur concupiscentiæ oculorum. Propterea ab omni immoderata temporalium appetitione abstineamus, ut nec superflua nec curiosa desideremus, acquiramus aut reservemus, nec ad ea quorum nobis conceditur usus, inordinate afficiamur, imo ad resignationem habeamus cor semper paratum. Parum est equidem ipsis rebus carere, sed necesse est cupiditates eradicare, quæ nisi radicitus evellantur, in parvis rebus acrius vigent. Unde quidam religiosi impetuosius afficiuntur ad parva eis pro usu concessa, quam aliqui sæculares ad grandes suas divitias : quod periculosissimum esse non latet, quum abdicatio rerum ad eradicationem appetituum finaliter ordinetur, nec aliter in divina ac spirituali caritate proficiatur. Unde et tales pro parvis ac vilibus rebus turbantur et turbant, caritatemque lædunt in se ipsis ac aliis. At vero obedientia contrariatur superbiæ vitæ. Hinc humilitas in obedientia includitur, quemadmodum sobrietas in paupertate. Unde sicut tenuitas victus et vestitus voto paupertatis inseparabiliter est annexa, ita humilitas obedientiæ voto : nam sicut superbia causa est rebellionis et immansionis ac inobedientiæ, ita humilitas ad obediendum et acquiescendum disponit. Hæc itaque tria vota fidelissime impleamus : quorum res ipsas seu virtutes sanctus evangelista Lucas eminenter implevit, quia in virginitate permansit, temporalia cuncta propter Christum reliquit, et Paulo apostolo usque ad mortem ipsius adhæsit ac paruit.

I *Joann.* II, 16.

Quartum consilium est de adimpletione caritatis. Nempe quod ait Salvator, Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos : secundum unam expositionem præceptum est, secundum aliam vero consilium. Est namque præceptum quoad dilectionis affectum : quoniam inimicorum conversionem et salutem tenemur appetere, saltem in generali, et quando opportunitas id requirit, etiam in speciali. Est autem consilium quantum ad dilectionis effectum : casu necessitatis excepto, in quo tenemur eis tam spiritualia quam corporalia beneficia exhibere ; nec debemus eos a communibus orationibus excludere. Alias pro eis in speciali orare, eisque beneficentiæ opera et benevolentiæ signa impendere, consilii et supererogationis exsistit, nisi dum veniam petunt, vel ad familiaritatem se sinceriter ingerunt. Non tamen oportet eos ad familiaritatem seu societatem admittere, quum scriptum sit in Ecclesiastico : Non credas inimico tuo in æternum. Mille enim doli in corde illius, et ubi non præsumis, elidet te. Hoc consilium designatur carbunculo, qui lapis ignei est coloris, et magis lucet in nocte, aliorumque lapidum fertur habere virtutem. Sic caritas spiritualis est ignis, alias in se includens virtutes, quæ etiam in adversis magis apparet. Studeamus itaque istud consilium perfecte implere, et benevolentiæ indicia atque beneficentiæ facta supereroganter adversariis exhibere, et ita frangere eorum duritiam, mitigare aversionem, et in bono vincere malum, quum et Salomon protestetur : Munus absconditum exstinguit iras, et donum in sinu, indignationem maximam.

Matth. V, 44.

Eccli. XII, 10.

Rom. XII, 21.

Prov. XXI, 14.

Quintum consilium est de perfecta mansuetudine et patientia, quum ait Salvator : Quum quis percusserit te in unam maxillam, præbe ei et alteram. Quod secundum

Matth. V, 39.

animi præparationem intelligendum censetur, quando videlicet expedit taliter fieri. Et rursus quum ait : Qui vult tecum judicio contendere et tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium. Nempe cum prava contentione et fraude seu inordinate nulli licet sua repetere. Imperfectis autem licet, cum caritate et ordine juris ; perfectis, non, nisi forte bonum commune aut caritas ipsa expostulet aliud, aut ecclesiastica bona diripiantur. Religiosis vero non licet repetere sua ut sua, sed ut congregationis. Hoc consilium significatur per amethystum, qui violacei est coloris, habetque refrigerativam ac lenitivam virtutem, et operatur contra ebrietatem ; malas quoque reprimit cogitationes, et confert in scibilibus intellectum. Sic mansuetudo et patientia, iræ et impatientiæ refrenant impetum ac fervorem, et animi turbulentiam, quæ est ejus ebrietas, sedant ; mentem quoque ad sapientiam et considerationes acutas aptificant. Propter quod Jacobus ait apostolus : In mansuetudine suscipite insitum verbum. Et Psalmista loquens de Deo : Diriget (inquit) mansuetos in judicio, docebit mites vias suas. Istud itaque impleamus plenarie, nulli pro malo malum, maledictum pro maledicto, oblocutionem pro oblocutione, irrisionem pro irrisione reddentes. Quod si unum durum verbum ferre non possumus, quomodo alapam æquanimiter patiemur ? Et si unam patienter non ferimus, quando ad aliam tolerandam habebimus cor paratum ? Exemplo igitur beatissimi Lucæ evangelistæ, qui crucis mortificationem in suo corde ac corpore tulit, quotidie moriamur nobis ipsis ac mundo totaliter, solique Deo vivamus salubriter.

Matth. v, 40.

Jacob. I, 21.

Ps. XXIV, 9.

I *Petr.* III, 9.

SERMO TERTIUS

DE SEPTEM RELIQUIS CONSILIIS EVANGELII, SCILICET MISERICORDIÆ, NON JURANDI, VITANDÆ OCCASIONIS PECCATI, RECTÆ INTENTIONIS, ETC.

LAUS ejus est in Evangelio per omnes Ecclesias. II Cor. VIII, 18.

Ista sunt verba Pauli apostoli. Quæ communiter exponuntur de Luca evangelista, qui universis Christi fidelibus erat laudabilis, amabilis et honorabilis propter elegantiam evangelii quod conscripsit. Qui et librum Actuum Apostolorum ad ædificationem et illuminationem totius Ecclesiæ utilissime compilavit, et in evangelio de Christi tractat consiliis. Christus namque, qui erat via, veritas et vita, verusque Deus et sapientia Patris, atque in natura assumpta, quoad superiorem portionem ipsius, multiplici sapientia, imo et beatifica visione fruitioneque plenus, optime noverat compendiosiora itinera pertingendi ad veram salutem : ideo dedit inde consilia, quæ sunt semitæ ad beatitudinem compendiosius perducentes, atque ad caritatis perfectionem, cui magnitudo præmii essentialis correspondet, efficacius disponentes. Et quia de quinque evangelicis Christi consiliis in sermone dictum est præcedenti, nunc de reliquis septem est prosequendum.

Itaque sextum consilium est de abundanti exhibitione operum misericordiæ, tam spiritualium quam corporalium, ut quum ait Salvator : Omni petenti te tribue. Quod uno modo præceptum est, ut scilicet de superfluo demus in necessitatis articulo ; dare vero de his quibus personaliter indigemus, exstat consilium. Unusquisque igitur opera misericordiæ spiritualia ac corporalia pro suis exhibeat

Joann. XIV, 6.
I *Cor.* I, 24.

Luc. VI, 30.

Matth. v, 7. viribus. Beati enim misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur; et, *Ps.* xl, 2. Beatus qui intelligit super egenum et pauperem. Hinc tentatis, afflictis, lapsis ac miseris intime compatiamur, atque pro posse auxiliemur, et quod effectu non possumus, agamus affectu. Peccantibus quoque in nos condoleamus magis quam irascamur aut indignemur, ac libentissime ignoscamus, etiam non rogati. Hoc consilium per onychinum designatur, qui magnitudinem et colorem habet unguis humani, valetque contra scabiem, et vultum dealbat, nocivos quoque humores depellit ex oculis. Sic opera misericordiæ omnem vitiorum delent fœditatem, interioremque faciem ornant, et pravos ex corde expellunt affectus.

Septimum consilium est de non juran- *Matth.* v, 34, 37. do, ut quum loquitur Dominus : Ego dico vobis, non jurare omnino; sit autem sermo vester, Est, est; Non, non. Istud secundum unam expositionem est unum de decem præceptis. Alio modo consilium est per respectum ad perfectos, nisi ad juramentum rationabiliter compellantur. Pusillis vero et infirmis interdum jurare, et juramentum exigere, est permissum. Hoc consilium designatur per jaspidem, qui viridis est coloris, estque transparens, et rubeis venis ornatur. Sic locutio nostra debet esse fructuosa instar virentium terræ nascentium, et clara, non sophistica, versuta, dolosa sive mendosa, et caritatis igne debet esse formata. Jaspis quoque repellit febrem atque hydropisim, restringitque sanguinis fluxum. Sic sermo simplex, sincerus, benignus, iram, avaritiam, concupiscentiam curat.

Octavum consilium est, ut vitetur peccati occasio, quia aliter aut vix aut non vitatur peccatum, ut quum ait Salvator : *Ibid.* 29. Si oculus tuus scandalizat te, etc. Quod secundum unam expositionem, consilium est, ut scilicet membra refrenentur non solum ab actu illicito, sed etiam ab occasione hujusmodi actus, ut est morosa inspectio mulieris. Sic et in divinis hinc A inde adspicere, aut in aliquem figere visum, occasio est malorum : ideo est vitandum. Hoc consilium designatur per chrysolithum, qui lapis est stultitiam fugans, sapientiam conferens, et micat ad solem velut aurea stella, resilitque ab igne. Sic certe occasiones peccandi vitare, magnæ est sapientiæ; et eas admittere sive assumere, magna exstat fatuitas. Similiter hæc cautela tanquam stella illustrat ac dirigit animam, et a periculo peccati facit eam protinus resilire. Hinc scriptum est : B Sapiens timet et declinat a malo, stultus confidit et transilit. *Prov.* xiv, 16.

Nonum consilium est de rectitudine intentionis ac finis. Quod uno modo præceptum est, quum bonitas actionis ex bonitate dependeat finis, juxta illud : Si oculus tuus fuerit simplex, etc. Unde rursus Dominus jubet : Primum quærite regnum Dei et justitiam ejus. Oportet enim certis temporibus referre opera ad debitum finem, et rectificare intentionem. Sed frequentius vel in omni actu hoc agere, C exstat consilium. Hoc autem consilium significatur per beryllum, qui valet contra pericula hostium, hominem quoque reddit invictum; reconciliat etiam inter conjugatos amorem. Sic recta intentio valet contra vanitatum et elationum tumores, et contra invisibiles hostes facit hominem prævalere; animam item reconciliat Sponso cœlesti. Nil ergo vanæ gloriationis, nil sinistræ intentionis, nil obliquitatis insit cordibus nostris, aut nostris misceatur operibus. *Matth.* vi, 22. *Ibid.* 33.

D Decimum consilium est, ut vita conformetur doctrinæ, et operatio prædicationi concordet, ut dum asserit Christus : Qui fecerit et sic docuerit homines, hic magnus vocabitur in regno cœlorum. Istud autem præceptum est, loquendo de illa doctrina seu prædicatione quæ omnium concernit salutem, ut est observantia præceptorum. Consilium vero est, dum prædicatio est de supererogationis operibus. Imo ad monachos spectat, plus abundare operibus virtuosis quam doctrina aut ver- *Ibid.* v, 19.

bis, juxta quod ait Chrysostomus : Audiant te homines magna facientem et parva præcipientem. Sed jam, proh dolor ! contingit oppositum, et multi inveniuntur qui docent alios, non se ipsos ; et ea de quibus corripiunt sive dijudicant alios, faciunt,
Rom. II, 21. non verentes illud Apostoli : Qui alium doces, te ipsum non doces ? Nec illud ejus-
Ibid. 1. dem advertunt : Inexcusabilis es, o homo, qui alios judicas. In quo enim alterum judicas, te ipsum condemnas. Hoc consilium per ligurium denotatur. Ligurius quippe lapis est qui generatur ex urina lyncis quæ durescit in lapidem, qui et constipatum dissolvit ventrem. Lynx autem est animal acutissimi visus. Sic prædicator et doctor debet in primis se ipsum diligentissime intueri, et verba vitæ in se primo complere, deinde in alios emanare, et eorum duritiam relaxare.

Undecimum consilium est de sollicitu-
Matth. VI, 25. dine evitanda, dum Veritas loquitur : Nolite solliciti esse corpori vestro, etc. ; item-
Ibid. 34. que, Nolite solliciti esse de crastino. Quæ si intelligantur de sollicitudine immoderata circa superflua, et quæ ex diffidentia seu inconsideratione divinæ providentiæ oritur, est præceptum. Si autem intelligantur de sollicitudine circa necessaria vitæ, consilium est. Quidam vero religiosi circa temporalia sua agenda in tantum sollicitantur, quod etiam sæculares ex hoc non parum scandalizantur. Quod periculosum est valde, quum religiosi teneantur esse maxime exemplares, et bonum famæ sit temporalibus præferendum, et propter scandalum pusillorum vitandum sit quidquid salva triplici veritate potest vitari, et religiosi ad viam tutiorem sint obligati. Semper ergo et summe simus solliciti sollicitudine spirituali, qualiter pericula animarum, laqueos tentationum, aciem vitiorum possimus evadere, spiritualiterque ditari, et Deo quotidie magis ac magis placere, uniri ac inhærere. Porro istud consilium per achatem designatur, qui lapis nigri coloris est, intermixtis aliquibus albis venis, et fugat venena, sedatque sitim et fovet visum. Sic sollicitudinis terrenæ abjectio, vitiorum virus repellit, avaritiæ sitim exstinguit, interiorem acuit oculum.

Duodecimum consilium est de correptione fraterna, Christo dicente : Si pec-
Matth. XVIII, 15. caverit in te frater tuus, etc. Quod si intelligatur de mortalibus vitiis, et stante opportunitate corripiendi atque fiducia de peccantis emenda, præceptum est : alias perhibetur consilium. Et significatur istud consilium per sardium, qui lapis rubei est coloris et atri, instar rubeæ terræ. Restringit etiam sanguinis fluxum, atque exhilarat animum, acuitque ingenium. Sicque plane fraterna correptio ex igne caritatis debet procedere cum interna compassione (quod per rubeum et atrum notatur colorem), et mentis reprimit evagationem ne peccando perfluat, sed et lætificat correptum, si bonæ sit indolis, prudens ac docilis, et visum ejus mentalem illuminat ad intuendum suam ruinam. Propter quod Salomon fassus est : Argue sapientem, et *Prov.* IX, 8.
diliget te. Et alia ait scriptura : Vir sa- *Eccli.* X, 28.
piens non murmurabit correptus. Atque, Apostolo protestante, Omnia quæ arguun- *Ephes.* V, 13.
tur, a lumine manifestantur. Sic igitur proximum peccantem unusquisque corripiat, ut in primis inspiciat, increpet, dijudicet, castiget semetipsum.

Itaque beatissimi Lucæ evangelistæ doctrinam, exempla, virtutes sectemur. Ejus namque evangelium omnium spiritualium medicamentorum est apotheca, et ipse spiritualis est medicus. In cujus evangelio abundant remedia contra universos animarum languores ac morbos, quos ex consideratione documentorum et operum, actionum passionumque Christi, S. Lucas docet curare. Ad laudem Omnipotentis.

IN FESTO

SS. UNDECIM MILLIUM VIRGINUM

Enarrationem epistolæ, Qui gloriatur, in Domino glorietur, etc., *item et evangelii,* Simile est regnum cœlorum decem virginibus, etc., *require in Communi Sanctorum de Virginibus.*

SERMO PRIMUS

DE HISTORIA ET MULTIPLICI COMMENDATIONE EXERCITUS UNDECIM MILLIUM VIRGINUM.

PRÆVENERUNT principes conjuncti psallentibus in medio juvencularum tympanistriarum. Ps. LXVII, 26.

In his verbis gloriosissimus undecim millium virginum exercitus multipliciter commendatur : primo, ab unione angelorum sanctorum cum ipsis ; secundo, a consortio sanctorum virorum cum eis ; tertio, a spirituali laude quam Sponso cœlesti obtulerunt virgines illæ. In hoc etenim glorioso collegio undecim millium virginum erant psallentes, videlicet multi sancti episcopi atque presbyteri, qui ex devotione eis se sociaverunt, ac divinum eis celebraverunt Officium, ac Sacramentum corporis Christi tradiderunt eisdem, diebus dominicis, quibus venerunt ad eas. Et tunc « principes », id est angeli sancti, « prævenerunt » illum accessum, conjungentes se sanctis illis episcopis ac presbyteris Deo psallentibus « in medio juvencularum », scilicet virginum harum, spiritualiter « tympanistriarum ».

Itaque exercitus iste virginum harum ineffabiliter gloriosus, valde præclarus est, et multis excellentiis decoratus. Primo, ratione principalis personæ femineæ in eodem, videlicet sanctissimæ Ursulæ, quæ fuit unica filia Mauri, christianissimi regis in Britannia. Quæ admirabili morum venustate, incredibili pulchritudine, ingenti prudentia, et quod amplius est, ferventissimo Dei amore ac intima devotione fulgebat : ideo undique erat famosa. Quapropter rex Angliæ, vir tunc præpotens gentilis, misit nuntios inclytos ad Maurum regem, ut unico filio suo conjugem daret filiam suam. Quo audito, contristatus est Maurus rex, quoniam indignum putavit filiam suam christianam dare pagano, et quia regis illius pagani formidavit ferociam. Tunc devotissima virgo Ursula cum jejuniis, vigiliis, lacrimis, prostrationibus die ac nocte Dominum exoravit ut sibi revelaret quid in isto agendum esset negotio. Quumque ex laboribus pene defecisset, apparuit ei angelus, prænuntians ei totum processum et ordinem agendorum. Tunc beatissima virgo Ursula lætissima facta, dixit patri suo ut petitioni regis præberet assensum, tamen sub conditione quam ab angelo didicit, utpote, quod rex ille gentilis transmitteret sibi ad solatium decem nobilissimas ac electissimas virgi-

nes, cuilibetque illarum associaret virgines mille, et pater suus rex Maurus sibi associaret virgines mille. Comparatis quoque trieribus, inducias petiit trium annorum sibi donari ad dedicationem suæ virginitatis, et ut interim filius regis baptizaretur, atque in fide Christi instrueretur. Hoc autem petivit Ursula gloriosa, quatenus virgines gentiles a rege gentili sibi mittendas, ad Christum converteret. Imo totum quod in hac re petivit ac fecit, sibi commissum ac revelatum fuit ab angelo, a quo didicit quod tam ipsa quam virgines illæ ac alii multi secum pro Christo martyrium essent passuræ. Placuit autem regi Anglorum et filio ejus quidquid sacratissima Ursula postulavit, misitque ei decem millia virginum desiderata.

Secundo commendabilis ac præclarus est victoriosissimus et præelectus virginum harum exercitus, a principali persona virili ei associata, videlicet summo Pontifice S. Cyriaco. Quum enim virgines universæ essent reginæ suæ Ursulæ consociatæ, ipsa felicissima Ursula Spiritu Sancto repleta, locuta est eis verbum Dei, et infideles convertit ad fidem. Et omnibus jam conversis, revelavit eis suum secretum, quid scilicet audivit ab angelo, et quid omnibus eis esset futurum. Tunc omnium virginum illarum desuper electarum mentes Spiritu Sancto repletæ sunt et assenserunt, atque in novam conjuraverunt militiam. Et comparatis eis trieribus ac sumptibus præparatis, belli præludia inchoaverunt, nunc currentes, nunc discurrentes, modo conflictum, modo metum, jam fugam simulantes ; interdum meridie, interdum vix vespere redierunt. Confluxeruntque proceres et primates innumerabiles ad tam grande, jucundum ac invisum spectaculum. Tandem, Deo volente, trieribus a terra longe subductis, recesserunt a propriis, et venerunt Coloniam. Ubi angelus rursus gloriosissimæ virgini Ursulæ reginæ apparuit, dicens quod integro numero Romam essent iturræ, et inde Coloniam reversuræ, atque ibidem martyrio coronandæ. Quod quum beatissima Ursula sacris retulisset virginibus, omnes gavisæ sunt vehementer et Spiritu Sancto mirabiliter inflammatæ, arripueruntque iter ad Romam, navigio usque Basileam tendentes, et inde Romam venerunt pedestres. Quas sanctus Papa Cyriacus ac clerus cum magno gaudio suscepit. Tunc Deus revelavit summo Pontifici quod cum virginibus istis esset iturus martyriumque passurus. Fuit autem hic S. Cyriacus ex Britannia oriundus, et multas habens consanguineas inter has virgines, fuit etiam virgo, et vir eximiæ sanctitatis ; ac juxta revelationem divinam, papatu resignato, se virginibus sociavit, atque cum eis Coloniam venit.

Tertio commendandus est præclarissimus et præamabilis virginum harum exercitus, quia tot sancti episcopi ac presbyteri ipsis fuerunt associati, et simul cum eis martyrio coronati, videlicet : Vincentius presbyter cardinalis, et S. Jacobus Antiochenus archiepiscopus ex Britannia natus ; Mauritius quoque episcopus ex regia stirpe ortus, avunculus S. Ursulæ, utpote frater suæ matris nomine Dariæ, vir valde sanctus, et Follianus * præsul Lucensis, ac Clemens antistes, et Marculus Græciæ pontifex, sed et Pantulus Basileensis episcopus. Nonne de unoquoque horum tam sanctorum sublimiumque pastorum martyrio coronatorum, festum agi posset præclarum ? Quam gloriosus ergo ac celeberrimus est sanctarum virginum millenarum exercitus, cui associati et cum quo martyrizati sunt tam multi sancti episcopi atque presbyteri !

* *alias* Foilanus

Quarto commendandus et præclarus est victorialis iste exercitus, quia tot aliæ utriusque sexus personæ sanctissimæ ac illustrissimæ fuerunt ei conjunctæ, videlicet : S. Gerasina regina Siciliæ, ac quatuor filiæ ejus, puta Babila, Juliana, Aurea et Victoria, et Hadrianus rex, filius ejus juvenculus ; Ethereus * quoque rex, filius regis Anglorum, sponsus sanctissimæ Ursulæ, et mater ipsius ac soror nomine

* *alias* Ætherius

Florentina; item Constantia regina, filia Dorothei regis Constantinopolitani. Fuerunt etiam in isto exercitu Cæsarius miles, et neptis ejus, gloriosa et sancta virgo Verena, sed et Pinnosa virgo clarissima, magni comitis filia, sanctaque Cordula. Quum ergo tam illustrissimæ utriusque sexus personæ ibi fuerint adunatæ, non videtur ambiguum quin et magnas secum habuerint familias, ita quod omnes simul fuerunt quasi innumerabiles, et multa millia nimis.

Quinto commendandus et præclarus est beatissimus iste exercitus, a suo felici et victorioso martyrio, quo apud Coloniam a barbaris, et ut fertur, ab Hunnis atrociter est occisus. Denique virgines istæ duplici decorantur aureola, utpote virginitatis ac martyrii. Sed electissima Ursula, triplici pollet aureola. Nam ultra duas præfatas, habet doctorum aureolam, quia tot virgines convertit atque in fide edocuit. — Glorificavit etiam Deus istum præclarum exercitum virginum ac martyrum multis ac magnis miraculis. O quanta est dignitas hujus tam incomparandi collegii! O quam ardentissime ac suavissime se invicem diligunt in regno cœlesti! O quanta fuit jucunditas angelorum, quanta festivitas omnium civium supernorum in die martyrii tot millium electorum, quum gaudium sit angelis Dei super uno peccatore pœnitente! O quam amabilis et præamabilis, quam felix et gloriosa, quam dulcis ac præhonoranda, quam admiranda ac præelecta est præstantissima ac sanctissima virgo hæc Ursula, per quam Deus tantum bonum dignatus est operari, tantam gratiam et misericordiam tot millibus exhibere, tot animas tam excellenter servare, tam incomparabile inauditumque opus in hoc mundo efficere! O quanta est ista solennitas tot millium electorum, tot sublimium ac illustrissimorum Sanctorum, quum uniuscujusque eorum magna revera esset celebritas!

Luc. xv, 7, 10.

Diligamus ergo valde, præcipue et devotissime invocemus ac honoremus hanc sacratissimam societatem, et specialissime Ursulam benedictam, Christi carissimam sponsam. Nam et beatissimæ virgines istæ suis devotis frequenter ac valde specialiter consueverunt succurrere, prout de hoc multa habentur miracula. Earum quoque amore vitia detestemur, præcipue carnis inquinamenta, et virtutibus jugiter insistamus.

AD RELIGIOSOS

SERMO SECUNDUS

DE MILITIA NOVA SANCTARUM VIRGINUM, ET QUANTA EARUM SIT IN ECCLESIA SOLENNITAS.

ADDUCENTUR regi virgines post eam. Ps. xliv, 15.

Ps. lxvii, 36.

Vere, ut ait Psalmista, Mirabilis Deus in Sanctis suis. Cujus tanta est omnipotentia, cujus tam vigorosa est gratia, ut mortem cunctis, etiam viris, terribilem, faciat mulieribus, imo et tenerrimis nobilissimisque puellis optabilem et optatam, non obstante naturali sexus feminei fragilitate, quæ tanta est ut instar leporum omni strepitu terreantur. Hoc in benedictissimo et electissimo undecim millium virginum agmine evidentissime innotescit. Quæ quum ab earum regina et magistra

beatissima Ursula didicissent futurum eis martyrium, non modo mœrore perfusæ non sunt, non tremore expalluerunt, non passim, non sigillatim, non publice, sed neque latenter se subtraxerunt, quum tamen de multis Sanctis sexus virilis legatur, quod quamdiu commode potuerunt, persecutionem subterfugerunt. Quid ergo egerunt amabilissimæ virgines ab æterno electæ et præelectæ ? Audito imminente eis certamine, omnes summe gavisæ sunt, atque in novam mox conjuraverunt militiam. Quæ fuit nova illa militia, nisi ut innocentissimarum puellarum virginalis exercitus contra ferocissimorum pultronum sceleratissimam turbam præliaretur, non corporalibus armis, sed virtutum operibus, non repercutiendo, sed omnem injuriam ac læsionem tranquillissime tolerando ; non pro temporali victoria dimicando, sed pro virginitate servanda, pro fide catholica, pro unius veri Dei cultu tuendo, se ipsas interfectioni tyrannicæ devotissimo corde tradendo ? Numquid tale quid a sæculo ante auditum est ? Quum sanctus Psalmographus recitasset in Psalmo subtiliter naturalia opera Dei in entibus universis, in hunc gratulabundus erupit versiculum : Sit gloria Domini in sæculum, lætabitur Dominus in operibus suis. Sic et Plato asseruit Deum ingenti gaudio exsultasse, quum mundi machinam produxisset : prout in libro de Civitate Dei sanctus recitat Augustinus. Quod si ita est, nonne æternus, omnipotens et gloriosissimus Deus multo amplius (ut sic loquar) jucundatus esse credendus est in hoc supernaturali, inaudito ac specialissimo opere suo, quod in undenis harum nobilissimarum virginum millibus est molitus ? Si beneplacitum est Domino in populo suo, et si deliciæ Dei sunt esse cum filiis hominum, certissimum est, beneplacitissimum ei fuisse et esse in inclytissimo, suavissimo, innocentissimo atque dulcissimo virginum harum exercitu.

Ps. CIII, 31.

Ps. CXLIX, 4.

Prov. VIII, 31.

Itaque, quum ex subitanea novi rumoris lætitia in novam conjurassent militiam, numquid paulo post inde pœnituerunt, aut in naturalem et solitam femineamque relapsæ sunt pusillanimitatem, et non potius constantissimæ permanserunt, accingentes fortitudine suos lumbos, roborantesque brachia sua ? Propter quod lucernæ cordis earum, id est fides earum et spes ac divinæ illuminationes, non exstinguebantur in nocte adversitatum vitæ præsentis. Quid ergo egerunt ? Certe, ut refert earum Legenda, nunc belli inchoabant præludia, modo currebant, modo discurrebant ; interdum prælia, plerumque fugam simulabant, omnique genere virtuosorum ludorum exercitatæ, nihil quod earum jucundissimo in Deo animo occurrebat, relinquebant intactum ; quandoque meridie, aliquando vix vespere revertebantur. Quid mirum, quod proceres et primates ad tam grande ac divinum et supernaturale confluebant spectaculum, in quo adorandus paracletus Spiritus Sanctus tenerrimarum mentes juvencularum tam gratiosissime visitavit, tam mirabiliter confortavit, tam virtuose exhilaravit, tam sapientissime erudivit, tam validissime inflammavit, tam salubriter infallibiliterque direxit ? Proceres itaque et primates ad tam deliciosum confluebant spectaculum, et omnes magna prorsus admiratione vehementique gaudio replebantur. Quis (inquam) istud admiretur ? Nam et angeli sancti, cives cœlestes, Archangeli, Principatus, qui istis benedictis virginibus, qui præsidentibus, qui regnis atque provinciis earum præfuerunt aut præsunt, ad hoc ipsum convolabant spectaculum, et tam præelectissimo agmini congratulabantur, et virgines has felices invisibiliter visitabant, consolabantur ac dirigebant. Sed et Sponsus cœlestis gaudebat super has sponsas suas.

Prov. XXXI, 17, 18.

Is. LXII, 5.

Præterea contemplemur, qualis et quanta sit ista solennitas. In Ecclesiastico scriptum est : Gratia super gratiam, mulier sancta et pudorata et tacita. Salomon quoque : Fallax (inquit) gratia et vana pulchritudo ; mulier timens Dominum ipsa laudabitur. In iis autem sacratissimis mil-

Eccli. XXVI, 19, 18.

Prov. XXXI, 30.

libus virginum unaquæque fuit mulier pudorata, sancta, taciturna ac timorata. Ergo unaquæque earum digna est grandi celebritate, unaquæque earum digna est præclaris præconiis, unaquæque earum est tam sublimiter pretiosa et donum tam magnum, ut sit gratia super gratiam. Idcirco solennitas ista tam multipliciter est solennis, quot fuerunt hæ virgines gloriosæ, videlicet undecies millies. Unaquæque etiam virginum harum ultra essentiale præmium suum duplici decoratur aureola, utpote virginitatis atque martyrii gloria speciali seu præmio singulari.

Amplius, capitanea virginum harum sacrosancta et amabilissima Ursula, tam admirandæ exstitit sanctitatis, quod sola veraciter digna est celebritate non mediocriter magna. Et ipsa triplici fulget aureola, utpote virgo, martyr ac doctrix, quæ maximam harum dulcissimarum virginum partem convertit ad Christum, et omnes animavit ad martyrii palmam. Insuper magna et admirabilis valde fuit hujus præstantissimæ excellentia ac dignitas Ursulæ in donis naturæ et fortunæ ac gratiæ. Nuncque proportionabiliter magna est gloriæ suæ excellentia et dignitas sibi in cœlis collata. Fuit etenim regiæ stirpis illustrissima proles, regali potentia et regia opulentia, regali familia et regia honorificentia perornata, vallata, præfulgens. Fuit item incredibili corporis pulchritu-

Esther II, 15. dine pollens, et instar sanctæ Esther omnium oculis gratiosa atque amabilis videbatur. Erat demum venustissimis moribus et omni elegantia urbanitatis conspicua, et idcirco famosissima nimis, sed et naturali ingenio omnique humana resplendens prudentia. Et quod iis omnibus est præclarius, ab infantilibus annis devotissima fuit, et in præeminenti innocentia mansit fortis ac stabilis. Et universa illa dona fortunæ atque naturæ reputavit pro modico,

Philipp. III, 8. et cuncta quæ mundi sunt sprevit ut stercora, ut Christo placeret. Cubile regis pagani et diadema, tam proprium quam quod ex parte illius poterat adipisci, omnemque gloriam nuptiarum carnalium, detestabatur ut pannum menstruatæ, ut lucrifaceret Christum. Amplius, ab angelo sancto meruit sæpius visibiliter visitari, consolari, et de futuris sibi ac suis convirginibus edoceri. Fuit quoque in omni virtute perfecta ; ad triumphum martyrii quasi ad deliciosum convivium adspiravit, atque se ipsam cum omni promptitudine et constantia mentis tradidit pro Sponso cœlesti in mortem. Nam caritate illius erat tota mirabiliter inexstinguibiliterque succensa.

Postremo in gloriosissimo et incomparabili exercitu isto erant non solum virgines memoratæ, sed et viri sanctissimi, clarissimi, præelecti : Pontifex summus, archiepiscopus Antiochenus, multi sancti episcopi, rex Ethereus*, beatissimæ Ursulæ sponsus, cum matre sua regina et sorore præinclyta ; sed et alii nobilissimi viri, quorum omnium hodie celebratur solennitas.

* *alias* Etherius

Ecce quam jucunda, præclara et divina est præsens festivitas. In ea ergo cordialissime gloriemur in Domino, et sacratissimæ societati Sanctorum istorum congratulemur in eo ; dignissimumque exercitum virginum non solum hoc die, sed et toto anno assidue specialiter veneremur, invocemus, laudemus, et ferventissime diligamus. Earum quoque exemplo universa quæ mundi sunt, integris vilipendamus præcordiis, omnes carnales affectus penitus reprimamus ; in sancta patientia, in vera mentis constantia, in spirituali fortitudine et fervore proficiamus quotidie. Custoditi simus in omnibus, et ea quæ Dei sunt, perfectius adimplere conemur, atque in omni humilitate, sobrietate, discretione, sapientia, devotione, fructuositate incessanter crescere enitamur, nullam temporis partem infructuose pertranseuntes.

SERMO TERTIUS

DE CONTEMPTU CARNIS, ET UNANIMI PRÆPARATIONE SANCTARUM VIRGINUM AD MARTYRIUM.

QUÆ est gens alia in terra sic inclyta? Deut. IV, 8.

Quando bona fortunæ et dona naturæ perficiuntur per munera gratiæ, et recte ordinantur ad gloriam Creatoris, faciunt hominem magis amabilem, virtuosiorem ac meritis pleniorem. Nempe quanto quis aptior mundo est, et plura propter Deum relinquit, tanto amplius promeretur et gloriosius coronatur, si Deo plenarie obsequatur. Hinc præcipui meriti perhibetur, florem juventutis Deo offerre. Quis ergo nunc queat concipere, quis possit exprimere, quanta sit excellentia virginum harum in omni gratia et virtute, in omni gloria et beatitudine, in prærogativis ac privilegiis multis? Quæ quum essent omni nobilitate, potestate, opulentia, pulchritudine, prudentia, urbanitate et elegantia decoratæ, in puellari ætate et adolescentia sua, mundum et carnem cum omni sua vanitate, voluptate, honore atque decore plenissime contempserunt, totaque mente ad Creatorem suum conversæ sunt, et pro ejus honorificentia et amore vitam suam morti et martyrio exposuerunt promptissimo animo. Certe inclytissimus est iste exercitus, cui et inclytissimi atque sanctissimi viri in copiosissimo numero erant conjuncti : in primis sanctus Papa Cyriacus, ex utero matris suæ virgo, et Deo in virginitate et sanctitate adhærens; Vincentius presbyter cardinalis ; S. Jacobus patriarcha Antiochenus; S. Mauritius Levicanæ urbis episcopus, frater S. Dariæ matris beatissimæ Ursulæ ; S. Follianus * episcopus ; S. Simplicius episcopus Ravennensis ; S. Ethereus * rex, sponsus Ursulæ gloriosæ, filius S. Demetriæ reginæ, frater S. Florentinæ puellæ virgineæ; S. Clemens episcopus ; S. Marculus Græciæ præsul, avunculus S. Constantiæ reginæ ; Hadrianus rex, filius S. Gerasinæ, quæ fuit soror S. Dariæ matris illustrissimæ Ursulæ. Fuitque S. Gerasina mater sacrarum virginum Babilæ, Julianæ, Aureæ et Victoriæ. Nonne unaquæque personarum istarum magna meruit atque condigna est habere solennia ? Quanto ergo honore omnes simul sunt honorandæ? Vere amabilissimus, suavissimus, venerandissimus est omnium horum exercitus simul sumptus.

Denique omnes Sancti in patria se invicem distincte cognoscunt, diligunt, sibi invicem complacent, in se mutuo delectantur. Sed incomparabilis hujus exercitus universi et singuli tanto ardentius se mutuo amant, tanto suavius sibi invicem placent, tanto præcordialius mutuo in suis beatitudinibus sibi condelectantur, quanto in vita hac cariores et familiariores fuerunt ad invicem, et quanto se mutuo magis ad martyrii palmam juverunt, et quo in ipso martyrio pariliores, conjunctiores et consodaliores fuerunt. Inæstimabiliter itaque in se invicem delectantur, seque spiritualiter cum omni hilaritate complectuntur in Spiritu Sancto, et omni beatitudini suæ mutuo prorsus dulcissime congratulantur. Et nos igitur toto corde congratulemur eisdem, et in speciali dilectione ac veneratione jugiter habeamus illustrissimum, delectabilissimum, sacratissimum et præamabilissimum istud horum Sanctorum atque Sanctarum collegium.

Denique ex prætacta historia vehementer; si rite advertimus, informamur. Primo,

* *alias* Foilanus

* *alias* Æthelrius

ut de nostro torpore, nostris negligentiis, imo et de nostris impatientiis et pravitatibus verecundemur. Ecce enim personæ utriusque sexus præmemoratæ, quum essent tantæ excellentiæ in omni dono naturæ et in bonis fortunæ, quum essent regiæ stirpis et adolescentioris ætatis ac summæ teneritudinis, omni opulentia, pulchritudine, potestate conspicuæ, ita mortuæ erant huic mundo, sicque mundus mortuus erat eis, quod totis præcordiis contempserunt omnia quæ sunt mundi, et
Philipp. I, 21. mori pro Christo lucrum maximum repu-
Ibid. 23. tabant, cupiebant dissolvi et esse cum Christo, nec violentissimam dissolutionem pro Deo in juvenili ac floridissima pati abhorruerunt ætate. Et nos, quum jam tanto fuerimus tempore in sacra religione, adhuc ea quæ mundi sunt affectamus, viles et sæculares consolatiunculas admittere non veremur, religiosi rigoris relaxationem putamus esse discretionem. Et quantum a patrum nostrorum corporali exercitatione, in jejuniorum et abstinentiarum, vigiliarum ac disciplinarum, taciturnitatum et abstractionum observatione delapsi sumus, tantum ab interna eorum exercitatione, a spirituali profectu, a profunda humilitate et mortificatione salubri, a patientia inconcussa, et resignatione obedientiali ceterarumque incrementis virtutum deficimus. Nec mirum, quia non pigritantibus, non dissolutis, carnalibus, acediosis, charismatum affluentia supernorum infunditur, spiritualis profectus conceditur, illuminatio, fervor, consolatio Spiritus Sancti præstantur ; sed sapiens, pius
Ps. x, 14, sec. Hebr. ac justus Deus, qui solus laborem et dolo-
I *Cor.* III, 8. rem considerat, et unicuique secundum suum largitur laborem, tanto copiosiorem dat homini gratiam, quanto ad eam se homo diligentius laboriosiusque disponit, sicut per Moysen in Deuteronomio est pro-
Deut. IV, 29. missum et dictum : Quum quæsieris Dominum Deum tuum, invenies eum, si tamen toto corde et tota tribulatione animæ tuæ eum quæsieris. Non enim vult Deus omnipotens pretiosissima suæ gratiæ munera ex nimia adipiscendi facilitate non curari aut vilipendi.

Porro qui peccandi occasiones admittit quotidie, qui spiritualis profectus impedimenta non fugit, qualiter spiritualiter crescet, qualiter corde ditabitur, qualiter ad perfectionis culmen unquam pertinget, et non magis decrescet, evacuabitur et peribit ? Quod si occasiones peccandi admittere tam periculosum censetur, quam impium atque damnabile est fabulationibus vanis et frivolis, risuum et jocorum dissolutionibus, venenatis oblocutionibus inquinari, in cibo, potu, somno quotidie sine cura et animadversione excedere, et inde in alia multa et magna cadere vitia ? Nonne ex negligentia nostra incidimus tot et tanta tamque abominabilia mala ? Nam et omnia vitia voluntatis appetitusque sensitivi, ex inadvertentia, negligentia et errore rationis aliquo modo procedunt, quum rationis sit in regno animæ præsidere, voluntatem dirigere, appetitum reprimere, passiones frenare, cunctaque hominis opera ordinare. Quæ ergo est ista rationis negligentia, error seu inadvertentia, quæ omnium est radix culparum, nisi inconsideratio pertinentium ad salutem ? Nec tamen consideratio quælibet talium ad salutem exstat sufficiens, quum multi scribant, dicant et prædicent illa, nec tamen vivant secundum ea. Requiritur ergo consideratio non superficialis, sed profunda ; non informis, sed formata ; non rara, sed frequens ; non inanis, sed efficax.

Si itaque taliter quis consideret omnipotentis ac omnia intuentis Dei præsentiam, rigorosum et inevitabile ejus judicium, suæ punitionis post vitam hanc acerbitatem, æternæ damnationis intolerabilitatem, æternæ beatitudinis plenitudinem, atque cœlestium gaudiorum magnitudinem inæstimabilem multitudinemque innumerabilem ; si item consideret quæ et quanta pro nostra liberatione tota egit superbeatissima Trinitas, et quanta pro ea laboravit ac toleravit Unigenitus Patris in carne assumpta, et quam incerta, brevis

et fallax sit vita præsens, quantis periculis simus expositi, quot et quanti nobis objecti sint laquei, quot invisibilibus, atrocissimis, callidissimis, fortissimis simus circumdati hostibus, quanta quoque sit pronitas nostra ad vitia, quanta infirmitas ad opera bona; si demum consideremus *Ps.* LXV, 5. quam terribilis sit Deus in consiliis super *Matth.* XX, 16. filios hominum, quam multi vocati, quam pauci electi, quam etiam simus incerti *Eccle.* IX, 1. quid finaliter fiet de nobis, imo et ignoramus an simus in caritate et gratia; rursus, si consideremus quam indicibiliter peccata peccantibus noceant, quantum virtutes et opera virtuosa hominibus prosint, et potissimum, si rite intueamur quam amabilis et superamabilis, quam colendus ac metuendus, quam intuendus, contemplandus et venerandus sit nobis Dominus Deus noster omnipotens, quam multa et quam magna ejus sint beneficia in nobis et super nos, quantum etiam ipsum offendimus, et quam negligenter ac defectuose habuerimus nos usque in præsens, et quam districtam rationem requiret a nobis, atque ad quanta teneamur ei ex nostra professione ac aliis causis; si, inquam, hæc omnia hisque similia præfato modo consideraverimus, puta intente, frequenter, profunde et affective : nullum est dubium quin protinus timorati et custoditi, solliciti et devoti efficiemur, carnalia et caduca spernemus, spiritualibus ac divinis inhærebimus rebus, atque quotidie humiliores, patientiores, et magis temperati ac fructuosi reddemur.

Insuper, ex præinductis sacratissimi hujus collegii proprietatibus, actibus et exemplis docemur, omnia quæ mundi sunt plenissime aspernari, in solo Altissimo inflammari, in omnibus virtutum operibus strenue occupari, atque in eis tantummodo delectari; sicque mundo se exhibere *Galat.* VI, 14. crucifixum, et mundum sibi crucifixum habere, in sancta dilectione accendi, in adversitatibus gloriari, pacifice et concorditer inter proximos conversari, desiderio Christi ac vitæ beatæ mortem optare, et vitam hanc miseram velle finire. Viriliter ergo agamus; orationibus, psalmis, meditationibus et ceteris actibus sanctis tam immoremur assidue, ut nullum sit temporis nostri momentum quo non talibus actibus occupemur. Nec propria animositate vincamur, neque aliqua passione prosternatur ratio nostra, sed vera nobilitate ornetur, sensualitatem et impetus passionum omnino domando, et soli Altissimo totis se viribus uniendo. Ad laudem ejus.

IN FESTO

SS. SIMONIS ET JUDÆ

APOSTOLORUM

Enarrationem epistolæ, Scimus quoniam diligentibus Deum, etc., *require in Communi Sanctorum de Apostolis.*

ENARRATIO IN EVANGELIUM

DESIGNAVIT DOMINUS JESUS ET ALIOS SEPTUAGINTA DUOS, ETC. Luc. x, 1-7.

QUAMVIS gloriosi apostoli isti Simon et Judas non fuerint de numero septuaginta duorum discipulorum Christi, sed Apostolorum, tamen evangelium istud de missione septuaginta duorum discipulorum in eorum solenniis legitur, quoniam ipsi missi sunt combinati ad evangelizandum post passionem Christi, quemadmodum septuaginta duo ante passionem ipsius. Itaque Lucas dicit :

Designavit, id est, ordinavit et statuit, *Dominus Jesus et alios septuaginta duos* discipulos præter Apostolos, qui fuerunt principales discipuli : quibus modo succedunt episcopi, quemadmodum septuaginta duobus presbyteri. Et juxta Bedam, bene septuaginta duo missi sunt, quia totidem gentibus fuerat Evangelium prædicandum. *Et misit illos binos ante faciem suam,* id est duos simul ante corporalem suam præsentiam et ingressum : quum tamen ipse secundum suæ deitatis incircumscriptibilem majestatem ubique sit præsens; *in omnem civitatem et locum quo erat ipse venturus,* id est ad loca majora et minora quæ ipsemet fuerat accessurus : quatenus discipuli isti suis prædicationibus, miraculis et exemplis, homines rudes ad Christi præsentiam ac doctrinam suscipiendam disponerent. Denique duos simul misit. Primo, ob socialis vitæ commendationem, in qua unus alterum adjuvat ad virtutes, non trahit ad vitia. Secundo, ob mutuam consolationem ac confortationem. Nam Salomone testante, si duo fuerint simul, habent emolumentum societatis suæ, et mutuo fovebuntur. Et rursus fatetur : Frater qui adjuvatur a fratre, quasi civitas munita. Tertio, ob veritatis prædicandæ certiorem contestationem, quia in ore duorum triumve testium stat omne verbum. Quarto, ad commendandum geminæ caritatis duo præcepta, quibus jubemur Deum toto corde diligere, et proximos nostros sicut nos ipsos.

Eccle. IV, 9, 11.

Prov. XVIII, 19.

Deut. XIX, 15.

Matth. XXII, 37, 39.

Et dicebat illis : Messis quidem multa, id est, copiosa est hominum multitudo capax gratiæ ac doctrinæ salubris, aptaque congregari in horreum Christi, id est intra Ecclesiam Dei, etsi non actu aut habitu,

tamen potentia. Nam omnis homo, durante hac vita, potest converti. Hinc ait Salvator : Videte regiones, quia albæ sunt ad messem. *Operarii autem pauci,* id est, comparative loquendo, perpauci sunt veri et efficaces prælati et prædicatores, qui populum verbo et opere digne informent. *Rogate ergo dominum messis,* videlicet Deum unum ac trinum, omnium hominum creatorem ac gubernatorem, *ut mittat operarios,* id est pastores et prædicatores ac rectores, vita, scientia et ætate idoneos, *in messem suam,* id est ad plebem suam erudiendam, potissimum ad Ecclesiam, quæ sicut vinea Domini, ita et messis Dei vocatur. Quum enim profectus et salus subditorum ex virtute et digna præsidentia superiorum valde dependeat, vehementer optandum est habere præsidentem idoneum. Unde et affectuosissime et instantissime exorandus est Deus, ut veros et virtuosos prælatos, rectores, doctores mittat hominibus, quemadmodum in Jeremia promittit quibusdam : Dabo (inquiens) vobis pastores juxta cor meum, et pascent vos scientia et doctrina. Itaque qui bonum habent pastorem, grati sint Deo, et bene obediant; qui autem inutilem, orent Deum ut ipsis provideat, et ut inutilis se emendet.

Joann. IV, 35.

Is. V, 1 et seq.

Jer. III, 15.

Ite ad prædicandum. Et quoniam jacula prævisa minus lædunt, Christus prædicit eis futura adversa. *Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos :* id est, ab his ad quos vos mitto, persecutiones et occisionem sustinebitis, sicut agni dilaniantur a lupis; et scio quod per pietatem et innocentiam vestram estis agnis consimiles, illi vero per suam crudelitatem lupis assimilantur. Verumtamen per hujusmodi agnos, Christus omnipotens lupos convertit in agnos. *Nolite* ergo *portare sacculum, neque peram.* Istud dixit discipulis suis Christus ante suam passionem, quia tunc misit eos ad Judæos, a quibus eis sufficienter dabatur. Sed in Cœna dixit Apostolis : Quando misi vos sine sacculo et pera et calceamentis, numquid aliquid defuit vobis? Quibus respondentibus, Nihil, adjecit : Sed nunc qui habet sacculum, tollat, id est secum portet; similiter et peram. Hæc ergo licite a prædicante portantur, dum incertum est an ei necessaria ab auditoribus conferentur. Christus autem secundum diversitatem et congruentiam loci ac temporis, diversa dedit præcepta discipulis. Vult itaque ut prædicatores non sint immoderate pro necessariis vitæ solliciti, sed in Deo plene confidant, et expedita ac libera mente vacent doctrinæ. Verumtamen, dum ratio postulat, permittuntur sibi de necessariis providere, et viaticum secum ferre. *Neque calceamenta.* Hoc secundum exigentiam loci ac temporis est servandum ad litteram. Si enim necessitas exigat, non prohibetur prædicatori usus calceamentorum aut aliquid loco eorum. *Et neminem per viam salutaveritis.* Hoc per modum hyperbolicæ locutionis dictum videtur, qua aliquid dicitur per excessum. Unde et Christus hoc dixit, non prohibendo absolute proximorum salutationem in via a prædicante, quum hoc caritas interdum requirat, et nisi fieret, scandalum posset oriri; sed dixit hoc, ad insinuandum quam diligenter et indilate insistendum sit itineri prædicandi, ut moræ et diverticula evitentur, et morosa ac fabulosa collocutio in salutatione vitetur, et omne quod distractionem ac indevotionem ingerit menti. Sic namque et quarto Regum Eliseus propheta ait ad suum ministrum, quem misit ad suscitandum defunctum : Si occurrerit tibi homo, non salutes eum; et si salutaverit te quispiam, non respondeas ei.

Luc. XXII, 35, 36.

IV *Reg.* IV, 29.

In quamcumque domum intraveritis, primum dicite : Pax huic domui, id est, exsistentibus in hac domo sit in vita præsenti pax pectoris et pax temporis, utpote pax interna et externa, atque post hanc vitam pax æternitatis. Pax autem interna est tranquillitas mentis in Deo; pax temporis est quies ab exterioribus impugnationibus et hostilitatibus. *Et si ibi fuerit filius pacis,* id est aliquis pace dignus,

aut ad ejus susceptionem dispositus, seu ad pacem veram prædestinatus, *requiescet super illum pax vestra,* id est, salutatio vestra, qua ei optatis pacem, sortietur in eo effectum, ita quod pax interna ei infundetur sive augebitur. Quidam enim, etsi nondum habeant pacem et gratiam, sunt tamen in dispositione propinqua aut proxima ad eas, ita quod sua aut aliorum oratione eas mox adipiscuntur. *Sin autem,* id est, si ibi non fuerit filius pacis, *ad vos revertetur,* id est, caritativa salutatio vestra præmio non carebit, sed merito ejus pax vestra perficietur. Sic et Psalmista locutus est : Oratio mea in sinu meo convertetur. *Ps.* XXXIV, 13.

In eadem autem domo manete, si fuerit opportunum atque conveniens vobis, nec alia ac meliora restent agenda, post quorum completionem posset quis redire ad domum illam; *edentes et bibentes quæ apud illos sunt,* id est victualia quæ habent, si dare voluerint. Et hoc ait Salvator, non præcipiendo, sed permittendo seu concedendo. Nec de quocumque cibo aut potu necesse est hoc exponi, quum interdum virtuosius sit quibusdam abstinere a vino et carnibus. Idcirco quod ait, « edentes et bibentes quæ apud illos sunt », non est jussio ut omnia illa sumantur, sed est exhortatio potius, ut sufficiant apposita, quamvis tenuia, nec quærantur superflua, ut volucres cœli, pisces maris et bestiæ terræ.

Dignus est enim operarius mercede sua, id est, prædicator verbi Dei, seu quicumque aliis in spiritualibus serviens ac laborans, dignus est capere stipendium vitæ ab his quibus spiritualia bona impendit. Propter quod ait Apostolus : Dominus ordinavit his qui deserviunt Evangelio, de Evangelio vivere. Sed hoc permissio fuit, non jussio. Propter quod Paulus scribit se hac potestate usum non esse, sed propriis manibus necessaria procurasse, ne quemquam gravaret aut scandalizaret, et ut avaris occasionem amputaret avaritiæ : alios tamen Apostolos sic fecisse testatur. Nec intelligenda sunt hæc quasi corporalia alimenta sint principalis merces aut finis ultimatus prædicationis aut cujuscumque exercitii spiritualis, quum viliora sint corporalia spiritualibus donis; neque propter cibum et potum, quasi ob præmium condignum, sunt spiritualia opera exercenda (sic enim temporale et corporale præponeretur bono divino ac spirituali, quod esset mortale peccatum) : sed vitæ sustentaculum est merces minus principalis ac secundaria, accidentaliterque intenta, quia videlicet sine corporeo alimento vita ista durare non valet, et per consequens nec prædicatio exhiberi. Porro finis ultimatus principalisque merces spiritualium exercitiorum est beatitudo æterna, ad quam obtinendam ordinandum est omne opus bonum vitæ præsentis.

I *Cor.* IX, 14. — *Ibid.* 15; I *Thess.* II, 5-9; II *Thess.* III, 8. — I *Cor.* IX, 5.

SERMO PRIMUS

DE MALIS PASTORIBUS; QUOD SIMILITUDINES AGNORUM PRÆDICATORES DEBEANT HABERE; ET DE VITANDIS CONTENTIONIBUS.

ROGATE dominum messis, ut mittat operarios in messem suam. Luc. X, 2.

Quam justo ac metuendo judicio Deus omnipotens aliquos deserat homines, nec virtuosos pastores ac principes eis provideat ac concedat, et hoc propter peccata eorum, copiose docet Scriptura divina. Ait namque beatus Apostolus : Tempora prioris ignorantiæ despiciens Deus, nunc annuntiat hominibus ut omnes ubique pœ-

Act. XVII, 30.

nitentiam agant. Ubi per tempora prioris ignorantiæ, intelliguntur tempora quibus per totum pene mundum regnavit idololatria. Quæ tempora, id est homines idololatras illis viventes temporibus, Deus juste despexit, nec misit illis prædicatores, nisi forte quibusdam, perpaucos, et raro, usque ad tempus quo Filius Dei post suam passionem et resurrectionem, ascensionem ac Spiritus Sancti missionem misit Apostolos atque discipulos suos per totum mundum, per eos ad pœnitentiam cunctos hortans et ad salutem invitans. Hinc quoque per

Osee XIII, 11. Osee loquitur Deus populo vitioso, Dabo tibi regem in furore meo, et principes in indignatione mea : hoc est, indignos et reprobos tibi præesse permittam propter facinora tua. Hoc est quod in Job apertis-

Job XXXIV, 30. sime dicitur : Deus regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi. Propterea, ut sanctus scribit Gregorius, qui carnales, negligentes ac impios habent prælatos aut principes, non injuste murmurent contra Deum, nec impatienter ferant hujusmodi præsidentes, imo suis potius culpis adscribant quod tales habent superiores, et Dei flagellum æquanimiter ferant. Nihilo minus orent cum omni instantia et fervore, ut Deus eis idoneos dare dignetur pastores. Quod ut assequi mereantur, vitam suam emendent, et juxta salutaria verba, non juxta scandalizativa opera præsidentium ac prædicantium, studeant conversari, quemadmodum Christus

Matth. XXIII, 2, 3. loquitur : Super cathedram Moysis sederunt Scribæ et Pharisæi. Quodcumque ergo dicunt, facite ; secundum opera autem illorum nolite facere : dicunt enim, et non faciunt. Tales, proh dolor ! modo sunt multi.

Præterea, quam necessarium ac salubre sit, exemplarem et sufficientem habere

Jer. X, 21. pastorem, docet Jeremias, dicendo : Quia stulte egerunt pastores, et Dominum non exquisierunt, propterea omnis grex eorum

* dispersus dissipatus * est. In Ecclesiastico quoque

Eccli. X, 2. scriptum est : Secundum judicem populi, sic et ministri ejus ; et qualis est rector civitatis, tales et inhabitantes in ea. Hoc est quod Salomon breviter tangit, dicens : Regnantibus impiis, ruinæ hominum ; et *Prov.* XXVIII, 12. alibi, Ubi non est gubernator, populus *Ibid.* XI, 14. corruet. Quum itaque tam vehementer salus plebis ex efficacibus et condignis dependeat prædicatoribus ac prælatis, optime consulit Christus ut rogemus Dominum Deum quatenus operarios mittat in messem, id est, populo suo et universæ Ecclesiæ provideat et condonet veros, sapientes virtuososque præsidentes, qui pro subditorum salute incessanter solliciti sint, et orando, hortando, prædicando exemplariterque vivendo, pro illorum gratia, profectu ac felicitate laborent, non quærentes sua commoda propriumque honorem, sed Dei honorificentiam et gregis sibi commissi salutem.

Insuper videant subditi ne propter eorum excessus Deus auferat prædicatoribus atque pastoribus gratiam prædicandi efficaciter ac devote. Hoc namque sæpius contingit, quum ad Ezechielem prophetam

Ezech. III, 26. Deus locutus sit : Fili hominis, linguam tuam adhærere faciam palato tuo, nec eris quasi vir objurgans, quia domus exasperans est, id est, populus Israel in suis vitiis me irritat.

Denique ex his constat quam gravissime peccent, qui superiorum suorum et bonorum prædicatorum sermonibus et increpationibus non acquiescunt, sed potius indignantur, nec vitia sua dimittunt, sed increpantibus irascuntur et obloquuntur. Tales enim sunt penitus indurati, excæcati, incorrigibiles ac rebelles, similes Pharisæis et Scribis ac sacerdotibus Judæorum, qui Filium Dei crucifixerunt eo quod veritatem in omnibus prædicavit, et eos acriter increpavit. Hinc post verba evangelii hodierni Christus ait discipulis suis, et in eorum persona, prædicatoribus universis : In quamcumque civitatem intra-

Luc. X, 10-12. veritis, et non receperint vos, exeuntes in plateas ejus, dicite : Etiam pulverem qui adhæsit nobis de civitate vestra, extergimus in vos. Dico vobis, quia Sodomitis

remissius erit in die judicii, quam illi civitati.

Amplius, in evangelio hodierno docet Salvator, quales esse debeant sui discipuli atque vicarii, prædicatores et prælati, di-
Luc. x, 3. cendo : Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Oportet ergo ut habeant proprietates agnorum, videlicet mansuetudinem, innocentiam, pietatem et patientiam, quatenus perversorum duritiam æquanimiter ferant, et sua bonitate eorum vincant malitiam, nec faciliter irascantur, nec ab ingratorum exhortatione cito desistant. Imo si se viderint non posse loquendo proficere, ad orationes convertant se, Deum assidue invocantes, ut incorrigibilium corda per gratiam suam mollificare dignetur. Oportet quoque ut avaritiam spernant, nec in temporalibus superflue occupentur, sed se totos impendant commissorum saluti, quatenus populus non solum propter verborum tenorem, sed et propter exemplorum vigorem ad obedientiam inclinetur.

Insuper ex evangelio isto docemur, quam necessaria et præamanda sit omni Christiano pax vera, quoniam Christus prædicatoribus suis præcepit ut quocum-
Ibid. 5. que introeant, primo dicant : Pax huic domui. Studeat igitur unusquisque inter proximos et inter domesticos pacifice conversari, verba contentiosa, iram, impatientiam turbulentiamque vitando. Nam
Matth. v, 9. ut ait Salvator, Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. Et sicut hoc ita est, ita miseri sunt discordes et turbulenti, quoniam filii diaboli vocabuntur. Ideo di-
II *Tim.* II, 14. cit Apostolus : Noli verbis contendere ; ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium. Unde in Proverbiis scriptum
Prov. XX, 3. est : Honor est homini, quum separat se a lite. Similiter inhonestum est homini litigare. Est tamen quædam pax prava, puta concordia in peccatis, seu consensus in malis, aut quietatio desiderii in rebus illicitis : quæ pax semper vitanda est.

Itaque tempus evangelicæ legis, est tempus pietatis et gratiæ, in quo Deus misit operarios in messem suam misericorditer valde præ solito. Inter quos fuerunt gloriosi isti apostoli Simon et Judas, consanguinei Christi et fratres Jacobi Minoris, quorum mater fuit soror Virginis gloriosæ. Hi duo Apostoli primo prædicaverunt divisim, deinde simul ingressi sunt Persidem, et usque ad coronam martyrii pariter prædicaverunt.

Denique Judas apostolus, post missionem Spiritus Sancti primo missus est a Christo ad Abagarum regem Edessæ, qui (sicut in Ecclesiastica fertur historia) misit epistolam Christo adhuc in terra inter homines conversanti, sub forma ista : Abagarus Jesu Salvatori bono, qui apparuit in locis Jerosolymorum, salutem. Auditum mihi est de te et sanitatibus quas facis, quod sine medicamentis et herbis fiant ista per te, quod scilicet verbo facis cæcos videre, claudos ambulare, leprosos mundari, et mortuos reviviscere. Quibus omnibus auditis, statui in animo meo, unum esse e duobus : aut quia tu sis Deus et descenderis de cœlo ut hæc facias, aut quod Filius Dei sis, qui hæc facis. Propterea ego scribens rogo ut digneris fatigari usque ad me, et ægritudinem qua diu laboravi, curare. Nam et illud comperi, quod Judæi murmurant adversum te, et volunt insidiari tibi. Veni ergo ad me, quia est mihi civitas parva, sed honesta, quæ utrisque sufficiet. Christus vero sic ei respondit : Beatus es qui credidisti in me, quum ipse non videris me. Scriptum est enim de me, quia hi qui me non vident, credent ; et hi qui vident, non credent. De eo autem quod scripsisti ad me ut veniam ad te, oportet hic omnia me complere propter quæ missus sum. Quum ergo assumptus fuero, aliquem de discipulis meis mittam ad te, ut curet te et vivificet te. Quum ergo post Christi ascensionem, juxta ejus promissionem, Judas apostolus venisset ad Abagarum, et diceret se esse Jesu Christi discipulum sibi promissum, vidit rex Abagarus quemdam mirum ac divinum splendorem in vultu Judæ apostoli. Quo viso, Abagarus stupefactus

ac territus, Dominum adoravit, dixitque : Vere discipulus es Jesu Filii Dei. Cui Apostolus : Si in Christum Filium Dei credideris, quidquid desideras, obtinebis. Respondit Abagarus : Credo vere ; et Judæos qui eum crucifixerunt, libenter trucidarem, si possibilitas mihi adesset, nec Romanorum impediret auctoritas. Accepit ergo Apostolus epistolam Salvatoris Abagaro directam, atque cum ea Abagari faciem confricavit, moxque curatus est. Et aliqui scribunt quod erat leprosus.

Præterea Judas iste apostolus in Mesopotamia prædicavit et Ponto ; et Simon apostolus, frater ejus, in Ægypto. Imo, primo prædicaverunt ambo, sicut et ceteri Apostoli, in Judæa, tam ante Christi passionem quam post Sancti Spiritus missionem. In quibus locis multos utique converterunt ad Deum, et diversis coruscaverunt miraculis, ac fidelissime et infatigabiliter pro humani salvatione generis laboraverunt. De ceteris autem eorum virtutibus atque præconiis, in sequenti dicetur sermone.

Horum ergo beatorum Apostolorum solennia cum reverentia celebremus, eorum constantiam assequamur, eorum imitemur virtutes. Ad laudem et gloriam Dei.

SERMO SECUNDUS

QUARE APOSTOLI LUX MUNDI, SAL TERRÆ, PRINCIPES ET DII VOCENTUR ; ITEM VITA APOSTOLORUM SIMONIS ET JUDÆ.

PRINCIPES populorum congregati sunt cum Deo Abraham, quoniam dii fortes terræ vehementer elevati sunt. Ps. XLVI, 10.

In his verbis tangitur admirabilis excellentia apostolorum Simonis et Judæ, qui de eorum sunt numero de quibus prædixit Psalmista ad Dominum : Constitues eos principes super omnem terram ; et iterum, Mihi autem nimis honorati sunt amici tui, Deus. Unde propter excellentissima supernorum dona charismatum Apostolis contributa, multa et præclarissima eis nomina attribuuntur in divinis Scripturis : quia dicuntur lux mundi, sal terræ, amici et filii Dei, principes populorum, dii et magistri, patresque fidelium. Primo ergo dicuntur lux mundi, quoniam totum mundum suis prædicationibus illuminaverunt, a vitiis purgaverunt, virtutibus ornaverunt. Hinc etiam appellantur magistri orbis. Dicuntur quoque sal terræ, quoniam corda eorum quos converterunt, divinarum ac spiritualium rerum condierunt sapore, atque a vitiorum præservaverunt putredine. Item dicuntur principes populorum et patres fidelium, quia fuerunt supremi et primi prælati Ecclesiæ : quamvis unus eorum fuerit summus et generalis totius Ecclesiæ pastor ac præsul, videlicet beatissimus Petrus. Insuper Apostoli dicti sunt dii, id est valde divini, propter copiosissimam divinæ naturæ imitationem, divinorumque excellentissimam participationem in donis gratiæ gratum facientis et gratis datæ. Nam primitias Spiritus receperunt, et præeminentem virtutem faciendi miracula, genera linguarum, discretionem spirituum, gratiam prophetiæ, sermonem sapientiæ et scientiæ. Hinc quoque vocantur cœli, juxta illud, Cœli enarrant gloriam Dei ; et columnæ Ecclesiæ.

Hi ergo « principes populorum » fuerunt « cum Deo Abraham congregati », scilicet Christo, qui ait : Antequam Abraham fieret, ego sum. Nam ante ipsius passionem fuerunt discipuli ejus, et usque ad passionem secuti sunt eum. Post resurrectionem

Ps. XLIV, 17.

Ps. CXXXVIII, 17.

Matth. V, 14, 13.

Rom. VIII, 23.

1 Cor. XII, 8-10.

Ps. XVIII, 2.

Joann. VIII, 58.

Act. I, 2 et seq. vero frequenter apparuit eis, quousque cernentibus ipsis ascendit in cœlum. Et post hoc ipsi « elevati sunt vehementer », *Ibid.* II, 1 et seq. præsertim in die Pentecostes, quum Spiritum Sanctum acceperunt; atque ex tunc quotidie mirabilia perpetraverunt.

Inter quos Deus altissimus hos duos beatissimos Apostolos multis excellentiis decoravit, quarum quædam in præcedenti sermone sunt tactæ, ut quod Christi consanguinei erant, filii Mariæ Cleophæ ex viro ejus Alphæo; item quod tam longe ac late prædicaverunt constantissime Evangelium Christi, videlicet in Ponto et Mesopotamia ac Ægypto; deinde in Perside et Babylonia, ubi a Deo multis excellentiis sunt ornati. Quum enim venissent ibidem, dii gentilium illorum eis respondere non poterant. Nam dux regis Babyloniæ contra Indos præliaturus, eventum belli quæsivit ab idolis suis. Quibus obmutescentibus, responsum accepit a diis proximæ civitatis, quod dii sui propter Apostolorum adventum respondere non possent. Quumque invenisset Apostolos, sciscitatus est qui essent et quare venissent. Responderunt : Hebræi sumus, servi Jesu Christi, et pro vestra salute advenimus. Quibus locutus est dux : Diis nostris fortiores vos video; finem belli, quæso, prædicite nobis. Dixerunt Apostoli : Ut deos tuos falsos esse cognoscas, jubemus ut tibi respondeant. Tunc dæmones per idola responderunt, magnum esse prælium eventurum, et plurimos hinc inde casuros. Quo audito, riserunt Apostoli, dixeruntque duci : Ne timeas, quia nobiscum huc pax intravit, et cras hostes tui se tibi subjicient. Tunc et pontifices idolorum riserunt, dicentes ad ducem : Ad hoc isti securum te facere volunt, vel improvise ab hostibus occuperis. Responderunt Apostoli : Non diximus duci, Exspecta annum aut mensem, sed unum diem. Tunc dux fecit custodiri utrosque, ut ex rei eventu honorarentur veraces, vel punirentur mendaces. Quumque die sequenti venisset quod prædixerunt Apostoli, voluit dux pontifices illos incendere; Apostoli vero prohibuerunt hoc, asserentes se missos a Deo ad vivificandum mortuos, non ad occidendum viventes. Hæc fuit una Apostolorum victoria, qua deos falsos et eorum pontifices superaverunt.

Secunda Apostolorum istorum fuit victoria, qua maximos magos quos S. Matthæus ab Æthiopia expulit, devicerunt. Videns etenim dux præfatus tantam Apostolorum sapientiam, potestatem, patientiam et pietatem, et quod omnia terrena despicerent, admiratus est valde, duxitque eos ad Babyloniæ regem, dicens : Isti, o rex, sunt dii in humana latentes effigie. Et retulit regi quæ acciderunt. Magi vero detraxerunt Apostolis. Quibus dux : Si audetis, inquit, cum eis confligite. Quumque magi multitudinem serpentium advenire fecissent, Apostoli de mandato regis advenientes, pallia sua impleverunt serpentibus, projeceruntque eos super magos, dicentes : In nomine Domini non moriemini, sed a serpentibus corrosi et morsi, præ doloribus mugietis. Quumque a serpentibus morderentur ac lacerarentur, et ululare nt ut lupi, rex ac alii rogabant Apostolos ut magos a serpentibus occidi permitterent. Qui responderunt : Nos missi sumus de morte ad vitam reducere, non de vita in mortem dejicere. Tunc præceperunt serpentibus ut venenum omne quod magis infuderunt, retraherent. Quod dum facerent, magi gravius torquebantur quam ante. Dixeruntque eis Apostoli : Tribus diebus sentietis dolores, et tertia die sanitatem recipietis. Quod quum factum fuisset, manserunt in sua malitia, et fugientes, totam pene regionem contra Apostolos concitaverunt. — Insuper sancti Apostoli isti alia multa faciebant miracula. Nam et duas ferocissimas tigrides ex foveis suis egressas ac plurimos devorantes compescuerunt, mansuetissimasque fecerunt. Rursus, quum quædam puella comitis filia fornicata, false accusasset quemdam diaconum, et peperisset infantem, accedentes Apostoli, dixerunt infanti unius diei : Dic,

infans, an diaconus iste hoc fecit. Respondit infantulus : Diaconus iste castus et sanctus est, nec unquam corpus suum inquinavit. Quum autem beati Apostoli vellent recedere, ad instantiam regis ac aliorum manserunt ibi per annum et tres menses. Infra quod tempus plus quam sexaginta millia hominum, exceptis parvulis, cum rege, duce atque principibus acceperunt Baptismum.

Tertia Apostolorum victoria fuit, qua et se ipsos feliciter, et suos adversarios mirabiliter superaverunt. Quum enim perlustrata universa provincia, venissent ad urbem Suanir, in qua erant septuaginta idolorum pontifices, a pontificibus illis, ex instigatione magorum, sunt capti, et ad templum Solis perducti. Tunc dæmones per energumenos clamaverunt : Quid nobis et vobis, Apostoli Dei vivi? Ecce in vestro ingressu flammis incendimur. Eadem hora apparuit eis angelus, dicens : Aut horum repentinum interitum, aut vestrum martyrium eligite. Responderunt Apostoli : Exoranda est misericordia Dei, ut et istos convertere, et nos ad martyrii palmam perducere dignetur. Et facto silentio, dixerunt Apostoli ad paganos : Ut sciatis hæc idola esse dæmonibus plena, ecce præcipimus eis ut exeant, et singuli simulacra sua confringant. Moxque duo Æthiopes nudi, cunctis mirantibus, exeuntes, confregerunt simulacra, atque cum diro disparuerunt clamore. Quod videntes pontifices, irruerunt in Apostolos sanctos trucidaveruntque eos. Et ecce eadem hora, quum maxima esset serenitas, tanta surrexit tempestas et tanta fulgura eruperunt, quod templum illud Solis trifarie scindebatur, et duo nequissimi magi ictu fulguris in carbones sunt versi. Rex autem corpora Apostolorum ad suam transtulit urbem, et in eorum honore, miræ magnitudinis fabricavit ecclesiam.

Ecce Dominus noster Jesus Christus quam mirabiliter exaltavit hos suos Apostolos, quam copiosum fructum fecit in hoc mundo per eos, quam evidenter atque potenter reprobavit idololatriam, ac fidem roboravit catholicam. Tot ergo prodigiis confirmati in fide, tot Apostolorum virtutibus provocati, agamus viriliter, temporalia parvi pendendo, cœlestia appetendo, et cum omni cordis custodia Deo sinceriter serviendo. Studeamus omne tempus nostrum viriliter occupare, fructuose expendere. In gratia Dei quotidie crescere enitamur ; in cibo, potu, vestitu et somno moderamen servare conemur, et coram Altissimo timorati in omnibus conversemur. Hosque beatos Apostolos fiducialiter invocemus, ut virtutem et gratiam adimplendi hæc omnia nobis meritis suis ac precibus impetrare dignentur, ut post vitam hanc labilem eorum beatissimæ societati jungamur.

AD RELIGIOSOS

SERMO TERTIUS

QUÆNAM AD CIVITATEM BONAM REQUIRANTUR ; DE CUSTODIA SUI IPSIUS, ET CONCORDIA AD PROXIMUM.

FRATER qui adjuvatur a fratre, quasi civitas firma. Prov. XVIII, 19.

Sicut ait apostolus Paulus, Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum ; si tamen prædestinati exsistant : propter quod verbis prætactis Paulus subjunxit, His qui secundum propositum vocati sunt sancti. Quamvis ergo Salvator venerit sepa-

Rom. VIII, 28.

Rom. VIII, 28. *Matth.* X, 35.

rare parentes a filiis, et filios a parentibus, omnemque carnalem consanguinitatem dividere, non tamen dissuasit cognatos ad hoc simul manere, ut in sanctis operibus sibi invicem cooperarentur. Imo et Christus ipse ad apostolatum atque collegium suum vocavit multos ex consanguineis suis, quorum aliqui fratres erant secundum carnem, quemadmodum hi duo gloriosi et benedicti Apostoli. Quorum etiam fratres erant Jacobus Minor et Joseph qui cognominatus est Justus et cum Matthia apostolo fuerat constitutus, ut eorum unus, loco traditoris, ordinaretur apostolus. Itaque sancti ac venerandi isti Apostoli primo divisim, deinde conjunctim prædicaverunt, et tot ac tanta egerunt miracula, tam potenter superaverunt magicas artes, tam imperiose idololatriam destruxerunt, futura quoque pure contingentia cordiumque arcana tam certitudinaliter prædixisse et reserasse noscuntur, tot millia hominum converterunt ad verum Deum, ut merito quasi dii inter homines reputarentur : quod totum ex eorum constat Legenda. Itaque Simon apostolus, qui adjuvabatur a fratre suo Juda, fuit quasi civitas firma. Similiter Judas iste apostolus a Simone fratre suo adjutus, tanquam urbs firma erat.

Matth. IV, 21.

Marc. VI, 3; *Act.* I, 23.

Porro ad firmam civitatem plurima exiguntur. Primum est, ut sit bene fortiterque murata. Secundo, ut habitantes in ea concordent, et se mutuo contra adversarios juvent. Tertio, ut ædificia sint robusta. Quarto, ut sit victualibus bene provisa. Quinto, ut sit armis referta. Sexto, ut cives sint fortes, bene audaces et ad pugnandum instructi. Omnia ista in quolibet horum fuerunt Apostolorum, atque in quolibet religioso consistere debent. Nec mirum si unus homo comparetur civitati, et civitas appelletur, quum et mundo assimiletur, et minor mundus vocetur, anima quoque devota cœnobium dicatur.

Quemadmodum ergo civitas firma est bene murata, sic unusquisque Apostolorum istorum pro forti muro angelicam habebat custodiam, omnipotentis Dei adsistentiam gratiosam et protectionem continuam (Dominus enim in circuitu populi sui) ; specialem quoque Christi tuitionem, opem et inclusionem, qui promisit Apostolis : Ecce ego vobiscum sum cunctis diebus. De quo Isaias prædixit : Urbs fortitudinis nostræ Sion, Salvator ponetur in ea murus et antemurale. Est etiam alius unicuique virtuoso homini murus, circumspectio propriæ rationis, et jugis custodia sui ipsius per actus prudentiæ et aliarum virtutum. Propter quod Habacuc dixit propheta : Super custodiam meam stabo, et figam gradum super munitionem. Hæc circumspectio seu ista custodia prohibet ingressum invisibilium hostium in animam per consensum, et ne jacula tentationum et insidiarum quas animæ moliuntur, noceant aut vulnerent eam. Imo murus iste rejicit omnia illa, universaque tela nequissimi ignea mox retundit. Ideo hortatus est Christus : Estote prudentes sicut serpentes. Princeps quoque apostolici agminis : Estote (inquit) prudentes, et vigilate in orationibus. Hinc dixit et Salomon : Omni custodia custodi cor tuum. Unde sancta animalia Ezechieli ostensa, erant undique oculata seu oculis plena ante et retro. Hæc circumspectio est nobis necessaria valde, quum in medio laqueorum ac hostium ambulemus, et undique tam dira ac plurima instent pericula. Necesse est ergo custodire exteriores interioresque sensus, linguam, et omnia corporis membra, ac animæ vires. Denique murus religiosi, est observantia regularis, abnegatio propriæ voluntatis, obedientiæ promptitudo, ac præsidentis custodia sive directio. Nec valent diaboli animam ejus irrumpere qui in observantiis Ordinis sui est diligens et propriam semper abnegat voluntatem ac prompte obedit. Multumque defendit, munit et roborat subditos diligentis prælati custodia. Qui si viderit gladium venientem, hoc est instare periculum, mox personat buccina, avisans et admonens sibi commissos. Quum ergo et nos pro muro habeamus angelorum custodiam, Deitatis

Ps. CXXIV, 2.

Matth. XXVIII, 20.

Is. XXVI, 1.

Habac. II, 1.

Ephes. VI, 16.

Matth. X, 16.

I *Petr.* IV, 7.

Prov. IV, 23.

Ezech. I, 18; *Apoc.* IV, 6.

protectionem, Christi præsentiam, non diffidamus; nec etiam detestabili dissolvamur aut torpeamus securitate, quia requirit Deus a nobis ut faciamus diligentiam nostram, et Dei auxilium jugiter invocemus.

Secundo, sicut in firma civitate habitantes bene concordant, ita in sanctis apostolis Simone et Juda pars sensitiva cum suis affectionibus seu passionibus, operationibus concupiscibilis et irascibilis appetitus, interioresque sensus et inferiores vires fuerunt rationis imperio rite subjecta. Ita et quilibet nostrum conetur ut
I Cor. IX, 27. corpus suum in omni opere bono, in vigiliis, jejuniis, disciplinis, in surgendo alacriter, in cantando et psallendo hilariter, animæ suæ prompte deserviat semper, sicque in sanctam servitutem redigat illud per assuefactionem virilem et exercitationem assiduam : sicque inferiorum virium actiones non impediant sed adjuvent actus rationis et voluntâtis, secundum fidem et legem Christi se dirigentis. Sic quoque inter sanctos istos apostolos et confratres Simonem et Judam fuit summa concordia et caritas maxima, adsistentia et cooperatio prorsus fidelissima. Hinc etiam inter nos religiosos debet esse grandis concordia, dilectio fervida, subventio mutua, ut
Ps. CXXXII, 1. recte dicatur de nobis : Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum. Absit ut unus impediat, scandalizet, perturbet aut male alliciat alium; sed
Rom. XV, 6. unanimes, uno ore, fervido corde honorificemus Deum et Patrem universorum.

Tertio, sicut in firma civitate ædificia sunt robusta, sic in sanctis Simone et Juda fuit validissima virtutum structura, fundamentum humilitatis, fidei et timoris profundissime atque fortissime situatum, turris caritatis altissima, parietes patientiæ, mansuetudinis, sobrietatis ac fortitudinis, solaria spiritualium profectuum. Quæ omnia nobis quoque per imitationem inesse oportet, ut in forti ac inviolabili humilitate ac fide totam conversationem nostram fundemus, et etiam in casto ac jugi timore Dei. Huic fundamento superædificemus actus et exercitia totius patientiæ, mititatis, sobrietatis ac fortitudinis. Ita per quotidianos profectus virtutum, quasi per gradus atque solaria ad caritatis apicem pertingamus, quatenus in turri hac constituti, ab hostibus simus protecti, et divina æternaque speculemur.

Quarto, sicut in firma civitate est victualium bona provisio, sic sancti apostoli Simon et Judas spiritualibus alimoniis abundabant, in tantum quod multa millia spiritualiter copiosissime refecerunt, imo et impinguaverunt. Erant enim refectionibus sapientiæ salutaris, sacramentalibus cibis, sanctis operibus, lacrimarum virtuosis profluviis consolationibusque divinis et supernæ caritatis ardoribus copiose referti, supernaturaliter pleni, tanquam adi- *Ps.* LXII, 6. pe et pinguedine adimpleti. His ergo epulis impleamur et nos, et sanctis insistendo operibus, reficiamus et confortemus indesinenter animas nostras contemplationibus divinorum; effusionibus devotionalium lacrimarum potemus eas continue et abunde, ita ut inebrientur iis poculis, et consolatione frequenti Spiritus Sancti dulciter recreentur, sed et corpore ac sanguine Salvatoris saluberrime nutriantur.

Quinto, sicut in firma civitate est apparatus armorum sufficiens, ita in Sanctis istis fuit omnis fortium armatura, scutum fidei, lorica justitiæ, gladius spiritus (quod est verbum Dei) galeaque salutis : per quæ visibilibus et invisibilibus hostibus, universis tentationibus acieique vitiorum efficaciter restiterunt et gloriose prævaluerunt. Induamur ergo et nos armatura hac Dei, et omni virtutum soliditate muniamus ac roboremus animas nostras, ne aliqua impugnatione lædamur. Hinc namque monet apostolus Paulus : Accipite arma- *Ephes.* VI, 13. turam Dei, ut possitis resistere in die malo. Itaque, quid est quod tam faciliter ad iram, ad impatientiam, ad animositatem, ad curiositatem, ad cupiditatem, aut alia vitia labimur, nisi quia spiritualiter satis armati non sumus? Qui ergo hujusmodi est, imperfectum suum advertat, et virtu-

tum confortationibus se armare acceleret.

Sexto, sicut in civitate firma cives satis audaces sunt, atque ad præliandum pro defensione reipublicæ bene instructi, sic sancti isti Apostoli omni magnanimitate, fortitudine et experientia ad spiritualia bella erant repleti, nullique hosti cesserunt, et ardua virilissime aggrediebantur, nec propter mortis pericula cessabant a divulganda evangelicæ legis doctrina. Ergo et nos in Dei adjutorio confidentes, ejusque gratiæ innitentes, simus fortes atque magnanimes, et in spiritualibus pugnis triti, quatenus agnoscamus qualiter compendiosius possimus proficere, qualiter etiam omni tentationi efficacius valeamus resistere. De qua re in sequenti sermone, quod Dominus inspiraverit referetur.

SERMO QUARTUS

DE VITÆ ANACHORETICÆ ET EREMITICÆ DIFFERENTIA ; QUOMODO RELIGIOSUS QUOQUE SE HABEAT PER HUMILITATEM ET OBEDIENTIAM.

MELIUS est duos esse simul quam unum. Eccle. IV, 9.

Quamvis vita anachoretica et penitus solitaria sit summe divina, et ideo, absolute loquendo, præferatur vitæ eremiticæ et claustrali, seu monasticæ et communi seu sociali, nihilo minus sancti et expertissimi in spiritualibus Patres, magis instituerunt et consuluerunt vitam monasticam socialem, specialiter propter duo. Primo, quoniam anachoretica vita est periculosa et maxime ardua, et regulariter loquendo, non convenit nisi perfectis. Constituti enim in hujusmodi vita, acerrime et callidissime ab invisibilibus hostibus impugnantur, nec habent hominem ad quem recurrant. Habent quoque libertatem quamdam, quæ fit eis faciliter ruinæ occasio. Si enim paulisper pigrescere cœperint, a nemine corripiuntur aut excitantur. Secundo, quia vita monastica socialis plurimas habet commoditates et expeditiones ad profectus spirituales, et ad diversos meritorios actus, quibus anachoretica caret vita. In sociali etenim vita unus juvatur, corripitur, edocetur, ædificatur, consolatur, accenditur, exercetur ab alio, et ita discit cognoscere semetipsum, propriamque infirmitatem fateri, et ad emendationem animum suum accingere.

Has rationes subtiliter ac compendiosissime tangit Salomon loco prælegato. Nam quum dixisset, Melius est duos esse simul quam unum, mox causam adjunxit : Habent enim (inquiens) emolumentum societatis suæ. Et quod sit illud emolumentum, adjecit, dicendo : Si unus ceciderit, fulcietur ab alio, id est, a proximo fratre seu socio suo religioso recuperabitur, quia ad pœnitendum, emendandum atque ad cautius ac fructuosius conversandum ab illo monebitur, instruetur, juvabitur. Et quia solitarius omnino abstractus caret isto emolumento sive subsidio, Salomon adjecit : Væ soli, quia quum ceciderit, non habet sublevantem se. Insuper tangit Salomon aliud vitæ socialis claustralis emolumentum : Si dormierint (inquiens) duo simul, fovebuntur mutuo ; unus quomodo calefiet ? Id est, si duo vitam quietam et contemplativam pariter duxerint, et somno pacis internæ conquieverint, unus alium loco et tempore opportuno ad persistendum ac proficiendum in tali vita hortabitur et accendet, ne forte paulatim tepescat. Unus quomodo calefiet ? id est, solitarius prorsus abstractus, ad sui ipsius exercitationem et inflammationem vix semper aut diu sufficiet. Deinde Salomon tertium tangit emolumentum : Et *Ecclc.* IV, 9. *Ibidem.* *Ibid.* 10. *Ibidem.* *Ibid.* 11. *Ibid.* IV, 12.

si quispiam prævaluerit contra unum, duo resistent ei. In congregatione namque devota et bene disposita, tot sunt adjutores quot habitatores, et quilibet alium juvat exemplariter conversando, pro illo devote orando, ipsumque caritative corripiendo, ferventer hortando, sapientialiter instruendo. Si itaque quispiam visibilium aut invisibilium hostium prævaluerit contra unum in cœnobio morantem, duo resistent ei : id est, ipse qui fuerat victus ab hoste, adjutus orationibus et exhortationibus sui confratris, resipiscet, et hostem suum prosternet.

Denique, quamvis uterque Apostolorum istorum fuit vir valde heroicus et perfectus, imo et confirmatus in gratia, nihilo minus ordinante Spiritu Sancto postquam ad tempus separatim prædicaverunt, pariter prædicare exorsi sunt, et usque martyrii sui triumphum simul manserunt, ad insinuandum socialis vitæ in cœnobio fructum, laudabilitatem et commoda.

Quæ quum ita se habeant, nos qui Deo disponente in congregatione ista convivimus, studeamus indesinenter nobis invicem adminiculo esse, ne quis alteri obicem ponat in via virtutum. Nullus sua loquacitate aut levitate, alterius solvat rigorem et maturitatem, inducendo eum ad silentii fractionem morumque dissolutionem. Sunt quippe nonnulli tam carnales et intimorati, quod si viderint quemquam ad aliquam cordis sui custodiam, ad silentii gravitatem, ad solitudinem et abstractionem ac consimilia spiritualia exercitia se donantem, mox eum singularitatis redarguunt, persequuntur, irrident, et pro posse impediunt. Qui, quid aliud sunt censendi, nisi cooperatores diaboli ? Satagat igitur unusquisque tam humiliter se habere, tam patienter omnem correptionem, castigationem, tribulationem perferre, tam diligenter ea quæ Ordinis sunt servare, tam ferventer Deo servire, ut ad eadem incitet alios.

Præterea si quæratur, qualiter possit ac debeat religiosus compendiosius proficere et ad perfectionem pertingere ; respondendum, quod quia ingratum est Spiritui Sancto quidquid ei offertur neglectis his ad quæ quis tenetur, idcirco oportet ut in primis conetur ea ad quæ ex Ordine obligatur, diligenter persolvere, et in talibus sibi consuetudinem facere bonam, ut loco et tempore opportuno impleat ea, aliaque relinquat dum talia instant agenda, nec operi Dei quidquam præponat. Sicque alacriter est surgendum ad Matutinas et Primas, et devote properandum ad chorum, quando ad hoc pulsatur ; atque cum attentione orandum, psallendum, celebrandum est, et cum ingenti mentis custodia. Deinde, quia in spirituali ædificio necessarium est stabile fundamentum, oportet ut religiosus in vera humilitate et in Dei timore se fundet, et quanto diutius vivit, et inter alios conversatur, tanto semper in omni humilitate profundior et in timore sancto fundatior esse conetur. Sicque omnem vitet, abhorreat ac repellat indesinenter singularitatem, et totius ambitionis fatuitatem ac proprii sensus immansionem, quia hæc omnia humilitati contrariantur. Rursus, quia in religiosis potissimum commendatur, requiritur et coronatur obedientia, opus est ut religiosus volens proficere, assuescat et discat se ipsum in omnibus frangere, salubriter mortificare, obedientialiter abnegare, et prompte obedire in cunctis. Et quamvis opera ad quæ ex se ipso magis afficitur, videantur spiritualiora et altiora, nihilo minus ea quæ sibi a superiore injungitur, præferat illis, et prompte ac fervide exsequatur, quamvis in se grossa ac arida esse appareant : quia per talem proprii judicii postpositionem, et propriæ voluntatis derelictionem, atque spontaneam propter Deum subjectionem, maximæ gratiæ incrementum meretur. Insuper opus est ut in cunctis discretionem observare nitatur, et in cibo, potu, somno ac consimilibus moderamen observet. Corporalia quoque exercitia ad interiorem semper ordinet profectum : imo ad internam et secretam

exercitationem coram Altissimo se jugiter totis det viribus, cor suum ad Creatorem assidue dirigendo in omni loco, actu, hora, negotio, adspirando ad ipsum per orationes, meditationes et contemplationes ; et necessariis sit contentus, occupationes curiosas, superfluas, impertinentes devitans.

Porro sunt et alia media multa ad spiritualem profectum valde accommoda, utpote : conscientiam propriam quotidie diligenter examinare et expurgare, dominicam passionem intimo corde revolvere, beneficia Dei pensare, quatuor novissima diligentissime ponderare, Dei præsentiam semper attendere, tentationes, cogitationes, suggestiones proprii cordis alicui viro discreto in spiritualibus trito manifestare, et ejus consiliis obtemperare ; tepidorum et negligentium Fratrum exemplis non lædi, A sanctorum exemplis accendi, virtuosiorum et ferventiorum vestigia sequi, temeraria vitare judicia ; tentationibus statim reniti, se ipsum in omnibus maxime humiliando, in sola Dei misericordia confidendo, Dei auxilium incessabiliter invocando, Christi passionem menti impressam semper habendo ac intuendo, et tanto instantius insistendo virtuosis operibus, quanto acrius ingeruntur tentationes.

His itaque modis satagamus indefesse proficere, et omni tentationi resistere, atque in sanctis exercitiis ita nos omni hora habituare, assuefacere, occupare, ut nihil cordi nostro molestius sit quam inde avelli, nihil dulcius quam Dei alloquio immorari, quam psalmis, orationibus, meditationibus contemplationibusque jugiter actuari. B

SERMO QUINTUS

CONTRA AMBITIONEM, INVIDIAM, SUPERBIAM, GULAM, ET DE MORTIFICATIONE HARUM ALIARUMQUE PASSIONUM.

MEMORES estote verborum quæ prædicta sunt ab Apostolis Domini nostri Jesu Christi. Judæ 17.

Nos ergo, o fratres, attendamus, intueamur, et jugiter recordemur apostolicorum verborum, et nunc specialiter verborum quæ sancti apostoli isti Simon et Judas locuti sunt. Et quamvis Simon nil scripserit in Scripturis sanctis contentum, Judas tamen compendiosam scripsit epistolam, in qua ejus sapientia, fervor, rigor, diligentia innotescunt. Et certe quod ipse scripsit, prædicavit uterque.

Quid ergo ad nostram eruditionem et ædificationem loquitur S. Judas apostolus?

Judæ 11. Væ illis (inquit) qui via Cain abierunt, et errore Balaam mercede effusi sunt, et contradictione Core perierunt. Via Cain abeunt

Gen. IV. 8. invidi, quia Cain rancorem sequentes, a Deo recedunt. Hanc viam incedere solent C ambitiosi, qui quum honoris et officiorum ac dignitatum sint cupidi, melioribus et ad talia aptioribus invidere, obloqui, insidiari consueverunt, ne per eos impediantur a consecutione eorum quæ consequi moliuntur ; et varias habent suspiciones vilissimas et sinistras, imo et contristantur de prosperitate illorum quorum eminentiæ invident. Si vero viderint alios ab illis esse aversos, et illos ad aliqua mala corruere per quæ vilescunt et promotione reputantur indigni, lætantur et consolantur. Ecce quot et quam horribilia D mala ex ambitione nascuntur ; quam infeliciter ambitiosi a propria ambitione, suspicione, rancore torquentur. Væ illis, qui via Cain abeunt. Cujus viam etiam insequuntur, qui fratres suos se meliores, justos, devotos et simplices persequuntur ; qui pati non valent quod alii eos præce-

dant honore, fama et gratia ; qui suas aversiones sub specie alicujus palliant boni. Isti sunt qui corda sua in Deo nequaquam simplificant, nec suas intentiones in ipso defigunt, nec suas affectiones in ipso purificant, stabiliunt atque adunant, sed ad se ipsos impie reflectuntur, et in cœnobio cor gerunt mundanum : idcirco diversas illabuntur miserias. Et interdum contingit ut quo diutius in religione exstiterint, eo plus tentationibus et passionibus vanis ac variis agitentur. Sed absit a nobis ista calamitas et perversitas, imo et insania tanta, nec aliud intendamus, quæramus, optemus in cœnobio, nisi propter quod venimus, et propter quod institutum est cœnobium, ut nobis ipsis ac sæculo mortui, soli vivamus Deo omnipotenti, in eo semper simplificati, recollecti et stabiliti.

Rom. VI, 11; II *Cor.* V, 15.

Num. XXIV, 14; XXXI, 16.

Porro errore Balaam mercede effusi sunt cupidi seu avari, qui desiderio commodi temporalis relinquunt justitiam. Inter quos merito computantur religiosi qui propter lucra et munera hominibus blandiuntur, et eorum palpant peccata, nec fraternæ correptionis præceptum complent in proximis qui delinquunt. Similiter religiosorum prælati qui sibi commissos debite increpare atque corrigere negligunt, ne forte illos offendendo, ingratitudinem molestiamque incurrant, aut suis per illorum machinationem priventur officiis, favoribus sive honoribus : in quibus regnat affectio commodi potius quam honesti. Similiter religiosi qui ex humano timore, seu propter adulationes, munuscula sive obsequia, aut spe alicujus utilitatis seu promotionis futuræ, negligunt peccantem fraternaliter increpare, veritati testimonium perhibere, et quæ caritas exigit proximis impertiri, cum Balaam errante effunduntur mercede, quia se ipsos ad diversa effundunt peccata. Quod ne incidamus, justitiam semper zelemur, et toto cordis affectu in amorem bonitatis atque virtutum assidue transformemur, ut nihil aliud nisi quæ bona, justa, honesta sunt, appetamus aut operemur. Beati enim qui esuriunt et sitiunt justitiam, quos comedit zelus domus Dei, et zelo zelantur pro cultu et honorificentia Creatoris. Hinc namque hortatur Paulus apostolus : Quæcumque sunt vera, quæcumque amabilia, quæcumque justa, quæcumque bonæ famæ, si qua laus disciplinæ, hæc cogitate, et Deus pacis erit vobiscum.

Matth. V, 6. *Ps.* LXVIII, 10. III *Reg.* XIX, 10, 14. *Philipp.* IV, 8, 9.

Insuper, contradictione Core pereunt superbi, inobedientes, rebelles, contentiosi, partiales, et qui dissensiones ac scandala concitant, inquietudinem pariunt, congregationem perturbant. Qui ut beatissimus princeps apostolici chori fatetur, dominationem contemnunt, audaces, sibi placentes, pellicientes animas instabiles ; quibus caligo tenebrarum reservata est in æternum. Quam enormia et intolerabilia sint vitia ista non in religiosis dumtaxat, sed in universis quoque Christianis, patet ex eo quod Deus etiam in veteri Testamento tam districtissime et horrende ultus est crimina ista. Siquidem ipsos rebelles Core, Dathan et Abiron, terra absorbuit vivos. Ad omnem ergo subjectionem, humilitatem et obedientiam demus nos semper, atque honore invicem præveniamus, et ex humilitate superiores mutuo arbitremur ; junioresque senioribus deferant, et unusquisque in alio magis consideret bona illius ad imitandum et ad glorificandum ex eis Deum, quam mala ipsius ad contemnendum et dijudicandum. Nempe qui observator est malorum, opprimetur ab eis ; et anima quæ per superbiam aliquid commiserit, quia adversus Dominum rebellis fuit, peribit de populo suo. Rebellis quoque et contumax reputatur in jure tanquam hæreticus.

Num. XVI. II *Petr.* II, 10, 14, 17. *Num.* XVI, 31-33. *Rom.* XII, 10. *Philipp.* II, 3. *Prov.* XI, 27. *Num.* XV, 30.

Porro de prædictis vitiosis hominibus addit sanctus apostolus Judas : Hi sunt in epulis suis convivantes sine timore, pascentes semetipsos, nubes sine aqua, quæ a ventis circumferuntur. Videamus igitur ne aliquid horum inveniatur in nobis. Nemo instar canis famelici super cibum se effundat et potum, nec immoderate se

Judæ 12.

Luc. VI, 25. repleat, quum dicat Salvator : Væ vobis qui saturati estis, quia esurietis. Nec sine timore Dei reficiatur, sed comedendo meditetur salubria, et lectionem advertat.

Eccli. I, 27. Quum etenim timor Dei retrahat a peccato, et in cibi ac potus sumptione aut vix aut difficulter vitetur culpa, nisi quis cum timore Dei vescatur, graviter multipliciterque offendet. Idcirco in reficiendo cogitemus Dei præsentiam et ejus districtum judicium : sicque corpus sustentetur, et cor crapula non gravetur. Nam et Tobias

Tob. IX, 12. junior exsistentesque secum, cum timore Dei celebraverunt nuptiarum convivium. Non assimilemur nubibus carentibus aqua, quæ circumferuntur a ventis ; sed aqua sapientiæ salutaris et stabilitate virtutum adimpleamur, ne passionum impetu agitemur : imo potius instar nubium terram fecundantium, verba sapientiæ tanquam stillicidia diffundamus, virtutibus rutilemus, per contemplationem supra nos elevemur, et cœliformiter conversemur.

Amplius, indevotis, passionatis, irreformatis religiosis competit quod gloriosus Judas apostolus de prædictis subjungit :

Judæ 16. Hi sunt murmuratores, querulosi, secundum desideria sua ambulantes. Quibus dum a præsidente aliquid denegatur, aut a confratribus aliquid eorum voluntati contrarium agitur, aut eis parum quid forsitan forefit, protinus murmurant, conque-

Ps. XVI, 10. runtur, et os eorum loquitur superbiam, quoniam comminationis, iræ, impatientiæ, præsumptionis, contentionis proferunt verba : quoniam proprias defectuositates, calamitates et culpas non intuentur sicut oportet, nec debite ponderant ; nec suam advertunt professionem, qualiter teneantur esse resignati et fracti, atque ad omnem adversitatem injuriamque parati, subjectione et abjectione gaudentes, imo in omni eventu in Deo tranquilli.

Unde rursus sanctus hic Judas adjecit :

Judæ 19. Hi sunt qui segregant semetipsos, animales, Spiritum non habentes. Ex sua namque contentione, pertinacia, animositate, ira et impatientia, incidunt partialitates, aversiones, singularitates, et interdum etiam quasdam carnalitates. De talibus loquitur Paulus : Quum sit inter vos zelus et I *Cor.* III, 3. contentio, nonne carnales estis ? Quocontra hortatur ut id ipsum dicamus omnes, nec *Ibid.* I, 10. schismata sint in nobis, sed perfecti simus in eodem sensu et in eadem scientia, hoc est, spiritualiter eadem sapiamus de Deo, et in his quæ sunt fidei ac salutis, veraciter concordemus. Quam identitatem, unitatem atque concordiam operatur in nobis Spiritus Sanctus per gratiam suam, per virtutes infusas et dona. Quæ quanto plus in religiosis abundaverint, tanto amplius uniuntur in Domino, et concordiores ac unanimiores consistunt tam cum superioribus suis quam invicem. Hi vero qui proprium sensum sequuntur, et naturali innituntur ingenio, aut suis passionibus ac vitiis impelluntur, multipliciter sunt discordes, et segregant se ab invicem, quoniam animales sunt, Spiritum Sanctum non habentes. Hinc inter superbos *Prov.* XIII, semper sunt jurgia. Et philosophi atque 10. hæretici in suis opinionibus variis modis mutuo sibi repugnant, sicut et prudentes sæculi hujus. Ideo Jacobus dixit apostolus : Si zelum amarum habetis, et contentiones sint inter vos, nolite gloriari. Non est sapientia ista desursum descendens, sed terrena, animalis et diabolica ; quæ autem desursum est sapientia, primum quidem pudica est, deinde pacifica, suasibilis, bonis consentiens. Hinc olim multa millia monachorum, in quorum cordibus abundabant præfata charismata Spiritus Sancti, sub uno spirituali patre cum summa vixerunt concordia. Nunc autem decem, quindecim aut viginti vix valent pacifice commorari. Consideremus ergo cujus spiritum magis accepimus, spiritum hujus mundi, an spiritum Dei ; et omni conatu elaboremus in donis Spiritus Sancti, in caritate et gratia, in humilitate et obedientia ceterisque virtutibus crescere, roborari ac perfici. Ad laudem et gloriam Dei omnipotentis. *Jacob.* III, 14, 15, 17.

IN SOLENNITATE
OMNIUM SANCTORUM

ENARRATIO IN LECTIONEM LOCO EPISTOLÆ

EGO JOANNES VIDI ANGELUM, ETC. Apoc. VII, 2-12.

LECTIO ista ex Apocalypsi rite legitur hodie loco epistolæ, quia in ea fit mentio de omnibus Sanctis. Itaque in Apocalypsi scriptum est :

Ego Joannes evangelista, qui Apocalypsim descripsi, *vidi* visione imaginaria, quæ inter visionem pure intellectualem et visionem sensitivam est media, *angelum ascendentem ab ortu solis,* id est ab oriente, *habentem signum Dei vivi.* Per hunc angelum quidam intelligunt Christum, qui est magni consilii Angelus, visitavitque nos oriens ex alto ; et ascendit, id est, sublimiter venit et gloriose innotuit, ab ortu Solis æterni, ex corde Patris altissimi, ex summo cœlo, ubi Sol intelligentiæ mentibus oritur Beatorum. Hic habuit « signum Dei vivi », id est crucis vexillum. Habuit quoque signum quod vere missus esset a Patre, videlicet excellentiam miraculorum, secundum quod ait : Opera quæ ego facio in nomine Patris mei, testimonium perhibent de me. — Verumtamen per angelum istum potius arbitror intelligendum angelicum spiritum divinitus missum, prout infra in textu tangi videtur. Qui in visione imaginaria videbatur S. Joanni quasi ab oriente ascendere et in altiora volare, sicque in sublimi stans, ea quæ subsequuntur clamare. Habuit autem signum Dei vivi, quia in eo certum apparebat indicium quod esset angelus sanctus, non malus. Sed et angeli sancti cum crucis signaculo sæpe apparuisse leguntur. Porro signum istud intelligi potest potestas compescendi ac refrenandi ferociam spirituum malignorum.

Is. IX, 6, juxta LXX. *Luc.* I, 78.

Joann. X, 25.

Et clamavit voce magna, id est, grandi auctoritate præcepit, *quatuor angelis quibus datum est,* id est, divina exigente justitia permissum sive concessum est, *nocere terræ et mari,* id est persecutionem inferre fidelibus in terris ac insulis hinc inde morantibus, *dicens : Nolite nocere terræ et mari, neque arboribus,* id est, ultra non attentetis vexare fideles (qui per terram et mare et arbores designantur), *quoadusque signemus servos Dei nostri in frontibus eorum,* id est, quousque ego et angeli sancti mihi cooperantes, crucis vexillo fideles ab infidelibus distinguamus, vel prædestinatos ad fidem convertendos notemus, atque eorum conversioni cooperemur. Porro per quatuor angelos quibus datum est nocere terræ et mari, Haymo intelligit quatuor dæmones, de quibus et Paulus : Nescitis (inquit) quia et angelos judicabimus ? Alii per quatuor angelos istos, intelligunt principes sæculi infideles, fidelibus undique insidiantes. Refertur autem hæc visio ad tempus persecutionis Antichristi, secundum expositionem pro-

I *Cor.* VI, 3.

babiliorem. Sicque his verbis instruimur, quod licet Deus permittet Antichristum ad tempus regnare, cito tamen malitiæ ejus satellitumque ipsius finem imponet, ita quod angeli sancti dæmonum quoque tunc compescent sævitiam, ne Christianos prorsus amoveant, nec electorum ad Christum conversionem impediant.

Et audivi ab angelo sancto *numerum signatorum* signo Dei in fronte, ut dictum est, puta fidelium, *centum quadraginta quatuor millia signati ex omni tribu filiorum Israel,* ita quod omnes simul sumpti, tot fuerunt seu erunt. Ex qualibet etenim tribu erunt duodecim millia. Quumque duodecim tribus sint, signati ex omnibus tribubus istis simul accepti constituunt numerum memoratum. Detecta quippe Antichristi perfidia, omnes tribus Israel convertentur per prædicationem Enoch atque Eliæ, multo utique plures quam hic taxantur. Idcirco per numerum istum determinatum indeterminatus exprimitur numerus, propter perfectionem numeri hujus, prout expositores satis declarant.

Malach. IV, 5, 6; *Matth.* XVII, 11.

Ex tribu Juda, duodecim millia signati, id est, duodecim millia hominum ex tribu hac signabuntur crucis signaculo fide suscepta; *ex tribu Ruben, duodecim millia signati.* Convenienter a tribu Juda incepit, propter dignitatem hujus tribus, quia ex ea natus est Christus, et reges prodierunt ex tribu illa. Ruben tamen primogenitus fuit patriarchæ Jacob. Sed quum violasset torum patris sui, primogenita data sunt filiis Joseph, ut primo Paralipomenon habetur. Omittit autem S. Joannes hoc loco tribum Dan, quia ex ea, ut dicitur, Antichristus nascetur. Duodecim tamen nomina tribuum ponit : nam tribum Manasse et tribum Joseph distinguit, quum tamen Manasses filius fuerit Joseph. Similiter tribum Ephraim non expressit : cujus (secundum quosdam) est ratio, quia Jeroboam primus rex decem tribuum Ephratæus, populum Israel ad idololatriam attraxit. Alii dicunt per tribum Joseph tribum Ephraim designari.

Matth. I, 3-16. *Gen.* XXIX, 32. *Ibid.* XXXV, 22. I *Par.* V, 1. *Gen.* XLVIII, 50, 51. III *Reg.* XI, 26; XII, 20, 26 et seq.

Porro, qui hoc loco per duodecim tribus Israel intelligunt universos fideles, qui Patriarcharum fidem et opera imitando, spirituales eorum filii nuncupantur, mysticum sensum penes nominum interpretationem accipiunt. Judas namque interpretatur confessio. Idcirco per tribum Juda, omnes qui Christum veraciter confitentur, intelliguntur. Ruben vero interpretatur filius visionis, vel videns in medio. Sicque per signatos ex tribu Ruben, dantur intelligi qui visioni contemplationis insistunt, et in medio laqueorum se positos cernunt.

Ex tribu Gad, duodecim millia signati. Per Gad, qui interpretatur accinctus, intelliguntur qui virtutibus contra peccata armantur, juxta illud Apostoli : Induite armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli. *Ex tribu Aser, duodecim millia signati.* Per Aser, qui interpretatur beatus, intelliguntur qui evangelicarum beatitudinum possessores consistunt (de quibus loquitur Christus, Beati pauperes spiritu, etc.), et futuram felicitatem jam prægustare merentur. *Ex tribu Nephthali, duodecim millia signati.* Per Nephthali, qui latitudo interpretatur, exprimuntur qui in latitudine ambulant caritatis, in tantum quod suos quoque adversarios in caritatis visceribus amplectuntur, juxta illud : Diligite inimicos vestros. *Ex tribu Manasse, duodecim millia signati.* Per Manassen, qui oblivio interpretatur, intelliguntur qui terrenorum ac temporalium obliviscentes, meditationibus divinorum suam replent memoriam, juxta illud Psalmistæ : In lege Domini voluntas ejus, et in lege ejus meditabitur die ac nocte.

Ephes. VI, 11. *Matth.* V, 3 et seq. *Ibid.* 44. *Ps.* I, 2.

Ex tribu Simeon, duodecim millia signati. Per Simeon, qui audiens mœrorem interpretatur, designantur qui salubriter contristantur ex recordatione propriæ culpæ, ex desiderio cœlestis patriæ, ex proximorum ruina, ex passionis Christi memoria, et ex consideratione propriæ imperfectionis. De qua tristitia Salomon ait : Cor sapientium ubi tristitia. *Ex tribu Levi, duodecim millia signati.* Per Levi, qui in-

Eccle. VII, 5.

terpretatur additus, significantur qui bona bonis accumulant, et observationi præceptorum observantiam addunt consiliorum, secundum illud Apostoli : Æmulamini charismata meliora. Et in Psalmo : Ibunt de virtute in virtutem. *Ex tribu Issachar, duodecim millia signati.* Per Issachar, qui merces interpretatur, intelliguntur qui intuitu præmiorum cœlestium meritis abundare conantur, juxta illud : Stabiles estote, abundantes in opere Domini semper, scientes quod labor vester non est inanis in Domino. *Ex tribu Zabulon, duodecim millia signati.* Per Zabulon, qui habitaculum fortitudinis interpretatur, intelligendi sunt qui in Deo corda sua defigunt, et ei tanquam fortissimo adjutorio innituntur, juxta illud Proverbiorum : Turris fortissima nomen Domini ; ad ipsum currit justus et exaltabitur. *Ex tribu Joseph, duodecim millia signati.* Per Joseph, qui interpretatur augmentum, expressi sunt qui spiritualibus divitiis quotidie crescunt, juxta illud in Evangelio : Habenti dabitur, et abundabit. *Ex tribu Benjamin, duodecim millia signati.* Per Benjamin, qui filius dexteræ interpretatur, intelliguntur ii quibus Deus gratiose et pie adsistit, juxta quod scriptum est : Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam a dextris est mihi ne commovear.

I Cor. XII, 31. *Ps.* LXXXIII, 8. *I Cor.* XV, 58. *Prov.* XVIII, 10. *Matth.* XXV, 29. *Ps.* XV, 8.

Sed quia post Antichristi interitum et generalem Judæorum conversionem, mox æterna beatitudo præstabitur, congruenter de triumphanti Ecclesia subditur : *Post hæc vidi* in spiritu *turbam magnam, quam dinumerare nemo,* id est nullus homo viator, *poterat* (Beati vero in patria sciunt numerum suorum concivium), *ex omnibus gentibus, et tribubus, et populis, et linguis, stantes ante thronum,* id est coram majestate divina, cujus thronus interdum Ecclesia militans, interdum Ecclesia triumphans, interdum Christi humanitas, aliquando anima justi, quandoque ultimus ordo primæ hierarchiæ angelicæ, nonnunquam cœlum empyreum, aliquando ipsamet Dei auctoritas ac potestas vocatur : et hoc ultimo modo nunc potius sumitur. Dicuntur autem Sancti stare coram Deo, et ante eum, non quasi Deus non sit intra eos, qui omnia implet ac penetrat ; sed humano more loquuntur Scripturæ, vicem gerentes infirmitati intelligentiæ nostræ. Stant itaque ante thronum, tanquam vultui majestatis intenti, et ejus obsequio cum inæstimabili reverentia indesinenter parati. *In conspectu Agni,* scilicet Christi, de cujus humanitate speciali gaudio reficiuntur : cui etiam secundum naturam assumptam, reverenter subduntur. *Amicti stolis albis,* id est splendidissimis gloriæ vestimentis, videlicet glorificatione animæ et corporis, seu essentiali accidentalique præmio ; *et palmæ,* id est signa seu præmia suæ victoriæ, *in manibus eorum.*

Jer. XXIII, 24.

Et clamabant voce magna, id est amorosa, devota, jucunda, *dicentes : Salus,* id est, immensa felicitas sit, *Deo nostro, qui sedet super thronum,* id est uni trinoque Domino præsidenti triumphanti Ecclesiæ. Istud dicunt congratulando beatitudini Dei, quia sic est ; non orando ut sit : sicut quum dicimus, Laudate eum, omnes angeli ejus. *Et Agno,* id est Christo etiam secundum quod homo est. Tamen Christo ut sic, competit salus creata finita, sed major quam ceteris universis.

Ps. CXLVIII, 2.

Et omnes angeli stabant in circuitu throni et seniorum et quatuor animalium, id est hominum beatorum in cœlo glorificatorum, videlicet Evangelistarum et præcipuorum Patrum Ecclesiæ, qui per quatuor animalia et seniores intelliguntur. Loquitur autem S. Joannes de istis, secundum quod sibi in imaginaria visione apparuit, et pro statu futuro in patria. *Et ceciderunt in conspectu throni in facies suas.* Sic enim in visione apparebat Joanni. Per quod significatur, quod angeli Deo humillime subjiciuntur, spiritualiter prosternuntur, atque de hominum triumpho ac gloria regratiantur. *Et adoraverunt Deum, dicentes : Amen,* id est, sic sit, et vere sic est, sicut sancti isti homines sunt

locuti, dicendo : Salus Deo nostro. Et per hoc angeli laudem hominum Deo oblatam approbant, honorationique Dei congratulari se monstrant. Et addunt :

Benedictio, et claritas, et sapientia, et gratiarum actio, honor, et virtus, et fortitudo Deo nostro in sæcula sæculorum, Amen : id est, ista omnia Deo nostro conveniunt seu debentur. Itaque « benedictio », id est laudatio, « claritas », id est pulchritudo, nobilitas, luciditas, « et sapientia » (nam ipse essentialiter sapiens est et sapientia ipsa), « et gratiarum actio » pro universis beneficiis ejus, a quo omne bonum fontaliter manat, « honor » latriæ, scilicet adoratio, « et virtus », id est sanctitas, « et fortitudo », id est omnipotentia, sint « Deo nostro in sæcula sæculorum », id est in æternum : ita quod aliqua horum ei exhibeantur, offerantur seu impendantur, scilicet benedictio, gratiarum actio et honor ; aliqua vero ei adscribantur seu attribuantur, ita quod sunt regulariter idem quod Deus noster, videlicet claritas, sapientia, virtus et fortitudo. Hoc angelicum canticum mente et ore devotissime frequentemus ; nuncque pro posse vitam inchoemus cœlestem, Deum semper corde laudantes, virtutibus insistentes, divina ac sempiterna contemplantes ac præamantes.

SERMO PRIMUS

MAGNAM ESSE ELECTORUM MULTITUDINEM, LICET REPROBORUM NUMERO MULTO SIT INFERIOR, EX QUINQUE CONSTAT.

JUSTI epulentur et exsultent in conspectu Dei, et delectentur in lætitia. Ps. LXVII, 4.

In iis verbis breviter tangit Psalmista quam ineffabilis sit beatitudo et gloria omnium Sanctorum in cœlesti patria : de quorum summa et incomparabili felicitate etiam beatissimus Joannes evangelista aliquid tangit in lectione quæ loco epistolæ legitur hodie. In qua lectione sunt multa consideratione dignissima. Primum est, quod status et processus militantis Ecclesiæ revelatus fuit S. Joanni evangelistæ. Secundum est, quemadmodum vita fidelium in sæculo isto gubernatur a Deo, et per angelos sanctos dirigitur, adjuvatur atque defenditur. Tertium est, quod crudelitas ac potestas tam visibilium quam invisibilium hostium populi christiani, refrenatur et compescitur ministerio angelorum a Domino. Quartum est, quemadmodum apud immensam sapientiam Dei certus ac determinatus est numerus electorum. Sed omnia ista modo pertranseo, quia de eis hinc inde dictum est sæpe. Quintum est, quam magna et innumerabilis sit electorum hominum multitudo. Quamvis enim, Christo testante, pauci sint electi, comparative loquendo, nihilo minus absolute loquendo, sunt multi et valde multi, imo innumerabiles vehementer : præsertim quum de amicis Dei, id est perfectis hominibus, dicat Propheta, Dinumerabo eos, et super arenam multiplicabuntur ; itemque de fidelibus, Annuntiavi et locutus sum, multiplicati sunt super numerum. *Matth.* XX, 16 ; XXII, 14. *Ps.* CXXXVIII, 18. *Ps.* XXXIX, 6.

Denique, quam inæstimabiliter magna, copiosa et innumerabilis sit electorum hominum multitudo, considerare valemus ex quinque. Primo, ex majestate et excellentia summi omnipotentisque Regis, qui est Deus sublimis et benedictus, cujus majestas, dignitas, nobilitas, excellentia nullum habet finem, nullam mensuram, sed est penitus infinita. Cujus comparatione

universitas creaturarum est tanquam momentum et punctum. Quum ergo regiam dignitatem deceat copia ministrorum (propter quod in Proverbiis Salomon loquitur, *Prov.* XIV, 28. In multitudine populi dignitas regis, in paucitate plebis ignominia principis), constat quod rex ille incomparabilis et *Apoc.* XIX, 16. immensus, Rex regum et Dominus universorum, multitudinem hominum electorum habeat indicibiliter magnam, præsertim quod universitas hominum electorum post diem judicii, quum fuerit adunata in regno cœlesti, erit inexcogitabiliter copiosa, pulchra et gloriosa.

Secundo, idem patet ex dignitate pretii quo Christus redemit genus humanum : qui licet quantum in se est, omnes redemerit homines sufficienter, solos tamen electos redemit efficienter, quoniam ipsi soli effectum redemptionis salutiferæ con- *Cf.* I *Cor.* III, 22. sequuntur, atque (ut ait Apostolus) omnia facta sunt propter electos. Nam reprobis, potissimum impiis Christianis, passio Christi, qua redemit genus humanum, occasio est damnationis multo majoris. Porro, ut sacratissimus ait princeps Apostolorum, I *Petr.* I, 18, 19. non corruptibilibus auro vel argento, sed pretioso sanguine suo redemit homines Christus. Imo se ipso eos redemit, quem- *Ephes.* V, 2. admodum ait Apostolus : Christus tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis. Nec solum pro hominibus sustinuit mortem, imo pro eorum ædificatione, gratia et salute assumpsit et passus est maximam paupertatem, plurimosque labores, varias impiissimorum irrisiones, detractiones, contumelias atque blasphemias, diaboli quoque tentationes. Christus autem, quum verus sit Deus, infinitæ est dignitatis, et ea quæ pro hominibus fecit ac pertulit, ex unita deitate cum sua humanitate fuerunt ineffabiliter digna, pretiosa, meritoria, efficacia, et Patri æterno accepta. Non ergo pro paucis hominibus electis et salvandis tantum effudit ac tribuit pretium, tanta assumpsit, fecit ac tulit, tamque acerbissimam passus est mortem : imo decentissimum est omnia illa in innumerabilibus hominibus salutarem sortiri effectum. Unde quamvis per Christum et ejus discipulos conversa sint et salvata multa millia Judæorum, tamen ob paucitatem illorum comparatione eorum quæ pro Judæorum salute fecit ac pertulit Christus, ipsemet quasi dolens et conquerens ait per Isaiam : Audite me, populi de longe, Dominus ab utero vocavit me, et ego dixi : In vacuum laboravi, sine causa et vane fortitudinem meam consumpsi : ergo judicium meum cum Domino. Deinde subjungitur ibi quasi consolatio Christi : Et nunc hæc dicit Dominus, formans me ex utero servum sibi, et glorificatus sum in oculis Domini, et dixit : Parum est ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Jacob et fæces Israel convertendas; dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ.

Is. XLIX, 1, 4.

Ibid. 5, 6.

Tertio, patet idem ex magnitudine aulæ atque palatii Regis altissimi. Hoc nempe palatium est cœlum empyreum, quod suam ob magnitudinem dicitur capacitatis immensæ, estque continentia visibilium et invisibilium, cunctaque corpora vehementer excedens. De quo præcipue illud Baruch verificatur : O Israel, quam magna est domus Dei et ingens locus possessionis ejus ! magnus et non habens finem, excelsus et immensus. Verumtamen non putetur, quod cœlum empyreum aut quodcumque creatum, sit simpliciter infinitum, quia in numero, pondere et mensura facta sunt omnia, ut dicit Sapiens; sed ad insinuandum summam et maximam cœlestis palatii magnitudinem hæc dicuntur. Non ergo in tanto palatio esse debet nisi proportionata ei habitantium in eo civium multitudo, utpote incomputabiliter copiosa.

Baruch III, 24, 25.

Sap. XI, 21.

Quarto, constat hoc ex divinis aliisque scripturis authenticis. De ineffabili etenim multitudine hominum salvandorum ad Christum convertendorum, et pro magna parte jam conversorum, multa testatur sacra Scriptura, ut est illud in Psalmo, Reminiscentur et convertentur ad Dominum universi fines terræ, et adorabunt

Ps. XXI, 28.

in conspectu ejus universæ familiæ gen-
Ps. LXXI, 17. tium; itemque, Benedicentur in ipso omnes tribus terræ. Hinc asserit Christus :
Joann. XII, 32. Ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum. Unde in Daniele fertur:
Dan. VII, 14. Omnes populi, tribus et linguæ servient ei. Istud etiam ex diversis patet historiis. Quis enim valeat æstimare quam innumerabilia sint sanctorum martyrum millia, etiam in sola Italia, imo in sola Roma, et multo plus in toto Romano imperio; deinde in regno Persarum, quorum reges et imperatores Christianis molestissimi exstiterunt; in regnis quoque Indorum et aliarum provinciarum? Insuper quis cogitet millia sanctorum monachorum qui habitaverunt in solitudinibus et desertis quamplurimis, in cœnobiisque aliis et suburbanis, villis ac urbibus? Refert S. Hieronymus, se fuisse in una civitate in qua habitaverunt viginti millia monachorum et decem millia virginum seu monialium. Legitur quoque quod S. Columbanus fuit pater innumerabilium monachorum. Idem de S. Pacomio legitur. Sanctus quoque Hilarion tot præfuit monachis, quod interdum eundo per loca habuit in comitatu tria millia monachorum. Quid jam de ceteris confessoribus poterit dici, de bonis conjugatis, et variis gradibus, statibus atque ordinibus Christianorum? Et tamen a principio mundi fuerunt utique multi boni. Præterea, quis æstimet quam innumerabilia sint millia infantium baptizatorum, ante discretionis horam feliciter defunctorum?

Quinto, patet hoc ipsum ex perfectione et plenitudine gaudii Beatorum. Quum etenim inter beatos et sanctos illos cives supernos sit perfectissima caritas, certum quod universorum beatitudo et gloria redundant in singulos, ita quod unusquisque de omnium aliorum gloriatur lætitia, sicque ad invicem gaudia sua sibi accumulant. Quum itaque summa et inexcogitabilis ac perfecta sit eorum jucunditas, palam quod tam copiosa eorum sit multitudo.
Ps. CXXI, 3. Hinc loquitur sanctus David : Jerusalem quæ ædificatur ut civitas, cujus participatio ejus in id ipsum. Et Augustinus : Tanta, inquit, vis caritatis Sanctos in cœlesti pace consociat, ut quod in se quisque non accepit, hoc se accepisse in alio glorietur; una cunctis erit beatitudo lætitiæ, quamvis non una sit in omnibus sublimitas vitæ; nulla ibi erit invidia disparis claritatis, quia regnabit in omnibus unitas caritatis. Postremo, de indicibili multitudine angelorum dictum est supra. *Cf.* p. 433 D et s. Si ergo cum beato Papa Gregorio sentiatur, quod tot homines salvabuntur quot angeli sancti manserunt et sunt, patebit quam innumerabilissimus sit electorum exercitus hominum.

Denique hodie omnium Sanctorum tam hominum quam angelorum solennitas agitur, de quibus ait Propheta : « Justi epu- *Ps.* LXVII, 4. lentur et exsultent in conspectu Dei ». Epulatio omnium horum Sanctorum, est clara et incessabilis contemplatio superspeciosissimi vultus Dei, ferventissima et inseparabilis dilectio ejus, plena et sempiterna fruitio increatæ et infinitæ dulcedinis Omnipotentis, beatifica et secura infiniti boni possessio. In hac epulatione Sanctorum consistit plenaria et contentativa lætitia eorumdem, ita quod præ jucunditate immensa qua in semetipsis superabundant, semetipsos vix capere queunt. Nam super se gaudent, Deum superpulcherrimum clare inspiciendo, deinde in Unigenito Dei humanam naturam glorificatissimam ac venustissimam cum ingenti gaudio intuendo, deinde Virginem gloriosam, et omnes ordines angelorum ac hominum beatorum. Et quidem in Dei visione consistit essentiale præmium Beatorum, in ceteris jam prætactis præmium accidentale eorum reponitur. O quam incomparabile gaudium est, Deum infinitæ pulchritudinis in se ipso clare per speciem cum secura æternitate conspicere, bonum illud incomparabile et immensum cum summo caritatis fervore præsentissimum amplexari, infinitaque ejus dulcedine ad libitum frui, et ipsum perenniter possidere! Hinc itaque

S. Gregorius optime loquitur : Si consideremus quæ et quanta sunt quæ nobis promittuntur in cœlis, vilescunt animo omnia quæ habentur in terris; nam temporalis vita æternæ vitæ comparata, mors est potius dicenda quam vita. Quæ etenim lingua exprimere, aut quis intellectus capere queat, illa supernæ civitatis quanta sint gaudia : angelorum choris interesse, cum beatissimis spiritibus gloriæ Conditoris adsistere, præsentem Dei vultum cernere, incircumscriptum lumen videre, nullo mortis metu affici, incorruptionis perpetuæ dono lætari? Præterea, quum omnes illi cives superni Deum perfecte summeque diligant, certum est quod sicut Deum plus quam se ipsos incomparabiliter ac ardentissime amant, sic incomparabiliter plus lætantur de infinita beatitudine Dei quam de omni beatitudine sui, et ineffabiliter amplius divinæ beatitudini congratulantur, quam de propria gloria jucundentur.

Quum ergo ad hanc tantam beatitudinem simus creati, et per Christum ad eam recuperati ac invitati, non cessemus adspirare ad eam, laborare pro ea, contemplari nunc eam per fidem. Ideo Dei et Ecclesiæ cuncta diligenter observemus præcepta; omnem superbiam, avaritiam, incontinentiam, acediam, gulam, otiositatem, negligentiam prorsus vitemus. Nullus labor durus, nullum tempus longum nobis appareat, quo æterna acquiritur beatitudo.

ENARRATIO IN EVANGELIUM

VIDENS JESUS TURBAS, ASCENDIT IN MONTEM, ETC. Matth. v, 1-12.

EVANGELIUM istud hodie convenientissime legitur, quia in eo de duplici beatitudine agitur, utpote de beatitudine viæ et de beatitudine patriæ : per quam viæ beatitudinem Sancti ad patriæ beatitudinem sunt perducti. Beatitudo equidem viæ est aliqua actio virtuosa, cœlestis beatitudinis meritoria. Itaque Matthæus asserit :

Videns Jesus turbas eum sequentes : de quibus alibi Matthæus ait, Secutæ sunt Jesum turbæ multæ de Galilæa et Decapoli, et de Jerosolymis et de trans Jordanem. In iis turbis aliqui sequebantur Christum ut ejus prædicationem audirent, aliqui ut sanarentur ab eo, quidam ut viderent miracula, nonnulli ut insidiarentur ei. Quosdam etiam alliciebat eloquentia Salvatoris, quosdam speciosus gratiosusque vultus ejus ac morum venustas : imo in multis concurrebant aliquæ harum causarum. *Ascendit in montem :* non in montem Oliveti, ut aliqui putaverunt, sed in montem quemdam Galilææ, videlicet in montem Thabor, aut alium montem Galilææ, secundum Hieronymum. Quod etiam ex circumstantia textus perpenditur. Siquidem Matthæus alibi ait, quod Christus sermone isto finito, intravit Capharnaum, quæ fuit urbs Galilææ. Ascendit autem Dominus Jesus in montem, ad litteram, ut melius videretur et audiretur ab omnibus; spiritualiter vero, ut insinuaret prædicatorem verbi Dei debere virtutum arcem ascendere, juxta illud Isaiæ : Super montem excelsum ascende, tu qui evangelizas Sion; itemque, ut per altitudinem montis materialis, sublimitas evangelicæ legis ac sapientiæ monstraretur. *Et quum sedisset* in monte tanquam magister, ad quem pertinet sessio in docendo, *accesserunt ad eum discipuli ejus,* qui tanquam familiares et domestici propinquius et fiducialius accesserunt ad eum, communi-

Matth. IV, 25.

Matth. VIII, 1, 5.

Is. XL, 9.

que populo perfectiores fuerunt. *Et aperiens os suum.* Per hanc circumlocutionem notatur magnitudo dicendorum. Itaque, « aperiens os suum », id est, personaliter loquens atque evangelicam legem tradens, qui olim per angelos et Prophetas loquebatur, et per Moysen legem dedit, *docebat eos, dicens.* Non dicitur, quod docuit turbas, sed discipulos suos : unde et Lucas
Luc. VI, 20. asserit, Elevatis oculis in discipulos suos. Nihilo minus sermo iste dicitur factus ad turbas : nam Christus principaliter verba sua direxit ad suos discipulos, præsertim Apostolos, tanquam ad totius mundi futuros doctores atque prælatos ; et ex consequenti intendebat etiam turbas instruere.

Beati pauperes spiritu. Hoc loco docet Salvator octo beatitudines, et in qualibet beatitudine tangit duo, videlicet meritum et præmium. Meritum est actus virtutis, et beatitudo viæ, ac dispositio ad beatitudinem patriæ, quæ præmium appellatur. Denique, quia in omni multitudine ordinata, necesse est esse unum primum atque præcipuum ad quod cetera ordinantur ; idcirco inter has octo beatitudines est una summa, et essentialiter beatitudo vocata, ad quam aliæ disponunt ac referuntur. Et hæc beatitudo, in via est munditia cordis, in patria visio Dei, quæ dicitur merces tota. Beatitudo etenim proprie sumpta, est optima operatio perfectissimæ vir-
I Cor. I, 24. tutis. Hinc patet quod Christus, sapientia Dei Patris, non exprimit hoc loco beatitudines secundum ordinem dignitatis, quo perfectiora primo ponuntur, sed partim secundum ordinem generationis, quo imperfectum præcedit perfectum : juxta quem
Ibid. XV, 46. modum ait Apostolus, Non prius quod spirituale, sed quod animale.

Porro hanc beatitudinem primam Hieronymus, Augustinus et Chrysostomus exponunt de humilitate, ut sit sensus : « Beati pauperes spiritu », id est humiles corde, qui de se ipsis non sentiunt magna, nec aliquid boni sibi ipsis, sed Deo omne bo-
Ibid. IV, 7. num attribuunt, juxta illud Apostoli : Quid habes quod non accepisti ? Unde Christus fatetur : Sine me nihil potestis facere. *Joann.* XV, 5. Etenim a nobis ipsis non habemus nisi deficere et peccare. Qui autem in propriis oculis sapientes et magni sunt, seque ceteris præferunt, non sunt pauperes spiritu, imo se divites arbitrantur, quum tamen revera sint pauperes coram Deo, qui uni talium ait in Apocalypsi : Dicis, Quia *Apoc.* III, 17. dives sum et nullius egeo ; et nescis quia tu es miser, et miserabilis, et pauper, et cæcus, et nudus. — Ambrosius vero et Leo Papa exponunt de voluntaria paupertate, propter Deum assumpta, desiderata, aut complacente ; eritque sensus : « Beati » beatitudine viæ, « pauperes spiritu », id est temporalibus divitiis carentes cum cordis affectu, ita quod divitias non appetunt, sed contemnunt, et in paupertate sua lætantur, nil proprium possidentes ; dicentes cum Paulo apostolo : Omnia arbi- *Philipp.* III, 8. tror ut stercora, ut Christum lucrifaciam. Hæc est paupertas evangelica quam Christus consulit, dicens : Qui non renuntiave- *Luc.* XIV, 33. rit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Hujus demum paupertatis Christus perfectissimum se præbuit exemplum, asserens de se ipso : Volucres *Matth.* VIII, 20. cœli nidos habent, et vulpes terræ foveas ; Filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet. — Præterea, secundum utramque expositionem, paupertas spiritus est fundamentum beatitudinum ceterarum. Humilitas namque est radix, custos et basis virtutum et omnis perfectionis. Similiter divitiarum abjectio seu contemptus efficit hominem ad spiritualia exercitia expeditum atque cœlestium gratiarum abundanter capacem, quemadmodum opulentia vehementer impedit eum ab illis.

Deinde exprimitur præmium pauperum spiritu : *quoniam ipsorum est regnum cœlorum,* id est, cœlestis patriæ opulentia, sublimitas et demoratio eis pro mercede reddetur ac parata est, dummodo perseverent usque in finem in bonis. Per regnum ergo cœlorum, cœlestis patriæ divitiæ designantur, de quibus ait Aposto-

I *Cor.* II, 9. lus : Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparavit Deus diligentibus se. Quæ autem sunt bona hæc, nisi objectaliter ipsemet Deus gloriosus et felix, dives in se et dives in aliis, in quo est omnium bonorum et pulchrorum ac desiderabilium plena, perfecta et infinita possessio? Formaliter vero sunt dotes animæ et corporis, et cetera ad beatitudinis plenitudinem pertinentia. At vero quum præmium correspondeat merito, pauperibus et humilibus rite promittitur opulentia atque sublimitas regni cœlestis.

Sequitur beatitudo secunda. *Beati mites,* id est mansueti ac patientes, qui omnem immoderantiam iræ ac impatientiæ reprimunt et devincunt. Hæc mansuetudo valde necessaria et optanda est Christia-

Matth. XI, 29. nis, quum dicat Salvator : Discite a me quia mitis sum et humilis corde. Facit namque hominem Deo placentem, divinæ illuminationis capacem, et ordinate agentem, proximis quoque acceptum, amabilem, exemplarem. Ira vero facit hominem præcipitem, onerosum ac fatuo similem.

Eccle. VII, 10. Propter quod in Ecclesiaste dicitur : Ne sis velox ad irascendum, quia ira in sinu stulti requiescit. *Quoniam ipsi possidebunt terram,* id est, proprium corpus habebunt rationi subjectum, quoniam per prudentiam illud bene gubernant. In futuro quoque « possidebunt terram », id est stabilem ac firmam cœlestis paradisi man-

Ps. XXVI, 13. sionem. De qua ait Propheta : Credo videre bona Domini in terra viventium ; et

Is. LVIII, 13, 14. Isaias : Si glorificaveris Dominum, sustolet te super altitudinem terræ.

Sequitur beatitudo tertia. *Beati qui lugent,* id est, propria vel proximorum peccata deplorant ; vel desiderio patriæ cœlestis, aut ex compassione passionis Christi, seu alia pia causa lacrimas fundunt, juxta

Ps. CXVIII, 136. illud in Psalmo : Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt

Luc. XIX, 41. legem tuam. Unde et Christus deflevit ci-

I *Reg.* XV, 35. vitatem Jerusalem, et Samuel Saul regem. *Quoniam ipsi consolabuntur :* quia non solum in futuro æternam a Deo jucunditatem adipiscentur, sed etiam in præsenti suaviter visitantur ac recreantur ab eo, sicut ait Propheta : Secundum multitudi- *Ps.* XCIII, 19. nem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam. Apostolus quoque profatur : Benedictus II *Cor.* I, 3, Deus, qui consolatur nos in omni tribula- 4. tione nostra.

Sequitur beatitudo quarta. *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam,* id est, ferventem zelum justitiæ habent, et tam ardenter optant justitiam observari, in justitia crescere, Dei mandata impleri, Deum ab omnibus honorari, deformata reformari, quam ardenter famelicus cupit cibum et potum. Verumtamen per hanc justitiæ esuriem non excluditur dulcor misericordiæ : imo de justitia prout est communis virtus, exponitur ista beatitudo. Sic esurivit ac sitivit justitiam Elias propheta, qui ait : Zelo zelatus sum pro Domino exercituum ; III *Reg.* XIX, 10, 14. et Paulus apostolus, dicens : Quis scanda- II *Cor.* XI, lizatur, et ego non uror? *Quoniam ipsi* 29. *saturabuntur :* quia in regno cœlesti replebuntur beatifica Dei visione et ejus dulcissima fruitione, omnique optata perfectione et virtute justitiæ, juxta illud Psalmistæ : Satiabor quum apparuerit glo- *Ps.* XVI, 15. ria tua. In vita quoque præsenti aliqualiter saturantur spirituali refectione sacramenti Eucharistiæ, et pane obedientiæ quotidiano, et profectu gratiæ ac virtutum : quia quo amplius optant justitiam et profectum, eo aptiores fiunt ad gratiæ et virtutum augmentum. Hinc ait Psalmi-

Ps. CII, 1, 5. sta : Benedic, anima mea, Domino, qui replet in bonis desiderium tuum. De Apo-

Act. II, 4. stolis quoque ait Scriptura : Repleti sunt omnes Spiritu Sancto. Qui autem repletur, quodammodo saturatur. Imo interdum tam gratiose ac liberaliter visitat Deus devotissimam mentem in sæculo isto, ut ipsa ferre non valens, clamare cogatur : Domine, contine undas gratiæ tuæ. Hoc experiuntur qui rapiuntur in Domino.

Sequitur beatitudo quinta. *Beati misericordes,* hoc est, qui opera misericordiæ

spiritualia et corporalia pro posse ex pietate exercent, et miseris afflictisque condolent. *Quoniam ipsi misericordiam consequentur,* id est, gratiam et opem optatam obtinebunt a Domino in hac vita, atque æternam salutem in patria, juxta quod
Ps. XL, 2, 3. scriptum est : Beatus qui intelligit super egenum et pauperem, in die mala liberabit eum Dominus ; Dominus conservet eum et vivificet eum, et beatum faciat eum in terra. Unde et Salomon loquitur :
Prov. XXII, 9. Qui pronus est ad misericordiam, benedicetur. Hinc ad Ephesios monet Apostolus :
Ephes. IV, 32. Estote benigni, misericordes, donantes invicem, sicut et Deus in Christo donavit vobis. Quemadmodum etenim homo facit proximo suo, ita fit sibi a Deo, Christo
Matth. VII, 2. testante : Qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis. Hac virtute Deo præcipue assimilamur, quoniam ei proprium est misereri ac parcere.

Sequitur beatitudo sexta. *Beati mundo corde,* hoc est, puri in intellectu, et sinceri in affectu, purgati a vitiis, quorum simplex est oculus, id est recta intentio, munda conscientia. *Quoniam ipsi Deum videbunt* (qui non nisi a purgatissimis mentibus cernitur), id est, in regno cœlesti Deitatis essentiam clare in se ipsa per speciem intuebuntur, sicut ait Joannes
I Joann. III, 2. apostolus : Videbimus eum sicuti est ; et
I Cor. XIII, 12. Paulus : Videmus (inquit) nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.

Sequitur beatitudo septima. *Beati pacifici,* id est, qui in se ipsis cum Deo pacem habere conantur, et cum proximis concorditer conversantur, ac discordantes ac perturbatos concordare ac tranquillare nituntur, sicque solliciti sunt servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Unde ad
Ephes. IV, 3.
Rom. XV, 5, 6. Romanos orat Apostolus : Deus patientiæ et solatii det vobis id ipsum sapere in alterutrum, ut unanimes uno ore honorificetis Deum. *Quoniam filii Dei vocabuntur,* id est, digni erunt vocari adoptivi filii Dei. Homines namque vocantur filii Dei propter aliquam assimilationem cum Deo. Quum ergo Deo sit proprium amare ac facere pacem, unitatem, concordiam, et ipse Deus in se ipso tranquillissimus imperturbabilisque consistat, hinc pacifici rite vocantur filii Dei, qui dicere possunt : Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus. *Ps.* CXIX, 7.

Sequitur beatitudo octava. *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam,* id est propter veritatem doctrinæ, aut vitæ (aut propter justam conversationem), seu propter juris et æquitatis defensionem, et hoc ex amore Dei, ad ejus honorem. Veritas namque et æquitas pariunt odium. Qui ergo ob nullam adversitatem aut persecutionem relinquit viam justitiæ, ille beatus est. Multi vero dum propter suos castigantur excessus, volentes se excusare et quasi beatificare, inconvenienter allegant istam scripturam, dicentes, Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam ; quum ipsi condignam luant correctionem propter suam malitiam. Itaque, beati propter justitiam persecutionem patientes, *quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Hoc quoque primæ beatitudini pro præmio est promissum, quum dictum est : Beati pauperes spiritu, etc. Considerando enim in regno cœlorum sublimitatem et opulentiam omnis boni, ponitur præmium primæ beatitudinis ; considerando autem in eo felicem victoriam et gloriæ coronam, seu plenitudinem gaudiorum, ponitur præmium patientium propter justitiam. Hæc ultima beatitudo ad beatissimos martyres maxime pertinet, cujus tamen omnes electi participes sunt, dicente Apostolo : Omnes qui volunt pie vivere in Christo, persecutionem patientur. *II Tim.* III, 12.

Deinde Christus hanc ultimam beatitudinem quasi exponens, inquit : *Beati estis quum maledixerint vobis homines,* detrahendo aut malum imprecando, *et persecuti vos fuerint,* mala infligendo, vel de loco ad locum fugando, *et dixerint omne malum adversum vos,* id est, omnia vitia imputaverint vobis, *mentientes,* id est mendaciter vos accusantes, *propter*

me, id est, omnia mala hæc vobis inferentes ob hoc quod mihi adhæretis ac ministratis, videlicet propter justitiam vestram. Et sumitur hic justitia prout est virtus communis, videlicet prout quælibet virtus est quædam justitia, quia per eam homo se habet ut decet et rectum est.

Gaudete in corde, *et exsultate,* id est, ex plenitudine interioris lætitiæ, signa jucunditatis foris monstrate, seu in appetitu sensitivo etiam læti estote, juxta illud *Ps.* LXXXIII, 3. Psalmistæ : Cor meum et caro mea exsultaverunt in Deum vivum. *Quoniam mer-* B *ces vestra copiosa est in cœlis.* Hæc est una ratio gloriandi in adversis, magnitudo æternæ remunerationis, juxta illud ad Corinthios : Id quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Unde Christus ait discipulis : Vos nunc quidem tristitiam habetis ; iterum autem videbo vos, et gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis. Sunt autem et aliæ causæ gloriandi in adversis, de quibus in sermone dicetur.

II *Cor.* IV, 17.

Joann. XVI, 22.

SERMO SECUNDUS

DE PAUPERTATE SPIRITUS, DE MITITATE, DE LUCTU SPIRITUALI, DE ZELO JUSTITIÆ, ET VITIIS EORUM CONTRARIIS.

BEATI immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Ps. CXVIII, 1.

Dominus noster Jesus Christus (de quo *Eccli.* I, 5. scriptum est, Fons sapientiæ verbum Dei *Coloss.* II, 3. in excelsis ; et de quo ait Apostolus, In ipso sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi), qui novus magister et summus doctor venit de cœlo, nova ac saluberrima documenta proposuit mundo. Porro evangelicam legem per se ipsum *Matth.* V, 1. traditurus suis discipulis, ascendit in montem, et sermonem evangelicæ legis plenarie contentivum facturus, a paupertate spiritus, id est humilitate et spontanea D temporalium opum carentia, inchoavit : *Ibid.* 3. Beati (inquiens) pauperes spiritu. Et ne humanæ perversitati atque duritiæ sit grave se humiliare et transitoriis carere divitiis, abundantissimam Christus mercedem humilitati ac spontaneæ paupertati promisit, dicendo : Quoniam ipsorum, scilicet taliter pauperum et humilium, est regnum cœlorum. O quantum pugnant principes sæculi hujus cum satellitibus suis pro regno seu principatu terreno ; quot pro hoc labores, quot angustias, quot C terrores, vigilias, pericula, damna ac vulnera patiuntur, quum tamen incerta sit ipsis victoria ! Quam etsi adipiscantur, non tamen sciunt diem aut horam per quam possessuri sunt regnum aut principatum adeptum. Ipsa quoque possessio regni seu præsidentia, certe periculosissima est, et curis ac inquietudinibus plena, quoniam (teste Scriptura) judicium *Sap.* VI, 6, 7. durissimum in his qui præsunt, fiet, et potentes potenter tormenta patientur. Et ecce Filius Dei promisit nobis regnum cœlorum, regnum æternum, regnum uti- *Ps.* CXLIV, que tranquillissimum atque tutissimum, 13. in quo tanta est beatitudinis plenitudo, ut eo adepto, nil amplius appeti queat. Et regnum istud docuit posse acquiri vera humilitate atque spontanea paupertate. Cur ergo felicitatem tantam promereri negligimus ; cur vias perditionis, superbiam et avaritiam, viis salutis, humilitati et paupertati, præponimus ?

Præterea Christus valde convenienter a paupertate spiritus, id est humilitate,

exorsus est. Primo, quoniam primum et capitale vitium exstat superbia, a qua omnis perditio sumpsit exordium. Idcirco a virtute ei contraria, puta humilitate, incepit. Secundo, quoniam primus ille apostata et primus transgressor, princeps tenebrarum diabolus, per superbiam corruit. Ideo Christus volens ostendere viam qua perveniat homo illuc unde ille projectus est, ab humilitate inchoavit sermonem, beatificans humilitatem, tanquam dicat : Si vis ascendere ad alta cœlorum et angelicam beatitudinem adipisci, amplectere humilitatem, per quam abjicias diabolicam elationem. Tertio, quia humilitas est fundamentum virtutum, ad omnem gratiam aptificans mentem ; et humilitate adepta, non solum vitatur superbia ei contraria, sed et cetera quæ ex superbia oriuntur peccata. Simus igitur humiles, simus viles et miseri in oculis propriis ; proprias defectuositates, culpas et calamitates efficaciter ponderemus, ut simus humillimi coram Deo, et arbitremur nos indignos pane quo vescimur, terra qua sustentamur, consortio hominum inter quos conversamur. Despiciamus etiam ista terrena, caduca et vana, nec eorum sollicitudine corda nostra gravemus, ut expedita et libera mente simus Deo intenti, et de salute animarum nostrarum semper simus solliciti. Hinc enim ait beatus pater Bernardus : Sic vos, insensati filii Adam, divitias quæritis, divitias adhuc desideratis, quum Filius Dei pauperes dixerit esse beatos ? Divitias quærat paganus sine Deo vivens, quærat eas Judæus terrenas habens promissiones ; sed qua fronte, qua mente quærit has Christianus, postquam Filius Dei beatos esse pauperes prædicavit ? Verumtamen non quoslibet pauperes, sed pauperes spiritu commendavit. Hinc sanctus testatur Bernardus : Videmus pauperes aliquos, qui si veram et virtuosam haberent paupertatem, non tam pusillanimes essent ac tristes, utpote reges, et reges cœli ; sed hi sunt qui pauperes esse volunt, eo tamen pacto, ut nihil eis desit, et sic diligunt paupertatem, ut nullam patiantur inopiam.

Eccli. x, 14, 15.

Is. xiv, 12 et seq.

Porro, quum Christus paupertatem spiritus commendasset, statim secundo loco mansuetudinem collaudavit : quoniam mansuetudo humilibus ac voluntarie pauperibus valde est necessaria, eo quod tales personæ faciliter contemnantur, atque injuriis afficiantur, et sæpe patiantur inopiam. Ideo mites et patientes esse conemur, omnes bestiales motus iracundiæ et inordinatas affectiones tristitiæ abjicientes ac refrenantes. Ira namque et impatientia faciunt hominem incompositum, inquietum, irrationabilem, aliis onerosum, fatuo, imo et furioso quodammodo similem. Ideo scriptum est : Virum stultum interficit iracundia. Et Salomon contestatur : Impatiens stultitiam operatur. Hinc S. Hieronymus ait : Quid iracundo furor suus confert, quem sævissimis exagitat stimulis, et ita ab omni consilio ac mente deturbat, ut dum irascitur, insanire credatur, et quo ordine quid agi debeat, non advertat ?

Matth. v, 4.

Job v, 2.

Prov. xiv, 17.

Deinceps ira est unum de septem peccatis mortalibus, quamvis non omnis motus iræ mortalis sit. Dupliciter vero fit ira mortalis culpa : primo, dum ipsa commotio tam intemperata ac vehemens est, quod rationem penitus vincit, ita quod vindicta contra justitiam irrefrenate appetitur ; secundo, dum ipsa ultio modum nimis excedit, ut dum pro parva injuria irrogatur aut inferri appetitur vindicta nimis magna. Hinc constat quam periculosum sit faciliter irasci, et facere sibi consuetudinem irascendi. Si etenim ira ex suo genere mortalis est culpa, multo magis consuetudo irascendi. Non ergo efficiamur ut equus et mulus, quibus non est intellectus, sed per rationem vincamus et refrenemus irrationabiles motus iræ, impatientiæ, indignationis, tristitiæ aliarumque passionum. Unde quidam sanctus Pater in eremo dixit : Iracundus homo non placet Deo, etiam si mortuos suscitet ; et iterum, Sicut fumus hospitem expellit

Ps. xxxi, 9.

de domo, sic ira expellit Spiritum Sanctum de cordis hospitio. Verumtamen quædam est ira bona, quæ vocatur ira per zelum, quæ rationem non prævenit nec perturbat, sed sequitur et sponte assumitur, ut homo contra vitia fortius moveatur. Est namque hæc ira appetitus vindictæ secundum rationis dictamen, ex zelo justitiæ. De qua ait gloriosus Joannes Chrysostomus : Si ira non fuerit, nec doctrina perficitur, nec judicia stant, nec crimina compescuntur. Idcirco qui dum causa requirit non irascitur, peccat. Patientia enim irrationabilis vitia seminat, nec solum malos, sed etiam bonos invitat ad malum. Itaque contra iram et impatientiam irrationabiles, rationem prævenientes, unusquisque fortiter prælietur, præsertim qui ex naturali dispositione aut prava consuetudine ad eas proclivis est ; et Deum pro gratia et virtute mansuetudinis jugiter deprecetur. Verum ut ait Bernardus, Sunt aliqui mites, sed quamdiu nihil dicitur vel agitur nisi pro eorum arbitrio ; patebit autem quam longe sint a vera mansuetudine, si levis oriatur occasio.

Insuper tertiam beatitudinem apprehendere et possidere conemur, de qua ait *Matth.* v, 5. Salvator : Beati qui lugent. Unde in *Eccle.* vii, 3. Ecclesiaste scriptum est : Melius est ire ad domum luctus quam ad domum convivii. In illa enim, scilicet in domo luctus, finis cunctorum admonetur hominum, et vivens cogitat quid futurum sit. Et merito jam lugere debemus, quia in valle lacrimarum, in gravi exsilio, in regione dissimilitudinis, in loco periculis laqueisque plenissimo degimus. Non ergo de valle lacrimarum faciamus nobis locum vanitatis et voluptatis, et locum risuum et jocorum, quum sanctus dicat Hieronymus : Impossibile est nunc gaudere cum sæculo, et postmodum regnare cum Christo. Imo ipsemet Christus judex *Luc.* vi, 25. noster in Evangelio protestatur : Væ vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis et flebitis. Itaque nunc ploremus : primo propter propria et proximorum nostrorum peccata, et tanto frequentius dolorosiusque ploremus, quo Deum gravius ac sæpius peccando offendimus. Secundo, desiderio regni cœlestis, cum Propheta dicentes : Sitivit anima mea ad Deum fortem, vivum. Quando veniam et apparebo ante faciem Dei mei ? Fuerunt mihi lacrimæ meæ panes die ac nocte. Sic flevit Apostolus, dicens : Infelix ego homo ! quis me liberabit de corpore mortis hujus ? Tertio, ex consideratione amarissimæ passionis quam pro nobis pertulit innocens Agnus Dei, Dominus Jesus Christus. Quarto, ex appetitu impetrandi gratiam Dei quotidie ampliorem, et proficiendi in omni virtute : quod ad quartam spectat beatitudinem. Sit ergo in nobis cordialis ac frequens luctus, et quotidiana peccata nostra quotidie deploremus. Ait quippe Bernardus : Quosdam lugentes video ; sed si de corde procederent illæ lacrimæ, non ita faciliter resolverentur in risum. Nunc autem quum abundantius otiosa et scurrilia verba profluant quam prius lacrimæ, lacrimas hujusmodi de his esse non arbitror quibus consolatio divina promittitur, quandoquidem post illas tam facile consolatio vilis admittitur. Postremo, quanta sit vis beatitudinis hujus, constat ex verbis Hieronymi, qui fatetur : O lacrima humilis, tua est potentia, tuum est regnum ; tribunal judicis non vereris, accusatoribus tuis imponis silentium. Non est qui te accedere vetet ; si sola intraveris, vacua non redibis ; magis affligis diabolum, quam infernale supplicium. Quid plura ? Vincis invincibilem, ligas omnipotentem.

Ps. xli, 3, 4.

Rom. vii, 24.

Amplius, quartam beatitudinem amplectamur esuriendo ac sitiendo justitiam, ut quotidie crescat in nobis esuries ista ac sitis, et doleamus quod tam parum proficimus, studeamusque omni die fieri virtuosiores ; et juxta Salvatoris doctrinam, quum fecerimus omnia quæ præcepta sunt, dicamus : Servi inutiles sumus ; quod debuimus facere, fecimus. Cordialiter etiam cupiamus aliorum profectum, universo-

Matth. v, 6.

Luc. xvii, 10.

rum salutem, iniquorum conversionem, reformationem Ecclesiæ, honorificentiam majestatis divinæ, atque pro omnibus his Deum assidue ac ferventer oremus. Exemplo quoque et verbis pro posse cooperemur ad ea; sed in primis emendemus ac reformemus nos ipsos. Nam ut ait Bernardus, Quidam tam vehementer zelantur contra aliorum delicta, ut videri possint esurire ac sitire justitiam, si esset apud eos de suis quoque peccatis idem judicium. Nam contra alios impudenter atque unanimiter æstuant, se ipsos vero insipienter et inutiliter palpant.

Verum ne sermo hic nimium extendatur, quæ restant, sermoni alteri reserventur. Et Sanctorum quorum hodie solennia celebramus, qui per præfatas beatitudines viæ perducti sunt ad beatitudines patriæ, sequamur vestigia, invocemus subsidia. Attendamus qualiter per breves modicosque labores et pœnitentiæ actus, ad æternam quietem, ad incomprehensibilem felicitatem, ad inenarrabilia gaudia pervenerunt: sicque eorum accendamur exemplis, et viriliter atque infatigabiliter operemur.

SERMO TERTIUS

DE MISERICORDIA ET MUNDITIA CORDIS, DE PACE ET PERSECUTIONUM TOLERANTIA.

SERVI Dei videbunt faciem ejus, et regnabunt in sæcula sæculorum. Apoc. XXII, 4, 5.

Ad se beatifice contemplandum ac integerrime diligendum condidit Deus omnipotens omnem intellectualem creaturam, angelum ac hominem. Sed quia Deus hoc fecit ex sola sua pietate et gratia, non ob creaturarum justitias aut merita, ideo decet ut creaturæ intellectuales sibi invicem misericordes et piæ seu gratiosæ exsistant, invicem condolendo, ignoscendo, subministrando et succurrendo. Hinc Christus hortatur : Estote misericordes sicut et Pater vester cœlestis misericors est. Quid tam justum et rationabile, ut qui sibi a Deo misericordiam cupit impendi, qui sibi cupit divinitus indulgeri gratiamque præstari, et se ad æternam cupit salutem perduci, proximis suis exstet misericors, injuriantibus sibi ignoscat, indigentibus pro posse auxilietur, et omnibus quantum valet, ad salutem cooperetur, præsertim quum peccata nostra in Deum sint incomparabiliter graviora quam peccata proximorum nostrorum in nos ut in nos, atque nos ipsi sine mensura amplius indigeamus misericordia Dei, quam proximi nostri indigeant misericordia nostra? Hinc in evangelio hodierno loquitur Dominus apud Matthæum : Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Porro ad veram misericordiam pertinent duo. Primum est, interna compassio. Secundum est, externa subventio. Propter quod asserit Augustinus : Misericordia est animi condolentis affectus cum additamento beneficii. Suntque septem opera misericordiæ corporalia, et septem spiritualia. Quæ omnia unusquisque pro posse suo exerceat. Unde ut Rabanus protestatur : Misericordia consistit in eleemosynis largiendis, in defectibus aliorum supportandis, in injuriis remittendis, in imperitiis corrigendis, in ignorantiis instruendis.

Luc. VI, 36. *Matth.* V, 7.

Denique quam libenter debeant Christiani esse misericordes affectu et opere, ex duabus etiam Sanctorum auctoritatibus demonstratur. Ait namque Hieronymus : Non memini male mortuum, qui libenter opera pietatis exercuit. Habet enim multos intercessores, et impossibile est mul-

torum preces non exaudiri. Ambrosius quoque : Summa (inquit) christianæ religionis in misericordia et pietate consistit. Imo, quod beatissimus apostolus Jacobus terribiliter loquitur, omnem hominem ad misericordiam potest et debet satis in-
Jacob. II, 13. ducere et quasi compellere : Judicium (ait) sine misericordia fiet ei qui non fecerit misericordiam. Quid terribilius dici potest ? Indigentibus ergo non solum danda sunt alimenta, sed etiam vestimenta et combustibilia, ac cetera quibus egent. Verum ut ait Bernardus : Sunt quidam misericordes de his quæ ad ipsos non pertinent, qui scandalizantur si non datur omnibus abundanter, sic tamen ut ne ipsi quidem in modico aggraventur. Quod si vere misericordes essent, de suo misericordiam facerent ; si non possent de terrena substantia, saltem de bona voluntate darent. His qui forsitan contra eos peccaverunt, indulgentiam darent, dulce signum, verbum bonum, ut eos ad pœnitentiam provocarent ; et his omnibus quos in peccato esse cognoscerent, compassionem impenderent et orationem : alioqui misericordia illorum nulla est, et misericordiam consequentur nullam. Hæc S. Bernardi verba notanda sunt valde, multumque formidanda.

Insuper sextam beatitudinem possidere
Matth. V, 8. nitamur, qua dicitur : Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Quum enim summum bonum sit Deum videre, secundum quod Christus ad Patrem profitetur,
Joann. XVII, 3. Hæc est (inquit) vita æterna, ut cognoscant te verum Deum ; summe satagendum est ad habendum cor mundum. Et vocatur cor mundum, non solum ob vitiorum carentiam, sed etiam ob virtutum decorem. Itaque mundum cor habet, qui omni mortali caret peccato, et venialia cum diligentia vitat, atque pro eis ac ceteris quotidie satisfacit orando, divinum Officium frequentando, eleemosynas dando, etc. Et insuper gratia ac virtutibus decoratur, et cordis custodiæ vigilanter inten-
Prov. IV, 23. dit, juxta illud Proverbii : Omni custodia A custodi cor tuum. Simus ergo summe solliciti in præsentia Dei altissimi, ne aliqua immunda cogitatio, prava affectio, detestabilis negligentia, aut quævis culpa nostro cordi inhæreat ; et si oriatur, protinus repellatur. Unde quotidie antequam imus dormitum, debemus conscientias nostras examinare, vitam discutere, et qualiter diem expenderimus considerare, quid boni omisimus, quid mali commisimus ponderare ; sicque de malis pœnitere, veniam petere, confessionem et satisfactionem B proponere. Hinc sanctus Moyses loquitur : Custodi temetipsum et animam tuam sol- *Deut.* IV, 9. licite ; ne obliviscaris verborum Domini Dei tui, et ne excidant de corde tuo cunctis diebus vitæ tuæ. Verum ut sanctus fatetur Bernardus : Sunt qui peccata sua sic confitentur, ut videri possint ex desiderio mundandi cordis id agere, nisi quod ea quæ ipsi sponte dicunt aliis de propriis culpis, ab aliis patienter audire non possunt. Quod si vere mundari desiderarent, non irritarentur, sed regratiarentur eis C qui sibi suas maculas demonstrarent.

Insuper septimam beatitudinem apprehendamus, ut simus vere pacifici, ita ut *Matth.* V, 9. nos ipsi in primis cum Deo, deinde cum proximis pacem atque concordiam habeamus. Deinde aliorum mutuam concordiam virtuosam totis præcordiis cupiamus, et eam promoveamus, procuremus ac conservemus pro viribus, discordes reconciliando, de proximorum dissensionibus contristando, pro eorum pacificatione orando ac laborando per nos ipsos et per alios D magis idoneos. Et totum hoc faciamus ex divino ac fraterno amore, ad Dei honorem, non ob laudem humanam aut terrenam commoditatem. Sed ut ait Bernardus : Sunt quidam qui si viderint quempiam vel leviter scandalizatum aut conturbatum, valde solliciti sunt quomodo eum ad pacem reducere possint, et viderentur pacifici, nisi quod eorum commotio, si forte quid contra eos dictum aut factum videbitur, tardius universis difficiliusque poterit sedari. Qui nimirum si vere pacem dilige-

rent, haud dubium quin et eam quærerent sibimetipsis. Hinc et Chrysostomus scribit : Multi sunt qui alios libenter reconciliant, et ipsi inimicis suis nunquam ex corde reconciliantur. Hi tales illusores sunt pacis, non amatores.

Postremo octavam beatitudinem amplectamur, qua dicitur : Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. O quantum distat vera sanctissimaque Christi doctrina a documentis, imo a deceptionibus paganorum et Sarracenorum ! Illi enim in prosperitate vitæ præsentis beatitudinem quamdam constituunt, et omnem injuriam docent ab injuriato esse ulciscendam. Unde quum præfectus urbis Romæ S. Anastasiam ad idolorum invitaret culturam, illaque responderet, Christum pro me crucifixum adoro, ille dixit : Et cur non adoras Jovem, qui nunquam alicui subjacuit injuriæ ? Siquidem perfidi illi et excæcati, omnipotentis Dei providentiam ac justitiam circa homines non rite advertunt. Christus vero in adversitatibus, persecutionibus, penuriis hujus vitæ felicitatem locavit, in quantum per illas ad cœlestem beatitudinem pervenitur. Itaque in tribulationibus, adversitatibus, imo et persecutionibus propter justitiam, simus patientes, imo et hilares, gratiasque Deo agentes, qui in vita hac paternaliter nos castigat, atque per hoc caritatem suam ad nos pandit. Primo, quia per tribulationes ac tales persecutiones purgamur a nostris peccatis. Secundo, quia per eas liberamur a futuris tormentis. Tertio, quia per eas ad gratiam Dei disponimur, et si sumus in gratia, majora gratiæ dona sortimur. Quarto, quia per eas Christo propter nos passo, et ejus electis qui per multas tentationes transierunt fideles, aliqualiter conformamur.

Matth. v, 10.

Judith viii, 23.

Quinto, quia per eas ad æternam beatitudinem compendiosius pervenimus. Sexto, quia per eas confortatur spes nostra quod filii Dei sumus et de numero electorum illius, qui ait : Ego quos amo, arguo et castigo. Atque de reprobis : Dimisi (inquit) eos secundum desideria cordis eorum ; ibunt in adinventionibus suis. Qua derelictione nihil periculosius horribiliusque videtur.

Apoc. iii, 19. *Ps.* lxxx, 13.

Ecce per has beatitudines, Sancti quos hodie veneramur, ineffabilem et æternalem illam beatitudinem sunt mercati de qua ait Apostolus : Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam. Si ergo ad eorum beatissimam perduci optamus societatem, non respuamus eorum sequi misericordiam, puritatem, pacem et patientiam. Non recusemus pati adversitates et persecutiones pravorum, si esse optamus de numero electorum. Pensemus quam infinitam beatitudinem per modica et momentanea sint adepti adversa. Propter quod scriptum est : In paucis vexati, in multis bene disponentur. Specialissime vero intueamur quæ, quanta et qualia pro nobis pertulerit unigenitus Filius Dei, et tunc adversa omnia cum gaudio perferemus, juxta illud Jacobi : Omne gaudium existimate, fratres, quum in diversas tentationes incideritis. Sed quum persecutiones pro justitia illatæ, sint æquanimiter tolerandæ, valde distant a beatitudine, qui increpationes et castigationes pro suis peccatis illatas ferre despiciunt, sed indignantur et irascuntur in eis. Quorum, heu ! corda sunt nimium obscurata, nec attendunt animarum suarum vulnera atque pericula. Discant igitur quantum eis propriæ noceant culpæ, et quantum eis prosint correptiones et correctiones caritative illatæ, dummodo eas gratanter acceptent.

Rom. viii, 18.

Sap. iii, 5.

Jacob. i, 2.

SERMO QUARTUS

DE MULTIPLICI CAUSA INSTITUTIONIS FESTI OMNIUM SANCTORUM.

SAPIENTIAM Sanctorum narrant populi, et laudem eorum nuntiat Ecclesia. Eccli. XLIV, 15.

Multiplici ratione ordinavit Ecclesia ut festa Sanctorum agamus in terris. Primo, ut Deum in suis Sanctis veneremur : quia non propriis viribus, sed Dei gratioso ac indesinenti auxilio sancti effecti sunt et perseveraverunt in bonis. Idcirco, dum Sanctos laudamus ac honoramus, Dei misericordiam, omnipotentiam ac liberalissimam caritatem veneramur in eis. Secundo, ut Sancti nobis subveniant. Non enim despiciunt devotionem nostram ad eos, et honorem quem eis impendimus, sed vicissitudinem reddunt suis cultoribus. Tertio, ut inflammetur spes nostra, et nostra augeatur fiducia. Dum enim eorum celebramus solennia, qui similes nobis mortales fragilesque fuerunt, inflammatur atque augetur spes nostra, quod etiam nos auxiliante gratia Dei, ad eorum societatem poterimus pervenire. Quarto, propter nostram ædificationem : quia dum eorum peragimus festa, recordamur quam sancte vixerunt, et ad eorum imitationem accendimur. Quinto, quoniam ipsi nobis incessanter succurrunt, et gaudent de nostra conversione, profectu et salute. Dignum ergo et justum est ut eis vicem pro viribus rependamus. Sexto, quoniam Sancti veneratione dignissimi sunt. Honor namque debetur virtuti. Ipsi vero in omni virtute fuerunt perfecti. Denique, ipsi fuerunt et sunt amici et filii Dei, heredesque ejus, et duces ac domini nostri. Reges autem volunt suos amicos et filios ac heredes præcipue honorari.

Multo autem tempore non celebravit Ecclesia festa confessorum, sed martyrum tantum. Itaque Bonifacius Papa, quartus a sancto et magno Papa Gregorio, impetravit a Phoca imperatore, donari sibi et Ecclesiæ templum olim a Romanis adhuc paganis constructum ad omnium deorum et idolorum vel potius dæmoniorum suorum honorem. Quod dum imperator ille concessisset, præfatus Bonifacius Papa templum illud ab omni purgavit spurcitia falsorum deorum, et in honore Virginis gloriosæ ac omnium martyrum consecravit. Postmodum vero unus successorum ipsius, Gregorius nomine Papa, instituit festum hoc in honore omnium Sanctorum, tam angelorum quam hominum beatorum, in calendis Novembris per totam Ecclesiam solenniter celebrandum.

Cujus etiam institutionis sunt valde multæ rationabiles causæ. Prima, quia tam multi et innumerabiles sunt Sancti, quod singulos seorsum et in speciali festivare, honorare et invocare non possumus. Imo, secundum Hieronymum in epistola ad Heliodorum et Chromatium episcopos, nullus est dies in anno, in quo non plus quam quinque millium martyrum festa occurrerent, excepto die calendarum Januarii, in quo Romanorum imperatores pagani præceperunt nullum occidi, eo quod sit primus dies anni. Quoniam itaque singulos Sanctos in speciali honorare non valemus, decet ut omnes saltem in generali, uno specialiter die, solenniter veneremur. Secunda est, ut id quod in ceteris Sanctorum festis minus digne peregimus, in hac solennitate recuperemus ac suppleamus. Nam quamvis paucorum festa celebremus Sanctorum, tamen hæc ipsa multum indevote sæpe ac insufficienter servamus. Congruum ergo fuit

institui festum istud, ut negligentias et peccata quæ in aliorum festis Sanctorum incurrimus, nunc expiemus. Tertia est, ut tota Ecclesia militans a tota triumphanti Ecclesia copiosius ac generaliter adjuvetur, quum impossibile sit multorum preces non exaudiri. Multoque impossibilius est, totius cœlestis exercitus preces a Rege gloriæ non impleri.

Est ergo festivitas ista eximia instituta primo in honore Virginis gloriosæ, quæ est universorum Sanctorum totius mundi imperatrix ac domina, utpote Mater Dei Creatorisque omnium. Ipsa plane est præstantissima creatura, amantissima singularisque Dei sponsa, virgo et mater, Genitrix unigeniti Filii Dei, advocata generis humani, refugium peccatorum, spes desolatorum, misericordissima ac potentissima mater et domina nostra, quam omnes Sancti in cœlo ineffabiliter diligunt et honorant, quam et nos post Deum, Virginis Filium, summe amare ac venerari debemus. Secundo instituta et consecrata est ista solennitas in honore omnium angelicorum spirituum, utpote Seraphim, Cherubim, Thronorum, Dominationum, Virtutum, Potestatum, Principatuum, Archangelorum et Angelorum. Hi beatissimi spiritus sunt creaturæ nobilissimæ, pulcherrimæ atque fortissimæ, omnipotentis fidelissimi milites Dei, immaculati ac splendidissimi ejus ministri, incorporales, immortales, intellectuales substantiæ, omni felicitate et gloria plenæ. In quibus est summa dilectio ac summa humilitas, et quo inter eos quisque est altior, eo est vere humilior : unde et nobis pauperrimis vilissimisque vermiculis ministrare dignantur. Tertio consecrata est in honore gloriosissimorum Christi Apostolorum, qui ceteris Sanctis dignitate, potestate ac sanctitate præfulgent, imo et fructuosiores fuerunt in mundo, quoniam plures converterunt ad Dominum. Ipsi sunt senatores ac satrapæ paradisi cœlestis, amici et fratres Christi, patroni ac protectores militantis Ecclesiæ, magistri et principes, patres præceptoresque nostri.

Quarto instituta est in honore omnium Patriarcharum ac Prophetarum sanctorum qui a principio mundi fuerunt, quibus præclara gratiarum charismata contulit Deus, multifarie multisque modis apparens et loquens eis. De quorum semine nati sunt felices Apostoli, imo ipsemet Christus, et Mater ipsius. Quinto, in honore omnium martyrum utriusque sexus, qui sanguinis sui effusione testimonium perhibuerunt fidei christianæ. In quibus specialiter fulsit fidei robur, spei certitudo, fervor amoris, animi fortitudo, patientia singularis. Quorum ineffabilem felicitatem Deus per infinita sibique soli possibilia declaravit miracula. Sexto, in honore omnium confessorum, qui in jugi cordis custodia, in puritate præcipua, in quotidiano profectu ac sancta perseverantia servierunt Altissimo. Quos etiam per innumerabilia Deus mirificavit prodigia; qui templum fuerunt Spiritus Sancti, pretiosique lapides in Ecclesia militanti. Septimo, in honore omnium sanctarum virginum, quæ in carne sine carne viventes, angelicam puritatem et vitam sunt imitatæ in terris, et speciales ac prædilectæ Christi sunt sponsæ, sequentes Agnum quocumque ierit; quæ cum sexu vicerunt et mundum, atque se ipsas feliciter superaverunt. Octavo consecrata est beatissimis atque sanctissimis eremitis ac anachoretis, qui sunt splendidissima portio in Ecclesia Christi, et terrestres angeli cœlestesque homines exstiterunt : qui secretissimam ac divinissimam vitam duxerunt in terris, quibus omnis ferocia bestiarum eremi fuit subjecta, quibus et angeli sancti familiares fuerunt; quorum et plurimi in virtute et copia miraculorum erant præclari, a quorum præconiis deficit omnium lingua.

Hebr. 1, 1.

Apoc. XIV, 4.

Ecce quam sublimis et gloriosa est hæc præsens solennitas. Si enim unius Apostoli aut martyris magna censetur celebritas, quanto major est ista, universis Sanctis dedicata ac instituta? Quum ergo ob tam rationabiles causas prætactas sit ordinata,

studeamus cum omni devotione atque custodia tantam solennitatem peragere, et tantum diem expendere divina Officia frequentando, orationibus ac sanctis meditationibus insistendo, Sanctorum beatitudinem contemplando et adspirando ad eam; A eorumque virtutes pensemus ac fortiter assequamur. Sed et devotissime invocemus eosdem, ut jugiter et specialiter hodie intercedant pro nobis, nec cessent nos adjuvare ac tueri, quousque ad eorum societatem pertingamus felicem.

AD RELIGIOSOS

SERMO QUINTUS

DE QUADRUPLICI MODO LAUDANDI DEUM PIISSIMUM IN SANCTIS SUIS.

Ps xxxiii,3. 1 *Tim.* i, 17. *Jer.* ix, 23. 1 *Cor.* iv, 7. *Rom.* ix, 23, 22. *Jer.* i, 5 ; *Luc.* i, 15.

LAUDATE *Dominum in Sanctis ejus.* Ps. cl, 1.

Sive laudemus Deum in Sanctis suis, sive laudemus Sanctos in Deo, redit in idem. Nam qui laudat opus, laudat artificem. Sic igitur Sanctos Dei laudare debemus, ut quidquid virtutis et gratiæ, quidquid sanctitatis et eminentiæ in eis est, non eis, sed Deo principaliter atque fontaliter adscribamus. Propter quod unus Sanctorum dixit : In Domino laudabitur anima mea ; et alter, Soli Deo honor et gloria ; alius quoque, Non glorietur sapiens in sapientia sua, etc. In solo igitur Deo est gloriandum. Quid enim habet quis quod non accepit ? Si autem totum quod est et habet, a Creatore accepit, quid in se ipso inaniter gloriatur quasi non acceperit ?

Laudandus ergo et honorandus est Deus in Sanctis suis multiplici ratione. Primo, quia misericordissime egit cum eis, et misericordiam suam immensam declaravit in ipsis. Propter quod ipsi vocantur vasa misericordiæ, quemadmodum reprobi vasa iræ. Misericordissime, inquam, egit Deus cum Sanctis suis, et hoc variis modis, quosdam in utero matrum suarum sanctificando, et tanta gratia adimplendo quod postea nunquam peccaverunt mortaliter. Singulariter vero misericordissime egit B cum virgine benedicta Maria Deifera, quam tam copiose in utero gratia prævenit, tanta divinorum exuberantia munerum adimplevit quotidie, quod nec mortaliter nec venialiter unquam peccavit. Porro cum Christi humanitate tam singularissime misericordissime egit Trinitas adoranda, quod creatura capax esse non potest misericordiæ amplioris : quia non solum ab omni prorsus culpa eam præservavit immunem, nec solum plenitudine gratiæ ac virtutum, sapientiæ et donorum, beatitudinum ac C fructuum eam in primo suæ creationis instante usque ad summum extreme implevit ; imo et beatitudine patriæ, beatifica visione, suavissima fruitione eam in eodem instante tam exuberanter implevit, quod creata mens, clarioris visionis perfectiorisque fruitionis susceptiva non est. Nec hæc tantum bona ei largita est, sed quod omnibus incomprehensibiliter eminet, ad hypostaticam seu personalem unionem cum Verbo æterno eam provexit, et per consequens omni creaturæ eam præ- D fecit. Itaque Deus Trinitas infinitam suam misericordiam mirificavit et manifestavit in Christi humanitate, in termino excellentiæ absolutæ et summæ, extremitatisque fine. — Nec putandum quod Deus dicatur misericordiam suam mirificare et

exercere in peccatoribus tantum, sed in omnibus in quibus pie agit, qui ex sua natura possent deficere et peccare, atque miseriis ac vanitatibus subdi, si sibi ipsis relinquerentur et gratia privarentur.

Porro in Virgine gloriosa Trinitas superbenedicta declaravit misericordiam suam in termino excellentiæ singularis ac eminentis : quoniam inter Christi humanitatem et ceteros Sanctos se habet medio modo, quanquam multo plus a perfectione humanitatis Christi deficiat, quam ceteros in perfectione transcendat. In ceteris vero Sanctis mirificavit et fecit Deus misericordiam suam excellenter atque magnifice secundum gradus diversos : quia (ut tactum est) quosdam sanctificavit in utero, et confirmavit in gratia et præservavit ab omni mortali culpa ; quosdam vero post Baptismatis undam et gratiam tam gratiose prævenit et conservavit, quod nunquam peccaverunt mortaliter : sicut de multis Sanctis in novo Testamento creditur factum. Et pie credendum est, quod etiam in veteri Testamento taliter cum aliquibus egit post circumcisionem, et in lege naturæ fortasse post remedium quod tunc erat contra originale peccatum, quod fertur fuisse fides parentum. Insuper quosdam Sanctos permisit ad tempus fluctuare et cadere, et postmodum tanta gratiarum plenitudine eos implevit, quod de cetero erant confirmati in gratia, nec mortaliter peccaverunt. Sicque potissimum egit cum sanctis Apostolis in die sacratissimo Pentecostes, quando in linguis igneis eis misit, ostendit, infudit Spiritum Sanctum. Alios autem Sanctos utriusque sexus permisit in mortalia cadere magis et minus, et tamen paulatim ad sanctitatem et perfectionem eos perduxit, hunc ad altiorem, illum ad decliviorem. Quibusdam etiam contulit diversa dona gratiæ gratis datæ, uni plura et excellentiora, alteri pauciora et inferiora. Dona vero gratiæ gratis datæ, sunt prophetia, apostolatus, doctoratus, evangelica conscriptio, potestas faciendi miracula, linguarum notitia, discretio spirituum, interpretatio sermonum, etc.

Act. II, 1-4.

Secundo laudandus est Deus in Sanctis suis, quia omnipotentiam suam declaravit in eis per hoc, quod eos, quum tam fragilis erant naturæ, tam defectivæ potentiæ, tantæ defectuositatis atque miseriæ, fecit in omni gratia et virtute tam fortes, omni sanctitate ita conspicuos in vita præsenti, deinde tam sublimes in gloria, tam beatos in patria, quod subjecit eis in vita hac invisibiles hostes diabolos, et omnem pene universi naturam, legem ac ordinem, quod et omnem mundi gloriam ac virtutem prostravit per eos, fecitque eos pro fide et justitia paratissimos mori. Præterea, si major apparet omnipotentia in justificatione impii quam in creatione mundi, quam gloriosissime et uberrime declaravit Deus omnipotentiam suam prorsus immensam in subitanea, insperata atque plenissima conversione multorum millium sceleratissimorum hominum ? Laudemus ergo et veneremur omnipotentiam Creatoris essentialiter et incircumscriptibiliter sancti in Sanctis suis, fortitudinemque Sanctorum laudemus in Domino, et Sanctos de omni fortitudine sua laudemus in ipso.

Tertio laudandus est Deus in Sanctis suis, quia caritatem et liberalitatem suam declaravit in eis, tot et tanta beneficia eis in vita hac tribuendo, et tam innumerabilia gaudia eis in cœlis præstando. Hanc vero caritatem et liberalitatem Deus in Sanctis ostendit secundum gradus diversos, quia excellentissime in homine Christo seu in ejus humanitate, deinde in Virgine gloriosa, deinceps in aliis Sanctis, secundum quod magis aut minus electi fuerunt ab ipso.

Quarto laudandus est Deus in Sanctis suis, quia sapientiæ suæ incomprehensibilem altitudinem declaravit in eis, ipsos præ ceteris taliter eligendo, vocando, justificando et glorificando ; sed et mirabiliter regit eos in sæculo isto, et miro modo disponit cum ipsis, exponendo eos multis et magnis tribulationibus in hoc mundo,

Rom. VIII, 28. et omnia faciens cooperari eis in bonum.

Quinto laudandus est Deus in Sanctis suis, quoniam suam justitiam in eis pulchre demonstrat. Nam quamvis misericorditer eos elegit, et gratis gratiam eis infudit, nihilo minus per meritorios actus ipsorum juste auget ac perficit gratiam et virtutes ac dona in ipsis, et pro meritis tribulationibusque ipsorum juste ipsos coronat præmiumque largitur, quamvis ultra condignum hoc faciat, et per hoc actui suæ justitiæ actum admisceat misericordiæ suæ.

Sic itaque collaudemus, contemplemur, diligamus ac veneremur Deum in Sanctis suis, quem nunc in se ipso contemplari non possumus. Gratias ei devotissime referamus, quod tam misericordissime, tam potentissime, tam amorose ac liberalissime, tam sapientissime atque justissime egit cum eis : nam et per hoc juste fecit cum ipsis, quia eōrum persecutores tam graviter condemnavit, et multos illorum etiam in sæculo isto repente et severe plagavit. Laudemus quoque et totis præcordiis diligamus ac veneremur Sanctos in Domino, pro omni sanctitate et perfectione, pro omni victoria et labore, pro omni tribulatione, patientia et sinceritate, pro omni felicitate et gloria æternali eorum, quum et ipsi sint amici ac filii Dei, patroni ac domini nostri. Insuper, Deum incessanter et affectuosissime deprecemur, ut nobiscum misericordissime, omnipotenter, amorose et munificenter operari dignetur, sicut fecit cum Sanctis suis, et totam vitam nostram in sapientia sua gubernet, et omni die perficiat, feliciterque consummet. Nos quoque Sanctorum quos honoramus, provocemur exemplis, accendamur operibus, ædificemur virtutibus, quia et ipsi passibiles ac similes nobis fuerunt, et tamen tam strenue peregerunt, tantam perfectionem adepti sunt, ad tantam beatitudinem pervenerunt.

Proficiamus ergo quotidie in omni cordis custodia, in sancto timore ac divino amore, et caritate fraterna; sobrii, timorati, fructuosi, discreti jugiter simus; in humilitate, patientia, fortitudine solidemur, et Deo altissimo in sanctitate et justitia obsequamur indesinenter cum ampliori devotione, solliciti semper omnem ipsius vitare offensam, omnem culpam, non solum ex genere suo mortalem, puta acediam, invidiam, animositatem, iram, gulam, detractionem, contentionem, susurrationem, discordiæ seminationem, sed etiam venialem. Idcirco in omni sensu simus incessabiliter custoditi, in verbis providi, in cunctis actibus circumspecti.

SERMO SEXTUS

QUAM SANCTE ET IMMACULATE IN CONSPECTU DIVINÆ MAJESTATIS AMBULANDUM SIT ; ET QUANTUM IN DEO ET PER DEUM EFFICERE POSSUMUS.

EXHIBETE vos sanctos et immaculatos et irreprehensibiles coram Deo. Coloss. I, 22.

II *Cor.* III, 5. Quum dicat Apostolus, Non sumus sufficientes cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis ; quomodo nunc tam absolute hortatur ut exhibeamus nos sanctos et immaculatos et irreprehensibiles coram Deo, quasi ad hoc adimplendum simus sufficientes, potentes sive idonei? Rursus, quum Isaias propheta testetur, Facti sumus ut immundi omnes nos, quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ ; quomodo nunc monet Apostolus ut exhibeamus *Is.* LXIV, 6.

nos immaculatos, præsertim quum Salo-
Prov. XXIV, 16. mone testante, Septies in die cadat justus; cujus casus est maculatio ejus? Nam et in
Job XV, 14-16. Job dicitur : Quid est homo ut immaculatus sit, et justus appareat natus de muliere? Ecce inter Sanctos ejus nemo immutabilis, et cœli non sunt mundi in conspectu ejus : quanto magis abominabilis et inutilis homo? Iterum, qualiter nunc hortatur Apostolus ut exhibeamus nos irreprehensibiles coram Deo, quum teste Joanne apo-
I *Joann.* I, 8. stolo, Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus? Imo Jaco-
Jacob. III, 2. bo attestante apostolo, In multis offendimus omnes. Psalmista quoque loquitur
Ps. CXLII, 2. Deo : Non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu
Job IX, 2, 3. tuo omnis vivens. Et in Job legitur : Non justificatur homo compositus Deo, et si voluerit cum eo contendere, non poterit
Ibid. 20. respondere unum pro mille. Et denuo : Si justificare me (inquit) voluero, os meum condemnabit me. Verumtamen præfatam Pauli apostoli exhortationem esse rationabilem atque possibilem, constat ex eo quod in Deuteronomio locutus est Moyses:
Deut. XVIII, 13. Perfectus et absque macula eris cum Domino Deo tuo. Et Deus per Moysen sæpe
Lev. XI, 44, 45 ; XIX, 2 ; etc. locutus est : Sancti estote, quoniam ego sanctus sum. Christus quoque proprio ore
Matth. V, 48. deprompsit : Estote perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est. Ezechias
IV *Reg.* XX, 3. item deprecans Deum : Memento (ait) quomodo ambulaverim coram te in veritate et in corde perfecto. Sed et S. Joannes
I *Joann.* III, 21. apostolus asserit : Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum. Unde et sanctus Job fiducialiter
Job XXVII, 6. hoc fatetur : Neque reprehendit me cor meum in omni vita mea. Quomodo ergo omnia ista stant simul, et quomodo poterunt concordari? Nam et Sancti quos hodie veneramur, exhibuerunt se utique sanctos et immaculatos et irreprehensibiles coram Deo.

Et respondendum, quod nullus in vita hac ita se possit exhibere sanctum, immaculatum, irreprehensibilem coram Deo, A quin sæpe venialiter peccet : quia etsi singula vitare venialia valeamus, non omnia tamen. Imo, dum occupamur circa unum vitandum aut diluendum, subito ex subreptione, infirmitate et instabilitate nostra incidimus aliud. Sed possumus nos coram Deo sanctos, immaculatos, irreprehensibiles exhibere, ita quod mortaliter non peccemus, et de ipsis quotidianis venialibus quotidie digne pœniteamus, atque pro ipsis satisfaciamus : imo, ultra hoc possumus nos tam custodite, diligenter ac ferventer B omni hora habere, ut ex venialibus illis non solum non maneat ulla maculatio aut reprehensibilitas ulla in nobis, sed ultra hæc etiam singulis horis crescamus in caritate et gratia, in omni virtute et puritate interna. Sicque non solum non erimus maculati et reprehensibiles coram Deo, imo quotidie puriores et commendabiliores erimus coram eo. Porro, dum dicimur ista posse, non datur intelligi quod propriis viribus absque adjutorio gratiæ Dei ea possimus ; sed dicimur ista posse præC supposito Dei auxilio, ex cujus parte non erit defectus si fecerimus quod in nobis est. Et quia hoc possumus, et si hoc egerimus, Deus gratiam adimplendi præstabit, idcirco dicimur ista posse. Unde Paulus apostolus : Omnia (inquit) possum in *Philipp.* IV, 13. eo qui me confortat. Et Christus disseruit : Omnia possibilia sunt credenti. Nam *Marc.* IX, 22. et teste Philosopho, hoc dicimur posse quod possumus per nostros amicos.

Nunc ergo consideremus diligentissime et ferventer, qualiter valeamus ac debeaD mus nos coram Deo sanctos, immaculatos et irreprehensibiles exhibere. Ad quod utique multa requiruntur, et difficile valde videtur, quum virtus sit circa difficilia, et istud sit maxime virtuosum. Verumtamen tot et tanta, tam gratiosa et efficacissima ac paratissima habemus ad istud explendum media atque subsidia, ut non sit ita difficile ut pusillanimitas veretur humana. Porro adjutoria ac media ista, sunt divinus instinctus, gratiosa adsistentia Dei, gratia gratum faciens, virtutes infusæ et

dona Spiritus Sancti, angelorum custodia et inspiratio multiplexque subsidium, beatissimæ Virginis piissima ac viscerosa subventio, totius triumphantis Ecclesiæ oratio variaque succursio, et communicatio thesauri Ecclesiæ, militantis quoque Ecclesiæ auxiliatio multa et magna, communicatio et participatio omnium mysticorum Christi membrorum seu universorum fidelium in caritate exsistentium, ecclesiastica sacramenta, spiritualium patrum directio, oratio, consolatio, instructio, correctio atque correptio. Quum ergo tot et tanta præsto sint nobis auxilia et efficacissima media, quid trepidamus ardua aggredi, perfectionis semitam ingredi, ad obtinendam sanctitatem conari?

Itaque quicumque desiderat se coram Deo sanctum, immaculatum irreprehensibilemque præbere, in primis declinet a malo, universa satagat vitare peccata, et venialia tanquam mortalia detestetur ac
Eccli. XIX, 1. fugiat, sciens quia qui modica negligit, paulatim evacuatur et decidit. Idcirco omnem interiorem et exteriorem sensum eum custodire, linguam reprimere, ingluviem
Habac. II, 1. ventris abhorrere oportet, et super suam semper stare custodiam, ac coram divini vultus præsentia se incessanter statuere.
Prov. XXIV, 16. Verum, quia in die septies cadit (saltem in venialia) etiam justus, necesse est ut contra quotidiana peccata quotidianis cum omni diligentia utatur remediis, discutiendo frequenter conscientiam suam, et examinando ac dijudicando propriam vitam ; seque coram Deo in suo secreto corripere, castigare, deflere, indulgentiam postulare, satisfactionem et emendationem integro corde proponere, pure, contrite ac diligenter confiteri, et facta confessione, devotius et cautius se habere, ac recidivum vitare pro posse oportet.

Præterea, quia (ut tactum est) insuffi-
II *Cor.* III, 5. cientes sumus aliquid meritorium cogitare et operari ex nobis seu propriis viribus, sed tota virtus, efficacia et sufficientia nostra ex Deo est : hinc deinceps oportet ut coram Deo nos profundissime humiliemus, vilipendamus, et proprias calamitates, defectuositates et culpas intueamur ac fateamur, et tota humilique fiducia divino innitamur auxilio, Dei gratiosissimam opem, protectionem, directionem infatigabiliter invocantes, omne bonum, omnem profectum, universa etiam merita Deo plenarie grataque mente attribuentes ; quum per se ipsum dicat Salvator, Sine me nihil potestis facere ; et per Osee, Perditio tua ex te, in me tantummodo auxilium tuum. Amplius, necesse est ut omnia opera bona præterita quæ forte peregimus, pro modico reputantes, conemur quotidie nos ipsos in anteriora extendere, charismata apprehendere meliora, et cum recenti devotione Deo servire, omneque tempus fructuose expendere ac jugiter mentem elevare ad Dominum, nec unquam tepescere, sed viriliter frangere nosmetipsos, atque fideliter laborare in schola virtutum, illa quoque assidue meditari ac menti imprimere quæ compunctionem pariunt, devotionem inflammant, castum timorem inducunt, torporem negligentiamque expellunt et mentem conservant in bonis, ut sunt passio Salvatoris, beneficia Dei, quatuor quoque novissima, Sanctorum exempla, multitudo laqueorum nos ambientium et imminentium periculorum. Itaque, si ista egerimus, si in his nos quotidie exercitaverimus, sentiemus in brevi profectum mirabilem, copiosa auxilia, consolationes dulcissimas : imo et insperatas ad bona agenda, ad perfectionis exercitia, ad sanctitatis appropinquationem facilitates. Consuetudo namque est quasi natura, et habitus prompte exit in proprios actus, et fideliter laboranti, quærenti, pulsanti Deus misericordissime adest. Beatissima quoque Virgo, proprius angelus, omnesque Sancti, præsertim illi ad quos habetur specialis devotio, benignissime auxiliantur.

Joann. XV, 5. *Osee* XIII, 9. *Philipp.* III, 13. I *Cor.* XII, 31.

Nunc ergo, o fratres, pensemus quam brevis, momentanea et incerta sit vitæ hujus duratio, quam copiose in ea proficere, quam salubriter perfici, quam gloriose promereri queamus qualibet hora. Intuea-

mur quanta sit nunc beatitudo Sanctorum quos colimus, quantam felicitatem et gloriam sibi in vita hac labili meruerint, et eorum accendamur exemplis. Non parca-
II *Cor.* VI,2. mus laboribus. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. In omni observantia regulari simus continue strenui, in auditu auris obediamus patribus *Ps.* XVII,45. nostris, mutuo quoque caritativi, exemplares, concordes, patientes et humiles simus.

SERMO SEPTIMUS

DE IMMENSA SUAVITATE AC GLORIA PATRIÆ CŒLESTIS, ET QUIBUS MODIS AD EAM FACILIUS ACCEDATUR.

GLORIOSA *dicta sunt de te, civitas Dei.* Ps. LXXXVI, 3.

Quamvis gloriosa in Scripturis dicantur de civitate Dei peregrinante in terris, quæ est Ecclesia militans, multo tamen gloriosiora dicuntur de civitate Dei quiescente et regnante in cœlis, quæ est triumphans
Ps. LXXXVI, 7. Ecclesia, in qua sicut lætantium omnium habitatio exsistit. De qua loquitur in Evan-
Joann. XIV, 2. gelio Filius Dei : In domo Patris mei man-
Ps. LXXXIII, 5. siones multæ sunt. Et Psalmista : Beati qui habitant in domo tua, Domine; in sæcula sæculorum laudabunt te. Hæc est
Apoc. XXI, 27. civitas in quam non ingreditur aliquid coinquinatum. De qua in Apocalypsi asse-
Ibid. 23. ritur : Civitas non eget sole neque luna, nam claritas Dei illuminabit eam, et lucerna ejus est Agnus. Ad quam per Isaiam
Is. LX, 17-19. loquitur Deus : Ponam visitationem tuam pacem, et præpositos tuos justitiam; occupabit salus muros tuos, et portas tuas laudatio; non erit tibi amplius sol ad lucendum per diem, nec splendor lunæ illuminabit te per noctem, sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam, et Deus tuus
in gloriam tuam. Nempe omnes cives ci-
I *Cor.* XIII, 12. vitatis gloriosissimæ hujus vident facie ad faciem Deum, quem tam clare videre, est
I *Joann.* III, 2; I *Cor.* XIII, 12. plena felicitas. Vident eum sicuti est, et cognoscunt eum sicut ab eo noscuntur. Vi-
Is. LXIV, 4; I *Cor.* II, 9. dent, fruendoque possident, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec cor hominis apprehendere valet. Contemplantur clarissime superbeatissimam Trinitatem, et supersubstantialem ipsius simplicissimam unitatem, et omnem superdignissimæ Trinitatis mutuam intuitionem, dilectionem, complacentiam, fruitionem, emanationem et communicationem ejus ad intra, æternam et supergloriosissimam consistentiam ejus, fruunturque ea plenarie, et usque ad omnem contentationem delectantur in ipsa. Et quoniam bonitatem Dei puram, incomparabilem et immensam, in se ipsa clare ac immediate cognoscunt, indicibiliter accenduntur amore ipsius, et absorbentur in ipsam dulcissime, atque inavertibiliter in ipsa quiescunt. Ecce quam gloriosa dicuntur de ea.

Verum nunc advertamus, qualiter pertingatur ad ipsam, qualiter ad eam compendiosius valeamus pertingere. Et hoc, in evangelio hodierno docet Salvator, rex civitatis illius. Nam ponit octo gradus seu actus aut beatitudines quibus ad veram, plenam et unicam illam beatitudinem pervenitur : Beati (inquiens) pauperes spiri- *Matth.* V,3. tu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Quod sive de spontanea paupertate seu temporalium et propriorum abdicatione, sive de cordiali humilitate intelligatur, specialiter consolatorium est bonorum religiosorum, qui amore Dei omnia relinquentes, paupertatem sponte voverunt, obedientiam quoque, id est humilem subjectionem et obtemperationem. Per quam

spiritus paupertatem merentur regnum cœlorum. In regno namque cœlorum duo insinuantur, videlicet : opulentia summa omnis boni, æterna hereditas electorum, et æternalium ac spiritualium plenitudo divitiarum. Et quantum ad istud, correspondet atque pro præmio assignatur regnum cœlorum spontaneæ paupertati. Secundum quod in regno cœlorum insinuatur, est exaltatio gloriosa et elevatio plena super omnem statum humanum. Sicque regnum cœlorum proportionatur et pro præmio datur humilitati, juxta quod alibi fertur : Qui se humiliat, exaltabitur. Quis jam adeo cæcus est, ut tantæ beatitudinis desiderio non amplectatur utramque hanc paupertatem ? Quis non velit ad modicum tempus temporalium propria possessione carere, ut queat cœlestibus in æternum repleri divitiis, cœlesti hereditate ditari, omnium bonorum aggregatione remunerari ? Similiter quis non cupiat Dei intuitu ac amore ad breve tempus humiliari, subdi et obedire, ut mereatur æternaliter exaltari et cum Christo sine fine regnare ?

Luc. XIV, 11; XVIII, 14.

Verum, quum modicum videatur propria non habere et nihilo minus in cunctis vitæ necessariis abundare, et hoc absque propriis sollicitudine et labore : idcirco votum paupertatis sic impleamus, ut inopiam pati non recusemus, nec murmurare præsumamus, dum in victualibus nobis non ministratur ad copiam et affectum, aut dum grossa et non lauta exstant pocula atque cibaria ; sed cogitemus cur venimus, quid Deo promisimus, et quid sit arcta via pœnitentialisque vita, quod item pertinentes ad Christum, carnem suam crucifigunt cum vitiis et concupiscentiis ejus, quod etiam natura paucis contentatur ac modicis. Unde et sancti Patres multo diutius olim vixerunt in eremo, radicibus, herbis, modico pane et aqua contenti, quam nos modo in cœnobio, in quo omnia tam exquisite et abundanter habemus. Non obliviscamur quod tenuitas victus atque vestitus voto paupertatis inseparabiliter annectitur : ideo omnem cupiditatem a nobis radicitus expellamus, neque ad aliquid inordinate afficiamur, quum hoc sit impeditivum incrementi ac puritatis divini amoris. Insuper, si cum Christo et a Christo judice summo cupimus æternaliter exaltari ac honorari in cœlis, nequaquam ægre feramus si despiciamur, irrideamur, humiliemur injuriasque patiamur in terris : imo gaudeamus in eis. Rursus, qui sic appetit exaltari in cœlis, non cupiat exaltari, præsidere, famari et honorari in cœnobio aut sæculo isto, sed ab eo prorsus abhorreatur et procul pellatur omnis ambitio, vanitas cuncta et universa elatio, quum sanctus dicat Gregorius : Toties Deum meum præire desidero, quoties proximis meis præesse affecto ; et rursus : Post hanc (inquit) vitam non delectabit eum Christum judicem summum videre, quem nunc delectat fratribus suis præesse. — Itaque paupertas spiritus est prima beatitudo, beatitudo utique viæ, id est meritum quo ad cœleste pertingitur præmium.

Matth. VII, 14. *Galat.* V, 24.

Secunda beatitudo aperitur, quum dicitur : Beati mites. Mititas ista est virtus moralis iram refrenans. Quæ virtus est religiosis necessaria vehementer, quatenus eorum conversatio non sit alicui onerosa, sed omnibus grata, exemplaris, jucunda. Nam impetus iræ efficit hominem aliis importabilem, scandalosum ac contristativum, quemadmodum Salomon loquitur : Ira non habet misericordiam, nec erumpens furor ; et impetum concitati spiritus ferre quis poterit ? Et certe nisi mititas esset valde elegans, exemplaris ac necessaria virtus, non dixisset Salvator : Discite a me quia mitis sum et humilis corde.

Matth. V, 4. *Prov.* XXVII, 4. *Matth.* XI, 29.

Tertia beatitudo est : Beati qui lugent. Defleamus ergo in primis propria, deinde et aliorum peccata, eorum præsertim pro quibus magis orare et sollicitari tenemur. Defleamus quotidianas Dei injurias multas, imo innumerabiles et nimis enormes. Ploremus in meditatione dominicæ passionis, ex pietate internæ compassionis ; plangamus desiderio regni cœlestis et ex

Ibid. V, 5.

affectu majoris spiritualis profectus. Lugeamus ex ardentissima affectione communis reformationis totius Ecclesiæ, et cum lacrimis pro ea instanter oremus. Sæpe quoque ex spirituali ploremus lætitia in contemplatione sincera, præ intima complacentia supergratiosissimæ Deitatis. Ploremus his modis et causis ex corde, nec ad risum et dissolutionem, verba vana viliaque solatia facile moveamur.

Matth.v,6. Quarta beatitudo est : Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam. Quemadmodum ergo esuriens assidue cogitat cibum et appetit illum, ita indesinenter cogitemus et peroptemus justitiam, spiritualem profectum, veram perfectionem, in omni virtute exercitationem, honorificentiam Dei in omnibus ; atque in zelum discretum justitiæ convertatur cor nostrum, ut nulla ex causa, commoditate aut affectione, ad vitia derivetur, ad injustitiæ obliquitatem flectatur : sicque diligentes ac fervidi simus in observatione universorum quæ Ordinis sunt, et ad quæ tenemur sive ex jure naturali, sive ex jure divino, sive ex jure positivo.

Ibid. 7. Quinta beatitudo est : Beati misericordes. Idcirco ad opera misericordiæ, potissimum spiritualia, quæ nostram vocationem magis concernunt, simus promptissimi, libentissime ignoscendo, alter alterius onera portando, quidquid consilii atque auxilii possumus mutuo impendendo, peccantem fraternaliter corripiendo, afflictis, tentatis, lapsis ac miseris condolendo. *Galat.vi,2.*

Sexta beatitudo est : Beati mundo corde. *Matth.v,8.* Nil igitur vanæ cogitationis, nil pravæ affectionis immoretur cordibus nostris, sed sanctis affectionibus, fructuosis meditationibus jugiter decorentur.

Septima beatitudo est : Beati pacifici. *Ibid. 9.* Propterea pectoris pacem semper in Deo possideamus, atque cum aliis concorditer conversemur. Discordantes quoque reconciliemus pro posse ; et quidquid nobis fuerit forefactum, protinus condonemus, ut nunquam necesse sit nos reconciliari cum altero, et antequam venia postuletur, indulgeamus.

Octava beatitudo est : Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam. *Ibid. 10.* Idcirco non relinquamus viam justitiæ persecutionum formidine, nec illatas pro justitia persecutiones patiamur moleste, sed gaudiose.

IN COMMEMORATIONE
OMNIUM DEFUNCTORUM

SERMO UNICUS

QUARE DEFUNCTIS CONFERENDA SINT SUFFRAGIA UNDE JUVENTUR;
ET UBI SIT PURGATORII LOCUS.

SANCTA et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur. II Mach. XII, 46.

Quemadmodum recitat Petrus Damianus, S. Odilo audiens quod apud vulcanum Siciliæ multoties audirentur voces ululatusque dæmonum, eo quod per eleemosynas et orationes vivorum de eorum manibus eriperentur animæ defunctorum, statuit ut in monasteriis suis, post festum omnium Sanctorum, fieret commemoratio omnium fidelium defunctorum. Quod postmodum summus Pontifex ordinavit et jussit a tota Ecclesia observandum, ut saltem generalibus adjuventur suffragiis animæ pro quibus specialia non aguntur.

Est itaque valde pium ut vivi pro defunctis exorent. Primo, quia defuncti in purgatorio exsistentes, sunt in suppliciis valde magnis. Dicit equidem Augustinus, quod pœna purgatorii excedit omnem pœnam vitæ præsentis, quamvis sancti martyres horribilia passi sint tormenta. Thomas etiam asserit, quod pœna purgatorii major sit quam pœna morientium in ipso mortis articulo, dum puncturæ mortis cor transfigunt ita quod rumpitur. Unde leguntur quidam fideles in raptu seu ecstasi quadam pertulisse purgatorii pœnas per duas horas aut circiter: quibus ad se reversis apparuit quod per annos ducentos aut prope fuissent in pœnis. Secundo, quia defuncti in purgatorio se ipsos juvare non valent, eo quod non sint in statu merendi aut demerendi : qui status finitur in morte. Hinc mortui clamitant in tormentis : Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos, amici mei, quia manus Domini tetigit me. Tertio, quia defuncti in purgatorio per caritatem nobis conjuncti sunt : ideo, sicut tenemur eos diligere, ita et benefacere eis obligamur, orando seu aliis modis eos juvando. Quarto, quia ipsi quum fuerint liberati a pœnis, erunt memores benefactorum suorum, et deprecabuntur pro ipsis. *Job* XIX, 21.

Præterea agnoscendum, quod morientes in culpa mortali, sunt in æternum damnati ; qui vero in caritate et gratia moriuntur, et tamen pro suis peccatis nondum plene satisfecerunt, descendunt in purgatorium, et ibi torquentur quousque eorum peccata per pœnas ibidem satis puniantur, nisi eis per vivos aut certe per Beatos in patria succurratur. Non enim solum per viventes in sæculo isto, sed etiam per regnantes in cœlo juvantur. Verumtamen posset quis de suis peccatis tantum dolere, et coram Deo de eorum obscenitate in tantum verecundari, atque ad Deum tam amorose et fervide affici, quod Deus di-

mitteret illi peccata sua totaliter, etiam quoad pœnam, et sine pœnitentiali satisfactione evolaret in cœlum. Hoc quoque sciendum, quod multi pœnitentiam sibi in confessione injunctam persolvunt, eaque persoluta, mox moriuntur, et tamen in purgatorium projiciuntur, quoniam satisfactio illa non fuit sufficiens : idcirco, quod restat in purgatorio luunt. Insuper unusquisque pro suis propinquis et benefactoribus ac sibi commissis, et his qui se ejus orationibus commendaverunt, specialiter debet orare et alia suffragia exhibere, tanto plus quanto majores et plures rationes habet hoc faciendi. Sicque viventes pro suis parentibus, uxoribus, filiis ac filiabus, præcipuis quoque benefactoribus vel qui juxta suas vires eis plus benefecerunt, debent specialius exorare, et alia bona defunctis accommoda peragere.

Consequenter scire oportet, quæ sunt suffragia seu opera bona vivorum quæ magis juvant defunctos. Horum primum et maximum est celebratio Missarum. Nec dubium quin celebrationes a virtuosis sacerdotibus factæ, plus juvent. Nec expedit vivo ut aliquem manifeste vitiosum inducat ad celebrandum, si possit vitare. Nam talis peccat mortaliter celebrando, sicut et in quolibet actu ordinis sacri. Sacrificium tamen hostiæ salutaris suam efficaciam non amittit ; sacerdosque vitiosus, in quantum publica persona et in persona Ecclesiæ orans, exaudibilitatem quamdam sortitur. Secundum est oratio, et præsertim Officium defunctorum, quod vocatur vigilia seu agenda, habens psalmos et lectiones atque orationes sibi convenientes ; et devota lectio totius Psalterii aut partis ipsius. Tertium est eleemosynarum largitio, et ceterorum operum misericordiæ exhibitio, præsertim facta ex caritate ac ordinata ad defunctorum subsidium. Quartum est jejunium seu abstinentia. Quintum est disciplina, scilicet flagellatio proprii corporis pro defunctis caritative accepta. Sextum est peregrinatio. Septimum, accensio luminarium, atque similia pie ad Dei honorem pro defunctis exhibita. Denique pœnitentia ab amicis facta, prodest defunctis. Indulgentiæ quoque Ecclesiæ possunt eis communicari, et fideles indulgentias quas merentur, communicare possunt defunctis.

Postremo, locus purgatorii probabilius creditur esse sub terra, secus et supra infernum, quamvis ex dispensatione et gratia Dei aliquæ animæ extra locum illum purgentur. — De hac autem materia habentur multa valde utilia in Aurea legenda, seu Passionali Sanctorum : quæ requirantur ibidem.

Itaque sic succurramus defunctis, quomodo nobis subveniri appeteremus si in eorum pœnis essemus. Et specialiter in hoc die subveniendum est omnibus fidelibus defunctis, præsertimque his qui specialibus carent suffragiis, secundum quod institutum est hoc ab Ecclesia sancta. Nam pro parentibus, propinquis, commissis, benefactoribus, recommendatis orandum est quolibet die : imo valde decens et pium est ut quilibet Christianus etiam quolibet die aliquid boni agat pro universis fidelibus defunctis ; atque ut magis idonei sint viventes subvenire defunctis et exaudiri pro eis, studeant esse in caritate et gratia.

IN FESTO
SS. RELIQUIARUM

Enarrationem epistolæ, Sancti per fidem, etc., *require de S. Dionysio; enarrationem autem evangelii,* Videns Jesus turbas,.etc., *require in festo omnium Sanctorum.*

AD RELIGIOSOS

SERMO PRIMUS

DE HONORE RELIQUIIS SANCTORUM EXHIBENDO, EO QUOD FILII ET HEREDES DEI INVENTI SUNT.

QUICUMQUE glorificaverit me, glorificabo eum; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles, ait Dominus. I Reg. II, 30.

Ista sunt verba Dei omnipotentis irremuneratum nil relinquentis, qui unicuique secundum sua retribuit merita, et sibi obedientes fideliterque subjectos in cœlis glorificat, angelis sanctis associat, suæ deitatis clara visione æterna et secura fruitione felicitat, inobedientes vero infernali subdit damnationi, vilissimos atque miserrimos statuens illos. Hinc ait et Christus : Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus. Denique, quanto quis perfectius glorificat Deum, tanto excellentius glorificatur ab eo. Glorificat autem Deus suos electos et suæ majestatis glorificatores, variis modis : quia non solum post vitam hanc exaltat et coronat animas eorum in cœlo essentiali præmio, quod est suæ deitatis clara per speciem visio, sed et multiplici præmio accidentali; et in tota triumphanti Ecclesia facit eos famosos, venerabiles et sublimes. Eos quoque qui eum perfecte glorificaverunt, videlicet Sanctos, glorificat et in militanti Ecclesia per multa et magna miracula, et facit eos invocari, laudari, honorari et festa de eis agi; atque in die judicii eorum glorificaturus est corpora, ut sint gloriosi in carne et anima. Interim quoque eorum reliquias, ossa seu corpora signis prodigiisque glorificat, et a fidelibus in sacris locis facit honorabiliter poni, ornari, conservari ac honorari.

Joann. XII, 26.

Ecce quam bonus Dominus, quam fidelis et copiosissimus retributor, quam evidens confirmator et exuberantissimus attestator veritatis fidei christianæ. Quam bonum est ei servire! Quam verissime dixit Psalmista : Mihi autem nimis honorati sunt amici tui, Deus; et rursus, Testimonia tua credibilia facta sunt nimis! Et

Ps. CXXXVIII, 17. *Ps.* XCII, 5.

rursus in libro Sapientiæ veraciter scriptum est : Corpora Sanctorum in pace sepulta sunt, et nomina eorum vivent in generationem et generationem ; in paucis vexati, in multis bene disponentur. Nempe, ut ait Scriptura : Custodit Dominus omnia ossa eorum ; unum ex his non conteretur. Et de quorumdam Sanctorum reliquiis in Ecclesiastico fertur : Duodecim Prophetarum ossa pullulant de loco suo. Ecce Deus omnipotens et benignus multorum Sanctorum corpora exstincta conservavit illæsa, etiam quantum ad carnis eorum substantiam, non quantum ad ossa tantum. Et post multorum annorum curricula revelavit abscondita multorum sanctorum martyrum corpora : quæ quum elevarentur de terra, renovata sunt signa et mirabilia immutata, atque dulcissimus odor illico longe et late ac diu adspersus est. Si ergo Creator æternus et gloriosus Sanctorum sic honoravit reliquias, nonne justissimum est ut nos quoque pro modulo nostro easdem veneremur ? Nec dubium quin eas venerando, veneremur animas quorum fuerunt, imo et Deum, cui deservierunt et propter cujus honorem ac gloriam honorantur.

Eccli. XLIV, 14 ; *Sap.* III, 5.

Ps. XXXIII, 21.

Eccli. XLIX, 12.

Cf. *Eccli.* XXXVI, 6.

Præterea, de hac materia magnus ille theologus Joannes Damascenus quarto libro loquitur multum subtiliter ac devote. Cujus verba, ut clarius intelligantur, sunt modicum extendenda ac declaranda. Honoramus, inquit, Sanctos tanquam amicos Christi et tanquam Dei filios ac heredes, quia ut ait Joannes apostolus, Quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri. Ideo non sunt servi dumtaxat, sed etiam filii Dei, filii utique adoptivi. Si autem filii, et heredes ; heredes quidem Dei, coheredes autem Christi. Christus quoque in Evangelio ait Apostolis : Vos amici mei estis ; et, Jam non dicam vos servos. Insuper, quum omnium Creator ac Dominus, nuncupetur Rex regum in Scripturis et Dominus dominorum et Deus deorum, ergo Sancti omnino dicendi sunt reges et dii ac domini, quia Deus dicitur estque ipsorum Deus et Rex ac Dominus. Dii, inquam, sunt non natura, sed quoniam suis passionibus dominantur, et super eas ac carnem propriam regnant, atque divinæ imaginis similitudinem, ad quam facti sunt, inviolatam custodiunt. Honoranda sunt ergo corpora Sanctorum, qui fuerunt ministri et amici ac filii Dei, quorum corpora facta sunt promptuaria ac pura cœnacula Creatoris, qui dixit, Inhabitabo in illis et inambulabo, et ero illorum Deus ; et quia justorum animæ in manu Dei sunt, nequaquam tanget illos tormentum mortis. Mors enim Sanctorum, somnus est magis quam mors. Laboraverunt namque in præsenti sæculo, et vivent in sempiternum ; et pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus. Quid igitur pretiosius quam esse in manu Dei ? Deus enim est vita et lux, et qui in manu Dei sunt, in vita et luce exsistunt. Apostolus quoque ait : Nescitis quoniam corpora vestra templum sunt Spiritus Sancti ? Honoranda sunt ergo corpora Sanctorum tanquam animata templa, et tanquam animata tabernacula Conditoris.

Lev. XXVI, 12 ; II *Cor.* VI, 16.

Sap. III, 1.

Ps. CXV, 15.

I *Cor.* VI, 19.

Denique Christus Dominus fecit nobis Sanctorum suorum reliquias esse fontes salutares, multiplicia beneficia effluentes, et conferentes unguentum boni odoris, quod manat ex eis. Etenim si ex rupe et dura petra aqua emanavit in eremo, Deo præcipiente, et si ex maxilla asini fluxit aqua sitienti Samsoni, nequaquam incredibile est, unguentum suave ex Sanctorum reliquiis emanare sitienti donum ac virtutem Dei atque Sanctorum honorem qui ab ipso est. Ecce Sanctorum corpora operantur miracula : per ea dæmones expelluntur, infirmi curantur, cæci vident, leprosi mundantur, tentationes et tristitiæ dissolvuntur ; per ea descendit omne donum optimum a Patre luminum ad eos qui indubitata fide postulant ea. Amplius, Sancti sunt duces et intercessores nostri apud Deum. Si ergo multum laborant homines ut habeant ducem et advocatum apud re-

Exod. XVII, 6 ; *Num.* XX, 11.

Judic. XV, 19.

Jacob. I, 17.

Ibid. 5, 6.

Joann. I, 12.

Galat. IV, 7 ; *Rom.* VIII, 15, 17.

Joann. XV, 14.

Ibid. 15.

Apoc. XIX, 16.

gem terrenum, qui apud illum faciat verbum pro eis : quanto magis honorandi sunt Sancti, qui sunt duces intercessoresque nostri ?

Præterea, quum hæc ita se habeant, valde rationabiliter institutum est, ut quævis congregatio sive particularis Ecclesia specialem agat solennitatem de Sanctorum reliquiis ei concessis, quum Sancti illi singulariter orent pro habentibus ac venerantibus suas reliquias, imo et multa beneficia impendant locis et congregationibus ubi eorum servantur reliquiæ.

Sic ergo Sanctorum nostrorum honoremus reliquias, imo Sanctos nostros in suis reliquiis, ut eorum virtutes strenue imite-
Judith VIII, 23. mur. Ipsi namque per multas tribulationes
Ps. LXV, 12. transierunt fideles. Transierunt ad tempus per aquam et ignem, et educti sunt ad
Ps. LXXXIX, 15. refrigerium sempiternum, nuncque lætantur pro diebus quibus humiliati sunt, et pro annis quibus viderunt mala, et dicunt:
Ps. CXXIII, 6, 7. Benedictus Dominus qui non dedit nos in captionem dentibus eorum ; laqueus con-
I *Cor.* XV, 55. tritus est, et nos liberati sumus. Ubi est, mors, victoria tua? Ubi est, mors, stimulus tuus ? Jam saluberrime et suavissime experiuntur quam verissime dixit Apostolus : Non sunt condignæ passiones hujus
Rom. VIII, 18. temporis ad futuram gloriam ; itemque, Id
II *Cor.* IV, 17. quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Fuerunt Sancti isti in hac vita mundi corde, atque in sanctitate et justitia Deo incessabiliter servi-
Ibid. VII, 1. erunt. Ita et nos agere enitamur. Emundemus nos ab omni inquinamento animæ et corporis, totisque viribus Deum glorificemus, id est, gloriosum esse testemur ac demonstremus, ei adhærendo, obediendo ac obsequendo tam reverenter et pure, tam timorate ac fervide, tam instanter ac incessanter pro posse nostro, ut decet tam supergloriosissimo Deo nos adhærere, obedire, servire.

Offeramus ergo nos ei omni die, imo indesinenter, in holocaustum, mancipando nos totos ac plene ejus obsequiis, et igne sui amoris omnino inardescamus ac inflammemur, ita ut a superiori animæ parte in inferiores vires ardor ille redundet, propriamque voluntatem per plenam obedientiam ei prorsus mactemus ac immolemus. Unde virtuosis exercitiis tam strenue immoremur, tam continue occupemur, ut non solum vitemus peccata, sed a vitiorum quoque reliquiis et ab obligatione ad pœnam eripiamur. Reliquiæ namque vitiorum, sunt debilitas resistendi malis exercendique bona et pronitas ad peccandum. Obligatio vero ad pœnam manet in nobis, quamdiu non satisfecimus plene pro omnibus culpis nostris ita ut si moreremur evolare possemus. Sed quanto plus proficimus in caritate et gratia, in donis virtutibusque infusis et acquisitis, seu quanto plus assuescimus et usitamur virtuosis actibus jugiter occupari, ita quod habituamur et radicamur in eis quotidie magis ac magis, tanto perfectius liberamur et emundamur a prætactis vitiorum reliquiis atque reatibus seu obligationibus ad pœnas pro culpis nostris. Ad quod peragendum accendamur et confortemur orationibus, meritis et exemplis Sanctorum quorum reliquiæ in præsenti requiescunt ac honorantur Ecclesia : quos devotissime invocemus, diligamus ac veneremur.

SERMO SECUNDUS

DE MULTIPLICI RATIONE QUAMOBREM SANCTORUM RELIQUIÆ SINT VENERANDÆ, ET DE MODO AD CORDIS MUNDITIAM PERTINGENDI.

NEMO unquam carnem suam odio habuit. Ephes. v, 29.

Sancti cum Christo regnantes, corpora sua in terris relicta non mediocriter diligunt, utpote instrumenta per quæ tot et tanta operati sunt bona et tantam beatitudinem meruerunt, et item tanquam propriam materiam cui formaliter erant uniti sicut parti substantiali, et tanquam rem felicitatis capacem, in fine sæculi resuscitandam et animæ conglorificandam. In qua glorificata, habebit anima gloriosa multiplex gaudium ad accidentale pertinens præmium : quo gaudio multiformi interim caret anima sancta. Hinc anima separata, quamvis gloriosa, naturalem habet inclinationem ad reunionem cum corpore suo, non tali quale hic habuit illud, sed tali quale tunc illud est habitura, præsertim quum anima naturaliter sit corpori unibilis, ejusque forma. Hinc constat quod valde acceptum ac placitum sit Sanctis, quod eorum reliquias honoramus in terris, et quod fideliter orent pro nobis ac protegant nos dum facimus istud. Cum ingenti igitur devotione Sanctorum veneremur reliquias, tanquam instrumenta ac media per quæ divina ad nos descendunt charismata. Nam et ipsos Sanctos in eorum reliquiis honoramus.

Porro quam honorandi sint Sancti, possumus ex diversis faciliter considerare. Honor namque debetur virtuti ac sapientiæ, auctoritati et potestati prælaticæ, paternitati et majori ætati. Si jam esset in mundo vir tantæ sanctitatis ac sapientiæ, et tantæ potestatis in faciendis miraculis, ut erant sancti Apostoli et alii innumerabiles Sancti, quam ardenter optaremus illum videre? qualiter ad eum inspiciendum properarent ac currerent homines? Quum igitur constet quod sanctitas, sapientia, perfectio et potestas sanctorum viatorum quantumlibet excellentium, modici sit momenti respectu sanctitatis, sapientiæ, perfectionis et potestatis eorum in patria (unde quum Dominus et Salvator de præcursore suo dixisset, Inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista ; mox addidit, Qui autem minor est in regno Dei, id est infimus Beatorum, major est illo ; quum tamen nequaquam sit dubitandum, sacratissimum Præcursorem ad summum venisse angelicum chorum atque seraphicum ordinem) : patet quam venerandissimi sint Beati cum Deo regnantes, qui Creatori suo perfecte assimilantur similitudine gloriæ, quoniam vident eum sicuti est ; qui de cetero nunquam possunt peccare, et omnia intuentur ac sciunt in Verbo æterno ; quorum sanctitas, sapientia, perfectio, virtus, potestas, beatitudo inæstimabiliter magnæ sunt et præclaræ. *Matth.* xi, 11. *Ibidem.* I *Joann.* III, 2.

Ad eorum ergo societatem perpetuam jucundissimumque adspectum ferventissime anhelemus, celerrime properemus, indefesse curramus. Quod totum tanto perfectius agimus, quanto eorum virtutes et opera sancta efficacius imitamur. Quumque exteriora opera sanctitatem et meritirationem non habeant nisi ex interiori radice, caritate et gratia, imo tanto sint Deo acceptiora, majorisque meriti apud eum, quanto ex puriori corde, ferventiori dilectione, sinceriori intentione et perfectiori virtute procedunt ; si volumus Altissimo multum placere, et magni apud eum meriti apparere, atque sublimem in

cœlis thronum attingere, oportet ut studeamus habere cor purum, caritatem ferventem, intentionem sinceram, et ceterarum virtutum perfectionem.

Præterea, ad cordis munditiam non sufficit, actualiter non peccare, seu pravis cogitationibus et vitiosis affectionibus non fœdari : alioqui dormientes et actu nihil agentes, quamvis iniqui, essent mundi corde. Nec rursus ad cordis munditiam sufficit, stricte loquendo, carere omni mortali peccato : alioqui omnes exsistentes in caritate, exsisterent mundi corde, quum tamen multi eorum sint valde pusilli, infirmi, insipientes et proni ad mala, ac negligentes. Ad cordis ergo munditiam pertinet atque exigitur præcipuus decor interior, intensa et impermixta defixio mentis in Deo, seu actio undequaque (id est ex omni parte) perfecta. Nec tamen ad hanc cordis munditiam requiritur venialiter non peccare, aut quotidianis carere venialibus culpis (si enim dixerimus quia peccatum non habemus, mentimur), sed tam studiose Deo vacare, virtuosisque actibus tam assidue et ferventer insistere, ut quotidiana illa peccata quotidie deleantur, et insuper in caritate ac omni virtute proficiatur, quum non proficere, perhibeatur deficere.

I *Joann.* I, 8, 10.

Denique virtutes se invicem juvant, consolidant ac tuentur. Propter quod non solum concatenatæ, sed et aliquo modo æquales in eodem dicuntur, non absolute, ita ut unaquæque earum sit alteri compar in dignitate (non enim in eodem fides est caritati in dignitate æqualis), sed proportionaliter : quia quanto quis plus proficit in una, præsertim in caritate, tanto plus proficit in aliis, loquendo in genere, quia nec ista profectus istius æqualitas est omnino proportionata, quum unus perfectorum magis abundet in una virtute quam in alia. Propter quod de quolibet fertur Sanctorum : Non est inventus similis illi. Dicuntur ergo virtutes æquales, quantum ad æque firmam in suo subjecto radicationem quantum in ipsis est, quantum ad æqualem facilitatem exsequendi proprios actus quantum est ex parte ipsarum. Itaque crescente una virtute, crescunt omnes : quemadmodum si in cithara erit sonorum proportio, oportet ut una chorda tenta, tendantur et reliquæ. Nihilo minus unus magis pollet ac viget usu seu actu unius virtutis, quam alterius. Quod ex diversis potest contingere causis. Primo, ex naturali dispositione complexionis, ex qua unus aptior est ad unius quam ad alterius operationes virtutis. Secundo, ex majori assuefactione qua se amplius exercitavit in unius quam in alterius actione virtutis. Tertio, ex novi status assumptione : ut si quis notabiliter virtuosus intret religionem, non mox tam expeditus est ad quarumdam actum virtutum ut is qui diu fuit in religione, quamvis non sit minus virtuosus quam ille. Quarto, quoniam minus tentatur de vitio alicui suæ virtuti contrario. Quinto, quoniam Deo sic placet, et ipse frequentius movet hominem ad actus virtutis unius, quam alterius.

Eccli. XLIV, 20.

Denique, quum ira, impatientia, incontinentia, cupiditas, timor carnalis, tristitia sæcularis, et similes passiones ac vitia actum caritatis et contemplationis impediant, certum quod homo non possit esse in caritate ac sapientiæ dono perfectus. Idcirco, quantum quis crescit in caritate et dono sapientiæ, tantum crescit in virtutibus moralibus ac ceteris donis. Rursus, quum dicat Apostolus, Caritas patiens est, benigna est, caritas non æmulatur, non irritatur, non inflatur, non quærit quæ sua sunt ; certum est quod quanto quis efficitur magis caritativus, tanto fit magis mitis ac patiens, magis liberalis et humilis. Iterum, quanto quis amplius diligit Deum, tanto perfectius obedit ei in omnibus, et tanto plus diligit et approbat quæ amat ac diligit Deus, tanto etiam plus abhorret ea quæ detestatur Dominus : et ita in omni virtute proportionaliter crescit.

I *Cor.* XIII, 4, 5.

Dicunt autem doctores, quod octo beatitudines quas ponit Salvator, sint excellentes actus virtutum, potissime virtutum

purgati animi. Quumque munditia cordis sit una beatitudinum, constat quod sit alicujus virtutis actus, puta caritatis aut sapientiæ, cui correspondet beatifica visio
Matth. v,8. Dei pro præmio, Christo dicente : Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Est (inquam) actus perfectus et realiter idem quod sanctitas seu summa perfectio mentis, videlicet actus ex omni parte perfectus, ita quod ei adjungitur summa humiliatio, plena patientia, perfecta mansuetudo, sobrietas, castitas liberalitasque plenaria. Sicque oritur iste actus non solum ex ferventissimo, sed etiam humillimo, mitissimo, patientissimo, sobriissimo, castissimo, liberalissimo corde.

Igitur, quum tota acceptabilitas promerendique ratio in exterioribus exsistens operibus, ab interiori dependeat puritate, caritate ac rectitudine ; ut opera nostra exteriora sint Omnipotenti multum placentia ac meritoria, studeamus simul in puritate, caritate omnique virtute proficere, in A omni humilitate, patientia, mansuetudine, temperantia, pietate nos exercere, virtuosis actibus ordinate, jugiter et ardenter insistere, Dei auxilium ad proficiendum incessabiliter implorare. Unusquisque etiam pro viribus exerceat se in actibus virtutum illarum ad quarum contrarios actus magis est inclinatus ex naturali dispositione aut prava consuetudine. Nec quisquam persuadeat sibi magnum se esse in caritate, aut sapientiæ dono contemplationisque gratia, nisi in vera humilitate, stabili B patientia, prompta obedientia, atque in omni mansuetudine, sobrietate, discretione ac filiali timore magnum se esse experiatur. Atque pro interna cordis puritate conservanda, fovenda, perficienda, simus indesinenter solliciti, omnem pro posse culpam vitando, et quotidiana mala quotidie digne et efficaciter diluendo, Dei præsentiam semper considerando, et mentem ad eum assidue elevando. Ad laudem Omnipotentis.

IN FESTO

S. MARTINI EPISCOPI

Enarrationem epistolæ et evangelii require de S. Nicolao.

SERMO PRIMUS

DE LAUDE QUINTUPLICI ALIISQUE VIRTUTIBUS, PRÆCONIIS ET EXCELLENTIIS S. MARTINI.

BENEDICTIONEM *omnium gentium dedit illi Dominus.* Eccli. XLIV, 25.

Verba ista de beatissimo confessore, sanctissimo præsule sanctissimoque patre Martino congrue exponuntur : cui benedictionem omnium gentium contulit Deus, quoniam gratiarum charismata quæ aliis Sanctis et electis dedit divisim et partim, ei dedit collectim ac integre, ita ut omnes gentes in Christum credentes, beatissimum hunc Martinum sublimiter et valde specialiter laudent, tanquam unum ex maximis Sanctis. Sed nunc virtutes, præconia et excellentiæ ejus seriatim tangenda sunt.

Prima laus et excellentia ejus est, admirabilis et virtuosa vita in sua pueritia, antequam accepit Baptismum. Quum etenim ex militari esset prosapia ortus et gentilium filius, invitis suis parentibus Christum quærere cœpit, et decimo vitæ suæ anno ad ecclesiam veniens, catechumenum se fieri postulavit, et mirum in modum totum se dedit ad actus virtutum. Quumque duodecim esset annorum, intrare eremum concupivit; et intrasset, atque tunc eremiticam vitam ducere inchoasset, nisi infirmitas impedivisset ætatis. Porro cor ejus circa monasteria atque ecclesiam semper fuit intentum. Quum autem quindecim esset annorum, imperatore et patre suo carnali cogente, militare compulsus est. Fuitque uno servo contentus, cui ipse sæpius ministravit. Sed et circa commilitones suos tantæ fuit caritatis et benignitatis, tantæ patientiæ et humilitatis, quod eum miro venerabantur affectu ac intime diligebant. Sicque per tres annos ante Baptismum fuit militiæ vacans, immunis tamen ab omnibus vitiis quibus tales viri solent involvi. Nam et tantæ fuit sobrietatis, ut non miles, sed monachus videretur.

Secunda laus et excellentia ejus est, quod tam ante baptismum suum quam illo accepto, misericordissimus fuit et liberalissimus circa egenos. Nam antequam baptizaretur, dum adhuc erat in armis, non cessavit omnia sibi superflua dare pauperibus, nudos vestire, indigentes nutrire, miseris subvenire, ita quod præter quotidianum victum nihil sibi de militiæ suæ servavit stipendiis, et juxta evangelicam Christi doctrinam, sollicitus non fuit de crastino. *Matth.* VI, 34. Præterea, hieme quadam tam frigida quod multi ex frigore moriebantur, obviavit ei pauper quidam, a cunctis eleemosynam petens. Quem quum omnes præterirent, Martinus quum præter chla-

mydem nil haberet quod posset largiri (reliqua namque donavit egentibus), arrepto gladio suo, divisit chlamydem, deditque pauperi partem. Et ecce nocte sequenti, vidit in spiritu Christum parte chlamydis pauperi data vestitum, atque ad angelos audivit dicentem : Martinus adhuc catechumenus, hac me veste operuit. Quibus conspectis, non inaniter gloriatus est, sed pietatem Dei agnoscens ac gratias agens, baptizari se fecit, quum esset decem et octo annorum. Præterea, quum factus fuisset episcopus, et tempore hiemali quadam die ad ecclesiam pergeret, pauper seminudus petivit sibi ab eo necessaria dari. Mox ergo S. Martinus archidiacono suo jussit ut sine mora vestiret pauperem illum algentem. Quod quum archidiaconus implere differret, pauper secutus est Martinum sanctissimum usque in secretarium, conquerens se ab archidiacono derelictum. Mox ergo Martinus propriam vestem secrete exuit, ac pauperem ea indutum præcepit abire. Ecce quam liberalissima pietas ac piissima liberalitas. Quid mirum quod Deus, qui sic facit hominibus sicut ipsi faciunt proximis suis, tam abundantissimam gratiam dedit Martino, qui tam misericordissimus ac liberalissimus exstitit circa proximos suos, potissimum circa egenos? Vere, sicut ait Scriptura, Benefacit animæ suæ vir misericors : quia dum aliis miseretur ac subvenit, multo plus benefacit sibimetipsi, et pro modico quod præstat egeno, multa recipit et acquirit a Domino. Atque ut Salomon protestatur : Fœneratur Domino, qui miseretur pauperi. Immisericors vero pessime facit sibimetipsi, quia dum viscera pietatis claudit egenti, claudit sibi viscera misericordiæ Dei.

Matth. VII, 12.

Prov. XI, 17.

Ibid. XIX, 17.

Tertia laus et excellentia S. Martini est, profundissima sua humilitas. Nam et antequam baptizaretur, frequenter calceamenta suo servo extraxit atque extersit, et ad eamdem cum eo comedit mensam, manducantique servo sæpe servivit. Facto autem episcopo, eadem mansit, imo multo major fuit in eo humilitas, eadem quoque in vestibus vilitas. In secretario etiam ecclesiæ sedebat in sede quæ tripus dicitur. Et certe nisi multum humilis exstitisset, nequaquam tantam ei contulisset gratiæ affluentiam, qui per Isaiam prophetam locutus est : Super quem requiescet spiritus meus, nisi super quietum et humilem? In hac ergo virtute sequamur virum sanctissimum, et impleamus quod hortatur Apostolus : Per caritatem (inquiens) servite invicem. Unde rursus ad Philippenses nos admonet : Nihil agatis per contentionem, neque per inanem gloriam, sed per humilitatem superiores sibi invicem arbitrantes. Hinc et princeps Apostolorum in prima sua fatetur epistola : Omnes humilitatem invicem insinuate, quoniam Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Postremo in hoc S. Martini patet humilitas, quia dum B. Hilarius doctor ac pontifex voluisset eum facere suum diaconum, sæpissime restitit, indignum se clamitans. Sed quum præfatus Hilarius præcepisset eum esse exorcistam, humiliter acquievit.

Is. LXVI, 2.

Galat. V, 13.

Philipp. II, 3.

1 *Petr.* V, 5.

Quarta laus ejus est, sua patientia maxima. Quum enim iter arripuisset visitandi suos parentes ut eos ad fidem Christi converteret, et incidisset in latrones, unus illorum duxit eum seorsum, sciscitans an timeret. Cui respondit beatissimus vir Martinus, se nunquam fuisse ita securum, quia sciebat misericordiam Dei maxime in tribulationibus adfuturam. Deinde hortans latronem, convertit eumdem. Convertit quoque et matrem suam; sed pater suus in gentilitate obstinatus permansit. Ab Arianis etiam gravissimas ac frequentes toleravit persecutiones. Siquidem publice virgis cæsus est ab eis, et de civitatibus pulsus. Denique quodam die asino sedens, obviavit equestribus, quorum equi ex subito ejus occursu perterriti (nam nigro pallio fuit opertus) cœperunt hinc inde effugere. Tunc viri illi B. Martinum gravissime percusserunt, ignorantes quis esset : nam ejus clerici sequebantur. Ipse vero nil lo-

quens et patientissime ferens, tergum suum præbuit eis cædendum. In hoc quoque maxima ejus patientia rutilavit, quod eum qui sibi præ omnibus clericis suis molestior et inimicior fuit, videlicet Briccium, obtinuit a Deo suum esse in episcopali officio successorem. Et tunc illud orando obtinuit, quum Briccius contemptibilius erat de eo locutus, dicens ad quemdam : Si quæris illum delirum, respice eminus, ecce quasi amens sedet intuens cœlum. Quæ verba sanctus pater Martinus, Deo revelante cognovit, advocansque Briccium, dixit : An tibi delirus videor, Bricci? Amen dico tibi quia obtinui ut mihi in episcopatu succedas. Unde testante Severo, tantam adversus omnes injurias patientiam assumpsit, ut quum esset summus sacerdos, impune etiam ab infimis clericis læderetur, neque ob hoc eos unquam a loco eorum removit, nec a sua repulit caritate.

Quinta laus ejus est, quod gratia prophetiæ exstitit plenus, et multa secreta ac futura ex angelorum revelatione cognovit. Nam vadens ad suos parentes, prædixit se multa passurum. Briccio quoque prædixit, quod futurus esset episcopus, et in episcopatu multa passurus. Quumque quadam vice quorumdam gentilium vellet evertere templum, illisque resistentibus non valeret, secedens ad proxima loca, et ibi per triduum orationibus vacans, vidit duos angelos sibi adstantes, qui dixerunt ut iret ad templum illud evertendum, quia nullus ei auderet resistere, quoniam ipsi sibi adsisterent. Perrexit ergo, et illud evertit gentilibus cernentibus, nec resistere nec loqui audentibus. Insuper Maximo imperatori prædixit, quod si intraret Italiam, quo intrare optavit ad præliandum contra Valentinianum, primo impetu prævaleret, sed paulo post a Valentiniano occideretur. Quod totum ita evenit. Alia vice, quum S. Martinus gesta cujusdam synodi scire appeteret, angelus ei apparens, cuncta recitavit quæ in ea fuerant acta. — Ecce quantis virtutibus ac excellentiis Pater misericordiarum et Deus totius consolationis decoravit hunc suum electum : de quo tamen adhuc multo majora restant dicenda, quæ sequenti reservo sermoni. II *Cor.* I, 3.

Nunc ergo tanti Patris ædificemur virtutibus, instruamur exemplis, mites et humiles esse discamus, in omni adversitate patientiam observemus; misericordiæ item operibus simus intenti, et coram Altissimo in omnibus timorati ac custoditi.

SERMO SECUNDUS

DE EXCELLENTIIS ATQUE MIRACULIS S. MARTINI.

IN diebus suis non timuit principem, et mortuum prophetavit corpus ejus; in vita sua fecit monstra, et in morte sua mirabilia operatus est. Eccli. XLVIII, **13-15**.

Verba ista ad litteram de magno illo Eliseo propheta conscripta, de gloriosissimo viro Martino sanctissimo convenientissime exponuntur. Ipse etenim in diebus suis non timuit imperatores, sed justissime ad eos se habuit, et cum grandi auctoritate affatus est eos. Unde a Maximo imperatore invitatus, quum imperator ei poculum porrexisset, sperans et cupiens de manu beatissimi viri pateram recipere ac potare, ipse felix Martinus non imperatori, sed suo capellano juxta se recumbenti, scyphum porrexit, sacerdotem imperatori indubie præferens. Et hoc ipsum in quo imperator videbatur contemptus, multum eidem ac ceteris convescentibus pla-

cuit, atque in tanta beati viri sunt delectati justitia. Porro, quum ceteri præsules apud eumdem principem viliter blandirentur, in solo Martino apostolica mansit auctoritas. Nam dum ab imperatore voluit aliquid obtinere, imperavit potius quam rogavit. Alio tempore Valentinianum imperatorem tentavit accedere, sed imperator ei accessum dari prohibuit, sciens illum velle petere quæ ipse decrevit non dare. Tunc Martinus precibus jejuniisque intentus, Dei invocavit auxilium. Et ecce septima die adsistit ei angelus, jubens ut imperatorem securus accedat. Tunc nullo resistente intravit. Quem imperator venire conspiciens, indignatus est cur fuisset admissus, nec dignabatur adstanti assurgere. Tunc ignis Dei solium regis operuit, et eum a parte qua sedit, comburere cœpit. Mox ergo exsiliens, sanctum virum amplexus est, honoravit, et antequam rogaretur, omnia quæ Sanctus optavit, concessit.

Rursus, alio tempore Avitianus comes crudelissimus et ultra omnem modum bestiali ferocia plenus, civitatem Turonensem ingressus est, sequentibus cum miserabili facie reis, ordinibus catenatis, quibus sequenti die proposuit atrocissima inferre supplicia. Quo cognito, S. Martinus ante mediam noctem solus ad comitis domum perrexit, et ibi præ foribus Deum invocavit prostratus. Mox angelus Avitiano dixit in somno : Servus Dei ante tua limina jacet, et tu dormis? Territus ille surrexit, convocatisque famulis, ait : Martinus est ante fores, ite et januas aperite, ne patiatur injuriam. Illi vero paululum exeuntes, revertebantur, dicentes nullum ibi adesse, et comitem somno esse illusum. Quumque comes rursus obdormisset, angelus secundo eum terribiliter monuit. Tunc vehementer formidans, personaliter exiit, sanctoque viro reperto : Quid, inquit, mi domine, hoc fecisti? Scio quid vis, nil te rogare oportet. Fiat ut cupis, et vade, ne me ob tuam injuriam cœlestis consumat vindicta. Crede quia non leviter apud me actum est, ut ego procederem. Mox ergo præcepit relaxari captivos. Ex hoc etiam facto patet pietas S. Martini et efficacia orationum ipsius. Ecce quod in diebus suis non timuit principes, sed justitia et misericordia erat plenissimus. *Eccli.* XLVIII, 13.

Præterea corpus Elisei prophetæ dicitur mortuum suscitasse, quoniam quidam a latronibus interfectus, et in sepulcrum sancti Elisei projectus, quum tetigisset corpus sancti Prophetæ, revixit. Per quod declaratum est, quod Eliseus fuit verus et sanctus propheta. Sic et in corpore S. Martini mortui ostensum est grande miraculum, ut statim dicetur. *Ibid.* 14; IV *Reg.* XIII, 21.

Nunc itaque ceteræ laudes et excellentiæ hujus sanctissimi Patris sunt prosequendæ. Prima illarum est, admirandissima ejus perfectio ac virtuosissima vita. Nam factus episcopus, ad aliquantulum tempus habitavit in cellula prope ecclesiam. Quumque inquietudinem venientium ad se ferre non posset, monasterium sibi extra urbem ad duo milliaria fecit, et ibi cum octoginta monachis Deo devotissime deservivit, ac suis temporibus venit ad urbem suam. Tanta demum fuit stabilitas cordis sui in Deo, quod nemo unquam vidit eum iratum, nemo ridentem, nemo mœrentem. Unus idemque semper, cœlestem quodammodo lætitiam vultu præferens, extra naturam hominis videbatur. Nunquam in illius ore nisi Christus, nunquam in ejus corde nisi pietas, pax, misericordia erat. Nunquam hora ulla momentumque præteriit, quo non aut orationi aut lectioni insisteret; imo legendo aut alia foris agendo, animum ab oratione non relaxavit. O vere beatus, in quo dolus non fuit, neminem judicans, neminem damnans, nulli malum pro malo reddens! Porro, etsi facta ejus possent describi, interiorem tamen vitam ipsius et quotidianam conversationem, animumque semper cœlo intentum, nullus explicare poterit sermo. Hæc omnia scribit Severus in Sancti hujus Legenda. *Joann.* I, 47. I *Petr.* III, 9.

Secunda excellentia ejus est, quod cives cœlestes sibi in vita hac tam familiares

fuerunt. Nam sæpe loquebatur cum angelis sanctis, qui sibi visibiliter apparuerunt, et longum ac familiare cum ipso habuerunt colloquium. Frequenter etiam sacratissima virgo Maria cum sanctis Thecla et Agnete visibiliter sibi apparuit secumque contulit. Similiter gloriosissimi apostoli Petrus et Paulus apparuerunt ei frequenter.

Tertia excellentia ejus est, discretio spirituum qua pollebat. Nam ita inter angelos lucis ac tenebrarum discrevit, quod qualitercumque sibi apparebat diabolus, eum nequivit decipere. Interdum enim apparuit sibi circumtectus luce purpurea, indutus regia veste, diademate coronatus, ore sereno lætaque facie, ut nihil minus quam diabolus videretur, et dixit : Martine, agnosce quem cernis, Christus ego sum. Quumque Martinus ejus fraudem exprimeret, statim ut fumus evanuit, et cellam sanctissimi præsulis gravi fœtore implevit.

Quarta excellentia ejus est, maximus fructus quem fecit in mundo. Plurimos enim convertit, et gentilium diversa templa evertit, ac ipsos idololatras perduxit ad fidem ; atque de cœnobio suo multi ex discipulis ejus ad episcopale officium sunt assumpti. Et maxime restitit Arianis ; suisque miraculis gloriosis, exemplis sanctis, optima fama, prædicatione idonea, oratione præfervida innumerabiles traxit ad Deum. Erat autem multum ædificativus in verbis. Nam ovem tonsam conspiciens : Evangelicum, inquit, mandatum ovis illa complevit ; habuit tunicas duas, unam largita est non habenti. *Luc.* III, 11.

Quinta excellentia ejus est, quod Apostolis par vocatur : non idcirco solum aut maxime quoniam mortuos suscitavit, sed ob suam ineffabilem sanctitatem, et quia igneus globus super caput ejus apparuit quadam die dum celebravit. Et hoc fuit quando se nudato vestivit egenum. Tunc quoque (ut legitur) angeli sancti torques aureas ac gemmatas secum ferentes, brachia ejus decentissime operuerunt, ne nuda viderentur dum ipsa levavit. Siquidem indutus tunc fuit veste vilissima, cujus manicæ extendebantur usque ad cubitum ejus.

Sexta excellentia ejus est, multitudo et magnitudo miraculorum quibus fulsit in vita præsenti. Nam suscitavit tres mortuos, quorum primus ante Baptismum fuit defunctus, secundus laqueo suspenderat semetipsum. Tertium suscitavit in campo, præsentibus multis gentilibus : qui viso tanto prodigio, facti sunt christiani. Ignem domum invadentem, se ipsum objiciendo, a domo illa repulit, mansit quoque illæsus in igne. Sed et Parisiis osculando leprosum turpissimum, curavit eumdem. Juvenem serpentino veneno mortaliter infectum, a veneno purgavit orando. Quum digitos suos misisset in os obsessi, statim obsessus cecidit resupinus, et dæmon expulsus est. In Treviris curavit puellam usque ad mortem infirmam. Et breviter, infinita fuerunt ejus miracula. Nam vix infirmus aliquis ipsum accessit qui non sanatus abscessit. Atque ut sanctus testatur Bernardus, reddidit cæcis visum, surdis auditum, mutis loquelam, claudis gressum, aridis sospitatem.

Septima laus ejus est, felix consummatio ejus. Nam mortem suam diu præscivit Fratribusque prædixit. Quumque viribus corporis destitueretur, indicavit eis se moriturum. Qui quum uberrime flerent, eum rogantes ne eos desereret, eorum lacrimis pie compassus, dixit : Domine, si adhuc populo tuo necessarius sum, non recuso laborem ; fiat voluntas tua. Quumque febribus teneretur, non cessavit ab opere Dei, sed pernox in vigiliis et orationibus mansit. Jacuit autem in cilicio et cinere super nudam humum. Unde rogatus a discipulis ut vilia stramenta sineret sibi supponi, respondit : Non decet, o filii, Christianum nisi in cinere mori ; ego si vobis aliud exemplum relinquo, pecco. Oculis autem ac manibus in cœlum semper intentus, invictum animum ab oratione non relaxavit. Rogatus quoque a pre-

sbyteris ut corpusculum suum mutatione lateris relevaret : Sinite, inquit, o fratres, me potius cœlum quam terram adspicere, ut iturus ad Dominum spiritus, suo jam itinere dirigatur. Tunc diabolum videns adstare, dixit : Quid hic stas, cruenta bestia? Nihil in me funeste reperies; Abrahæ me sinus recipiet. Quo prolato, tradidit spiritum, felicissime migrans ad Dominum, octoginta unius annorum. Statimque corpus ejus sanctissimum instar corporis glorificati resplenduit, vitro purius, lacte candidius : vultus ejus luce clarior radiabat. Tunc multi angelos in cœlo audierunt canentes. Sed et S. Severinus Coloniensis episcopus sacra tunc loca circuiens, angelos sanctos audivit cantantes, et Deo revelante, cognovit quod Martini animam ferrent in cœlum.

Ecce quam præclarissime mirificavit omnipotens Deus hunc electissimum Sanctum suum ante mortem, in morte et post mortem. Ideo beatissimum patrem ac præsulem sacratissimum hunc Martinum totis diligamus ac veneremur præcordiis, atque fidelibus sequamur vestigiis, spernendo carnalia et caduca, ac fervide appetendo bona cœlestia et æterna; imo incomparabilis bonitatis infinitæque pulchritudinis Deum super omnia toto corde jugiter diligendo, ac ei in omnibus reverenter obediendo. *Ps.* IV, 4.

AD RELIGIOSOS

SERMO TERTIUS

DE INTEGRITATE S. MARTINI CUIQUE RELIGIOSO IMITANDA, ET DE DUABUS VIRTUTIBUS EI QUODAMMODO INNATIS, PUTA HUMILITATE ET CARITATE.

IPSUM elegit ex omni carne. Eccli. XLV, 4.

Gloriosissimum atque sanctissimum virum Martinum opifex mundi, incomprehensibilis Deus, fons omnium gratiarum, tantis excellentiis decoravit, ut magnitudo rerum fidem excedat. Ipse certe fuit apostolus temporis sui : ipse erat splendidissimum lumen Ecclesiæ, decus omnium præsulum, gemma gratissima sacerdotum, gloria cunctorum Christianorum. Ipse fuit magnus propheta, cui revelavit omnipotens Deus tot futura et tanta secreta. Ipse dæmones conculcavit, vicit, effugavit et sprevit ut muscas. Apostolicus quoque fuit in multitudine prodigiorum et magnitudine miraculorum. Hæreticos constantissime expugnavit. Et breviter, vita ipsius, omnium fidelium est doctrina. Nihilo minus ipse est specialis pater religiosorum, id est patronus et magister præcipuus monachorum. Et de hoc nunc introducenda sunt aliqua.

Ecce tota Scriptura specialissime nos hortatur ad duas virtutes, puta humilitatem et caritatem : quia humilitas non solum est virtus, sed omnium quoque fundamentum virtutum, imo et dispositio ac præparatio maxima ad totius gratiæ incrementum ; est etiam perfectionis adeptæ custodia, et totius vitæ tutissimum munimentum. Caritas item non solum est virtus, sed et universarum virtutum vertex et finis, regina et turris, mater ac vita, forma et imperatrix ; et in ejus actu consistit vitæ nostræ spiritualis perfectio. Ad ejus profectum et complementum cuncta exercitia nostra religiosa ordinare debe-

mus. Hinc Deus adorandus et benedictus, cujus sapientiæ non est finis, volens beatissimum virum Martinum ad maximam sanctitatem in hac vita perducere, plantavit in anima ejus in primis pro fundamento profundissimam humilitatem, quæ et antequam baptizaretur, grandis et rara ac admirabilis fuit in eo. Nempe in statu militari, nondum baptizatus, uno contentus ministro, tam humiliter vixit cum illo, quod ei frequentius deservivit, calceosque detraxit atque detersit. Baptizatus vero et S. Hilario junctus, quum ab eodem Hilario rogaretur diaconatus officium sibi assumere, non acquievit, indignum se esse vociferans.

Ps. CXLVI, 5.

Quid ad ista dicere possumus, qui tot annis in Ordine fuimus, et adhuc elationis morbo tabescimus? Vix in parvis et minimis rebus servire dignamur confratribus nostris : imo causamur et dicimus eos potius hoc vel illud facere debere aut oportere, vel quia sunt juniores aut simplices, sive ex alia quam spiritus superbiæ suggerit causa. Porro non solum ad diaconatum, sed ad sacerdotium quoque absque renisu accessimus, adhuc vix in statu incipientium, ne dicam proficientium, digne repositi, quum felix Martinus in perfectorum numero constitutus, ad diaconatum ascendere non fuerit ausus. Et quia in humilitate deficimus, et ab ejus integritate longe distamus, invenimur in multis defectuosi, et passionibus agitamur diversis. Nunc inaniter læti, nunc insipienter exsistimus mœsti; nunc vana securitate, nunc puerili formidine inquinamur. O quam longe distamus ab exordio perfectionis S. Martini! Qui quum incidisset in latrones, et ab uno illorum fuisset interrogatus an formidaret, respondit se nunquam fuisse ita imperterritum et securum ut tunc, quoniam sciret misericordiam Dei in tribulationibus maxime adfuturam. Si igitur unquam proficere, si ad aliquam unquam perfectionem attingere cupimus, S. Martini humilitatem in primis intueamur, amplectamur, sectemur. Universa quæ ad humilitatem plenariam nos queunt inducere, perspicaciter atque assidue ponderemus, infinitas videlicet culpas et innumerabiles negligentias, periculositates, fœditates, infirmitates contemptibilitatesque nostras. Reputet se unusquisque omnium esse vilissimum, defectuosissimum et extremum, quia omnino sic est, aut sic esset si relinqueretur paulisper a gratia. Recordemur quod Christus locutus est : Ego in medio vestrum sum sicut qui ministrat. Idcirco, quanto quis major, doctior aut senior est, tanto in cunctis humiliet semetipsum profundius, et experietur sibi copiosissima gratiæ dona infundi. Etenim si ad omnem Christifidelem, quanto magis ad omnem religiosum spectat sancta ista humilitas? O quam stolidi sunt qui ex corporalibus suis exercitiis quantumlibet rigorosis ac strenuis, utpote vigiliis, jejuniis, abstinentiis, disciplinis, laboribus, cilicii usu duroque strato, solitudine, silentio aut consimilibus intumescunt, quum omnia illa ad profundæ ac plenæ humilitatis adeptionem aliarumque incrementa virtutum sint ordinanda!

Luc. XXII, 27.

Eccli. III, 20.

Præterea, ad nostram ædificationem (si hoc considerare non dedignetur excellentia nostra) non mediocriter confert quod de S. Martino narratur, quod de suo monasterio non facile poterat avelli sive educi. Unde quum in episcopum esset electus, non audebant hoc ei in monasterio intimare, sed per industriam quamdam de cœnobio eum traxerunt, ac turbis in via dispositis, sub diligenti custodia duxerunt in civitatem. Ubi jam monachi impatientes quietis, qui intra cellulam suam et in cœnobio pedibus suis consistere nequeunt, qui ad mundana afficiuntur, qui ad aliquam in hac vita misera promotionem adspirant? Nonne incircumscriptus omnipotensque Creator, de quo loquitur Isaias propheta, Vere tu es Deus absconditus, in abscondito melius invenitur, quum et Unigenitus Patris locutus sit : Tu autem quum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito,

Is. XLV, 15.

Matth. VI, 6.

et Pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi? Arbitror quia si quis vere internus est, et secretioris loci commoditates expertus, et familiariter cum Deo deambulat, conversatur et occupatur ac loquitur, quod egressum de cella horrebit, nisi ex rationabilibus causis ab Ordine institutis. Nec tunc sine Dei timore et speciali cordis custodia egredietur, ne forte aliquam mentis læsionem incurrat, et haustam in abscondito devotionem minuat vel amittat.

Consideremus quid de electissimis Dei pueris dicat Psalmista : Abscondes (inquit) eos, o Domine, in abscondito faciei tuæ, a conturbatione hominum ; proteges eos in tabernaculo tuo, a contradictione linguarum. Quibus verbis præmisit : Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te ! Perfecisti eis qui sperant in te. Deinde ubi degustetur tanta divinæ dulcedinis affluentia, pandens, adjecit quod tactum est : Abscondes (inquiens) eos in abscondito faciei tuæ. Tanquam dicat : In loco secreto atque quieto, qui ad vultus tui contemplationem est aptior, illos constitues, ne ex humanis perturbationibus contradictionibusve linguarum mendacium, a tuæ suavitatis degustatione impediantur, sed corde tranquillo tibi vacent in solitario loco. Unde per Osee locutus est Sponsus cœlestis de sponsa seu anima religiosa : Ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor ejus. Ad quod insinuandum Christus ascendit in montem solus orare. Vere, quemadmodum in Statutis habetur Ordinis Cartusiensis, Si quis cellam suam egredi ex levibus causis insueverit, cito habebit eam exosam ; si autem consuetudinem sibi fecerit persistendi in ea, quanto diutius in ea permanserit, tanto sibi suavior erit.

Ps. XXX, 21.

Ibid. 20.

Osee II, 14.

Matth. XIV, 23.

Nempe omnipotens Deus videns devotum cellitam ab omni humano consortio atque solatio esse abstractum, et sui amore in solitudine residentem, benignissime visitat eum, consolatur, lætificat, docet, accendit ac protegit ipsum. Ideo dictum est : Fons et origo omnium bonorum est, monachum jugiter in sua cella sedere. Verumtamen præcavendum ne quis per indiscretionem et imaginationes phantasticas, suum debilitet caput : ideo subditus superioris sui moderamine gubernetur.

Insuper ad nostram informationem sublimiter valet, quod sacratissimus præsul Martinus episcopatu assumpto, sic episcopale explevit officium, ut propositam vitam et habitum monachi nequaquam relinqueret. Nos autem si alicui exteriori occupationi sive officio deputamur, mox obliviscimur interioris custodiæ, et vagi mente, mundani affectu, moribus dissoluti efficimur, opusque Dei negligenter exsolvimus : quod totum vehementer damnabile comprobatur. Non talis fuit divinissimus vir Martinus : imo, tam assuetus fuit in mentis quiete Deo intendere, ut in præsulatu inquietudinem visitantium ferre non valens, duobus extra civitatem milliaribus monasterium instituerat sibi in solitario, remoto ac secretissimo, atque ad accedendum difficili loco, in quo octoginta congregavit discipulos. Eratque unicuique rarus de cella egressus, nisi causa divini Officii ; nullus eorum noverat vinum, nisi infirmitate coactus ; plerique eorum setis vestiebantur camelorum ; mollior habitus ibi criminosus reputabatur, quum tamen multi nobiles inter illos consisterent.

His sacris exemplis instruamur et inflammemur, quieti et solitudini, devotioni et puritati operam dare, simplici victu humilique vestitu contenti esse, corpus cum concupiscentiis suis ac vitiis crucifigere, edomare, subjicere, nulli voluptati aut vanitati animum relaxare, nec ullum unquam locum concedere negligentiæ aut torpori, imo quotidie cum sollicitudine ampliori, devotione majori, perfectione stabiliori Deo vacare, inhærere ac deservire.

Galat. V, 24.

SERMO QUARTUS

DE JUGI ORATIONE CORAM DEO EFFUNDENDA, AC SEX VIRTUTIBUS QUIBUS S. MARTINUS POLLUIT PLURIMUM IN VITA.

VOLO viros orare in omni loco, levantes puras manus sine ira et disceptatione. I Tim. II, 8.

Quam vere hoc verbum ad beatissimi Martini laudem assumptum, quam excellenter ab eodem impletum sit, protestatur ejus Legenda, in qua inter cetera fertur : Nam etsi facta S. Martini explicari verbis utcumque potuerunt, tamen interiorem vitam illius, et quotidianam conversationem animumque semper cœlo intentum, nullus unquam sermo poterit explicare. Nullum ei tempus vacuum fuit ab opere Dei. Nulla hora, nullum momentum præteriit quo non aut orationi aut lectioni incumberet. Nam et legendo, seu alia quævis agendo, nunquam animum ab oratione laxabat : quia ut moris est fabris pro relevamine sæpe incudem ferire, ita Martinus etiam alia faciendo, semper orabat. *Joann.*I,47. O vere beatus, in quo dolus non fuit, ne- I *Petr.*III,9. minem judicans, neminem damnans, nulli malum pro malo reddens ! Tantam quippe adversus omnes injurias patientiam habuit, ut quum esset summus sacerdos, impune etiam ab infimis clericis læderetur, nec propter hoc eos unquam a se removit aut a sua repulit caritate. Nemo unquam illum vidit iratum, nemo mœrentem, nemo ridentem. Unus et idem semper, cœlestem quodammodo præferens vultu lætitiam, extra et supra naturam hominis videbatur. Nunquam in ore illius nisi Christus, nunquam in corde illius nisi pietas, pax, misericordia fuit. Obloquentium sibi peccata deflevit, qui in illo oderant quod in se non videbant nec imitari valebant. Quid necesse est de excellentissimo Sancto plura inducere, quum ex his luce clarius A innotescat ineffabiliter virtuosa, perfecta et admirabilis vita ejus interna ? Ex quibus etiam innotescit clarissime ineffabiliter defectuosa, imperfecta ac lamentabilis conversatio nostra ; ex eisdem quoque sufficienter instruitur et docetur. Itaque, sicut de magno et sancto illo abbate Arsenio legitur quod nemo poterat comprehendere conversationis suæ maneriem, ita de sancto pontifice Martino jam tactum est quod interiorem ejus conversationem nullus queat exprimere sermo.

B Sed nunc singula verba præhabita ejus excellentiam sigillatim describentia, sunt pertractanda. Primum verbum de hoc nunc introductum, est, quod nullum ei tempus vacuum fuit ab opere Dei, quia indesinenter peregit aliquid boni. Quid ad hoc dicere possumus, qui sæpe integras horas in confabulationibus et otiositatibus, in occupationibus curiosis, in superfluis puerilibusque solatiis consumimus, imo amittimus, non solum Dei opera negligentes, sed verbis ac factis et moribus excedentes, C et proprias animas vulnerantes, seu alios quoque scandalizantes ? In corporis etiam refectione ac somno occupamur frequenter nimium diu. O quam modicum ponderamus temporis pretiositatem ! Et qui cœnobium ingressi sumus ut perdita in sæculo tempora, in eo recuperemus, non solum hoc ipsum non facimus, imo perditioni perditionem, negligentiæ negligentiam insipienter adjicimus. Quæ est ista morum conversio, conformari in claustro huic sæculo ? Pœniteamus ergo et emende- D mus mala tam magna ; et cur venerimus, quid Deo voverimus, attendentes, inardescamus zelo sanctæ religionis, et stu-

diosi simus ad omnem spiritualem profectum ; omnique hora tam fructuose nos occupemus, ut judicemur a Deo non solum tempus nostrum virtuose expendere, sed neglecta quoque recuperare, colloquia et humana solatia non nimium protrahere, ad Dei recordationem, laudem et orationem semper recurrere, ab interiori Omnipotentis alloquio non cessare : sicque cum admirabili S. Martino omnem horam, omne momentum lectioni, orationi, meditationi, contemplationi aut alteri sanctæ actioni strenue mancipare.

Secundum verbum est, quod sicut fabris mos est quandoque incudem percutere pro alleviatione laboris, ita gloriosus et sanctus Martinus inter alios actus suos, ad orationes se vertit. Faciamus ergo et nos consuetudinem istam nobis, ut solatiosum sit nobis mentem ad Deum orando, psallendo, meditando erigere, purasque manus levare, quemadmodum Jeremias propheta hortatur : Levemus corda nostra cum manibus ad Deum. Quod si de spiritualibus manibus intelligatur, videlicet ferventibus affectionibus seu bonis operibus, ubique implendum est, quia oratio ex ardenti debet affectu procedere et bona conversatione ornari. Qui enim declinat aurem suam ne audiat legem, oratio ejus exsecrabilis erit. Si vero de corporalibus manibus exponatur, agendum præsertim est in secreto.

1 Tim. II, 8. *Thren.* III, 41. *Prov.* XXVIII, 9.

Tertium verbum est, quod neminem judicavit temerarie, scilicet quia Salvator dixit : Nolite judicare. Nullum quoque damnavit injuste sive incaute, eo quod dixerit Dominus : Nolite condemnare, etc. ; quum tamen Apostolus dicat : Spiritualis homo omnia judicat, et ipse a nemine judicatur. Ubi nunc intimorati, imo et stolidi et incircumspectissimi homines, quorum obturatus est oculus, excæcata est mens, corruptum est judicium ; qui quum pusilli et infirmi sint valde, aut etiam malitiosi, præcipites et audaces, impudentes et proni sunt ad suspiciosa, ad usurpata, ad temeraria et injusta judicia ? Qui ex levibus signis, ex vanis suspicionibus, ex insufficientibus causis prorumpunt ad judicandum de aliis, et de interioribus judicare præsumunt, imo et accusare, diffamare et vituperare proximos non verentur. Acuti sunt et proclives alios observare, considerare, dijudicare, et negligunt semetipsos miserrimi, nec proprias inspiciunt trabes, dum aliorum intuentur festucas. Non formidant quod ait Judex cœlestis : Quid vides festucam in oculo fratris tui, et trabem in oculo tuo non vides ? Aut quomodo potes dicere fratri tuo : Sine, frater, ut ejiciam festucam de oculo tuo ; et ecce trabs in oculo tuo est ? Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, et tunc videbis ut ejicias festucam de oculo fratris tui. Attendant ii, quod monachi sit, sui ipsius esse sollicitum, considerare, deflere, judicare, accusare, punire se ipsum, aliorum bona potius quam defectus inspicere, curiositatis vitium penitus detestari ; et faciant ita, ne pereant in æternum.

Matth. VII, 1. *Luc.* VI, 37. *1 Cor.* II, 15. *Matth.* VII, 3-5.

Quartum verbum est, quod nemini reddidit malum pro malo : imo pro malis reddidit bona, et vicit in bono malum. Siquidem eum a quo diu impudentius infestabatur, obtinuit sibi in episcopatu succedere. Hic rursus intueamur et deploremus impatientias nostras, iracundias nostras, superbias nostras, nostrarum vehementias passionum et infirmitatum, qui tam cito offendimur, perturbamur, indignamur, ulciscimur et inflammamur, conquerimur, et pro malis rependimus mala, imo pro parvis magna ; illatæ recordamur injuriæ, et retributionis modum ac tempus exquirimus. Porro Martinus, quum summus esset sacerdos, utpote pontifex, impune lædebatur ab infimis clericis, nec propter sibi illatam ab eis injuriam removit eos a sua Ecclesia, ab injunctis officiis, neque a sua dilectione. O quam multi sunt religiosi imbecilles et irreformati, quibus si a præsidente aliquid denegetur, aut si mediocriter corripiantur, et juste pro suis excessibus corrigantur, vel monastice exerce-

1 Petr. III, 9 ; *Rom.* XII, 21.

antur, protinus indignantur et irreverenter se habent, atque de amotione officiati a suo officio cogitare et machinari incipiunt ! *Ps.* XIII, 3. Certe non est timor Dei ante oculos horum, nec pensant quod ira ex suo genere vitium est mortale, præsertim dum ultio est omnino injusta vel modum transcendens. Discamus ergo a perfectissimo isto Martino patientiam et mansuetudinem magnam, et consideremus quod monachorum sit, abjectione, aspernatione, adversitatibus injuriisque gaudere ; spiritualique patri pro correptionibus et correctione B tanquam pro præcipuis beneficiis, caritatis affectum, orationis suffragium gratiarumque actionem reddamus et bonam in ipso semper confidentiam habeamus, sperantes in omnibus quod non quærat nisi nostram salutem.

Quintum verbum est, quod nemo unquam vidit eum iratum, mœrentem sive ridentem ; sed uniformi et angelico modo se habuit semper, et tanquam cœlestis patriæ civis jucunditatem Sanctorum gessit in vultu. Admiranda et magna nimis C sunt ista, humanasque vires transcendentia prorsus, et quo rariora, eo majora, et vice versa. Nihilo minus ea utcumque imitari conemur. Non variemur impetu passionum, sed rationi ac sapientiæ innitentes, stabiles esse in omnibus enitamur. Non contristet nos inordinate quidquid ac- *Prov.* XII, 21. ciderit nobis, et in die bonorum memores *Eccli.* XI, 27. simus malorum, et econverso : quatenus inter prospera et adversa tendamus semper regia via, atque semper cor in Deo tranquillum habere collaboremus. Risus et dissolutio absint a nobis, potissimum in divinis.

Sextum verbum est, quod nunquam in ore illius nisi Christus, nunquam in corde illius nisi pax, nisi pietas, nisi misericordia fuit, et detrahentium sibi deflevit peccata. Absit ergo ab ore nostro omne verbum illicitum, absit a corde omnis turbatio et omne peccatum. Nec detrahentibus detrahamus, imo oremus pro ipsis ; et præstantissimum sanctum istum Martinum in præcipua semper dilectione ac veneratione habeamus, ejus suffragia implorantes.

IN FESTO

S. HUGONIS CARTUSIENSIS

ET EPISCOPI LINCOLNIENSIS

Enarrationem epistolæ et evangelii, cum suis sermonibus ad sæculares, require de S. Nicolao.

AD RELIGIOSOS

SERMO PRIMUS

DE INNOCENTIÆ AC OBEDIENTIÆ AUREIS VIRTUTIBUS, S. HUGONIS EXEMPLO, RELIGIOSO CUIQUE IMITANDIS.

BONUM est viro quum portaverit jugum ab adolescentia sua. Thren. III, 27.

Quamvis peccator conversus teneatur Deo multum regratiari, magis tamen (ceteris paribus) tenetur ad hoc innocens justus, quoniam innocentia valde præcipuum est Deitatis donum, facitque hominem instar angelorum amabilem. Hoc innocentiæ donum fuit præcipuum in sanctissimo patre nostro Hugone, Lincolniensi episcopo, devotissimo Cartusiensi. Cujus tota conversatio nobis proponitur in exemplum, et est exemplaris, virtuosa atque notabilis valde. Qui jugum Christi, non solum ab adolescentia, sed ab infantia quoque sua portavit. Nempe quum circiter octo esset annorum, traditus est collegio regularium canonicorum, et spiritualem inchoavit militiam antequam sciret aut experiretur quid sit vivere mundo. Atque ex tunc sic per arduam viam salutis, per observantiarum regularium semitas, per disciplinæ rigorem progressus est, quod vita tota ipsius ab ejus ortu usque ad occasum, unum continuumque fuit martyrium. In quo tamen spiritualium consolationum affluentias sæpe ac dulciter valde expertus est : quemadmodum martyres sancti utriusque sexus in suis passionibus ac martyriis ubertim divinarum consolationum suavitatibus perfundebantur, in tantum ut tormenta vix videbantur sentire sive advertere. Quid igitur nobis incumbit, qui ante religionis ingressum per tot annos vanitatibus, voluptatibus, pravitatibus dedimus locum in nobis, et tot ac tantis sceleribus inquinavimus animas nostras, nisi ut comparatione hujus sancti patris nostri Hugonis episcopi vilipendamus et humiliemus nos vehementer, omnique adver-

sitate et tribulatione ac aspernatione nos esse dignissimos fateamur, et eas æquanimiter toleremus ; tam studiose quoque Deo servire et cohærere conemur, ut sicut *Rom.* v, 20. in nobis abundavit culpa, ita abundet in nobis de cetero gratia ?

Denique, quamvis teste S. Gregorio, his qui illicita non commiserunt, licita merito concedantur, his vero qui multa commiserunt illicita, etiam licita juste negentur ; tamen S. Hugo semper tam rigorose tractavit suum corpusculum, semper ad perfectiora et arctiora sanctitatis itinera tam fervide adspiravit, atque tot licita sibi subtraxit, quasi multis ante fuisset criminibus irretitus. Nos econtrario, qui non solum tam enormiter in mundo peccavimus, sed in cœnobio quoque tam negligenter remisseque viximus, nil sustinemus nobis deesse, commoda atque solatia nostra sensualia quærimus : quæ si negentur, murmuratio et impatientia oriuntur ac regnant in nobis. O quantum a sancto distamus Hugone ! Ejus ergo intuitu erube- *Luc.* III, 8. scamus et emendemus, atque pœnitentiæ fructus operemur condignos ; et quantum propriæ voluntati contra Dei præcepta ac Ordinis instituta consensimus et delectati impie sumus, tantum de cetero propriam voluntatem ad Dei honorem, præceptis Creatoris statutisque Ordinis obediendo ac refrenando subdamus.

Porro sanctus pater noster beatissimus Hugo, inter præcipuos Sanctos verissime reputandus, ab infantia sua ad omnem obedientiam dedit cor suum, et quidquid sibi a superioribus suis injungebatur, quamvis arduum erat, mox gratanter amplectebatur, et prompte ac strenue prosequebatur : demptis his in quibus obedientia videbatur aliquid habere de proprio, utpote his quæ ad suam promotionem, laudem et excellentiam videbantur spectare. In quibus tanquam humillimus, multum humiliter satisque fortiter salva obedientia resistebat : sicut dum ad prioratum postulabatur, et quando in episcopale fuit electus officium. Sed, proh dolor ! jam multi religiosi agunt contrarium, quia ad obediendum in his ad quæ propria inclinat affectio, promptos se exhibent ; porro in his quæ eorum naturali inclinationi aut privatæ affectioni, seu propriæ voluntati, animositati aut tarditati sunt contraria, ad obediendum sunt ferrei : qui obedientiam suam esse nullam ac fictam agnoscant. Videant ergo et imitentur obedientiam S. Hugonis, qui quum adhuc esset puerulus in canonicorum collegio, magistro suo spiritualique patri, cuidam canonico vita atque scientia præclaro, tam plenarie obedivit, quod ad illius admonitionem prorsus vitavit pueriles ludos, jocos et dissolutiones coævorum ac sodalium puerorum. Deinde ex præcepto prioris sui, patri suo carnali, viro nobili ac devoto, seniori et ægro, usque ad mortem illius promptissime in omnibus necessariis ministravit. Deinde factus diaconus, sacris deservivit mysteriis cum metu et reverentia ac ferventissima mentis compunctione. Et in hoc eum potissimum sequi conemur, nec mensæ Regis æterni cum aliqua adstare macula præsumamus. Quum insuper S. Hugo inter regulares canonicos mira fulgeret perfectione, prudentia ac sapientia, omniumque judicio consummatus in omni diceretur virtute, ipse reputavit se necdum initium perfectionis aut dignæ conversationis attigisse.

Et hoc Sanctis Dei est proprium, ut quo splendidius desuper illustrentur, quo in luce contemplationis, æternæ et increatæ mentis sanctitatem et eminentiam clarius intueantur, eo propriam defectibilitatem et nihileitatem, imperfectionem ac labilitatem profundius speculentur. Sicque totaliter humiliant et contemnunt se ipsos, et quantum a condigna Creatoris honorificentia, quantum a virtutum plenitudine [et] perfectionis apice distent, lucidissime cernunt. Vident se non solum a divinæ majestatis sanctitate, perfectione et excellentia infinite deficere, nec solum a supernorum civium puritate, fervore et consummatione ineffabili modo occumbe-

re, imo et a quorumdam prædecessorum ac patrum suorum, potissime sanctorum Apostolorum et apostolicorum virorum munditia, perfectione et vertice vehementer esse remotos ac deficientes. Hinc suam qualemcumque conversationem, quamvis in suo genere sublimiter virtuosam, ducunt pro nihilo, et ad meliora ac viciniora saluti, toti totis adspirant præcordiis atque celerrime properant, extendentes se assidue ad virtutum omnium incrementum, ad devotionis et compunctionis augmentum, ad ampliorem corporis castigationem, ad prolixiores et puriores orationes, ad meditationes salubriores, ad geminæ caritatis profectum, ad vigilias protractiores disciplinasque acriores, ad intentiorem cordis custodiam, ad totius humilitatis, patientiæ mansuetudinisque abyssum. Sic fecit pater noster devotissimus Hugo. Nam quamvis in statu præfato multos instrueret, ædificaret et optime gubernaret, percepta tamen sublimi Cartusiensium fama, mirabiliter affectavit illos videre, ardentissime cupiens ipsorum adunari consortio. Noverat itaque (docente Apostolo) æmulanda esse charismata meliora, et vitam solitariam ad contemplationem divinorum esse aptissimam ; maximi quoque meriti esse se ipsum Deo totaliter in holocaustum offerre, ac propriæ voluntati in omnibus propter Deum simpliciter renuntiare ; et unumquemque tanto excellentiorem desuper gratiam obtinere, quanto districtiorem introierit Ordinem, dummodo in eo se digne habuerit, et cetera paria sint.

Hebr. VI, 9.

1 Cor. XII, 31.

Quoniam itaque Ordinem istum sumus ingressi, studeamus indesinenter in eo efficaciter conversari, et solitudini quod suum est exhibere, ut mundanorum omnino oblivi, supernis ac spiritualibus jugiter simus intenti. Ab interno Deitatis amplexu nullus nostram queat mentem abstrahere. Tanto caritatis fervore Deo adhæreamus, ut ab ejus intuitu cessare non valeamus. Etenim ubi amor, ibi et oculus ; ubi thesaurus, ibi et animus. Si filii sæculi hujus sic affici possunt ad fœdam carnem, ad aurum et gemmas, ut incessanter sint mores talium, et quidquid foris exerceant, ab illorum affectu et imaginatione non conquiescant ; amplius potest quis, et merito quilibet debet, ad summum et primum illud amabile, Deum naturaliter et interminabiliter bonum, totius amabilitatis superoptimum fontem, tam fervide affici, tam amorose diligere illud, sic transformari in ipsum, ut indesinenter memor sit ejus, atque in omni occupatione et actione externa recordetur ipsius cum ingenti ardore, et summa delectatio sua sit ipsum conspicere et affari, nec ab ejus allocutione interna desistere, sed in cordis secretissimo fundo ipsum cordialiter exorare, laudare, contemplari, diligere et amplecti, detestarique omnia quæ tam divinæ et sanctæ exercitationi sunt impeditiva. Istud certe est solitariæ vitæ finis, mortificatis desideriis carnis, in spiritus libertate, in mentis serenitate, in gaudio spirituali Deo sic esse unitum. Quod esse non potest, nisi cor fuerit gratia Dei et omni virtute repletum. Idcirco ad istud per spiritualem profectum jugiter properemus, juxta modum prætactum.

Matth. VI, 21.

SERMO SECUNDUS

DE CURIS ET PERICULIS SOLITUDINI ADJUNCTIS, NECNON REMEDIIS EAM DEO OPTIMO PLACENTEM EFFICIENTIBUS.

SEDEBIT solitarius et tacebit, quia levabit se super se. Thren. III, 28.

Eccli. II, 1. Rectissime ait Scriptura : Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in timore, et præpara animam tuam ad tentationem. Nam *Judith* VIII, 23. omnes qui placuerunt Deo, per multas tri- *Sap.* III, 6. bulationes transierunt fideles. Et tanquam aurum in fornace probavit electos Dominus, et quasi holocausti hostiam accepit illos, qui per Zachariam prophetam loqui- *Zach.* XIII, 9. tur de electis : Ducam eos per ignem, et uram eos sicut uritur argentum, et probabo eos sicut probatur aurum. Hoc ex- *Job* XXIII, 10. pertus sanctus Job : Probavit me (inquit) quasi aurum quod per ignem transit. Sic contigit præelecto Dei puero innocenti Hugoni, devotissimo patri nostro. Mox namque ut Cartusiensem Ordinem est ingressus, novam sensit tentationem, et nunc acrius, nunc remissius passus est eam. Imo novam ingresso militiam renovavit hostis malignus omnia antiquæ suæ malignitatis certamina ; et præsertim castissimo atque virgineo huic viro, qui creditur nunquam peccasse mortaliter, ingessit stimulum carnis impudenter die ac nocte. Sed quid fecit ad hæc eremicola novus ? Genua sua fixit in terra, Dei auxilium indefesse ac ferventissime invocans ; gemitibus suspiravit ad cœlum, ei qui fecit cœlum et terram se recommendans, et ei tranquillissimo corde semper inhærere et vacare desiderans ; pectus suum pugnis tundebat, ea quæ ipso renitente versabantur in pectore suo phantasmata fœda abhorrens, redarguens et quasi excutere cupiens, et quamvis sublimiter justus, tamen *Luc.* XVIII, 13. cum publicano humillime dicens : Deus, propitius esto mihi peccatori. Lacrimis A suum vultum rigavit, exemplo ejus qui dixit : Fuerunt mihi lacrimæ meæ panes *Ps.* XLI, 4. die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, Ubi est Deus tuus ? Sciebat quippe vir sanctus, lacrimosis orationibus misericordiam Omnipotentis celeriter provocari, imo et Omnipotentem quodammodo vinci, flecti, ligari.

Itaque et nos dum tentationem incidimus, ita agamus. Dei adjutorium cum omni fiducia et fervore incessabiliter deprecemur, pectora nostra percutiamus, et B omne quod displicet Deo, ex intimo corde despiciamus. Cum fletibus atque gemitibus adspiremus ad Dominum : ad Regem cœli stillet oculus noster ; Christum pro- *Job* XVI, 21. pter nos in cruce distentum, transfixum, inter latrones occisum, omni cum diligentia adspiciamus ; rigorem divini judicii, acerbitatem infernalis supplicii, brevitatem et incertitudinem vitæ præsentis, beatitudinem regni cœlestis pensemus, et qualiter sancti Patres nostri certaverunt, reminiscamur. Sicque agente Spiritu San- C cto, prævalebimus cito, magnumque gratiæ incrementum adipiscemur, atque in spiritualibus rebus, in præliis cum invisibilibus hostibus, in exercitiis virtuosis efficiemur experti, imo ad consulendum aliis apti. Et per experientiam agnoscemus quam pauper et debilis, quam miser et instabilis sit homo ex semetipso, et quam fortis, dives ac victoriosus ex Deo. Tunc quoque experiemur verum esse illud in Tobia : Quia post tempestatem Do- *Tob.* III, 22. minus facit tranquillitatem, et post fletum D exsultationem infundit.

Denique hoc ipsum copiose et feliciter expertus est S. Hugo, quia sæpe illa sua

cessavit ad tempus tentatio, et tanta ei donabatur pax pectoris, et consideratio divinorum promptissima, quod mirabatur quid fuerat et quid subito factus esset. Et
II *Cor.* I, 3. post pugnarum duritiam, contulit ei Pater misericordiarum et Deus totius consola-
Apoc. II, 17. tionis gustare ac prælibare manna illud cœleste absconditum, hoc est æternæ Deitatis atque futuræ beatitudinis dulcedinem gratiose et aliqualiter experiri. Et tamen modicum illud tale erat ac tantum, ut propter illud plenius obtinendum ac dulcius degustandum, facile sperneret quidquid delectabilitatis habet aut offert hic mun-
Eccli. XI 27. dus. Verumtamen in hora horum bonorum non debet hæc sentiens immemor esse circumstantium imminentiumque malorum, sed ad futura prælia esse para-
Job VII, 1. tus, quia militia est vita hominis super
Matth. X, 22. terram ; et perseverare in iis oportet usque in finem, quia tentatio durat usque in finem, in eum utique finem qui præsentis peregrinationis est terminus. Unde et S. Hugoni in prætacta consolatione et contemplationis quieta dulcedine parva exstitit mora, sed rursus ad consueta certamina, rursus rapiebatur ad bella. Verumtamen viri sancti, Deo operante, paulatim sic universas dæmonum conculcant insidias, vincunt tentationes, expugnant invasiones, enervant virtutes, quod eos de cetero aggredi et tentare verentur, rariusque impugnant : quamvis Sanctis in vita hac tentationes et tribulationes quandoque non desunt ; sed quo perfectiores exercitatioresque fiunt, eo facilius prævalent, et diuturniori ac frequentiori pace fruuntur, imo et in adversis in Deo dulciter soporantur et conquiescunt.

Præterea, ut nunc de nostra imperfectione, negligentiis atque pigritiis plenius humiliemur, advertamus qualis fuerit conversatio Patrum nostrorum in Cartusia tempore S. Hugonis. Erant (ait Legenda) tunc in congregatione illa justorum, viri tam clerici quam laici miræ sanctitatis, ipsisque summis principibus ac prælatis Ecclesiarum plurimum reverendi. Prior domus, nomine Basilius, ab omnibus eum noscentibus nominabatur sanctus. Nec facile erat cognoscere quis inter illos ferventior, quis perfectior posset censeri. In domandis corporibus fuit ibi rigor ita discretus, quod nullus eorum infra vires agere contentabatur, nec ultra vires quid aggredi sinebatur. Fervebat in eis communiter studium rigidæ paupertatis, odium superfluitatis, necessariorum parcitas, oblivio temporalium, desiderium æternorum, magna humilitas et cordis contritio, sui ipsius abjectio, prælatio sociorum. Sic legendi assiduitas, contemplandi sublimitas, orandi ac meditandi suavitas vigebant in monachis, ut incredibile videretur quanta etiam gratia laicis Fratribus affluebat. In iis exercitiis Hugo continuabat dies ac noctes, nec aliud causabatur profectui adversari nisi temporis brevitatem : cui in lectionibus, orationibus, meditationibus occupato, tempus omne videbatur brevissimum. Eidem quoque S. Hugoni Spiritus Sanctus per senem quemdam, de statu et gradu suo futuro præscientiam dedit. Quum enim instante tempore conferendi ordines sacros, senex ille, Cartusiæ monachus, debilitate suprema laborans, dixisset Hugoni, Ecce, fili, jam in te est an velis sacerdos fieri, respondissetque Hugo, Quantum in me est, pater, nihil plus appeto in hac vita, senex subjunxit : O quid dixisti ? O toties legisti, ad sacerdotium qui non accedit invitus, accedit indignus ! Ad hanc vocem Hugo perterritus, ad objurgantis pedes prosternitur, flens veniam deprecatur. Et senex : Surge, inquit, nec turberis, non jam fili, sed domine mi. Scio vere quo spiritu sis locutus. Tibi igitur dico quia statim eris sacerdos ; et post, tempore desuper præstituto fies episcopus.

Itaque Hugo factus episcopus, quantum crevit sacro ordine, tantum profecit sancta devotione. Sicque altaris exercebat officium, ac si visibilem contrectaret manibus Salvatorem. Nec perfunctoria afficiebatur compunctione ad horam et postmodum mentem ad levia relaxabat, sed in tanta

uniformitate atque custodia continuit ani-
I *Reg.* I, 18. mum, ut dici posset de eo : Vultus ejus non sunt amplius in diversa mutati. Corpus suum domabat jejuniis, vigiliis et flagellis ; et crebro prostratus in terram, Dominum exoravit pro communi bono Ecclesiæ, et ut iram suam a populo suo averteret, et misericordiam suam acceleraret. In omni loco et tempore, quod loci aut temporis ratio flagitabat, hoc faciebat. Nunquam lectulus tenuit eum vigilantem vel ad momentum, dummodo esset incolumis. Si quando intempestive excitabatur a somno, confestim ad orationem surrexit, nisi repente in soporem resolveretur.

Ex his innotescunt humilitas, patientia, fervor, discretio, zelus, labor et perfectio S. Hugonis. In quibus omnibus eum viriliter sequi debemus ; et quando corripimur sive a præsidente, sive a fratribus, nequaquam ægre accipiamus, sed culpam nostram humiliter fateamur, veniamque precemur. Humiliemus quoque nos ipsos in omnibus ; nec ad aliorum regimen se quisquam arbitretur idoneum, sed ad sui ipsius operandam salutem insufficientem,

A quemadmodum Hugo quum ad prioratum postularetur, sapientissime mox ostendit : Nunquam per unum diem potui custodire me ipsum. Nec ad exteriora tractanda aliquis inclinetur, sed cum beatissimo viro Hugone solis spiritualibus ac interioribus occupari optemus. Sicque universa contemnatur ac protinus pellatur ambitio. In omni loco et tempore faciamus pro posse quod locus et tempus requirunt, et omnia ordinate agamus, atque in sapientia medioque virtutum permaneamus uniformes
B ac solidi instar solis. Non parcamus sanctis laboribus, nec sopore deprimamur inerti, sed zelo boni communis simus accensi. Et quo minus prædicando, eo plus orando et virtuose vivendo laboremus indesinenter pro reformatione Ecclesiæ in omni ipsius statu, gradu ac ordine. Postremo, in hoc nostram ponamus perfectionem, ut quotidie cum pleniori humilitate, recentiori devotione, ardentiori affectione Domino obsequamur ; et cuncta bona quæ egimus, pro nihilo aut modico reputan-
C tes, studeamus omni hora peragere meliora, perfectiora adjicere, merita cumulare.

SERMO TERTIUS

DE FIDELITATIS BONO, QUANTUM UBIQUE DECEAT ESSE INCORRUPTUM ; DE SACERDOTII DIGNITATE, MODO FIDELITER ADMINISTRETUR.

FIDELIS *servus et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam.* Matth. XXIV, 45.

Luc. XVI, 10. Sicut ait Salvator, Qui in modico fidelis est, et in majori fidelis erit ; sic sanctus pater noster Hugo, quia in minoribus officiis exhibuit se fidelem, meruit ad sublime pontificatus promoveri officium. Et
Rom. XIII, 1. quoniam quæ a Deo sunt, ordinata sunt, ipse sanctus vir nequaquam ingessit se
Hebr. V, 4. ipsum, nec sibi sumpsit honorem, imo prope importune atque humillime restitit, ut ejus testatur Legenda.

Itaque in episcopum sciens se esse ele-
D ctum, nequaquam gloriabatur inaniter, quasi de cetero præ solito honorandus, quasi pluribus præcepturus, quasi videndus, reputandus et glorificandus ab omnibus ; sed omni instantia die ac nocte compunctioni, puritati orationibusque insistens, non aliter exspectabat status sui immutationem, quam nauta ex ventis ac nubibus imminentem horribilem tempestatem. Nec potest quis quotidianam cordis ejus agoniam, angustiam tristitiamque quas tunc patiebatur, exponere, dum co-

gitabat se fructuosa cellulæ suæ otia esse mox amissurum, pro quibus succederent molesta palatiorum negotia. Deflevit ergo amare contemplativæ vitæ dispendia, quietæ meditationis et serenæ orationis instantia detrimenta.

Porro antistes effectus, nil de pristina reliquit aut minuit humilitate. Imo ad pontificii sui accedens locum, sedebat super equum non phaleris adornatum, sed mantica oneratum, in qua vestes pelliceas et cetera quibus nocturno tempore vel diurno uteretur, habebat inclusa. In sua deinde residens cathedra, tanquam vir per omnia prudentissimus vere, non cessavit sibi associare atque conjungere viros prudentia ac sapientia præditos, virtuosos ac timoratos, quorum fretus consiliis auxiliisque munitus, injunctum strenuissime explevit officium. Sic et de Saule legitur I *Reg.* XIV, 52. rege, quod quemcumque vidit virum robustum et bellicis rebus aptum, illum sibi associavit. Talibus ergo viris munivit suam Ecclesiam, decoravit suum collegium, dignitates contulit ac præbendas. Unde quum quidam inter Parisienses theologos atque canonicos famosissimus dixisset ad eum, Gloriosam, domine episcope, exhibuistis vestram Ecclesiam insignium multitudine clericorum præ cunctis mundi Ecclesiis, essetque mihi optabile eorum numero sociari, respondit : Et nos id libenter concederemus, si inter eos residere velles, et mores scientiæ corresponderent.

Præterea homines modesti ac pudici spiritus arctius diligebat, nec alios suo gregi scienter conjunxit. Nihil quoque bono pacis dixit in vita hac præferendum, nihil seditionis turbationisque peste amplius fugiendum. Prælatos quoslibet incessabiliter hortabatur unitatis atque concordiæ vinculum cum suis inviolabiliter conservare. Fuit item tantæ constantiæ et tam justus, quod nulli potestati contra justitiam cessit : in tantum quod summum excommunicavit forestarium regis, eo quod contra Ecclesiæ suæ libertatem debacchari cœpisset. Convivantibus secum se honestissime conformavit, eratque in mensa hilaris, sed modeste. Quumque musici interessent conviviis, maxime studuit gravitati, et ad interiora se recollegit, ne extra sensualiter oblectaretur. In ecclesia cum psallentibus ipse psallebat. Negligenter aut festinanter legentes sive psallentes terribiliter increpavit. In dedicationibus ecclesiarum, in celebrationibus ordinum ceterorumque ecclesiasticorum officiorum, præ labore pene deficientibus et sibi invicem succedentibus ejus ministris, ipse indefessus mansit ac alacer, a summo mane usque ad profundas tenebras noctis jejunus manens in illis laboribus. Leprosis ceterisque ægrotis benignissimus ac liberalissimus fuit, pedes eorum frequenter lavans, extergens et osculans. Leprosos visitavit multoties, et inter eos consedit, ac deformiores diutius atque suavius amplectebatur, et optime consolabatur eosdem. Unde vir quidam notabilis experiri cupiens anne S. Hugo ex tanta humilitate aliqua tangeretur elatione, semel dixit ad eum : Martinus osculando curavit leprosum ; tu leprosos quos oscularis, non sanas. Cui episcopus : Osculum, inquit, Martini curavit leprosum ; osculum vero leprosi animam meam sanat.

Denique, ad monasterium suum frequenter redibat, et ibi in cella contemplationi et sanctis exercitiis tam devotissime ac divinissime insistebat, quod sæpe egrediens splendidum cœlestibus radiis vultum cornutamque ex consortio Dei faciem gerere videbatur, ita quod sæculares angelicam ejus vitam admirabantur, et de suis conquerebantur impedimentis mundanis. In loquendo erat cautissimus, ne quovis modo mendacii incideret culpam. Unde ea narrando de quibus certitudinem non habebat, semper addidit aliquid quo falsitatis periculum vitabatur. Bona quæ egit, Deo omnino adscripsit, jugiter conquerens quod ex sua defectuositate non satis pure agerentur ab eo, donaque Dei ex sua fragilitate aut negligentia quodammodo macularet. In sepeliendis mortuis tanquam alter Tobias diligentissimus fuit, *Tob.* II, 3-9.

nec opus hoc pietatis reliquit aut festinantius adimplevit, quamvis a rege Angliæ aliisque magnatibus invitatus esset et exspectaretur ad convescendum.

Insuper, quotidie devotissime celebravit tam in monachatu quam præsulatu, quando ad hoc possibilitas adfuit ; et erat in eo mira devotio circa dominica sacramenta. Unde die quadam quum celebraret, Christus in forma splendidissimi pueruli cuidam adstanti clerico in hostia sacra apparuit. Ex devotissima demum ac frequentissima perceptione dominici Sacramenti merebatur præcipue singularem cordis munditiam omniumque virtutum firmitatem percipere. Invisibilium quoque et spiritualium secretorum mysteria inter reverenda canonis secreta ei ubertim revelabantur. Tantæ insuper fuit perfectionis, quod dum regis Angliæ et archiepiscopi sui tyrannica potestate plurimum vexaretur, ita quod omnes sui immaniter fluctuabant, ipse cum omni tranquillitate mansit immotus, et mox ut lectulum introivit, dulciter obdormivit. Et sicut nemo æqui et recti tenacior eo fuit, sic nemo facile inveniebatur qui in discussione veri et falsi eo esset velocior : quod jurisperiti adscripserunt miraculo. Unde et dominus Papa omnia difficiliora Anglicanarum causarum negotia ei commisit. Ipse quoque frequenter summum sollicitavit Pontificem ut ab episcopali absolveretur officio : cui summus Antistes nullatenus acquievit. Quum dominus quondam Bellicensis, claustralis effectus, a S. Hugone petisset sibi in communi Fratrum colloquio recitari formam pacis inter reges initæ, ad hanc tanti viri petitionem ferventissimus Ordinis zelator Hugo non modice contristatus, respondit : O domine pater, etsi episcopis, non tamen monachis licet audire rumores. Moxque ad spiritualem ædificationem verba convertit.

Præterea, ultima infirmitate decumbens, sacramento Eucharistiæ, quod ei afferebatur, obviam processit de lectulo nudis plantis, cilicio, tunica et cuculla vestitus, et ante tremendum Sacramentum genua flectens, suppliciterque adorans, oravit diutius, infinita commemorans beneficia Salvatoris, et multipliciter se accusans. Deinde devotissime illud accepit et gratias egit, imminenteque morte et psallentibus qui adstabant, fecit se poni in pavimento cineribus cooperto, ac placidissimo vultu spiritum sensim recolligens, illum in manus Creatoris commisit ac tradidit, quum canticum Simeonis inchoassent psallentes. *Luc.* II, 29-32. Quo defuncto, corpus ejus multis millibus hominum ostensum est purius vitro, lacte candidius, rosis vernantius. Et sicut ipse adhuc vivens, circa mortuorum sepulturam fuit sollicitus, sic Deus ei concessit venerabilissimam sepulturam. Cui præter inferiores innumerabiles, interfuerunt archiepiscopi tres, quatuordecim præsules, abbates plures quam centum, duo reges cum aliis magnatibus atque nobilibus multis. Deus quoque Sanctum suum multis et magnis mox mirificavit prodigiis. Ex quibus omnibus innotescit præcipua sanctitas hujus sacratissimi præsulis.

Postremo, omnia nunc de eo inducta, ad nostram essent ædificationem vertenda, nisi prolixitas hoc vetaret. Sed unusquisque nostrum ea applicet sibi ; et sanctissimi hujus Patris nostri exemplis accensi, Deo juxta Cartusiensis Ordinis professionem digne ministrare conemur, in omni cordis custodia et recollectione interna, cum quotidiano profectu et indesinenti fervore, omni sensuali affectu excluso. Et circa Sacramentum altaris humillime, purissime, reverentissime et affectuosissime nos jugiter habeamus. Et taliter conversemur, ut ad celebrandum quotidie simus (quantum humana permittit fragilitas) dispositi et condigni. In omni persecutione et tribulatione permaneamus in Deo quieti, patientes, fixi ac solidi ; et sæculares vitemus rumores, universaque verba otiosa, vana, illicita. Nec otio pigritiæ unquam locum demus in nobis, sed cum metu filiali et reverentia cordiali incessabilique fervore serviamus, inhæreamus atque uniti perseveremus Altissimo.

IN FESTO

S. CÆCILIÆ VIRGINIS ET MARTYRIS

SERMO UNICUS

DE S. CÆCILIA VIRGINE ET MARTYRE, ET DE GRATIIS
QUIBUS DECORATA FUIT, ET QUANTA PER EJUS CONSTANTIAM ATQUE MAGNANIMITATEM
VIRTUS OPERATA SIT DIVINA.

SICUT lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Cant. II, 2.

Beatissimam virginem Cæciliam Deus omnipotens et benignus multiplici atque fortissima gratia decoravit. Primo in hoc, quod quum esset corpore speciosissima, genere nobilissima, valdeque opulenta atque juvencula, tamen in omnibus iis quæ solent homines juvenes trahere ad peccata, ipsa permansit devotissima, sancta et constantissima. Fuit enim ex nobilissimo genere Romanorum, et tamen quum foris deauratis vestibus esset induta, ad corpus suum tenerum ac virgineum portavit cilicium, orationibus ac laudibus Dei diebus vacans ac noctibus. Jejuniis quoque in tantum fuit intenta, quod frequenter biduo aut triduo semel tantum reficiebatur.

Secundo in hoc, quod juvenem Valerianum nomine, sponsum suum cui fuerat desponsata, mirabiliter valde convertit ad Christum. Quum enim cum sponso suo secreta thalami accepit silentia, dixit ad eum : O dulcissime atque amantissime juvenis, tibi secrete revelo quod habeo angelum sanctum corporis mei custodem. Qui si senserit quod fœdo amore contingas me, statim occidet te. Si autem viderit quod sincere me diligas, amabit te sicut et me, et ostendet tibi gloriam suam. Valerianus autem mox divinitus tactus, respondit : Si vis ut credam tibi, ostende mihi angelum ipsum, et cognito quod vere sit angelus, faciam quod hortaris. Porro si alium diligis virum, te occidam et illum. Cui Cæcilia : Si in Deum verum credideris baptizatusque fueris, angelum cernes. Misit itaque sponsum suum ad S. Urbanum Papam, a quo quum baptizatus rediret, invenit sponsam suam Cæciliam cum angelo in cubiculo conferentem, et duas coronas ex rosis liliisque consertas in manu habentem, quarum unam dedit B. Cæciliæ, Valeriano aliam, dicens : Tu, Valeriane, quoniam salubri credidisti consilio, pete quod vis. Qui ait : Nil in hoc mundo plus diligo quam unicum fratrem meum. Peto ergo ut et ipse mecum veritatem agnoscat. Angelus dixit : Placet Deo petitio tua, et ambo cum palma martyrii venietis ad eum.

Tertio in hoc, quod ipsa præclarissima virgo Cæcilia Tiburtium, fratrem Valeriani sponsi sui, tam sapienter instruxit atque tam fortiter roboravit in fide, quod dixit ad eam : Qui ita non credit, bestia est. Deinde dixit fratri suo Valeriano : Miserere mei, et perduc me ut baptizer.

Quumque a sancto Papa Urbano baptizatus fuisset, angelos vidit frequenter, et quidquid rogavit, obtinebat celeriter. Exinde Valerianus et Tiburtius orationibus ac eleemosynis insistentes, sanctorum martyrum corpora sepelierunt. Ob hoc, quum idolis sacrificare nollent, decollati sunt et martyres gloriosi effecti.

Quarto in hoc, quod ipsa B. Cæcilia, non solum duos præfatos fratres convertit, sed et alios plures quam quadringentos, quibus Almachius urbis præfectus eam tradiderat quatenus ad sacrificia eam urgerent deorum. Qui omnes a præfato baptizati sunt Papa Urbano.

Quinto in hoc, quod ipsa sacra Cæcilia præfecto Almachio tam sapienter respondit, eumque publice coram omnibus confutavit; insuper ab eodem pœnam martyrii tam patientissime tulit, atque fortissima mansit in pœnis horrendis ac diuturnis. Nam jussit eam in bulliente balneo concremari, in quo ipsa per noctem diemque mansit illæsa. Tunc præcepit eam in balneo decollari. Quam spiculator ter in collo percutiens, nec tamen caput ejus amputare valens, seminecem reliquit : quia decretum fuit ne quartum ictum acciperet decollandus. Porro ipsa dignissima atque sanctissima virgo ac victoriosissima martyr triduo supervivens, omnia sua dedit pauperibus, et universos a se conversos S. Urbano Papæ commendans : Hujus, inquit, tridui vitam mihi a Domino postulavi, ut hos tuæ beatitudini commendarem, et domum hanc meam in ecclesiam consecrares. Quumque migrasset ad Dominum, S. Urbanus Papa eam inter summos sepelivit Pontifices.

Ecce quam mirabiliter et supermirabiliter ac gratiosissime operatus est incomprehensibilis omnipotens Deus in hac virgine prælecta, cui angelus tam frequenter, familiariter visibiliterque apparuit, per quam duos fratres illos, nobiles adolescentes, divites, animosos, feroces, lascivos, tam repente convertit et in mitissimos agnos mutavit, totque paganorum centena traxit ad fidem. Quæ insuper non plus timuit mortem quam paleam, imo ad martyrium ardentissime suspiravit. In quam nec igneus calor, nec ferri acumen potuit naturalem perficere operationem. Quæ constantissima ac magnanimis, imo et sapientissima mente adstitit ac respondit præfecto. O quantum vicit in ea sexum fragilem teneramque naturam virtus et gratia Spiritus Sancti ! Vere fuit in ea valde fide prædominans gratia, caritas æstuantissima, illuminatio supernaturalis continua.

Itaque tantæ virginis martyrisque exemplo discamus proprium corpus castigare, vitia et concupiscentias mortificare, vanitates mundi, delicias carnis, prosperitatem terrenam contemnere, Deoque fortiter adhærere, et proximos toto posse ad ipsum convertere. Postremo, magnates et nobiles sæculi hujus, quos sæpe oportet ex causa pretiosius indui, exemplo gloriosæ ac generosæ Cæciliæ discant sub vestibus pretiosis humilem gerere mentem, et si tanta gratia eis conceditur, cilicio tegere propriam carnem, orationes, jejunia ac ceterarum actus virtutum diligere, exercere, amplecti. Itaque hanc præamabilem Christi sponsam, amorosam piissimamque Cæciliam fervide diligamus, fiducialiter invocemus, reverentialiter veneremur.

IN FESTO

S. CLEMENTIS PAPÆ ET MARTYRIS

SERMO PRIMUS

DE VITA ET EXCELLENTIA S. CLEMENTIS, ET QUANTUM AB ILLIUS PERFECTIONE HUMANA DISTET IGNAVIA.

MIRABILIS *Deus in Sanctis suis.* Ps. LXVII, 36.

Quamvis hoc verbum de quolibet Sancto verificetur, de beatissimo tamen Clemente singularissime atque verissime dici potest, quia per modum valde mirabilem Deus traxit eum ac suos parentes et fratres ad viam salutis. In quibus omnibus impletum est illud Sapientiæ : Tanquam aurum in fornace probavit electos Dominus. Porro vitam suam ac parentum et fratrum suorum ipsemet pius ac sanctissimus Clemens in Itinerario suo descripsit. In quo libro multa continentur pulcherrima atque subtilia, quamvis propter aliqua ibi contenta, liber inter apocrypha computetur. *Sap.* III, 6.

Itaque, sicut ex Itinerario illo probatur, electissimus Dei Clemens ex illustrissima Romanorum est ortus prosapia. Nam pater ejus nomine Faustinianus, ex imperatoris fuit progenie, habuitque filios tres, scilicet Faustinum et Faustum ac Clementem. Uxor vero ejus fuit pulcherrima et pudica, ac fidelissima sibi. Quumque frater Faustiniani eam appeteret, nec ipsa hoc viro suo vellet insinuare ne inter fratres lis oriretur, excogitato somnio, a suo obtinuit viro ut cum duobus filiis suis Faustino et Fausto, se ad tempus absentaret a Roma. Et quum fuisset cum illis in navi, naufragium passa est navis, et ipsa super saxum quoddam a fluctibus est ejecta : quæ filios suos putans submersos, præ dolore proprias manus morsibus dilaniavit. Filii vero per tabulam evaserunt, et a piratis inventi, venditi sunt cuidam honestæ matronæ, quæ eos dilexit ut proprios natos, et liberalibus fecit artibus erudiri. Postmodum adhæserunt Simoni mago. Cujus fallaciis cognitis, adhæserunt gloriosissimo, sanctissimo atque beatissimo archiapostolo Petro. Porro pater S. Clementis, quum de conjuge sua ac filiis nil posset percipere, relicto sub tutoribus Clemente puero juniore sex circiter annorum, navem ingressus est ut quæreret conjugem, et adversitatibus actus, ad paupertatem devenit, atque in alienis locis permansit, ita quod per viginti annos Clemens in Roma persistens, nihil percepit de eo.

Præterea, Clemens philosophiæ vacavit, et animæ immortalitatem libentissime audivit probari, habuitque diversas mentis angustias de isto, an scilicet esset vita post hanc vitam, et retributio meritorum. Quumque sanctus apostolus Barnabas Romam veniens, prædicaret ibidem, S. Clemens eum in sua accepit domo. A quo

quum audisset de sapientia et miraculis A beatissimi Petri apostoli, ardentissime cœpit optare ejus adspectum. Sicque post breve tempus secutus est Barnabam in Judæam, qui perduxit eum ad S. Petrum; atque ex tunc inseparabiliter Petro adhæsit. Insuper quadam vice B. Petrus Clementem de sua inquirens progenie, et audiens ab eodem quemadmodum mater sua cum duobus filiis discessisset a Roma, et (ut ipse credebat) esset cum illis submersa, et qualiter pater suus navigasset pro matre inquirenda, nec unquam redisset, B ex compassione lacrimas fudit. Postmodum S. Petrus ad locum quemdam divertens, et ibi feminam eleemosynam a pertranseuntibus postulantem reperiens, ejus quoque diffortunia audiens, intellexit quod mater esset Clementis, adduxitque eam ad ipsum. Paulo post Faustinus et Faustus, qui aliis nominibus vocabantur Nicetas et Aquila, a B. Clemente audientes quid ei acciderit, cognoverunt quod fratres ejus essent, et matrem suam deosculari cœperunt. Tandem beatissimus Petrus cum tri- C bus fratribus illis ad locum divertens secretum, reperit ibi senem venerandum ac pauperem, cum quo collatione disputationeque habitis, comperit quod pater esset Clementis fratrumque ejus. Qui patrem suum deosculabantur; et mater eorum accurrens, virum suum cognovit atque amplexa est.

Itaque prima laus et excellentia S. Clementis, est magna excellentia ejus in donis naturæ ac bonis fortunæ. Erat namque in naturalibus optimæ dispositionis D et egregiæ indolis, ingeniosus, pius et solers, ditissimus, illustrissimus, maximusque philosophus. Et certe quam præclarus philosophus atque astrologus fuerit, ex verbis ejus in suo Itinerario innotescit. Hinc ait in sermone de B. Clemente S. Bernardus : Acceperat B. Clemens nobile genus, amplas possessiones, multam hereditatem, scientiam quoque quamplurimam, ita ut optimus illius temporis philosophus haberetur.

Secunda laus ejus, est gratiosa et plena conversio ejus ad Christum, ac maxima dilectio ejus ad Petrum apostolum, ac fidelissima adhæsio sua ad ipsum. Omnia namque prædicta propter Deum reliquit, et ineffabilem ad S. Petrum habuit caritatem. Quum etenim S. Petrus quadam vice propter copiosissimam multitudinem turbarum eum sequentium, divisisset eam in tres partes, et duas præmisisset sub fratribus S. Clementis, B. Clemens dixit ad summum Apostolum : Deo gratias quod me non misisti, nam præ tristitia obissem. Cui respondit Apostolus : Et si te mitterem, nonne obediendum esset? Respondente autem Clemente quod ab eo separari non posset, sed ei semper optaret servire, dixit Apostolus : Ego tibi tanquam nobili viro rusticanus potius vellem servire. Quo audito, lacrimæ mihi eruperunt, ait Clemens, eo quod sermonem istum dixit mihi vir tantus, quo totus mundus inferior habebatur. O quantus fuit gloriosissimus Petrus in corde S. Clementis, qui dixit totum mundum esse Petro inferiorem! Et certe sic fuit, intelligendo per totum mundum universum genus humanum tempore illo exsistens. Fuit etenim S. Petrus universalis, summus et plenus Christi vicarius super illud, et totius prælatus Ecclesiæ.

Tertia excellentia S. Clementis, est dignissima ac fructuosissima præsidentia ejus super universalem Ecclesiam : quoniam S. Petro in papatu successit. Quum etenim Petrus, Domino revelante, sciret se protinus moriturum, convocato fratrum cœtu, S. Clementem præsentem ac plurimum renitentem seque humillime excusantem, suum instituit successorem. Qui, Petro defuncto, fructuosissime præfuit, et per se ac subditos suos convertit undique innumerabiles gentiles ad Dominum. Nam et divinum Dionysium ejusque socios misit ad Gallias, et alios sanctos prædicatores ad alia loca direxit quamplurima. Porro Domitillam virginem, Domitiani imperatoris neptem, sacro velamine consecravit.

Theodoram quoque Sisinnii amici imperatoris uxorem convertit, atque in castitatis proposito roboravit. Deinde per preces et merita S. Clementis ac Theodoræ, Sisinnius est conversus, et plus quam cum trecentis de domo sua a Clemente sanctissimo baptizatus. Per ipsum autem Sisinnium multi nobilium et amici Nervæ imperatoris crediderunt in Christum. Insuper in exsilium missus in insulam, plus quam quingentos una die ad sacrum Baptisma perduxit, et ipse cum aliis idolorum destruens templa, per totam provinciam infra unum annum septuaginta quinque construxit ecclesias, valdeque multos Romanorum convertit ad verum Deum.

Quarta excellentia ejus, est venustissimus splendor morum suorum ac viscerosissima pietas ejus, ob quam merito Clemens vocatus est. Tanto enim morum decore pollebat, quod tam Judæis quam paganis, et maxime Christianis omnibus, valde complacuit carusque fuit. Nam et præfectus qui de mandato Trajani imperatoris ipsum in exsilium misit, quum eum esset missurus, cum lacrimis dixit, Deus tuus, quem pure ac jugiter colis, te adjuvet; deditque ei navim, et necessaria ministravit. Singularum etiam regionum inopes habuit scriptos, et indigentibus necessaria condonavit, ac liberalissimus ac compatientissimus fuit in pauperes.

Quinta laus ejus, est magnitudo divinæ sapientiæ sibi collatæ, qua non solum verbo sed et scripto docuit multos. Unde secundum Hieronymum libro de Viris illustribus, scripsit epistolam valde utilem ad Corinthiorum Ecclesiam. Et in Itinerario suo scribit multa valde salubria de gestis et miraculis documentisque Petri apostoli, sicut a Jacobo apostolo fuit rogatus. Sed et epistolas scripsit ad apostolum Jacobum; et de vita clericorum multa ordinavit ac scripsit. Unde et in Decreto multa allegantur ac inseruntur de verbis et scriptis S. Clementis.

Sexta laus ejus, est excellentia miraculorum quibus Deus eum ornavit. Nam et in Roma fecit prodigia, et prece ab eo fusa, præfatus Sisinnius cæcus et surdus effectus est, et rursus orante Clemente, auditum recepit ac visum. Insuper, quum in exsilium esset missus, fidelibus ibi maximum fontem orando de terra produxit : qui fons crevit in fluvium. Quumque jussu Trajani dux quidam S. Clementem, ligata ad collum ejus ancora, præcipitasset in mare, dicens, Jam non poterunt eum pro deo colere ; orantibus Christianis adstantibus ut Deus corpus sancti martyris eis monstraret, mox aqua maris per milliaria tria recessit. Tunc omnes fideles illi per siccum ingressi, repererunt per modum templi marmorei habitaculum a Deo paratum, atque ibidem in arca corpus S. Clementis, et ancoram juxta eum. Revelavitque Deus discipulis gloriosi Clementis ne inde tollerent corpus ipsius. Omni demum anno, tempore suæ passionis per septem dies ad tria milliaria abiit aqua per tempora longa, quousque exigentibus habitatorum peccatis, sublatum est beneficium tam miraculosum et magnum.

Postremo, quemadmodum in sermone de hoc beatissimo martyre ait S. Bernardus : Congratulamur huic martyri sancto, sed gloria ejus nostra confusio est. Quid eum imitari negligimus? Ille pro Christo nullis adversitatibus cessit, nos nec unum verbum injuriæ volumus pati. Ille sanguinem fudit pro Christo, nos nec aquam, id est lacrimas pœnitentiæ, fundimus propriis pro peccatis. Nec in sudore vultus nostri vescimur pane nostro, castigando corpora nostra et concupiscentias refrenando, multoque minus habemus lacrimas devotionis spiritualis jucunditatis, sed instar mulierum ac parvulorum laudamus Sanctos qui pugnaverunt contra tyrannos et dæmones atque peccata, ipsi vero pugnare non possumus, vel magis non volumus, imo juncis fragilibus cedimus, id est, minimis adversitatibus tentationibusque dejicimur. Sed resipiscamus, et illustrissimi martyris hujus accendamur ac roboremur exemplis, ipsum diligamus, ve-

Gen. III, 19.

neremur ac invocemus, et superemus nos ipsos. Regnum namque cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud : hi scilicet qui salubriter vincunt se ipsos. Propter quod Salomon protestatur : Melior est patiens viro forti ; et qui dominatur animo suo, expugnatore urbium. Viriliter ergo agamus, et confortetur cor nostrum.

Matth. xi, 12. *Prov.* xvi, 32. *Ps.* xxvi, 14; xxx, 25.

AD RELIGIOSOS

SERMO SECUNDUS

DE DEI BENIGNISSIMO TRACTATU QUO HOMINES EXERCET, AC SEX VIRTUTIBUS S. CLEMENTI FAMILIARIBUS.

ATTINGIT autem sapientia a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter. Sap. VIII, 1.

Quanto christianæ fidei continentia, divulgatio, confortatio et prævalentia mirabiliores et supernaturaliores exsistunt, tanto certius constat, totum illud esse a Deo et a sola sapientia ac omnipotentia ejus infinita. Nempe, ut de totius mundi conversione ad Christum ac legem evangelicam taceam, quis satis miretur, quod Roma omnium deorum et idolorum venerans monstra, omni ambitione et inquietudine plena, omni carnalitati et vanitati subjecta, potuerit ad Christi legem converti, in qua idololatria reprobatur, uniusque veri Dei cultus jubetur, omnis ambitio, universa ars magica, cuncta præliorum turbulentia condemnantur, in qua etiam rigorosissima edomatio carnalium desideriorum omniumque vanitatum exstirpatio edocentur? Ecce ad omnia ista credenda ac adimplenda inducta est plebs Romana, absque omni armorum violentia, absque eloquentia rhetorum et subtilitate philosophantium atque magorum, sine humano præsidio, non obstante omni tyrannide Romanorum imperatorum, qui fidem christianam penitus eradicare laboraverunt, et propter hoc innumerabilia millia Christianorum non solum per orbem terrarum, sed etiam in sola Roma interfecerunt. Quibus Christiani Romani, quamvis nobilissimi, potentissimi ac plurimi essent, et forsan interdum plures quam Romani idololatræ, nunquam tamen humana resistere voluerunt potentia, sed omnem persecutionem et crudelissimas mortes pro Christo patientissime pertulerunt. Nihilo minus inter eorum martyria prævaluit fides et lex christiana, non utique sine innumerabilissimis præclarissimisque miraculis a solo Omnipotente peractis. Creator ergo omnipotens, cujus sapientiæ, cujus potentiæ, cujus excellentiæ nullus est finis, qui humanorum actuum certissimam providentiam habet, et omnia in hoc mundo providentissime ordinat ac disponit, volens in Roma christianæ religionis esse primatum, mirabilissime, potentissime ac sapientissime hoc implevit paulatim ac seriatim, ut interim plurimi martyrio coronarentur.

Ps. cxliv, 3; cxlvi, 5.

Denique, quia electos suos Deus incomprehensibilis majestatis per multa exercet adversa, atque per ea perducit eosdem ad gratiarum charismata ; hinc ipse qui illustrissimum virum Clementem ejusque parentes et fratres tam supermisericorditer elegit, omnes eos variis in sæculo isto adversitatibus exercitavit, et vitam ac gesta eorum tam admirabiliter dispensavit, com-

plevit, atque ad jucundissimum finem perduxit, quod hoc totum sic fieri nullatenus potuit fortuna aut casu, sed solo supersapientissimi Dei omnipotentatu ac providissimo moderatu : prout ex his quæ in Itinerario apostolici viri gloriosi Clementis habentur, potest probari. Insuper, sicut Deus præterita peccata purgat ac dirimit per adversa sequentia, ita sæpe per præcedentia quædam adversa disponit ac ducit homines ad dona gratiæ subsequentia et præclara. Naturales quoque et acquisitæ virtutes, frequenter disponunt nonnullos ad supernaturalia gratiæ dona. Unde Deus gloriæ volens post beatissimum Petrum apostolum christianam fidem per sacrosanctum Clementem præcipue conservare, fovere, augere et publicare, eumdem benedictum et illustrissimum virum multis exercitavit adversis, tam ante suam ad Christum conversionem, quam postea.

Præterea, quemadmodum ceteris prædestinatis, ita et magno huic clementissimo amabilissimoque Clementi omnia cooperata sunt valde in bonum, et dona naturæ ac bona fortunæ ad gratiarum charismata profuerunt et cooperata sunt ei eximie. Erat quippe vir ingeniosissimus ac optimæ indolis, ditissimus, potentissimus, illustrissimus, utpote de imperatoris progenie oriundus. Et per hæc ac ultra omnia ista sortitus est excellentissima gratiæ munera, sapientiam supernaturalem, virtutes infusas ac sanctitatem præcipuam. Et ab exordio quo sacratissimo Apostolorum principi Petro adhærere exorsus est, constantissime adhæsit eidem, et ineffabili dilectione S. Petrum amavit, atque in summa reverentia habuit eum, et familiarissime, suavissime et affectuosissime vixit cum eo. Quæ omnia in Itinerario S. Clementis et alibi sunt conscripta.

Insuper in summo pontificio successit felicissimo Petro, et verbis ac scriptis, exemplis atque miraculis, orationibus et meritis suis plurimos etiam nobilissimorum Romanorum convertit ad fidem, et fructuosissime præfuit, ac optime gubernavit Ecclesiam, fuitque doctor præinclytus et victoriosissimus martyr ac summus Antistes, et tam in naturali philosophia quam in sacra theologia erat doctissimus. Eratque tantæ benignitatis ad omnes, tantæ liberalitatis ac pietatis ad pauperes, tam venustissimis moribus adornatus, quod non Christianis dumtaxat, sed et gentilibus ac Judæis miro modo carus fuit ac placitus. Unde et Romani pagani urbis rectores, multa sustinuerunt ab eo quæ non sustinuissent ab alio, multisque annis eum tulerunt. In qua re etiam infinita Dei sapientia innotescit ac splendet. Nam quamvis Creator omnipotens poterat per quemcumque alienigenam facere in urbe Romana et undique quod illic per Romanum civem illustrissimum S. Clementem peregit, nihilo minus Deus suaviter cuncta disponens, potius voluit illa peragere per S. Clementem, ad illa agenda per dona naturæ ac bona fortunæ suo modo dispositum et magis convenientem.

Sap. VIII, 1.

Ex his igitur multipliciter instruamur ac saluberrime ædificemur. Primo, ut cuncta quæ egimus propter Christum, modicissime reputemus comparatione S. Clementis. Nam etsi mundum et ea quæ mundi sunt reliquimus, parentes, cognatos, substantiam et nos ipsos, quid respectu S. Clementis egisse videmur? Ille desiderio S. Petri reliquit Romam, et genealogiam suam illustrissimam, ac abundantissimas opes suas in ea, deinde omnia deseruit propter Christum. Nos autem mediocrem aut vilem reliquimus parentelam, aut opes perpaucas. Secundo, exemplo gloriosi Clementis omnia dona naturalia atque fortuita ordinemus ad munera gratiæ, ad Dei honorem, ad perfectionem virtutum ; nec extollamur de illis, sed tanto subjectiores gratioresque Deo esse conemur, quanto in donis illis amplius abundamus, aut antea abundabamus. Quanto quis inter fratres doctior est, tanto virtuosior, humilior exemplariorque consistat. Tertio, S. Clementis exemplo avidissimi simus ad notitiam pertinentium ad salutem, et ea quæ a no-

Rom. VIII, 28.

bis exigit Deus, in primis discamus, sciamus et consideremus atque implere conemur, quum Deo ingratum sit quidquid egerimus aut obtulerimus ei, his ad quæ tenemur neglectis. Itaque sacræ Scripturæ verba ubique diligentissime advertamus et intelligere enitamur, tanquam epistolam nobis a Spiritu Sancto missam. Quarto, S. Clementis exemplo cordialiter diligamus nostros superiores, eosque debite veneremur. Beneficiis quoque ipsorum simus grati, atque pacifice conversemur cum ipsis. Quinto, sanctissimi martyris ac summi Pontificis hujus exemplo studeamus in vinea Domini Sabaoth viriliter labo-
Ps. LI, 10. rare, et instar olivæ in Ecclesia Christi fructificare, etsi non prædicando et miracula faciendo, certe orando et religiosissime conversando, quatenus orationibus et exemplis, fama et meritis proficiat quilibet nostrum fratribus ac proximis suis, imo vivis et mortuis. Postremo, S. Clementis exemplo moriamur omnibus quæ sunt mundi, et assidue studeamus compunctioni, atque pietatis operibus simus toto posse intenti. Tribulationes quoque quas patimur, Dei præcipua beneficia arbitremur, et patientissimi simus in eis.

Quemadmodum etiam beatissimus Clemens fontem produxit de terra, sic Christum rogemus ut spiritualem fontem ponat in cordibus nostris, secundum quod A in Evangelio protestatur : Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum ; sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. *Joann.* IV, 13, 14. Itemque : Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Fons iste qui derivatur in rivos salubres, dici potest gratia gratum faciens copiosa, quæ dicitur ramificari in habitus virtutum atque donorum ; seu sapientiæ donum aut caritas fervens : quia ex sapientiæ dono procedunt contemplationes perlucidæ, tanquam fecundissimi rivi ; ex caritate quoque, tanquam ex fonte spiritualis vitæ, procedunt instar rivorum universæ meritoriæ actiones. *Ibid.* VII, 38.

Fuit demum sacratissimus Clemens profundissimæ humilitatis, in tantum quod quum gloriosissimus princeps apostolici ordinis vellet eum suum instituere successorem, ipse dulcissimus Clemens in terram prostratus ad pedes sui magistri carissimi, lacrimose, humillime et quodammodo importune rogavit ut se tanto pontificatu non sublimaret. Idcirco et nos tanto exemplo discamus minora et parva officia non optare, omnem ambitionem et vanitatem abjicere ; tam morigerate quoque et benigne ac mititer conversari, ut diligamur ab universis, nec offendiculum ulli ponamus, sed totius probitatis ac honestatis exempla præbeamus cunctis et singulis. Ad laudem Dei omnipotentis. *Rom.* XIV, 13.

IN FESTO

S. CATHARINÆ VIRGINIS

ET MARTYRIS

ENARRATIO IN LECTIONEM LOCO EPISTOLÆ

CONFITEBOR TIBI, DOMINE REX, ETC. Eccli. LI, 1-8, 12.

VERBA lectionis istius in persona præclarissimæ virginis et invictissimæ martyris Catharinæ convenienter exponi possunt ac dici. Ipsa itaque gratias agens Deo pro beneficiis et victoriis sibi concessis, ait :

Confitebor tibi confessione laudis, de qua loquitur Christus : Confiteor tibi, Pater, id est, laudo te. *Domine* omnium, ratione creationis, per principalem et universalem auctoritatem, *rex,* id est omnium rector, per providentiam infallibilem. *Et collaudabo te Deum salvatorem meum,* id est, qui a periculis me eripuisti et ad beatitudinem perduxisti. Christus autem specialiter vocatur Salvator, quoniam per incarnationis suæ mysterium passionisque meritum, ab originali et omni peccato nos liberavit, a jugo diaboli, a servitute peccati, a damnatione inferni eripuit; gratiam quoque nobis promeruit ac donavit, atque ad veram nos recuperavit salutem. Hinc apud Isaiam ait Altissimus : Deus justus et salvans non est præter me ; per Osee quoque : Ego Dominus Deus tuus, et salvator non est præter me. Atque ibidem loquitur Christus : De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos.

Matth. XI, 25.

Is. XLV, 21.

Osee XIII, 4.

Ibid. 14.

Confitebor nomini tuo nominato, id est tibi per nomen nominans designato, *quoniam adjutor* ad bene agendum et ad resistendum tentationibus ac peccatis, *et protector* a periculis ac adversariis, *factus es mihi* absque tua mutatione, per hoc quod gratiam et protectionem mihi impendisti. Nihil etenim meritorium agere possumus, nec virtuose resistere vitiis sine auxilio gratiæ Dei. Propter quod ait Salvator : Sine me nihil potestis facere. Hinc per Osee loquitur Dominus : Perditio tua ex te ; in me tantummodo auxilium tuum. Unde orat Propheta : Adjutor meus esto, Domine ; ne derelinquas me. *Et liberasti corpus meum a perditione,* id est a vitiis gulæ et luxuriæ, per quæ corpus indisponitur et fœdatur, atque in æternam pœnam jactari meretur. Nam teste Apostolo, Qui fornicatur, in proprium corpus peccat. Hinc in Job habetur : Si deceptum est cor meum super muliere, et si ad ostium amici mei insidiatus sum ; hoc enim nefas est et iniquitas maxima, ignis est usque ad consumptionem devorans. *A laqueo linguæ iniquæ,* id est a deceptione linguæ fraudulentæ, *et a labiis operantium,* id est proferentium, *menda-*

Joann. XV, 5. *Osee* XIII, 9.

Ps. XXVI, 9.

I *Cor.* VI, 18.

Job XXXI, 9, 11, 12.

cium, potissimum perniciosum, quod est mortale peccatum. De quo ait Propheta ad Dominum : Perdes omnes qui loquuntur mendacium. Vel, « a labiis operantium mendacium », id est facientium opera vana et falsa, veritati vitæ atque justitiæ contraria. *Et in conspectu adstantium factus es mihi adjutor.* Per adstantes, intelligi possunt angeli Deo adsistentes, juxta illud Danielis, Decies millies centena millia adsistebant ei ; vel homines, in quorum præsentia Deus succurrit hominibus. Unicuique etiam homini adstant angeli duo : unus bonus ut opem ferat, alter malus ut noceat ; in quorum conspectu Deus subvenit suis.

Ps. v, 7. *Dan.* VII, 10.

Et liberasti me a diversis periculis et peccatis, *secundum multitudinem misericordiæ nominis tui,* id est secundum magnitudinem pietatis tuæ. Misericordia autem Dei prout in ipso accipitur, in se una et simplex est, sed propter diversitatem suorum effectuum multa vocatur, et pluraliter significatur, juxta illud in Psalmo, Misericordias Domini in æternum cantabo ; itemque, Misericordiæ tuæ multæ, Domine. *A rugientibus præparatis ad escam,* id est a dæmonibus et tyrannis, qui parati sunt homines bonos affligere et spiritualiter devorare seu depauperare. Unde de diabolo ait princeps Apostolorum : Adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret. Et de crudelibus rapacibusque hominibus ait per Michæam Dominus : Comederunt carnem populi mei, et pellem desuper excoriaverunt. *De manibus quærentium animam meam,* id est de potestatibus et persecutionibus invisibilium hostium qui animas quærunt ad damnationem pertrahere, ac visibilium hostium qui animam, id est vitam animalem ejus quem odiunt, quærunt exstinguere, vel animam moliuntur ad peccatum mortale perducere ; *et de portis,* id est accessibus seu initiis, *tribulationum quæ circumdederunt me :* multæ siquidem tribulationes justorum. *A pressura flammæ,* id est ferventis tentationis seu impugnationis, *quæ circumdedit me,* sive ab homine, sive a dæmone. Unde in Psalmo dicunt electi : Transivimus per ignem et aquam. Et in Evangelio Salvator ait discipulis : In mundo pressuram habebitis. *Et in medio ignis,* id est acutissimæ tribulationis, *non sum æstuata,* id est per iniquum consensum, seu per ardorem iræ aut impatientiæ, spiritualiter destituta, consumpta, combusta. Unde de electis loquitur Deus per Zachariam : Ducam eos per ignem, et probabo eos sicut probatur aurum. *De altitudine,* id est profunditate, *ventris inferi,* id est foveæ infernalis, in quam homo meretur corruere dum peccat mortaliter. Hinc et Sapiens ait : Ab altitudine inferorum eduxit eos. Siquidem in Scripturis altum pro profundo frequenter accipitur, ut in Psalmo : Veni in altitudinem maris ; atque in Joanne : Puteus altus est. *Et a lingua coinquinata* per verba vitiosa ; *et a verbo mendacii,* ita quod præservavit me ne loquerer illud, vel ab eo quod mihi false impositum fuit, me immunem monstravit, juxta illud Sapientiæ : Mendaces ostendit qui maculaverunt illum. *A rege iniquo,* id est principe vitioso, a quo non permisisti me superari seu ad vitia trahi. Vel per regem iniquum designatur diabolus, de quo Job asserit : Ipse est rex super omnes filios superbiæ. Unde et Christus apud Joannem : Venit (inquit) ad me princeps mundi hujus. *Et a lingua injusta,* id est mendaciter alios criminante. Itaque ab his omnibus « liberasti me secundum multitudinem misericordiæ nominis tui ».

Ps. LXXXVIII, 2. *Ps.* CXVIII, 156. I *Petr.* V, 8. *Mich.* III, 3. *Ps.* XXXIII, 20. *Ps.* LXV, 12. *Joann.* XVI, 33. *Zach.* XIII, 9. *Sap.* X, 19. *Ps.* LXVIII, 3. *Joann.* IV, 11. *Sap.* X, 14. *Job* XLI, 25. *Joann.* XIV, 30.

Propterea *Laudabit usque ad mortem* corporalem *anima mea* immortalis *Dominum* in hac vita, et post mortem laudabit eum in vita futura : sicut ait Psalmista, Psallam Deo meo quamdiu fuero ; et, Benedicam Dominum in omni tempore. *Quoniam eruis,* o Domine, *sustinentes te,* id est, misericordiam tuam longanimiter exspectantes. Unde Ecclesiasticus ait : Qui timetis Dominum, sustinete misericordiam

Ps. CXLV, 2. *Ps.* XXXIII, 2. *Eccli.* II, 7.

ejus, et non deflectatis ab eo, ne cadatis. A
Hebr. VI, 15. Hinc ad Hebræos ait Apostolus : Abraham longanimiter ferens, adeptus est repro-
Ps. CXXIX, 4. missionem. Et Psalmista : Propter legem (ait) tuam sustinui te, Domine. *Et liberas eos de manibus gentium, Domine Deus noster,* quia post vitam hanc das eis quietem
Ps. XXXIII, 20. æternam. Ideo dictum est : Multæ tribulationes justorum, et de his omnibus liberabit eos Dominus. Valde ergo necessaria ac salubris est sustinentia ista. Propter quod Jacobus dicit : Exemplum accipite *Jacob.* V, 10, 11. longanimitatis, laboris et patientiæ, Prophetas, qui locuti sunt in nomine Domini. Ecce beatificamus eos qui sustinuerunt. Sufferentiam Job audistis, et finem Domini vidistis. Hinc loquitur Isaias : Deus judi- *Is.* XXX, 18. cii Dominus, beati omnes qui exspectant eum ; et Psalmista : Universi qui sustinent *Ps.* XXIV, 3. te, non confundentur.

SERMO PRIMUS

DE TRIPLICIBUS ACTIBUS QUIBUS DEUM POTISSIMUM COLIMUS, ET DE TRIPLICI CONFESSIONE CHRISTIANO HOMINI NECESSARIA.

LAUDABIT usque ad mortem anima mea Dominum. Eccli. LI, 8.

Primo ex lectione hac hodierna docemur Deum laudare, primo et maxime propter infinitam bonitatem, perfectionem et beatitudinem ejus : ex cujus consideratione profiteri debemus, quod simus prorsus indigni eum laudare, quum scri-
Eccli. XV, 9. ptum sit, Non est speciosa laus in ore peccatoris. Ideo Deum laudare debemus cum omni humilitate, propriam indignitatem pensando, cum filiali timore, ejus magnitudinem interminabilem attendendo, cum C ingenti attentione et puritate, ejus sanctitatem, sapientiam atque præsentiam omnia intuentem considerando. Propter quod
Ps. II, 11. scriptum est : Servite Domino in timore, et exsultate ei cum tremore. Hinc etiam ait
Ps. CL, 2. Psalmographus : Laudate Deum secundum multitudinem magnitudinis suæ. Quid est Deum secundum multitudinem magnitudinis suæ laudare ? Hoc est, ut totis viribus eum laudemus, et tamen nil dignum nos agere fateamur, imo a laude ipsius condigna, id est tam reverentiali, devota, D perfecta ut decet ex parte ipsius, nos deficere infinite. Quemadmodum enim Deus sublimis et benedictus, est bonitatis, di- B gnitatis et excellentiæ infinitæ, ita est infinitis dilectione, laude ac reverentia dignus. Hinc in Ecclesiastico legitur : Multa *Eccli.* XLIII, 29, 32-34. dicimus, et deficimus verbis ; consummatio autem sermonum ipse est. Glorificate Dominum quantumcumque poteritis, supervalebit adhuc. Benedicentes Dominum, exaltate illum quantum potestis : major est enim omni laude. Et exaltantes eum, replemini virtute ; ne laboretis, non enim pervenietis. Porro qui ista intelligit, de virtutibus et bonis actibus suis superbire non potest. Scit enim omne quod ad Dei honorem agit, in infinitum minus esse cultu atque præconio quo Deus condignus est. Idcirco, si tantæ exsisteret sanctitatis sicut Joannes Baptista, et tam perfecte Deo serviret sicut omnes Sancti in cœlo et in terra, adhuc totum nullius esset momenti, respectu infinitæ sanctitatis et excellentiæ Dei. Scit quoque se nil boni habere nisi a Deo ; idcirco non sibi, sed Deo honorem finalem gloriamque deberi.

Præterea, tres sunt actus per quos Deum præcipue colimus, videlicet : oratio, laudatio, dilectio. Horum actuum primus dici potest humanus ; secundus, angelicus ; tertius vero, divinus. Itaque primus horum

actuum, puta oratio, est humanus. Nam quamvis Beatis in patria orare conveniat aliquo modo (siquidem rogamus eos ut orent pro nobis); similiter, quamvis Deum modo laudare hominibus competat in hac vita (quum Tobiæ Raphael angelus dicat, * Benedicite Laudate * Deum cœli, et coram omnibus viventibus confitemini ei, quia fecit vobiscum misericordiam suam) : nihilo minus per appropriationem, orare specialiter competit viatoribus, laudare comprehensoribus. Viatores quippe, id est fideles in via præsentis exsilii, in medio ambulant laqueorum, suntque incerti an sint digni amore an odio; penitus quoque incerti sunt quid finaliter fiet de eis, an scilicet salvabuntur an non : ideo indigent semper orare viscera misericordiæ Dei, ne pereant. Comprehensores autem, videlicet Sancti qui Deum vident clare in cœlis, in tuto sunt, nec de suæ salutis æternitate possunt ambigere : ideo specialiter competit eis Deum laudare, et ei de omni bono ipsis collato gratias agere. At vero Deum diligere, est actus divinus. Primo, quoniam competit Deo. Nam diligit semetipsum, atque in superbeatissima Trinitate unaquæque persona diligit se ipsam et quamlibet aliam dilectione æterna, increata, superdulcissima et immensa. Secundo, quia per actum dilectionis, rationalis creatura potissimum assimilatur et complacet Deo. Propter quod, secundum Apostolum, Finis præcepti est caritas de corde puro et conscientia bona et fide non ficta. Et iterum : Plenitudo (inquit) legis est dilectio. Ideo etiam ait Salvator, quod primum maximumque præceptum est, Deum diligere toto corde.

Tob. XII, 6.

Eccle. IX, 1.

I *Tim.* I, 5.

Rom. XIII, 10.

Matth. XXII, 37, 38.

Ex his constat, quod Deum laudare sit actus præclarior quam eum orare. Primo, quoniam actus ille est magis angelicus. Secundo, quoniam actus ille est simplicior ac purior, quia per eum magis pure in Deum convertimur. Per orationem vero ad nos ipsos aliquo modo reflectimur, quia aliqua petimus nobis aut nostris. Hinc Deum laudare magis competit perfectioribus, orare autem minus perfectis. Nihilo minus ad quemlibet bonum Christianum spectant tres actus isti, suntque necessarii ad salutem. Tenemur enim omnes et singuli Deum orare, eique gratias agere, et toto corde super omnia ipsum diligere. Sed ad incipientes potissimum spectat orare, ad proficientes laudare, ad perfectos diligere. Deum ergo oremus ut dignos nos faciat ad laudationem ipsius, atque utrumque hunc actum ordinemus et exerceamus ad amorem ipsius, hoc est ad hoc ut ejus accendamur amore.

Deinceps, hos tres sanctos actus beatissima virgo atque præinclyta martyr, sanctissima Catharina, gloriose exercuit : quia dum certamen sibi imminens contra philosophos et contra tyrannum agnosceret, Deum pro adjutorio devotissime invocavit. Quumque in omnibus mirabiliter prævaluisset, nequaquam vane intumuit, neque inaniter est lætata, sed Deum totis laudavit præcordiis, et gratias egit ei humillime, et ex omnibus bonis sibi collatis ad Dei amorem reduxit se, et ejus caritate succensa est. Præterea, quia et nobis semper in vita hac imminet bellum contra proprium corpus, contra mundum ac dæmones, debemus exemplo sacratissimæ Catharinæ, Deum indesinenter pro adjutorio exorare, et si aliquid boni agimus, et vitiis ac tentationibus prævalemus, ei præcordialiter regratiari, atque ex omnibus suo sancto amore succendi.

Porro, quia in lectionis hujus exordio dicitur, Confitebor tibi, Domine rex; scire oportet quod sit triplex confessio. Una est confessio propriæ culpæ, quæ est sacramentum Ecclesiæ : de qua Jacobus, Confitemini alterutrum peccata vestra, et orate pro invicem ut salvemini. De qua et Salomon testatur : Qui abscondit scelera sua, non dirigetur; qui autem confessus fuerit et reliquerit ea, misericordiam consequetur. Ista confessio est actus virtutis pœnitentiæ. Secunda est confessio laudis divinæ, hoc est ipsa laudatio Dei : de qua ait Salvator, Confiteor tibi, Pater,

Eccli. LI, 1.

Jacob. V, 16.

Prov. XXVIII, 13.

Matth. XI, 25.

Ps. IX, 2; CX, 1; CXXXVIII, 1. etc.; et Psalmista, Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo. Hæc confessio actus est latriæ. Tertia est confessio credendo-
Rom. X, 10. rum. De qua ait Apostolus : Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Estque ista confessio fidei actus. Hanc triplicem confessionem habuit felicissima Catharina. Non enim dubium est quin de suis quotidianis confitebatur peccatis ; et ea quæ christianæ sunt fidei confitebatur constantissime coram tyranno ; laudavitque Christum, dicendo : Ipse est sponsus meus, amor meus, salvator meus, et Deus meus. Nos quoque triplicem hanc habere debemus confessionem, ut in primis propria confiteamur peccata coram Deo quotidie, et opportuno tempore sacerdoti super nos jurisdictionem habenti. Deum etiam indesinenter laudemus, et symbolum fidei Apostolorum omni die legamus.

Amplius ex lectione hac discimus, quam multa et magna sint beneficia Domini nostri Jesu Christi in nobis, et quod sine ejus gratia nil valemus, quod item a multis nos malis eripuit, præservavit, protexit. Ideo Deum instanter ac fervide deprecemur ut ab universis malis in lectione hac tactis, ac ceteris nos vitiis præservare, atque in omni gratia ac virtute conservare, roborare et perficere semper dignetur, ne devoremur a dæmonibus rugientibus *Eccli.* LI, 4. præparatis ad escam : quorum, juxta Prophetam, esca electa est. Nam sicut in libro *Habac.* I, 16. sancti Job fertur, absorbet (dæmon) flu- *Job* XL, 18. vium, nec miratur : quia pro magno non habet quod sæculares homines vincit ac vorat ; sed habet fiduciam quod influat Jordanis in os ejus, quia spirituales ac devotos tentat dejicere, et frequenter superat tales. Quicumque autem mortaliter peccat, recte a diabolo dicitur devorari ac manducari, quia incorporatur eidem et membrum ejus efficitur. Caveamus ergo a mortali peccato, ne incorporemur diabolo ; imo sacratissimam virginem Catharinam precemur ut continuum divinæ pietatis auxilium impetret nobis.

ENARRATIO IN EVANGELIUM

SIMILE EST REGNUM CŒLORUM THESAURO ABSCONDITO IN AGRO, ETC.
Matth. XIII, 44-52.

RECTE hoc evangelium in festo beatissimarum martyrum ac virginum Catharinæ et Agathæ aliarumque aliquarum legitur, quia in eo regnum cœlorum, pro quo ipsæ tanta perpessæ et operatæ sunt, quodque tam pretiose emerunt, rebus pluribus comparatur. Itaque ait Salvator :

Simile est regnum cœlorum, id est beatitudo seu præmium Sanctorum in cœlis, *thesauro abscondito in agro.* Primo, nam sicut talis thesaurus difficulter invenitur, sic æterna felicitas difficulter acquiritur :
II *Tim.* II, 5. quoniam juxta Apostolum, non coronatur
Act. XIV, 21. nisi qui legitime certaverit ; et per multas tribulationes oportet nos ingredi regnum Dei. Secundo, quoniam sicut talis thesaurus est magnum bonum, sed latens, invisum, occultum ; sic regnum cœleste est bonum præcipuum, sed non visum, nec nobis patens, sed creditum, et nos latens. Imo, juxta Pauli sententiam, Oculus *I Cor.* II, 9. non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparavit Deus diligentibus se. Tertio, nam sicut propter talem thesaurum possidendum cuncta venduntur, sic propter adipiscendum regnum cœlorum omnia temporalia deseruntur. Propter quod subditur : *quem* thesaurum

qui invenit homo, abscondit tanquam pretiosum clenodium, *et præ gaudio illius,* id est ex delectatione quam habet de inventione thesauri, *vadit, et vendit omnia quæ habet, et emit agrum illum,* ut habeat jus possidendi thesaurum ex integro. Olim namque thesauri in agro inventi, quamvis ignorabatur cujus fuissent, tamen ob communem hominum pacem pro media parte fuerunt dominorum agri. Per agrum ergo intelligi potest virtuosa conversatio, vel sacra Scriptura, in quibus iste thesaurus, videlicet beatitudo cœlestis, quodammodo continetur et latet sicut præmium in merito, seu promissum in promittente. Porro homo thesaurum reperiens, est quicumque devotus, qui cum Apostolo omnia arbitratur ut stercora, ut Christum lucrifaciat. *Philipp.* III, 8.

Iterum simile est regnum cœlorum. Hic sumitur regnum cœlorum pro militanti Ecclesia, quæ in Evangelio sæpe vocatur regnum cœlorum, quia conversationem habet cœlestem, et in ea per fidem et caritatem regnat Deus. Hoc ergo regnum cœlorum simile est *homini negotiatori quærenti bonas margaritas,* id est lapides pretiosos. *Inventa autem una pretiosa margarita, abiit, et vendidit omnia quæ habuit, et emit eam.* Sic sancta Ecclesia et quilibet vere christianus pretiosas quærens margaritas, videlicet virtutes et sacras Scripturas, unam vero pretiosissimam inveniens, utpote evangelicæ legis doctrinam, seu evangelicorum consiliorum perfectionem, vel increatam Dei sapientiam, Dominum Jesum Christum, vendit vel vilipendit cuncta terrena, ut margaritam istam possideat, prout testatur Apostolus : Omnia arbitror detrimentum, propter eminentem scientiam Christi. Pretiosior namque est sapientia cunctis opibus; et omnia quæ desiderantur, huic non valent comparari. *Ibid.* 20. *Ibid.* 8. *Prov.* III, 15; VIII, 11.

Iterum simile est regnum cœlorum, id est Ecclesia militans, in qua per fidem et gratiam regnat Deus : quæ et ipsa in nomine Christi regnat, spirituale ac temporale habens dominium atque judicium; *sagenæ missæ in mare, et ex omni genere piscium congreganti,* id est, bonos malosque pisces in se capienti, vel quosdam de omni genere piscium. *Quam, quum impleta* piscibus *esset, educentes,* id est, de mari extrahentes ipsi piscatores, *et secus littus sedentes, elegerunt bonos in vasa sua, malos autem foras miserunt,* id est, de navi projecerunt tanquam inutiles, et bestiis avibusque devorandos dederunt. Sic modo militans Ecclesia recipit et habet in se quosdam ex omni genere hominum, et aliquos electos ac virtuosos, aliquos etiam reprobos et perversos; sed in die judicii separabuntur electi ab impiis. Ideo subditur : *Matth.* XXV, 32.

Sic erit in consummatione sæculi, id est in fine mundi seu status præsentis. Nam tunc *exibunt angeli* a summo cœlo, *et separabunt malos de medio justorum,* id est a consortio electorum, quia tunc agni, id est electi, ponentur a dextris Judicis, hœdi, id est reprobi, a sinistris; *et mittent eos in caminum ignis,* id est, in gehennale incendium eos projicient ac retrudent. Quamvis enim resurrectio mortuorum et eorum retributio principaliter et effective erunt a Deo, tamen angeli sancti circa eas multiplex ministerium exhibebunt. Nam cineres suscitandorum colligent, suscitatos ad locum judicii deferent, justos ab impiis segregabunt, atque prolata sententia, et terra os suum aperiente, involvent reprobos, et cum igne conflagrationis eos in infernum præcipitabunt. Unde in Apocalypsi legitur : Projectus est draco ille magnus, serpens antiquus. *Ibi erit fletus* ex vehementissimo dolore infernalium suppliciorum. Verumtamen, secundum doctores, non erit ibi resolutio lacrimarum, quæ motu cœli cessante cessabit, nec posset in damnatis jugiter perdurare; sed erit ibi summa conturbatio cerebri, dolor atque confusio, ex quibus causatur nunc resolutio lacrimarum. *Et stridor dentium* ex frigore infernali inæstimabiliter magno et afflictivo. Sunt enim in infer- *Ibid.* 33. *Apoc.* XII, 9.

no summus calor et intensissimum frigus, et est ibi vicissitudo pœnarum, ita quod de uno tormento vadunt ad aliud, imo de extremo ad extremum sine reductione ad medium : quæ reductio aliquid temperamenti relevaminisque haberet. Hinc scriptum est : Ad nimium calorem transeat ab aquis nivium. *Job* XXIV, 19.

Consequenter Christus ait discipulis : *Intellexistis hæc omnia,* id est parabolas istas, quibus comparavi regnum cœlorum diversis rebus? Non ex ignorantia quæsivit hoc Christus, sed ut ad discipulorum responsionem qua responderunt, *Etiam,* congruum adderet documentum. Unde subjungitur : *Ideo* (supple, dico vobis, vel sciatis, quod) *omnis scriba doctus in regno cœlorum,* id est quilibet prædicator, doctor, seu prælatus, præsertim episcopus, in militanti Ecclesia, *similis est homini patrifamilias qui profert de thesauro suo nova et vetera.* Quemadmodum enim paterfamilias ex suo thesauro seu opulentia profert nova et vetera numismata et alimenta ac vasa et vestimenta, datque unicuique de sua domo prout indiget et capere potest seu dignus est; sic doctor, prædicator, sive prælatus, profert de thesauro suo, id est de plenitudine gratiæ et scientiæ sibi collatæ, nova et vetera, id est utriusque Testamenti auctoritates, quibus doctrinam suam confirmat, et unumquemque de grege sibi commisso, spiritualiter pascit seu instruit et pertractat prout capere potest. Hinc innotescit, quod prædicatores et aliorum prælati debent in utraque lege esse periti : imo ut divinus Dionysius docet, ad episcopos pertinet ut sint ita edocti, quod difficillima quæque occurrentia solvere possint et elucidare. De Eccl. hier. c. v.

SERMO SECUNDUS

QUANTO LABORE AC STUDIO CŒLI GAUDIUM QUÆRENDUM SIT ET EMENDUM; QUAMQUE SUBITO SUBMERGANTUR COMPLURES ATQUE PERPETUO INTEREANT; ET DE POENIS INFERNI.

INVENTA una pretiosa margarita, abiit, et vendidit omnia quæ habuit, et emit eam. Matth. XIII, 46.

Verbum hoc evangelicum de præstantissima atque sanctissima virgine Catharina convenientissime explanatur. Ipsa etenim magnanimis ac illustrissima virgo, in exordio adolescentiæ suæ, quum adhuc esset pagana, quæsivit bonas margaritas : quia naturalibus scientiis, liberalibus artibus atque virtutibus acquisitis politicis fuit studiose intenta, easque didicit et invenit. In eis quoque et per eas felicitatem quæsivit, nec reperit. Tandem invenit unam pretiosissimam margaritam, videlicet Dominum nostrum Jesum Christum, de quo Apostolus loquitur : Petra erat Christus; *I Cor.* X, 4. et de quo in Isaia loquitur Deus Pater : Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem angularem, probatum, pretiosum. Denique gentiles dicti sunt lapides, et Christus dictus est lapis. De illis equidem dixit Joannes Baptista : Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Et de Christo dixit Psalmista : Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. Sed gentiles, lapides appellantur ob cordis sui insensibilitatem qua verum Deum non sentiunt, atque ob suam duritiam qua in infidelitate ceterisque persistunt peccatis. Christus vero ob suam firmitatem, lapis vocatus est. *Is.* XXVIII, 16. *Luc.* III, 8. *Ps.* CXVII, 22.

Itaque hanc pretiosissimam margaritam quæ Christus est, quum sancta reperisset

Catharina credendo in eum et adhærendo ei per caritatem, abiit, id est, mente a terrenis et carnalibus rebus aversa est, et cunctis caducis relictis, emit hanc margaritam. Emit etenim eam, semetipsam offerendo pro ea in famulam Patri æterno, imo mortem et longum martyrium ac laboriosum sustinendo conflictum pro obtinenda hac margarita in æternum, cœlesti in patria, hoc est pro Christo clare per speciem intuendo atque feliciter perfruendo, juxta illud Petri : Jesum Christum videntes, exsultabitis lætitia inenarrabili et glorificata, reportantes finem fidei vestræ salutem animarum vestrarum. Et nos ergo beatissimæ Catharinæ sequentes vestigia, pro summi Dei amore, pro ejus beatifica visione, pro æterna et plenissima beatitudine relinquamus vel saltem parvi pendamus omnia ista sensibilia, transitoria et terrena, ita ut ea nec immoderate amemus, nec superfluë eis utamur, sed victum et quibus tegamur habentes, sobrie, juste et pie vivamus in sæculo isto, ut post modicum vitæ hujus curriculum, Regem gloriæ videamus in suo decore sine fine in cœlo cum gaudio contentativo ac consummato. O quanta est cæcitas cordis nostri, quanta est tarditas nostra, quod ista aut parum aut nihil sapiunt nobis! Ecce gloriosissima virgo, amabilissima atque dulcissima Catharina, juvencula fuit prorsus pulcherrima, nobilissima, prædives, potens, famosissima, liberrima valdeque docta ; et tamen omnia ista despexit, regnum mundi et omnem ejus ornatum contempsit, divitias, delicias honoresque sprevit ut lutum, insuper et martyrii pœnis se exposuit præacerbis pro Dei amore et ejus fruitiva felicissima visione. Et nos miseri, viles et pro magna parte consumpti, nolumus aliquid pati pro Christo, nec digne laborare pro regno et gaudio sempiterno.

1 Petr. I, 8, 9.

1 Tim. VI, 8.

Tit. II, 12.

Is. XXXIII, 17.

Præterea in evangelio isto documenta saluberrima sunt contenta. Siquidem in exordio ejus docet Salvator, quam ferventer et summe debeat omnis Christianus regnum cœlorum appetere, quam item infatigabiliter ac indesinenter debeat pro ejus adeptione nunc laborare. Nam ecce regnum cœlorum simile fertur thesauro abscondito in agro : quem qui invenit homo, abscondit, et præ gaudio illius vadit, et vendit universa quæ habet, et emit agrum illum. Itaque, sicut qui sciret in agro suo absconditum esse magnum thesaurum, studiose ac laboriose quæreret illum quousque inveniret ; sic regnum cœleste nobis in Scripturis promissum, et in cordibus nostris per fidem absconditum, in cœlo quoque empyreo situm, cum omni diligentia et conatu perseveranter quæramus, virtuose vivendo, omnia adversantia æquanimiter sustinendo, ad Deum fervide adspirando, ad æternam jucunditatem et clarissimum Dei intuitum super omnia desiderabilissimum quotidie anhelando ac properando, per puras cogitationes, sanctas affectiones, devotas orationes, fructuosa eloquia et exercitia bona. Insuper, quia Ecclesia militans comparatur sagenæ piscantium, congreganti in se omnem differentiam piscium, ideo formidemus ne simus de numero malorum et reproborum filiorum Ecclesiæ, de quibus dicitur : Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, filiis sceleratis ! dereliquerunt Dominum, abalienati sunt retrorsum. Tales quippe sunt omnes qui in mortalibus vitiis sordent, qui summo et incommutabili bono, Deo altissimo, præferunt ista carnalia et caduca, imo se ipsos, quoniam proprias voluntates pravissimas et rebelles voluntati præponunt divinæ, per quod ostendunt quod se ipsos diligunt plus quam Deum. Et quid dico se ipsos, quum plus ament unum nummum, unum cibum, unam vestem, quam Deum omnipotentem, qui est bonum immensum ? Nam pro illis Deum offendere, perjurare, mentiri non erubescunt. O quam longe sunt isti a vera sapientia et salute ! Unde de eis Salomon loquitur : Stultorum infinitus est numerus ; et rursus, Perversi difficile corriguntur.

Matth. XIII, 44.

Ibid. 47.

Is. I, 4.

Eccle. I, 15.

Ibidem.

Amplius, Dominus noster Jesus Christus in evangelio hodierno nos docet districtionem et horrorem divini ac finalis judicii, intolerabilem quoque acerbitatem ac diversitatem multiplicem infernalis supplicii : quia in fine mundi exibunt angeli et separabunt injustos a justis, projicientque injustos in tartarum. O quam dolorosa erit separatio illa, quamque horrendum erit, Christum judicem videre iratum, atque ab illo audire verbum illud asperrimum, Ite, maledicti, in ignem æternum ! Denique, quomodo posset Christus, sapientia Dei Patris, infernum terribilius designare quam caminum ignis eum vocando ? Quid enim tam horrendum, tam intolerabile, tam pœnale, sicut in camino ignis jacere ? Ponderet unusquisque hæc omnia, et ponat extremum digiti sui in flammulam unius candelæ, et experietur quid sit quod dico, quid sit pœna inferni, quid sit in medio infernalis camini et inexstinguibilis sempiterni incendii cruciari. Nec solum est ibi ferventissimus ignis, sed et vehementissimum frigus, pœnalissimum consortium dæmonum, horrendus adspectus eorum, horror, confusio, caligo, fœtor gravissimus, ululatus mœstissimus, plenitudo miseriæ, desperatio amarissima ; nec tantum affligentur in corpore ex igne et frigore, quantum in anima ex desperatione et desolatione, ac dæmonum societate.

Matth. XIII, 49, 50.

Ibid. XXV, 41.

I *Cor.* I, 24.

Job XXIV, 19.

Itaque hæc pensantes, imitemur sacratissimæ virginis Catharinæ exempla, despiciamus carnalia oblectamenta, prosperitatem terrenam, periculosum honorem, et per arctam incedamus viam salutis, orationibus, jejuniis, castigationibus corporis insistamus ; et nunc victoriosissimam martyrem Catharinam suavissimam invocemus, ut nos adjuvare ac tueri dignetur, et jugiter deprecetur pro nobis, præsertim quum ei promiserit Deus quod invocantibus eam gratia sua adsistet.

SERMO TERTIUS

DE VITA AC MORIBUS S. CATHARINÆ, ET DE OCTO VIRTUTIBUS QUIBUS VIVA ADHUC DECORATA FUERAT.

MIRABANTUR sapientiam ejus, et dicebant : Non est talis mulier super terram, in adspectu, in pulchritudine, et in sensu verborum. Judith XI, 18, 19.

Hæc verba scripta sunt Judith undecimo, suntque ad litteram verba principum Holofernis admirantium sapientiam, eloquentiam, pulchritudinem ac venustissimos mores venerabilis Judith. Quæ verba multo excellentius dici queunt de sponsa ac martyre Christi dignissima, sanctissima Catharina, quam opifex mundi, Deus excelsus, tot gratiis, tot excellentiis, tot virtutibus perornavit, ut satis mirari et plene effari non valeamus. Nunc tamen Deo auxiliante aliquid inde loqui conabor.

Prima excellentia ejus, est abundantia donorum naturalium ac bonorum fortunæ quibus præfulsit et optime usa est. Nam fuit ingeniosissimæ mentis, egregiæ indolis, puella illustris ac regia, præpotens, opulenta, pulcherrima ac liberalibus artibus copiose instructa. Denique legitur quod Costis pater ipsius rex fuit in insula Cypro, et inde vocavit eum ad se imperator Maxentius, venitque ad eum in Alexandriam cum regina conjuge sua, et unica filia Catharina, quæ fuit incomparabili pulchritudine decorata ; et sicut de Esther legitur, Incredibili pulchritudine, omnium oculis gratiosa et amabilis videbatur.

Esther II, 15.

Secunda laus et excellentia sacratissimæ

Catharinæ, est admiranda et gratiosa ejus conversio. Quum enim (ut legitur) pater ejus in Alexandria esset defunctus, Maxentius imperator matrem Catharinæ rogavit ut filiam suam unicam suo unico filio daret uxorem. Super quo mater ejus gavisa est, et filiæ suæ id jucunde proposuit. Filia vero, adhuc gentilis et scientia sua inflata, matri respondit : Scias, domina mater, quod amore scientiæ proposui aut non nubere, aut nulli nubere nisi sit in quatuor, utpote nobilitate, prudentia, pulchritudine et opulentia, mihi compar. Quamvis autem filius imperatoris in nobilitate et divitiis me forsan præcedat, scientia et pulchritudine longe inferior me est. His auditis, contristata est valde Catharinæ sanctissimæ mater, eo quod deprecatio imperatoris esset habitura repulsam, et ipsa ob hoc ejus esset incursura offensam. Tunc de consilio cujusdam viri sapientis profecta est cum filia ad quemdam sanctum eremitam, cui exposuit causam. Qui per Spiritum Sanctum præscius futurorum, dixit ad Catharinam : O decens ac formosa puella, si in Christum credideris, sponsum habebis te multo sapientiorem, pulchriorem, ditiorem ac nobiliorem : cujus sapientia cœlum et terram fundavit, cujus pulchritudinem sol et luna mirantur, cujus possessio est quidquid cœli ambitu continetur, cujus pater est Rex æternus ac immortalis, et mater ejus est virgo. Ad hæc respondit Catharina : O vir bone, felicem me reputarem si talis tantique sponsi mererer fieri consors ! Tradidit igitur eremita Catharinæ tabulam, in qua erat imago virginis Mariæ puerum in ulnis tenentis, hortans ut matrem sponsi illius in tabula pictam incessanter exoraret quatenus filium suum sibi ostendere dignaretur. Rediens Catharina cum matre sua, posuit tabulam in sui secreto cubiculi, orationibus, vigiliis, lacrimis, prostrationibus invocans sponsi illius matrem ut sponsi optati vultum sibi monstrare dignaretur.

Itaque, post paucos dies virgo Maria cum Filio in visione apparuit Catharinæ cum splendore et decore mirabili ; Filius tamen vultum a Catharina avertit, ita quod eum intueri nequivit. Tunc Catharina Virginem gloriosam dolorose rogavit ut vultum Filii sui sibi ostenderet. Quumque pro hoc virgo Maria suum Filium precaretur, ipse respondit : Quum ista pro qua petis, non sit mihi in pulchritudine, sapientia, nobilitate et divitiis similis, quomodo poterit meum conspicere vultum ? Sed quoniam preces tuas me non decet abnuere, si Catharina cupit me intueri, revertatur ad eremitam, atque ab eo fidei documenta ac Baptisma suscipiat, sicque regenerata faciem meam videbit. Post hæc Catharina evigilans, matri indicavit visionem, perrexit ad eremitam, et informata ac baptizata ab eo, cum matre sua læta reversa est. Tunc rursus cum jejuniis Matrem cœlestis Sponsi exorans, obdormivit, et in visione contemplata est Virginem matrem ac Filium ejus in gloria admiranda ac luce pulcherrima ; moxque Filius eam inspiciens, et annulum digito ejus imponens, allocutus est ipsam, dicens : O Catharina dilecta, ego te mihi desponsavi in fide. Statim ergo Catharina evigilans, annulum in digito suo invenit, et veram esse visionem cognovit, atque de cetero fidelissima mansit Sponso cœlesti.

Tertia virtus et excellentia ejus, est fervidus zelus ejus pro Dei honore et proximorum salute. Quum enim imperator in Alexandria omnes convocasset ad sacrificia idolorum, et beatissima Catharina hoc cognito accedens, multos conspiceret Christianos metu pœnarum sacrificare, dolore cordis intrinsecus tacta, se audacter ingessit ad imperatorem : Cur, inquiens, inaniter congregasti populum tantum ad colendam stultitiam idolorum ?

Quarta laus et excellentia ejus, est præclara et magna sapientia ejus, tam acquisita quam infusa, tam philosophica quam theologica. Nam ante templum idolorum stans, multa philosophice est locuta, subtiliter argumentata, discrete et mystice

cum Cæsare disputans, dixitque ei : Miraris A hoc templum manibus hominum factum ? Mirare ornamenta cœlorum, ordinem elementorum, cursum astrorum, et obsequium omnium horum, qualiter suo obediunt Creatori, sicque adverte quis magis sit adorandus. Et quum nullum Creatori inveneris parem, ipsum solum adora. Nam dii quos colis, nec te nec alios possunt adjuvare. Cui quum imperator cum iracundia respondisset, Ergo totus mundus errat, et tu sola bene sentis ? Si angelus esses, si cœlica virtus, non tamen tibi esset credendum : quanto minus nunc, quum sis femina fragilis ? Cui beatissima Catharina : Non te a furore vinci permittas. In sapientis animo non stet dira turbatio ; qui mente se regit, rex est.

Quinta excellentia ejus, est miraculosa victoria qua vicit philosophos. Siquidem videns imperator quod ejus sapientiæ ac eloquentiæ non posset resistere, vocavit ad se ex diversis provinciis quinquaginta philosophos, oratores et rhetores summos, qui cunctos mortales in sapientia et elo- C quentia humana vincere putabantur. Qui causam suæ vocationis ab imperatore audientes, indignabantur quod propter confutationem unius puellæ essent vocati, quum unus ex eorum servulis ac discipulis eam posset facillime superare. Quumque beatissima Catharina certamen sibi cum philosophis instans audisset, totam commendavit se Deo, et imploravit opem ab eo. Apparuit autem ei angelus, dicens quod per Dei subsidium a philosophis non solum non vinceretur, sed eos esset victura D atque ad palmam martyrii perductura. Quum ergo diutius cum philosophis disputasset, loquente per eam Spiritu Sancto, ita superavit philosophos, quod ei resistere non valebant, sed imperatori fassi sunt christianos se esse. Propter quod ille insaniens, fecit ignem copiosum in medio civitatis accendi, et eos in illum jactari. Qui in igne sic spiritum Domino reddiderunt, quod nec pili eorum nec vestes ab igne sunt læsa.

Sexta laus ejus, est fructuositas suæ prædicationis : quia non solum prædictos convertit philosophos, sed et uxorem imperatoris, et principem suæ militiæ nomine Porphyrium, ducentosque milites ejus ; et ceteros Christianos ad constantiam animavit martyrii. Quum enim fuisset incarcerata, et imperator ad tempus abesset, imperatrix cum Porphyrio et ducentis militibus nocte ad carcerem veniens, vidit carcerem inæstimabili claritate fulgentem, et angelos plagas sacratissimæ Catharinæ B virginis perungentes. Tunc ad prædicationem Catharinæ credidit imperatrix, Porphyrius quoque et milites.

Septima laus ejus, est eminentia miraculorum quæ Deus fecit per eam : quorum jam aliqua tacta sunt, videlicet admiranda conversio ejus, et triumphus quo vicit ad martyriumque perduxit philosophos. Insuper, quum gravissime flagellatam fecisset imperator in obscurissimum carcerem eam retrudi, et ibi per dies duodecim fame affligi, Deus carcerem copiosissima claritate replevit, et angeli vulnera virginis perunxerunt. Candidissimam quoque columbam Christus per dies illos misit ad illam, et cibo cœlesti aluit virginem sacram per illam columbam. Deinde ipsemet Christus cum multitudine angelorum virginumque sanctarum apparuit ei, dicens : Agnosce Creatorem tuum, o filia, pro quo laboriosum subiisti certamen, et constans esto, quoniam tecum sum. Quum demum imperator præparari fecisset quatuor rotas ferreis serris et acutissimis clavis circumseptas, quarum duæ uno ordine volverentur, et aliæ duæ contrario ordine, ut inter eas beatissima Catharina projiceretur ac penitus dissecaretur, ipsa Dominum exoravit ut ad suum honorem circumstantiumque conversionem opus illud terribile dissiparet. Et ecce mox angelus Dei cum tanto hoc impetu fecit, quod quatuor millia adstantium peremit gentilium. Quo viso, imperatrix dure corripuit de tanta ferocitate imperatorem. Qui indignans, jussit eam idola respuentem decol-

lari, prius tamen mamillis ejus extractis. Sequentique die, quum imperator audisset Porphyrium sepelisse reginam, fecit et ipsum Porphyrium ac milites ducentos idolorum sacrificia abhorrentes decapitari. Amplius, dum Catharina ante suam decollationem Christum orasset ut quicumque passionis suæ memoriam ageret, vel in morte aut quacumque necessitate se invocaret, misericordiam consequeretur ab ipso, vox de cœlo insonuit : Veni, dilecta mea, speciosa mea. Ecce cœli janua tibi est reserata. Nam et passionem tuam celebrantibus, teque invocantibus, optata præsidia promitto de cœlis. Quumque decollata fuisset, lac pro sanguine emanavit ; et angeli sancti corpus ejus tulerunt atque in monte Sinai sepelierunt : ex quo sacro corpore oleum jugiter fluxit, quo infirmi plurimi sunt curati.

Octava laus ejus, est fortitudo et patientia sua in passione. Fecit namque tyranA nus eam nudam scorpionibus flagellari ac graviter vulnerari, deinde in teterrimum carcerem claudi, atque in eo diu teneri, tandemque capite detruncari. Ipsa autem omnia fortissima ac patientissima pertulit mente. Et quum ei minaretur tyrannus, ipsa respondit : Quæcumque tormenta potes excogitare, ne differas. Nam corpus meum et sanguinem Christo offerre desidero, sicut et ipse pro me obtulit corpus suum et sanguinem Patri æterno. Et iterum : Quæcumque, inquit, animo concepisti, exsequere ; paratam me cernes ad omnia sustinenda.

Ecce quam gloriose, præclare ac multipliciter Sponsus cœlestis, Unigenitus Dei, ornavit ac sublimavit hanc suam electissimam sponsam. Eam igitur specialiter diligamus, devote rogemus, efficaciter imitemur, contemnendo prospera mundi, implendo mandata Altissimi, firmiter stando in via Dei, et proficiendo usque in finem.

AD RELIGIOSOS

SERMO QUARTUS

DE MODO OPTIMO QUO SAPIENTIÆ DONUM COMPARARE NOBIS POSSIMUS, ET QUANTUM VIRTUTIS SAPIENTIA IPSA HUMANÆ VITÆ ADDUCAT.

ERAT mulier illa prudentissima et speciosa valde. I Reg. XXV, 3.

Hæc verba de Abigail litteraliter scripta, de præclarissima ac electissima virgine ac martyre Catharina optime exponuntur, quia tam naturali sapientia quam divinarum Scripturarum notitia, fuit repleta. Per hanc suam electissimam sponsam, Christus fidem catholicam mirabiliter exaltavit ac ampliavit, atque per eam vere mirabiliter operari dignatus est, tenerrinam ac illustrissimam virginem tam ineffabiliter in tantis periculis et adversis corroborando, C tot ac tantos philosophos per eam vincendo ac convertendo, imperatricem quoque et Porphyrium cum suis militibus ad fidem atque martyrium perducendo.

In primis itaque, sacratissimæ virginis Catharinæ exemplo, cupidissimi simus sapientiæ salutaris, et quidquid de naturali philosophia noverimus, ad intellectum sacræ Scripturæ vertamus, et ad honorificentiam Creatoris, eum ex effectibus suis contemplando, mirando ac honorando, secundum quod hoc ex lumine naturalis ratiD tionis fieri potest ; formando tamen hujus-

modi actus per caritatem et gratiam, ut meritorii sint. Et quoniam scriptum est, *Eccli.* III, 31. Auris bona cum omni concupiscentia audiet sapientiam ; debemus ubique verba Scripturæ et documenta Sanctorum cum omni attentione audire.

Sap. I, 4. Denique, quia in malevolam animam non ingreditur sapientia salutaris, ad hoc quod donum sapientiæ perficiatur in nobis, et copiose illustremur a Spiritu Sancto, oportet in primis ut diligentes semper ac summe solliciti simus ad vitandum omne peccatum : quia mortale peccatum est excæcatio mentis omnimoda et expulsio sapientiæ quæ est donum ; veniale vero peccatum aliqualiter lædit et maculat oculum mentis, quemadmodum festuca oculum corporis. Idcirco venialium frequentia est vehementer nociva atque ad culpam mortalem dispositiva ; et tamen nisi quis diligentissimus fuerit coram Deo valdeque timoratus, incidit omni hora venialia multa, et tandem mortalia : quem- *Eccli.* XIX, admodum scriptum est, Qui spernit modi- 1. *Ibid.* XXVII, ca, paulatim defluit ; et rursus, Nisi in 4. timore Domini tenueris te instanter, cito subvertetur domus tua.

Præterea, sicut mortalia peccata aggravantur ex loco et tempore et circumstantiis aliis, ita et venialia suo modo. Potissimum ergo vitare debemus venialia in divino Officio, et in choro ac oratorio. Unde in Horis et psalmodia ac celebratione studeamus esse omnino intenti, stabiles ac ferventes, non distracti aut evagantes, neque per sensuum incustodiam evagationum materiam haurientes. Semper ergo cogitemus præsentiam Dei, et coram ejus conspectu nos collocemus, cum Sancto di- III *Reg.* XVII, centes : Vivit Dominus, in cujus conspectu 1 ; IV *Reg.* sto hodie. Væ eis qui oculis vagis, corde III, 14. intimorato, mente distracta in Officio stant divino, qui suas negligentias non advertunt, nec suas deplorant distractiones, imo crebro tædio afficiuntur in Deitatis obsequio, et orando ac Horas dicendo, hinc inde adspiciunt, et alias quasdam occupationes assumunt, accelerantque ad finem.

Isti sunt pigri ac tepidi, quibus metuendum est nimis illud comminationis divinæ : Quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo. Ponderantes ergo quod Scriptura disseruit, Maledictus qui opus Dei facit negligenter ; serviamus, oremus, psallamus ac celebremus cum metu et reverentia, cum fervore et stabilitate interna. Præterea, quia quotidie labimur, imo omni hora miserrimi instabilesque peccamus, et Deus requirit animam absque peccato ; propterea nos oportet omni hora expurgationi cordis insistere, examinationi conscientiæ frequenter omni die intendere, caritatis fervore venialia mala consumere, quotidianam confessionem cum ingenti diligentia et pudore, distincte ac plene peragere, atque confessione peracta in continua stare cordis custodia, nosque in omni tali exercitio virtuoso exercitare et habituare omni congrua hora, et occasiones peccandi vitare. *Apoc.* III, 16. *Jer.* XLVIII, 10.

Amplius, quia ut ait Scriptura, Qui conatur multa agere, incidet in judicium (propter quod rursus hortatur sermo divinus, Fili, ne in multis sint actus tui) ; idcirco ad proficiendum in sapientia ista salubri, necesse est occupationes superfluas, curiosas, distrahentes, non necessarias, evitare, imo nec utilibus injunctisque externis operibus immoderanter insistere. Nam virtus unita est fortior quam dispersa. Et verbum commune ac verum est, Pluribus intentus minor est ad singula sensus. Specialiter quoque de sapientia in Ecclesiastico fertur : Qui minoratur actu, percipiet eam. Nunquam ergo a spiritualibus actibus exercitiisque internis longe est recedendum. *Eccli.* XXIX, 26. *Ibid.* XI, 10. *Ibid.* XXXVIII, 25.

Adhuc autem, quoniam teste Scriptura, Non potest homo accipere quidquam, præsertim de infusis virtutibus et supernaturalibus donis, nisi datum fuerit ei desuper : siquidem omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum ; idcirco ad obtinendum sapientiam istam et ad proficiendum in ea, assidue et ferventer cum *Joann.* VI, 66 ; XIX, 11. *Jacob.* I, 17.

plenitudine fidei et spei invocandus est Dominus Deus, quemadmodum Jacobus ait apostolus : Si quis indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter et non improperat, et dabitur ei ; postulet autem in fide nihil hæsitans. *Jacob.* I, 5, 6.

Insuper, quoniam habitus tam infusi quam acquisiti, ex frequentatione suorum actuum roborantur et perficiuntur, propterea volens in sapientia ista proficere citoque perfici, se ipsum in actibus ejus exercitet, hoc est in contemplationibus divinorum, et assuescat cor suum ad Dominum elevare in omni etiam opere exteriori, in refectione corporali et collocutione humana, atque in meditationibus sanctis obdormiat. Assidue itaque elevemus mentem nostram ad Deum, considerando et contemplando infinitam perfectionem, excellentiam et beatitudinem ejus, superbeatissimam Trinitatem et omnem ipsius dignitatem et gloriam, mutuam intuitionem, dilectionem, complacentiam et fruitionem ipsius. Attendamus et contemplemur uberrime, quod Dominus Deus noster omnipotens, est ens absolute et infinite perfectum, prima, pura et incomparabilis bonitas, simplicissima unitas, increata, æterna exemplarisque veritas, incircumscripta majestas, actualissima vita, supersanctissima mens, separatus et in se subsistens, honoratissimus ac supersapientissimus intellectus, imo sapientia plena, supersplendidissima et immensa, pulchritudo interminata : et breviter, amabilitatis atque dulcedinis ejus nullus est finis. Sic et pietas, justitia, omnipotentia, opulentia, munificentia et libertas ipsius omni caret mensura ac termino. Hæc contemplando, accendamur tam incomparabilis boni amore ; et Creatoris, Dei ac Domini nostri dilectione totaliter penetremur, transformemur ac rapiamur in ipsum. Carnalia, temporalia et terrena arbitremur pro nihilo, nec eorum affectu inquinemus cor nostrum.

Porro, ad hanc contemplationem sæpe erigitur homo ex gratiosa Dei præventione et superna illuminatione. Interdum vero suo conatu seu exercitio elevat et disponit se ad eam ; atque interdum consurgit ad eam ex speciebus et considerationibus visibilium creaturarum ordinisque earum, quemadmodum Isaias propheta hortatur : Levate in excelsum oculos vestros, et videte quis creavit hæc. Et in libro Sapientiæ legitur : A magnitudine speciei et creaturæ poterit Creator cognosci. Imo, si profunde consideremus, nequaquam satis poterimus infinitam Dei sapientiam omnipotentiamque mirari in infimis rebus, verbi gratia, in cohabitudine potentiæ visivæ et sui objecti, et visualium specierum ac medii : utpote, qualiter visio fit intus suspiciendo, qualiter in oculo, imo in pupilla, simul et semel recipiuntur tam multorum ac differentium entium species, et quomodo color repente speciem suam diffundit et visum immutat, totumque medium replet etiam minima pars coloris ; et quale esse habeant species illæ diffusæ in medio differente, et in potentia ipsa visiva seu organo ejus. Interdum vero consurgit homo ad contemplationem hanc per intellectualium formas, spiritualesque species ac anagogicum lumen. *Is.* XL, 26. *Sap.* XIII, 5.

Postremo, ad proficiendum in sapientia ista, oportet proficere in omni virtute, præsertim in humilitate et caritate. Superborum namque et sublimium colla sapientia calcat, et elatas despicit mentes. Ubi autem humilitas, ibi et sapientia. Mansuetudo quoque est necessaria, quoniam ira mentis est turbativa et offuscativa. Nec minus necessaria est patientia, quæ ab inquietudine et mœrore male premente hominem tueatur. Immoderantia item cibi et potus contemplationem ac cetera spiritualia exercitia variis impedit modis. Imo in omni virtute morali oportet esse fundatum atque a passionibus reformatum. Idcirco præclarissimam virginem Catharinam, victoriosissimam martyrem, et mirabiliter præelectam Christi sponsam, filiam et amicam, devotissime invocemus, ardenter amemus, specialiter veneremur, et in omni virtute jugiter imitemur. *Eccli.* XXIV, 11. *Prov.* XI, 2.

SERMO QUINTUS

DE CASTITATE, FORTITUDINE ET CARITATE S. CATHARINÆ, ET QUA VIA FACILIUS EAS VIRTUTES CONSEQUI POTERIMUS.

SCIT omnis populus mulierem te esse virtutis. Ruth III, 11.

Quam excellenter electa, virtuosa, perfecta et sancta fuerit amabilissima, illustrissima, pulcherrima, sapientissima Catharina, constat ex hoc quod Deus omnipotens et æternus eam in sua passione sic mirificavit, et tot mirabilia per eam et propter ipsam operari dignatus est. Nam et angelus sanctus visibiliter ei apparuit, quod superatura esset philosophos pandens. Christus quoque apparuit ei in carcere cum angelorum sanctarumque virginum multitudine, ipsam roborans et consolans. Ad ejus item instantiam angelus cum tanto impetu crudelissime factas confregit rotas, quod quatuor millia infidelium interfecit adstantium. Quumque fuisset decollanda, et orationem complesset, vox de cœlo ruit atque insonuit : Veni, dilecta mea, sponsa mea ; ecce tibi cœli janua est aperta. Et sacro capite ejus absciso, lac effluxit pro sanguine. Moxque angeli sancti corpus ejus virgineum accipientes, detulerunt illud usque ad montem Sinai, et ibidem in sepulcro angelicis manibus præparato illud reverenter sepelierunt : ex cujus sanctissimo corpore oleum copiose emanans, cunctorum curavit infirmorum languores. Ecce qualiter Deus glorificavit hanc suam carissimam sponsam. Idcirco et nos debemus valde specialiter honorare, diligere, invocare eamdem.

Denique, quamvis fuerit omni virtute mirabiliter perornata, præcipue tamen videntur in ea præfulsisse castitas, constantia, caritas. In his igitur eam potissime imitemur : et diligenter nitamur ad hoc, ut nec indecentes corporis stimulos patiamur, nec aliquam cogitationem immundam in corde nostro aliquam facere moram sinamus, multoque minus consentiamus ei aut concupiscentiæ vili. Exteriores etiam sensus sic reprimamus, ne ex quovis eorum abusu in aliquod veræ castitati contrarium corruamus.

Ecce virgo ista sanctissima, quum haberet summas occasiones ad vitia carnis, utpote pulchritudinem, opulentiam, libertatem, adolescentiam et virorum præsentiam, nihilo minus mansit castissima. Insuper, nec blandimentis nec comminationibus, neque suppliciis poterat ad castitatis violationem induci, quamvis imperator ei promiserit quod prima in suo foret palatio. Quanta est ergo imperfectio, fragilitas, carnalitas nostra, quia quum simus separati a sæculo, detenti in claustro, pauperes, et maturæ ætatis, adhuc tamen turpibus imaginationibus immoramur, vana et lubrica cogitamus, in adspectu, tactu seu amplexu et osculo nos incaute habemus, et stimulum patimur? Qualis est ista cordis nostri depictio coram Deo? Heu ! quod in præsentia vultus divini et intuente Altissimo non erubescimus nos ita habere, et magis veremur ac reveremur humanum adspectum quam Dei intuitum ; nec solum in isto, verum in aliis quoque multis. O quoties ad Matutinas et Primas surgimus pigre, aut etiam obdormimus ! indisciplinate et indevote habemus nos in comedendo, potando, stando, orando, psallendo, dum ab hominibus non videmur ! Quæ omnia vitaremus, si ab uno honesto viro inspiceremur. Nonne Deus gloriæ et angeli sancti possunt nobis super hoc graviter indignari? Quare non potius cum

Job xxxi, 23. sancto Job quasi tumentes super nos fluctus Deum timemus, et omne ejus obsequium cum metu ac reverentia adimplemus? *Matth.* vii, 2. Certe qua mensura Deo metimur, ipse remetietur celeriter nobis. Sicut honoramus eum, sic honorabit et nos, prout *Joel* iii, 4. loquitur per Prophetam : Cito velociter reddam vicissitudinem vobis super caput vestrum. Resipiscamus ergo, et Deo majestatis immensæ cum omni diligentia, puritate, fervore adstemus, psallamus et obsequamur.

Secundo, illustrissimam virginem Catharinam sequamur in mentis constantia *Rom.* viii, 38, 39. ac fortitudine animæ, ut nulla adversitas, nulla prosperitas, nulla res, nullus eventus, nec timor mortis possit nos separare a Deo, a recta ratione medioque virtutum : sicque omnem impetum iræ, motum impatientiæ, molem tristitiæ, vanitatem sæcularis et carnalis lætitiæ, concupiscentiam sensualitatis penitus refrenemus, domare discamus, præcavere nitamur. Quod quia vires nostras transcendit, ipsum a Domino impetrare conemur orando, plorando, abstinendo, corpus disciplinis tangendo, et Christi passionem jugiter ac præcordialiter revolvendo ; considerando item exempla Sanctorum, documenta et præcepta Salvatoris, et quantus fructus ex isto sequatur. Qui contemnit vanam lætitiam, faciliter vincit inordinatam tristitiam, atque consolationem meretur divinam ; et impletur *Prov.* xii, 21. in eo quod scriptum est : Non contristabit justum quidquid ei acciderit.

Videmus in sæculo, quod viri juxta mundum istum prudentes, et arduissimam aliquam præ manibus causam habentes, non advertunt impertinentia parva et vilia, nec talia curant ; imo si eis proponuntur, repellunt et dicunt : Nos habemus jam alia agere. Quum igitur quilibet nostrum ingressus sit claustrum propter arduissimam, maximam et prægnantissimam causam, in qua ei incomparabilis lis est, ita quod nisi bene expedierit eam, perdit immensum bonum beatitudinemque completam, et ultra hoc incidit irremediabile, intolerabile et maximum malum : cur puerilia, frivola, stulta, inania quæque admittimus ? cur parva impertinentiaque curamus ? Nonne beatus vir cujus est nomen Domini spes ejus, et non respexit in vanitates et insanias falsas ? *Ps.* xxxix, 5. Quæ autem est causa nostra propter quam expediendam huc venimus, nisi juxta hujus vocationis exactionem et nostræ professionis tenorem Deo digne servire, nos ipsos quotidie vincere, ad perfectionem indesinenter accelerare, placereque Deo, et ad reddendam Christo judici rationem nos præparare, damnationem evadere infernalem, et gloriam adipisci æternam ? Nonne incomparabiliter grandis est causa hæc ? Cur ergo admittimus aliquid quod ab expeditione hujus causæ est impeditivum ? Cur quærimus ea quæ nos nequeunt adjuvare ad peragendum salutis nostræ negotium ? Si ea quæ carnem fovent, spiritum necant ; cur in carnalibus quærimus abundare ac delectari, et non potius simplici victu et vestitu solisque necessariis contentamur ?

Denique, si adversa magis quam prospera proficiunt ad salutem, et conferunt ad profectum ; si saluberrimum est in præsenti vita disciplinari, corripi, refrenari, humiliari, subesse, et per tribulationes purgari : cur magis optamus prospera quam adversa ? cur potius placent nobis verba commendationis et adulationis, quam increpationis et correctionis ? cur publice reprehendi, vituperari, puniri abnuimus ac veremur ? O quantum distamus a proprietatibus veri perfectique monachi ! Heu ! multum deficimus a plena humilitate et mortificatione salubri, quia non volumus vilipendi, et in cordibus aliorum vilescere, atque in spirituale nihilum redigi. Idcirco exteriora exercitia nostra et corporales labores parum in nobis fructificant ; et stolidi esse viatores probamur, quia tot et tanta diverticula non vitamus, sed amplexamur, rectissimumque et compendiosissimum iter salutis in sacra religione non gradimur, imo multipliciter et frequenter reflectimur inordinate ad nosmetipsos.

Verum ita non egit sacratissima et dulcissima Catharina, sed quum ei imperator magna promitteret, et in sponsam vellet habere, respondit : Attende et decerne quem debeo magis diligere, potentem, æternum, speciosum et gloriosum, an infirmum, mortalem, deformem atque ignobilem. Christo me offero. Ipse enim est Deus meus, amor meus, pastor meus, et sponsus meus. Ita dicamus et nos, dum nobis persuadet tentator ut summo et incommutabili bono aliquid caducum et transitorium præponamus, ut recedamus a Christo salvatore et summo amatore benefactoreque nostro. Ipse sit amor noster, qui tantum amavit nos prior, quod se ipsum dedit pro nobis oblationem et hostiam Patri in odorem suavitatis.

I *Joann.* IV, 10, 19. *Ephes.* V, 2.

Præterea ipse vere est pastor noster, qui non solum suæ deitatis contemplatione et dilectione nos pascit in præsenti per gratiam, et in futuro per gloriam, sed proprio quoque corpore ac pretiosissimo sanguine nos alit quotidie ; qui et multiplici alio nos pane reficit, pane videlicet bonæ operationis, pane lacrimarum et pœnitentiæ, pane vitæ et intellectus. Ipse sit unicus sponsus animæ nostræ, ita ut nihil suæ dilectioni contrarium anima nostra acceptet, amplectatur, admittat, sed ipsum toto stringat affectu, ejusque gratia fecundetur, divino lumine exhilaretur, in ipso et per ipsum et ex ipso fructificet. Caveat semper ne cum filiis Aaron, Nadab et Abiu, qui alienum in suo posuerunt thuribulo ignem, mereatur cœlesti plaga feriri, si inordinatæ affectionis, carnalis amoris, iræ aut impatientiæ ignem in suo posuerit corde, in quo ardere non debet nisi ignis spiritualis ac divini amoris, qui tam fervens et stabilis sit in nobis, ut semper accendat et ferat nos sursum, nec sinat terrenorum fæcibus obrui aut in sensibilibus detineri : imo quanto sæpe plus a suo cessat fervore, excitatione et ascensione, tanto validius mox erumpat, succendatur et elevet, atque in solo dilecto, in solo sponso naturaliter et incircumscriptibiliter bono, amabili, pulchro, dulci, potente ac sapiente, quiescere faciat et obdormire, rapi et absorberi, in tantum ut nec aquæ multæ tribulationum, nec flumina tentationum queant in nobis exstinguere, imo nec tepefacere caritatem, sed eo plus suo resistat contrario, et inardescat ac prævalescat, quo acrius multipliciusque tentatur. Ad laudem omnipotentis Dei, qui est super omnia Deus sublimis et benedictus in sæcula. Amen.

Lev. X, 1, 2.

Cant. VIII, 7.

COMMUNE

PLURIMORUM MARTYRUM

ENARRATIO IN LECTIONEM LOCO EPISTOLÆ

JUSTI IN PERPETUUM VIVENT, ETC. Sap. v, 16-20, 22.

QUAM difformis sit vita reproborum et justorum, quam dispar exitus, et quam dissimile præmium, Sapiens volebat ostendere, quum ante verba hujus lectionis, quæ loco epistolæ legitur, pronuntiaret justos, qui ab impiis hic in mundo florentibus contempti, oppressi, persecutionibus fugati atque occisi sunt,
Sap. v, 1. in futuro judicio staturos in magna constantia adversus eos qui se deprimebant; impios vero luctum magnum habituros,
Ibid. 8-13. quum omnis ipsorum jactantia, omnis tu-
Ibid. 15. mor ac superbia transierit, omnis spes ut lanugo quæ a vento tollitur, perierit, ac tandem vita ac memoria sui, tanquam memoria hospitis unius diei prætereuntis,
Ps. CXI, 7. in oblivionem abierit. Porro justorum memoria non peribit, quia ut dicit:

Justi in perpetuum vivent: quia in sæ-
I *Cor.* XIII, culo isto vivunt per caritatem, quæ nun-
8. quam excidit, et in futuro per beatam fruitionem. Et ita hic vivunt vita gratiæ, de qua transferuntur ad vitam gloriæ. Quod si ad tempus in purgatorio detineantur, manent ibidem in caritate et gratia, et vehementissime adspirant ad gloriam, cujus dilatio eis ineffabiliter est pœnosa. Hinc in Evangelio asserit Chri-
Joann. XI, stus: Qui credit in me, non morietur in
26. æternum; itemque,
Ibid. VIII, 52. Si quis sermonem meum servaverit, non gustabit mortem in æternum.

Et apud Dominum est merces eorum: id est, tota eorum salus ac præmium essentiale consistit in Deo, videlicet in immediata, clara, faciali ac fruitiva visione ipsius. Accidentale autem præmium consistit in rebus et objectis creatis ad Deum relatis: præsertim in Christi humanitate, deinde in gloriosissimæ Virginis intuitione, ac deinceps in omnium supernorum civium mutua contuitione, societate, dilectione, communione. Hinc ait in prima sua Canonica Joannes apostolus: Nunc
I *Joann.* III, 2. filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam quum apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est. Paulus quoque: Videmus (in-
I *Cor.* XIII, 12. quit) nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. *Et cogitatio illorum apud Altissimum.* In hac etenim vita conantur cogitationes suas stabilire in Deo, juxta illud, Jacta cogitatum tuum
Ps. LIV, 23. in Dominum; et tota eorum intentio fertur in Deum, ad cujus honorem et gloriam ordinant se et omnia sua. Porro in patria cogitatio eorum est immobilitata in Deo, nec ibi sunt cogitationes volubiles sicut modo. Nulla vero potest ibi evagatio cordis consistere: quoniam quidquid aliud cogitant quam Deum, indeviabiliter referunt in eum.

Ideo accipient regnum decoris de manu Domini, id est splendidissimum illud

regnum cœleste, de omnipotenti liberali-
Matth. xxv, 34. tate Salvatoris : qui dicet, Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi. De
Ps. xxv, 8. quo ait Propheta : Domine, dilexi decorem domus tuæ, et locum habitationis
Is. lx, 19. gloriæ tuæ ; et Isaias : Non erit tibi sol amplius ad lucendum per diem, nec splendor lunæ illuminabit te ; sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam, et Deus tuus in gloriam tuam. *Et diadema speciei de manu Domini,* id est coronam pulchritudinis gloriosæ, quæ est aurea, scili-
Ps. xx, 4. cet præmium essentiale. De qua fertur in Psalmo : Posuisti in capite ejus coro-
Ps. viii, 6. nam de lapide pretioso ; itemque, Gloria et honore coronasti eum, Domine. *Quoniam dextera sua teget eos,* id est, per virtutem gratiosæ suæ præsentiæ hic eos operiet, eisque obumbrabit contra æstum tentationum et impugnationes concupiscentiarum ; *et brachio suo defendet illos,* id est, virtute et omnipotentia sua atque per dona gratiæ suæ contra invisibiles ac visibiles hostes eos tuebitur : non ut non impugnentur, sed ne finaliter ac spiritualiter superentur, sed magis prævaleant :
Ps. xxvii, 8. quemadmodum scriptum est, Dominus fortitudo plebis suæ, et protector salvationum
Ps. xvi, 8. Christi sui est. Ideo exoramus : Custodi me, Domine, ut pupillam oculi ; sub umbra alarum tuarum protege me. Hinc hor-
Ephes. vi, 10. tatur Apostolus : Confortamini in Domino, et in potentia virtutis ejus. Isaias quoque
Is. iv, 5, 6. inducit : Super omnem gloriam protectio erit in umbraculum diei ab æstu, et in securitatem et absconsionem a turbine et a pluvia. Hoc est quod promittit Psalmi-
Ps. xc, 4, 5. sta : Scapulis suis obumbrabit tibi, et sub pennis ejus sperabis ; scuto circumdabit te veritas ejus.

Consequenter describitur impiorum punitio, magis quam ante in speciali : et loquitur de Deo quasi de homine judicante, irato, seque armante, et alios in adjutorium assumente adversus reos. Frequenter equidem loquitur Scriptura de Deo more humano, ut humanæ mentis imbecillitas amplius informetur ac fortius compungatur. *Et accipiet armaturam zelus illius :* id est, amor Dei ad justitiam, et zelatio ejus contra iniquitatem, per modum armantis se procedet contra iniquos. Porro arma Dei sunt, omnipotentia, justitia, veritas ejus : quæ dicitur accipere, quando per ea procedit in actum, juxta illud in Apocalypsi : Gratias agimus tibi, *Apoc.* xi, 17. Domine Deus omnipotens, qui accepisti virtutem tuam magnam. Unde orat vir sanctus : Apprehende arma et scutum, et *Ps.* xxxiv, 2. exsurge in adjutorium mihi. Sic homo dicitur pedem suum accipere, quando cum eo aliquem trudit. *Et armabit,* id est, expeditam efficacemque faciet, *creaturam ad ultionem inimicorum,* id est ad puniendum per creaturam subjectorum vitia iniquorum, qui sunt adversarii Dei : quos Deo jubente ignis succendet, et cetera elementa affligent, impressionesque aeris perterrebunt, sicut Christus prædixit : Erunt signa in sole et luna et stellis, et *Luc.* xxi, 25. in terra pressura gentium præ confusione sonitus maris et fluctuum.

Induet pro thorace justitiam, id est, propria justitia utetur pro forti lorica ; *et accipiet pro galea judicium certum :* id est, tam evidenter justum exercebit judicium, quod nullus poterit reclamare, omnesque scient rectissimum esse ejus judicium. *Sumet scutum inexpugnabile, æquitatem :* id est, æquitate sua pietati contemperata, pro invincibili et imperforabili scuto utetur. *Ibunt directe promissiones,* id est, complebitur quidquid bonis et malis promissum est. *Et ad certum locum deducet eos Dominus Deus noster,* id est, ad certum locum deducet impios, qui paratus est diabolo et angelis ejus, cum quibus impii omnes ibunt in supplicium æternum (terra eos absorbente) ad terribilem illam vocem Judicis : Ite, maledicti, *Matth.* xxv, 41. in ignem æternum, etc. Pios vero recipiet cum benedictione suavissima, dicens : Ve- *Ibid.* 34. nite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi.

ENARRATIO IN EVANGELIUM

ELEVATIS JESUS OCULIS IN DISCIPULOS SUOS, ETC. Luc. VI, 20-23.

(Enarrationem evangelii, Quum audieritis prælia et seditiones, etc., *quære in festo S. Dionysii martyris.)*

SERMO ille quem Christus loquitur de beatitudinibus et perfectionibus quæ sequuntur, est quem Matthæus diffusius *Matth.* v-vii. in tribus capitulis describit, et vocatur sermo Domini in monte : super quem beatus quoque Augustinus librum singularem composuit. In hoc igitur sermone datur lex evangelica, et quidquid ad bonos mores boni Christiani pertinet. Dicit itaque Lucas :

Elevatis Jesus oculis. Verecundiam Dominus Jesus nos docet in oculis et visu, ne vagi circumferamur, oculis omnia lustrantes, et aut concupiscentiarum aut distractionum materias colligentes. *In discipulos suos,* quibus præcipue hæc quæ perfectionis erant loquebatur. *Dicebat : Beati pauperes.* Matthæus (ut dixi) easdem beatitudines describit, sed ponit plures quam hic Lucas. In prima tamen conveniunt, nisi quod Lucas minus exprimit. Matthæus *Ibid.* v, 3. addit, Spiritu, dicens : Beati pauperes spiritu ; Lucas vero dicit : « Beati pauperes ». Quod dupliciter explanatur. Primo, de voluntaria paupertate propter Deum sponte assumpta, desiderata, vel complacente, qua terrenæ opes seu temporalia, quantum congrue fieri potest, spernuntur vel abjiciuntur, ut mens Deo et contemplationi liberius atque perfectius vacet. Unde *Luc.* XIV, 33. et Christus ait : Qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Tanto etenim perfectius et ex- *Ibid.* x, 42. peditius anima intendit altius ac uni super omnia necessario, quanto minus circa plura et temporalia occupatur, dispertitur, distrahitur. Secundo exponitur : « Beati pauperes », id est humiles, qui in oculis suis parvi, defectuosi seu indigentes sunt, potissimum intuitu Dei ; qui nihil boni se a se habere fatentur, et omne bonum Deo adscribunt.

Quia vestrum est regnum Dei. Quia Christus in discipulos visum direxit, idcirco ad eos verbum hoc dirigit. In qualibet autem beatitudine duo ponuntur : primum, per modum meriti ; secundum, per modum præmii merito correspondentis. Itaque, postquam Christus proposuit meritum, dicens, « Beati pauperes » spiritu, utpote qui præfato modo terrena despiciunt, vel se ipsos humiliant ; proportionatum et consonum mox subjungit præmium, « quia vestrum est regnum Dei », id est opulentia felicitatis æternæ, altitudo regni cœlestis. Præfatæ etenim paupertati illa opulentia correspondet, et humilitati illi, sublimitas ista, quemadmodum Christus ait : Qui se *Luc.* XIV, 11. humiliat, exaltabitur. Rectissime quoque cœlestium bonorum possessio, contemnentibus propter Deum temporalia bona promittitur.

Deinde secunda beatitudo subjungitur, quæ a Matthæo ponitur quarta. *Beati qui* *Matth.* v, 6. *nunc esuritis.* Quum beatitudo sit exclusiva pœnæ atque miseriæ, mirum quod Christus esurientes et flentes ac persecutionem patientes asserit esse beatos. Sed advertendum, quod duplex est beatitudo, videlicet, viæ, et patriæ. Beatitudo viæ est actus meritorius beatitudinis patriæ, scilicet actus virtuosus qui meritum est et dispositio ad felicitatem patriæ. Itaque, esurientes, flentes, adversa patientes, pauperes,

et ceteri quos Christus nunc asserit esse beatos, beati sunt jam in re, loquendo de beatitudine viæ, suntque beati in spe, loquendo de beatitudine patriæ.

Porro quod ait, « Beati qui nunc esuritis », primo exponitur de corporali esurie prout est actus virtutis, videlicet abstinentiæ, qua quis sponte propter Deum corpus suum castigat, affligit, et quodammodo necessaria subtrahit ei, sicut ait Apostolus : *1 Cor.* IX, 27. Castigo corpus meum et in servitutem redigo ; *Galat.* V, 24. et iterum, Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis. Beati sunt quoque, qui ex defectu alimentorum esuriunt, dummodo hoc propter Deum patienter sustineant, vel propter eum tantam elegerint inopiam, vel propter eum alimentis priventur ab impiis, sicut de multis martyribus legitur. Ista ergo esuries a Christo fertur beata, quia est dispositiva ad gratiam, introductiva ad gloriam, satisfactoria pro peccatis et delectationibus inordinatis ; specialem quoque illuminationem et sapientiæ infusionem meretur a Deo : quemadmodum Danieli et sociis ejus infudit *Dan.* I, 9-17. Dominus sapientiam magnam, eo quod abstinentiæ operam contulerunt, ut legitur *Is.* XXVIII, 9. in Daniele. Et in Isaia inquiritur : Quem docebit Dominus scientiam ? et quem intelligere faciet auditum ? Ubi protinus respondetur : Ablactatos a lacte, avulsos ab ubere ; hoc est eos qui carnales spernunt delicias, et sensualitatem per abstinentiam ac cetera virtutum exercitia rationi subjiciunt. Ideo scriptum est : *Prov.* XXI, 17. Qui amat vinum et pinguia, non erit sapiens. — Secundo exponitur de spirituali esurie, qua quis justitiam cordialiter appetit, prout justitia est virtus generalis omnisque virtus. Sic spiritualiter esurire, est quotidianum profectum in omni virtute optare, Dei honorationem in omnibus desiderare, omnium reformationem et perfectionem recte affectare : quod venit ex caritate et zelo justitiæ. Esuriamus ergo justitiam istam ; nec unquam satis justos nos esse putemus, sed omni hora satagamus proficere, quum et Apostolus dicat : Ego non arbitror me apprehendisse ; et quæ retro sunt oblivi- *Philipp.* III, 13. scens, in anteriora extendo me ipsum.

Hujus autem beatæ esuriei præmium subditur. *Quia saturabimini,* id est, bonis spiritualibus replebimini, præsertim donis gloriæ in patria, dicente Psalmista, Satia- *Ps.* XVI, 15. bor quum apparuerit gloria tua. Ibi nempe tota capacitas ac desiderium animæ adimplentur, et tota ejus potentialitas ad actum perfecte reducitur, per hoc quod Deum clare per speciem contemplatur, ipsoque fruitur. Unde quidquid scire vel habere cupit, scit et habet : quod potissimum erit post corporum glorificationem. Denique, etiam in præsenti, taliter esurientes aliqualiter saturantur charismatibus gratiarum et pane sacramentali, quum et Psalmista loquatur : Benedic, anima mea, *Ps.* CII, 1, 5. Domino, qui replet in bonis desiderium tuum ; et denuo, Timete Dominum, omnes *Ps.* XXXIII, 10. sancti ejus, quoniam nihil deest timentibus eum. De his quoque qui experiri so- *1 Petr.* II, 3. lent quam dulcis est Dominus : Memoriam *Ps.* CXLIV, 7. (inquit) abundantiæ suavitatis tuæ eructabunt. Talis autem ructus, non nisi de saturitate seu plenitudine quadam venit, secundum Bernardum. Imo, sæpe tanto dilectionis fervore, tanta contemplationis admiratione et sinceritate, tanto divinæ supersuavissimæ bonitatis dulcore desuper gratiose implentur, ut nec ipsimet ferre prævaleant, sed mente et corpore deficiant et succumbant, obrigescant et langueant : quod expertus fuit qui dixit, Defecit caro mea et cor meum. Et Jere- *Ps.* LXXII, 26. mias : Factus est (inquit) sermo Domini *Jer.* XX, 9. in corde meo quasi ignis exæstuans ; et defeci, ferre non sustinens. Verum abundantia ista non est continua, neque simpliciter plena, quia interrumpitur sæpe, et ad facialem Dei superbenedicti intuitionem, ejusque indeficientem beatificam fruitionem, omnis talis adspirat, cum Apostolo clamans : Infelix ego homo ! quis me *Rom.* VII, 24. liberabit de corpore mortis hujus ?

Sequitur beatitudo tertia, quæ a Matthæo *Matth.* V, 5. tertia ponitur. *Beati qui nunc fletis,* id

est, vestra vel aliorum peccata caritative et dolorose deplangitis, vel desiderio patriæ cœlestis, hujus exsilii incolatum deploratis, vel Christi passionem meditando, ex ejus compassione lugetis. Est demum et alter nobilissimus ac felicissimus fletus, non ex aliqua adversitate, pœna aut tristitia manans, sed ex sincerissima quadam complacentia superdeliciosissimi Dei: dum in alta contemplatione Deus cum singulari quadam claritate ac sinceritate ostendit se intellectui contemplantis, ita quod sinus mentis, et apex affectus, mox totus aperitur, expanditur, absorbetur in tam superincomparabili superpulcherrimoque objecto, et anima ineffabilem complacentiam concipit et habet in eo, atque ex hoc dulces per oculos guttæ funduntur.

Quia ridebitis, id est, internam consolationem cordialemque jucunditatem in patria, pro præmio suscipietis. Non ergo de vano et exteriori risu hoc dictum est, sed de alacritate et lætitia spirituali : de qua in Proverbiis fertur de forti muliere, *Prov.* xxxi, 25. Ridebit in die novissimo ; in Job quoque, *Job* viii. 21. Impleatur os tuum risu, et labia tua jubilo. Hæc merces boni ploratus, etiam in vita hac inchoatur in his qui cum Psalmi- *Ps.* xciii, 19. sta dicere possunt Deo : Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam *Ps.* xxx, 20. meam ; et rursus, Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine ! Itemque cum II *Cor.* i, 3, 4. Apostolo : Benedictus Deus, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra ; et denuo, *Ibid.* 5. Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita per Christum abundat consolatio nostra. Clementissimus etenim Dominus, etiam in præsenti servulos suos consolari et lætificare dignatur frequenter et abundanter, eos videlicet qui præfatis luctibus se affligunt, qui omne carnale oblectamen- *Ps.* lxxvi, 3, 4. tum despiciunt, juxta illud : Renuit consolari anima mea ; memor fui Dei, et delectatus sum.

Præterea contuendum, quod Christus in his duabus beatitudinibus addit « nunc », dicendo, Beati qui nunc esuritis, Beati qui nunc fletis : ad insinuandum quod tempus vitæ præsentis sit tempus pœnitentiæ ac mœroris, quia in valle lacrimarum, in carcere atque exsilio conversamur, et innumerabilia sunt pericula.

Sequitur beatitudo quarta, quæ in Matthæo ordinatur octava. *Beati eritis, quum vos oderint homines* propter veritatem, et justitiam vestram, seu aliam quamcumque virtutem et gratiam. Sic autem odire, non convenit nisi vitiosis hominibus. Unde, homo hic accipitur in malo, videlicet quantum ad id quod homines communiter magis sequuntur, quod est sensualitas passionesque ejus. Juxta quem modum ait Apostolus : Quum sit inter vos zelus et contentio, nonne homines estis? Et iterum, Si hominibus placerem, Christi servus non essem ; quum tamen alibi protestetur, Ego per omnia omnibus placeo. Præterea, sicut amare, est alicui bonum velle ; ita odire, est alicui malum velle. De tali odio ait Christus discipulis : Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit ; et alibi, Eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum. *Et quum separaverint vos* a sua societate, quasi indignos eorum consortio : juxta illud Proverbiorum, Abominantur impii justum ; et rursus, Viri sanguinum oderunt simplicem. Unde in Joanne habetur : Conspiraverunt Judæi, ut si quis confiteretur Jesum esse Christum, extra synagogam fieret. *Et exprobraverint,* convitia et improperia irrogando : juxta illud Petri, Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis. Et ad Corinthios scribit Apostolus : Maledicimur, et benedicimus. *Et ejecerint nomen vestrum tanquam malum,* id est nomen et famam quibus Christiani vocamini, vel, « nomen vestrum », id est vos ipsos, quos exsecrantur tanquam pessimos, omnino impetuose expulerint ; *propter Filium hominis,* id est ob id quod in me creditis, vel mihi obeditis et secundum mea præcepta aut consilia vivitis. Itaque quicumque hæc patitur propter justitiam aut

Matth. v, 10-12.
I *Cor.* iii, 3.
Galat. i, 10.
I *Cor.* x, 33.
Joann. xv, 18.
Luc. xxi, 17.
Prov. xxix, 27.
Ibid. 10.
Joann. ix, 22.
I *Petr.* iv, 14.
I *Cor.* iv, 12.

virtutem, patitur propter Christum. Non est autem magnum hæc pati propter proprias culpas, imo cavendum ne taliter patiamur. Ideo in prima sua Canonica loquitur
I *Petr.* II, 20. princeps Apostolorum : Quæ est gratia, si peccantes et colaphizati suffertis? Si autem benefacientes sustinetis, hæc est gra-
Ibid. IV, 15. tia apud Deum. Et iterum ait : Nemo vestrum patiatur ut homicida aut fur.

Præterea, quamvis Christus beatos appellet eos qui odiuntur et prædicta patiuntur adversa; non tamen propterea optare debemus ut alii nos odiant et infestent, præsertim in quantum talia habent rationem peccati : imo, hoc esset caritati contrarium, desiderare aliorum ruinam. Sed ideo Christus hæc dicit, ut in adversis patientiam inconcussam servemus, nec propter aliorum odium et persecutionem, viam justitiæ relinquamus.

Gaudete in illa hora, et exsultate : id est, dum ista patimini, in eisdem gaudete interiori jucunditate, et exsultate exteriori lætitia, ut corde et corpore seu appetitu intellectivo ac sensitivo lætemini : juxta
Ps. LXXXIII, 3. quod scriptum est, Cor meum et caro mea exsultaverunt in Deum vivum. Exsultatio quippe, quasi extra saltatio dicitur, dum gaudium internum redundat in corpus viresque sensitivas, ita quod ex abundantia interioris delectationis signa lætitiæ foris monstrantur. Hoc fecerunt Apostoli, juxta illud Actuum : Ibant gaudentes a conspe- *Act.* V, 41. ctu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati. Et beatissimus Andreas apostolus, crucem eminus videns : Gaudens, inquit, venio ad te, ita ut tu gaudens suscipias me. Hinc Jacobus: Omne gaudium (inquit) existimate, fratres, *Jacob.* I, 2. quum in diversas tentationes incideritis. *Ecce enim merces vestra multa est in cœlo.* Ideo taliter gaudere et exsultare debetis, quia pro temporalibus istis persecutionibus præmium copiosum in regno cœlesti habebitis. De quo præmio Isaias et Paulus testantur, quod oculus non vidit, nec auris *Is.* LXIV, 4; audivit, nec in cor hominis ascenderunt, *I Cor.* II, 9. quæ præparavit Deus electis. Hoc utique præmium tam multum est, ut innumerabile appelletur; tam pretiosum, ut incomparabile asseratur; tam magnum, ut inæstimabile sit; tam diuturnum, ut interminabile exstet. Quæ est beatitudo æterna, prout beatitudo dicitur status omnium bonorum aggregatione perfectus. Hæc est una ratio gloriandi in adversis. Propter quod ait Apostolus : Id quod in præsenti II *Cor.* IV, est momentaneum et leve tribulationis 17. nostræ, æternum gloriæ pondus operatur in nobis.

SERMO PRIMUS

DE INTEGRA ET FIRMA FIDE SANCTORUM, QUA OMNIA TORMENTORUM GENERA CONSTANTISSIME VICERUNT; ET QUOD OMNIUM VIRTUTUM PRINCIPIUM SIT ET FUNDAMENTUM VALIDUM, FORMATA FIDE DEO ADHÆRERE JUGITER.

VOBIS donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini. Philipp. I, 29.

In his verbis tangitur duplex donum quod hominibus datur a Deo. Primum est, vera et integra fides, hoc est fides catholica, quam tenet adhuc Romana et universalis Ecclesia. Secundum est, passio, martyrium seu mors pro fide inflicta. Quum etenim omne bonum sit Dei donum, juxta illud Apostoli, Quid habes quod non acce- I *Cor.* IV, 7. pisti? constat quod fides, quæ est tam magnum bonum, sit utique donum Dei. Unde et Jacobus asserit : Omne datum *Jacob.* I, 17.

optimum, et omne donum perfectum, desursum est, descendens a Patre luminum.

Deinde, inter omnes virtutes quibus in hac vita indiget atque perficitur homo, primum et summum habent locum virtutes theologicæ, quæ sunt tres : de quibus
I *Cor.* XIII, 13. dicit Apostolus, Nunc autem manent fides, spes, caritas, tria hæc. Harum ergo trium dignissimarum virtutum, quæ theologicæ seu divinæ vocantur, quoniam Deum habent pro objecto, prima est fides, summa est caritas, media vero est spes. Insuper, fides est quædam supernaturalis notitia divinorum. Per fidem namque cognoscimus quædam de Deo atque divinis, quæ per naturalem rationem cognosci et inveniri non poterant : ut quod Deus est unus et trinus, quod Christus est Deus et homo, quod S. Maria est mater et virgo, quod Christus est in Sacramento altaris. Hoc autem est magna pietas et gratia Dei, quod illa nobis revelat de se et suis effectibus, quorum cognitio nostram naturalem superat rationem, atque ingenitam capacitatem transcendit. Ideo constat quod fides sit donum Dei præcipuum, et omnium fundamentum virtutum, imo et inchoatio quædam futuræ felicitatis in nobis. Quid equidem est futura felicitas, nisi clara et supernaturalis cognitio Dei facie ad faciem, hoc est immediata per speciem, qua Deus in se ipso videtur sicuti est in propria infinitaque luce? De qua visione ait in prima sua epistola Joannes apostolus :
I *Joann.* III, 2. Carissimi, nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus; scimus quoniam quum apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est. Hujus autem beatificæ cognitionis Dei inchoatio est
I *Cor.* XIII, 12. cognitio fidei, qua nunc per speculum in ænigmate, hoc est obscure et imperfecte, cognoscimus quæ tunc clare ac perfecte
Ibidem. visuri sumus, dicente Apostolo : Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum. Itaque fides est
II *Thess.* III, 2. præcipuum donum Dei. Propter quod ait
Act. XIII, 48. Apostolus : Non omnium est fides. Et in Actibus scriptum est : Crediderunt quot- A quot præordinati erant ad vitam æternam.

Denique fides in sanctis martyribus magnæ excellentiæ fuisse probatur. Fuit enim in eis magnæ firmitatis et claritatis seu certitudinis. Quod fuit in eis magnæ firmitatis, id est fortitudinis seu stabilitatis, hinc innotescit, quod nec per philosophorum argumenta, nec per tyrannorum supplicia, nec per experimentorum apparentiam, nec per quamcumque terrenam prosperitatem potuerunt a fide averti, sed pro ejus defensione mille tribulationes B perpessi sunt. Habuerunt etenim fidem cum rationibus credendorum et purificatæ mentis intelligentia : quia per donum sapientiæ Deus corda ipsorum copiosissime illustravit ac docuit, ita quod intellexerunt clarissime nihil rationabilius esse his quæ catholica tradit fides, præsertim dum omnia quæ sunt fidei et universa argumenta ipsius comportantur. Imo tantæ firmitatis ac certitudinis erant in fide, quod virtute fidei magna egerunt miracula, et probaverunt quam vere Christus in Evangelio di- C xerit, Omnia possibilia sunt credenti; itemque, Qui credit in me, opera quæ ego facio et ipse faciet, et majora horum faciet. Hinc et martyres sancti in ipsis suis martyriis admiranda fecerunt miracula, ita quod quanto tyranni plus conabantur christianam fidem per Christianorum occisionem exstinguere, tanto plus inter ipsas persecutiones excrevit hæc fides : quoniam inter ipsa tormenta gloriosi martyres tot et tantis coruscaverunt miraculis, quod frequenter in martyrio unius martyris aut D paucorum convertebantur ad fidem multa centena aut millia paganorum. Ideo optime protulit Leo Papa : Non minuitur persecutionibus Ecclesia, sed augetur; et dominicus ager majori semper fertilitate exsurgit, dum grana quæ singula cadunt, multiplicata resurgunt. — Præterea, quod fides martyrum fuit præcipuæ claritatis ac certitudinis, patet ex dictis. Nam fidem habebant cum rationibus credendorum et depuratæ intelligentia mentis. Idcirco nihil tam certe eis constabat ut fidei veritas:

Marc. IX, 22. *Joann.* XIV, 12.

cujus certum exstat indicium, quod pro ea et ex ea tam prompto, jucundo ac fervido animo amarissimas pœnas et crudelissimas perpessi sunt mortes.

Secundum donum sanctis martyribus a Deo datum, est quod pro Christo tot et tanta sustinuerunt. Talis namque sustinentia est donum saluberrimum et præclarum, non maxime aut præcise in quantum est quædam pœna, sed in quantum ex caritate et animi fortitudine pro Christo, pro fide, pro justitia, ad Dei honorem spontanee toleratur.

Est ergo sustinentia ista seu passio vel martyrium, maximum Dei donum. Primo, quia non propriis viribus, sed auxiliante Deo et virtutum vigorem eis præstante, beatissimi martyres tanta sustinuerunt pro fide atque justitia. Nempe, quum Leo Papa affirmet, Magnus vigor est animarum, illa incunctanter credere quæ corporeo non videntur adspectu, et illic figere desiderium quo nequeas inferre adspectum ; multo certe major vigor est animi, pro talibus etiam crudelissima pati tormenta ac mori. — Secundo, quia per talem sustinentiam copiosissimum præmium sunt sortiti. Martyrium etenim pro omni satisfacit patientis peccato, ita quod martyres evolant, hoc est, absque alia pœna beatitudinem sortiuntur, et insuper aureolam promerentur ac adipiscuntur. Sed et passio illa quam sustinent, in quantum ex caritate acceptatur ac toleratur, est valde meritoria præmii essentialis, scilicet beatificæ visionis Dei, quæ omne accidentale præmium incomparabiliter superat ac transcendit. Rursus, quum Deus in tribulationibus maxime ac gratiosissime adsit suis fidelibus (propter quod ait in Psalmo, *Ps.* xc, 15. Cum ipso sum in tribulatione); credendum est quod in sanctis martyribus tempore persecutionis eorum valde augeat caritatem et gratiam suam per tribulationes illas quas patiuntur pro ipso : sicque sustinentia illa est eis fructuosissima ac saluberrima ; ergo est maximum donum Dei.

Tertio, quia per talem sustinentiam singulariter conformati sunt capiti suo, Domino Jesu Christo. Nam sicut ille absque sua culpa pro ipsis est crucifixus et mortuus, sic ipsi absque suis demeritis pro Christo passi sunt mortem. Verumtamen in hac re inter Christum et martyres sanctos grandis est differentia : quoniam Christus pro martyrum et omnium electorum salute sustinuit mortem, non autem martyres pro Christi salute. Iterum, quia Christus non indiguit mori pro nobis, sed aliunde exstitit felix ; martyres vero indiguerunt mori pro illo. Item, Christus non tenebatur pati pro ipsis, sicut econtra ipsi pro Christo, præsertim in casu : quum etenim homo teneatur plus diligere Christum et fidei veritatem quam se ipsum et vitam corpoream, tenetur potius pati et mori, quam Christum negare, et fidei veritatem relinquere. Denique Christus moriendo pro nobis, obligavit nos ad moriendum pro ipso, dum caritas et honor ejus exigunt. Unde princeps ait Apostolorum : Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia ejus. *I Petr.* II, 21.

Quarto, quoniam pro propriis culpis correptionem et castigationem æquanimiter sustinere laudabile est, et satisfactorium ac meritorium, dum caritative hoc toleratur. Propter quod scriptum est : Non vindicabit Deus bis in id ipsum ; et rursus, Beatus homo qui corripitur a Domino. Multo magis absque proprio demerito pati adversa et mortem pro Deo et fide ac æquitate, est maxime Deo acceptum, ac satisfactorium meritoriumque probatur : idcirco est donum Dei præclarum. Propter quod in prima sua Canonica gloriosissimus Apostolorum loquitur princeps : Hæc est gratia, si propter conscientiam Dei sustinet quis tristitias, patiens injuste. Quæ est enim gratia, si peccantes et colaphizati suffertis ? Si autem benefacientes sustinetis, hæc est gratia apud Deum. — Quinto, quoniam per martyrii sustinentiam fit homo cunctis fidelibus maxime exemplaris, et toti Ecclesiæ ho- *Nahum* I, 9, juxta LXX. *Job* V, 17. *I Petr.* II, 19, 20.

norabilis, atque in Sanctorum catalogo numerandus.

Postremo constat ex his, quam plene et integre oporteat omnem hominem vitare omnem gloriam vanam, et præsumptionem atque jactantiam, et Deo grata ac humili mente jugiter subjici, eo quod omne nostrum bonum sit Dei donum, in tantum quod pati pro Deo sit donum ipsius. Propter quod ait Propheta : Deo subjecta esto, anima mea, quoniam ab ipso patientia mea. Quantumcumque ergo quis pro justitia patiatur, nequaquam inaniter extollatur, sed Deo humiliter regratietur. Itaque sanctos martyres invocemus, diligamus, veneremur, ac imitemur, eorum sequendo constantiam, patientiam, caritatem. Ad laudem Omnipotentis et gloriam. Amen. *Ps.* LXI, 6.

SERMO SECUNDUS

DE INNUMERIS SANCTORUM FLAGELLIS ET ÆRUMNIS IN CARNE MORTALI.

OMNE gaudium existimate, fratres mei, quum in tentationes varias incideritis. Jacob. I, 2.

Sanctus apostolus Jacobus in exordio suæ epistolæ hortatur fideles ad patientiam in adversis, præsertim quoniam scripsit his qui pro fide Christi erant in persecutionibus ac tribulationibus positi. Scripsit enim duodecim tribubus Israel, quæ tunc in dispersione fuerunt : idcirco hæc exhortatio cunctis Christianis fieri potest. Sunt enim in mundo isto et in hoc sæculo nequam tanquam in valle lacrimarum et in exsilio gravi, in quo ab invisibilibus ac atrocissimis hostibus sunt obsessi, ac jugiter et periculosissime impugnantur : propter quod orat Propheta, Educ, Domine, de custodia (id est de carcere) animam meam ad confitendum nomini tuo. Et Job dicit : Militia est vita hominis super terram. Verumtamen quidam de isto exsilio faciunt sibi patriam, quasi haberent hic manentem civitatem, et de valle lacrimarum faciunt sibi locum deliciarum : idcirco non sunt de numero exsistentium in caritate et statu salutis. Sed quia martyres sancti præsentia atque carnalia omnia parvi penderunt, delicias carnis, divitias mundi honoresque sæculi maxime contempserunt, imo corporis afflictionem, paupertatem et abjectionem propter Deum elegerunt et amplexati sunt ; idcirco ad laudem eorum thema prætactum specialiter potest exponi, et ad eos qui in agone martyrii sunt constituti, potest præcipue applicari ac dici.

Jacob. I, 1. *Ps.* CXLI, 8. *Job* VII, 1.

Ait ergo apostolus Jacobus : « Omne gaudium existimate, fratres », id est, perfectam lætitiam reputate vobis accidere et inesse debere, « quum in varias tentationes », id est in multas ac diversas tribulationes ac persecutiones, « incideritis ». Unde hoc loco sumitur tentatio pro tentatione passiva, videlicet pro adversitate, injuria seu afflictione alicui accidente : quæ æquanimiter cum gaudio est ferenda.

Præterea advertendum, quod electi Dei in sæculo isto tentationes incurrunt a quinque. Primo a Deo : unde in Genesi habetur, Tentavit Deus Abraham. In Deuteronomio quoque ait Moyses populo Israel : Recordaberis cuncti itineris per quod adduxit te Dominus Deus tuus ut affligeret te atque tentaret. Et Sapiens ait : Deus tentavit justos, et invenit illos dignos se. Secundo ab homine : unde in Ecclesiastico habetur, Si possides amicum, in tentatione posside illum, et ne facile credas ei te ipsum. Tertio a dæmonibus, juxta illud Apostoli : Non est nobis

Gen. XXII, 1. *Deut.* VIII, 2. *Sap.* III, 5. *Eccli.* VI, 7. *Ephes.* VI, 12.

colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus. De ipso etiam Salvatore ait Evangelista : Ductus est Jesus in desertum a Spiritu, ut tentaretur a diabolo. Et in Actibus loquitur princeps Apostolorum ad quemdam : Cur tentavit Satanas cor tuum? Quarto a propria carne, quæ concupiscit adversus spiritum. Propter quod Jacobus apostolus : Unusquisque (inquit) tentatur a propria concupiscentia. Quinto a mundo, id est a mundanis et perversis hominibus, qui multipliciter nituntur hominem inducere ad peccandum, nunc terrendo et comminando seu affligendo, nunc blandiendo, promittendo seu dando. Vel per mundum tentantem, potius intelligendæ sunt divitiæ et honores, voluptates, vanitates, et cetera quæ in rebus istis transitoriis ac caducis inveniuntur, ex quibus homines ad amorem illicitum atque ad vitia alliciuntur. Habent quippe ista sensibilia atque terrena aliquid amabilitatis, dulcedinis, pulchritudinis, commoditatis, appetibilitatis in se, per quod humanum alliciunt et accendunt affectum; et nisi ratio vigeat et gratia auxilietur, decipiunt hominem. Propter quod in libro Sapientiæ scriptum est : Creaturæ factæ sunt in tentationem hominum, et in muscipulam pedibus insipientium.

Matth. IV, 1. *Act.* V, 3. *Galat.* V, 17. *Jacob.* I, 14. *Sap.* XIV, 11.

Denique, quamvis fideles in vita hac tententur ab his quinque, hoc tamen est diversimode. Nam Deus tentat duplici ratione. Primo, propter alicujus ignoti manifestationem, non ut id sibi, sed aliis innotescat : et hoc, ad Dei gloriam et illorum ædificationem, ut in tentatione Abrahæ patet. Nam præceptum quo Deus ei jussit filium suum Isaac immolare, tentatio dicitur, qua eum Deus tentavit quatenus per adimpletionem illius præcepti, cunctis pateret quam perfectus in fide et obedientia Abraham esset, sicque beati Abrahæ sequerentur vestigia in fide et sancta obedientia. Hujus quoque exemplum fuit in justo Tobia, quem Deus per plagam cæcitatis probavit, ut aliis patientia ejus pateret, et illi sequerentur eamdem, juxta illud Tobiæ : Hanc tentationem permisit ei Deus evenire, ut posteris daretur exemplum patientiæ ejus, sicut et sancti Job. Nam quum Tobias ab infantia timuerit Deum, non est contristatus quod plaga cæcitatis evenerit ei, sed immobilis in Dei timore permansit, gratias agens Deo omnibus diebus vitæ suæ. Ex quibus patet quod et sanctum Job Deus tentavit hoc modo. Propter quod ipse Job sanctus fatetur : Probavit me Deus quasi aurum quod per ignem transit. Hinc etiam, quum beatissimus Moyses protulisset, Recordaberis cuncti itineris per quod adduxit te Deus ut tentaret te, mox addidit : Et nota fierent quæ versabantur in corde tuo, utrum custodires mandata illius, an non. — Secundo Deus tentat fideles ad eorum profectum, ut scilicet ampliorem det eis gratiam in præsenti, abundantioremque gloriam in futuro. Idcirco, quum Abraham exhibuisset se paratum ad obediendum Deo in immolatione carissimi filii sui, Deus dixit ad eum : Per memetipsum juravi, quia obedisti voci meæ, benedicens benedicam te. Hinc scriptum est : Tanquam aurum in fornace probavit electos Dominus; ideo accipient regnum decoris et diadema speciei de manu Domini. — Interdum autem accipitur tentatio pro impugnatione seu probatione alicujus ad nocendum decipiendumque eum : et sic Deus neminem tentat. Imo Christus orare nos docuit : Et ne nos inducas in tentationem. Unde et S. Jacobus ait : Nemo, quum tentatur, dicat quod a Deo tentetur, ipse enim neminem tentat.

Tob. II, 12-14. *Job* XXIII, 10. *Deut.* VIII, 2. *Ibidem.* *Gen.* XXII, 16, 17. *Sap.* III, 6; V, 17. *Matth.* VI, 13. *Jacob.* I, 13.

Gen. XXII, 1 et seq.

At vero homo unus alium tentat propter alicujus sibi ignoti manifestationem : ut dum aliquis tentat alium, ut sciat an veram ad se amicitiam habeat. Imo homines vitiosi, qui sunt ministri et membra diaboli, aliquando tentant proximos suos, ut eos fallant atque inducant ad vitia. Propter quod ait propheta Michæas : Vir fratrem suum venatur ad mortem. Et Psalmista :

Mich. VII, 2.

Ps. XVII, 27. Cum perverso (inquit) perverteris. Diabolus vero non tentat homines, nisi ut eos finaliter fallat et ad damnationem perducat : imo etsi ad tempus videatur bona consulere, contemnendus est tamen, quia finaliter tendit ad hominum nocumenta. Mundus quoque tentat ut fallat et male delectet. Caro vero tentare asseritur, in quantum inclinat ad ea quæ Deo et saluti animæ contrariantur. Propter quod ait *Rom.* VII, 23. Apostolus : Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ.

Præterea martyres sancti omnes tentationes has habuerunt, et se bene habuerunt in eis. Primo itaque sunt tentati a Deo dupliciter : Primo, quoniam tribulationes, infirmitates et adversitates eis immisit. Unde II *Cor.* XI, 23-27. Apostolus asserit se famem, sitim, nuditatem et multa incommoda passum. Secundo, quia ab impiis ac tyrannis eos captivari, affligi et variis ac crudelissimis mortibus trucidari permisit. Unde in Evan- *Matth.* X, 16. gelio ait Salvator : Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum ; et rursus, *Joann.* XV, 20. Si me persecuti sunt, et vos persequentur. Hinc sancti in Psalmo fatentur Deo : *Ps.* XLIII, 22; *Rom.* VIII, 36. Propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oves occisionis. — Secundo tentati sunt ab hominibus, imo a propriis amicis et proximis, et potissime a tyrannis. Propter quod ait Salvator discipulis : *Luc.* XXI, 16, 17. Trademini a parentibus, et fratribus, et cognatis, et amicis, et morte afficient ex vobis, et eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum. Hinc et Christus *Joann.* XVI, 2. ait Apostolis : Venit hora ut omnis qui interficit vos, arbitretur se obsequium præstare Deo. Imo a principio mundi varias persecutiones atque injurias electi et virtuosi ab infidelibus et perversis perpessi *Gen.* IV, 8. sunt. Nam impius Cain innocentem Abel occidit. Propter quod S. Gregorius loquitur : Abel esse renuit, quem Cain malitia non exercet.

Tertio tentati sunt a diabolo, qui per se ipsum et suos satellites innumerabilibus modis conatus est sanctos martyres a Deo, a fide, a constantia mentis avertere ; multisque sanctis martyribus dæmones visibiliter apparuerunt, et varia tentamenta intulerunt eisdem, atque tyrannorum animos accenderunt contra fideles. — Quarto a mundo tentati sunt. Nam plurimi martyres omnibus mundi divitiis et honoribus abundaverunt, antequam omnia talia propter Christum spreverunt. Tyranni quoque promiserunt eis omnia prospera mundi si sibi consentire voluissent : quemadmodum Julius dux Europæ, princeps eorum qui undecim millia virginum occiderunt, promisit beatissimæ Ursulæ quod duceret eam uxorem si sibi præberet assensum. Et Trajanus imperator præinclyto martyri Ignatio promisit quod omnium esset princeps sacerdotum si sacrificaret. Sic et in veteri Testamento, Antiochus rex uni ex II *Mach.* VII, septem fratribus quos pro legis observatione occidit, promisit magnalia. Sed martyres sancti hæc omnia contempserunt ut Deo placerent. — Postremo carnis tentationes superaverunt viriliter. Unde beatus refert Hieronymus, quod dum persecutor quemdam juvenem christianum fecisset resupinum ligari, et meretrix impudica se illi adjungeret, ille quia manus et pedes movere non potuit, propriam linguam morsu dentium suorum abscidit atque in os osculantis projecit, sicque stimulum suæ carnis in se ipso exstinxit. 24.

Studeamus ergo et nos cum sanctis martyribus omnes tentationes strenue superare, et quando a Deo probamur, inveniri fideles ac fortes ; nec concupiscentiis superemur, nec ad res transitorias ac terrenas inordinate afficiamur, sed quidquid amabilitatis, suavitatis aut utilitatis in eis est, ad Dei honorem et gloriam referamus. Impiorum quoque hominum persecutiones patienter sustinere conemur. Sicque beatissimorum intuitu martyrum, qui tam multiplicia ac crudelissima pertulerunt tormenta, discamus saltem parva et modica propter Deum libenter pati : imo instar martyrum omne gaudium æstimemus, quum in varias tribulationes delabimur, præsertim quum *Jacob.* I, 2.

earum virtuosa perpessio, sit tam multipliciter ac copiosissime salubris ac fructuosa, ut patet ex dictis. Et ait Apostolus : Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ dabitur nobis. *Rom.* VIII, 18.

SERMO TERTIUS

DE QUADRUPLICI TENTATIONE JUSTORUM IN HOC MUNDO.

ISTI sunt qui venerunt ex magna tribulatione, et laverunt stolas suas in sanguine Agni. Apoc. VII, 14.

Homines virtuosi atque electi hunc mundum arbitrantur exsilium, atque innumeris in ipso afficiuntur doloribus. Impii vero et reprobi de valle hac lacrimarum, et de loco præsentis exsilii, paradisum faciunt sibi ac patriam : quia terrenis et transitoriis ac carnalibus rebus magis quam summo et incommutabili bono afficiuntur, inhærent ac delectantur, magisque cupiunt ac conantur temporalibus divitiis quam virtutum ac gratiæ charismatibus abundare. Ideo finem sibi constituunt non in Deo, qui ait, Ego sum Alpha et Omega, principium et finis ; sed in rebus vilissimis, in istis terrenis, in argento et auro, in carne et sanguine, in vanis honoribus : quæ omnia præferunt summo et incomparabili, infinito omnipotentique Deo ; per quod, quantum in eis est, ipsum summe vilificant, et ipso utuntur, istisque caducis rebus pro Deo fruuntur. Propter quod optime dixit Apostolus, quod gulosorum deus est venter, avarorum pecunia. Hi ergo iniqui ac reprobi dum moriuntur, non bene recipiuntur a Deo, nec de eis sancti angeli protestantur, « Isti sunt qui venerunt ex magna tribulatione », sed potius : Qui venerunt ex vanitatibus, divitiis atque deliciis. Nam etsi tales aliquando tribulationes sustineant, pauperesque consistant, non tamen reputatur eis in laudem et meritum, quia invite sustinent talia ; quamvis item divitiis, deliciis, honoribus non abundent effectu, tamen affectu eis exuberant, quia immoderate cupiunt ea.

Apoc. I, 8.

Philipp. III, 19 ; *Ephes.* V, 5.

Præterea de sanctis martyribus per diversa supplicia pro Christo perpessa ex sæculo isto migrantibus, specialiter dici potest, et ab angelis dicitur : « Isti sunt qui venerunt ex magna tribulatione ». Omnes equidem Christiani qui salvantur, ex tribulationibus, imo ex multis tribulationibus venire dicuntur, quemadmodum scriptum est : Multæ tribulationes justorum ; et, Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlorum. Sed martyres sancti ex magnis tribulationibus asseruntur venire, dum ex mundo hoc per passionem martyrii regnum permittuntur ac jubentur æternæ beatitudinis introire.

Ps. XXXIII, 20. *Act.* XIV, 21.

Denique, jam tangendæ sunt tribulationes justorum ac electorum in sæculo isto nequam. Prima eorum tribulatio, est copiosa afflictio ex originali peccato secuta, qua omnes homines in hoc sæculo affliguntur in corpore et anima, utpote : fame, siti, infirmitate, dolore, timore, tristitia, sollicitudine, variisque infortuniis, adversitatibus atque miseriis. Propter quod sanctus Job loquitur : Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis ; qui quasi flos egreditur et conteritur, et fugit velut umbra, et nunquam in eodem statu permanet. Hæc autem tribulatio, quæ est una in genere, multiplexque in specie, atque innumerabilis in individuo, communis est cunctis hominibus, bonis et malis, reprobis et electis. Propter quod scriptum est : Occupa-

Job XIV, 1, 2.

Eccli. XL, 1, 2, 4.

tio magna creata est omnibus hominibus, et jugum grave super omnes filios Adam, a die exitus de ventre matris eorum usque in diem sepulturæ in matrem omnium; cogitationes eorum et timores cordis, zelus, fluctuatio, timor mortis, etc. Verumtamen mala ista pœnalia, Deo sic ordinante, magis solent abundare in electis quam reprobis. Deus namque quos amat, arguit et castigat, peccata eorum in vita hac ulciscendo pietate paterna, ne in futuro puniantur æternaliter severitate superna. Hinc loquitur Augustinus : Intelligat homo medicum esse Deum, et tribulationem medicamentum consistere ad salutem, non pœnam ad damnationem. Et denuo protestatur : Nullus servus Christi sine tribulatione; si putas te non habere persecutiones, nondum cœpisti esse christianus.

Apoc. III, 19; *Hebr.* XII, 6.

Secunda et præcipua justorum ac electorum tribulatio in hoc mundo, est cordialis eorum tristitia de malis culpæ, hoc est de universis peccatis tam suis quam proximorum : de quibus tanto plus dolent quam de corporalibus damnis, pœnis et adversitatibus, quanto peccata pejora nocentioraque sunt quam mala exteriora pœnalia. Et quoniam caritas debet esse ordinata, utpote incipiens a se ipsa, videlicet a proprio subjecto; hinc primo dolent de suis, consequenter de proximorum peccatis. Denique de his peccatis dolent triplici ex radice ac ratione. Primo et maxime ex caritate Dei, in quantum sunt separativa a Deo et offensiva ipsius. Quanto enim quis amplius diligit Deum, tanto plus cupit ei uniri ac complacere, ipsumque honorare : et quanto plus agit hoc, tanto magis dolet de his quæ separant a Deo, eique displicent et eum offendunt, videlicet de peccatis suis ac aliorum. Secundo, ex spirituali amore sui ac proximorum, in quantum peccata sunt ipsis peccantibus summe nociva, quoniam privant eos gratia in præsenti et gloria in futuro, et ultra hoc ad infernalem eos trahunt calamitatem. Ideo ait Isaias propheta : Hic est omnis fructus ut auferatur iniquitas.

Is. XXVII, 9.

A Salomon quoque : Qui peccaverit (inquit) in uno, multa bona perdet. Tertio, ex justitia : quia sunt contra divina præcepta, et in se ipsis fœda sunt atque injusta. Unde et quidam gentilis asseruit : Quamvis scirem deos mihi ignoscituros, tamen non vellem peccare, propter turpitudinem et enormitatem peccati. Si hoc dixit gentilis philosophus, quanto magis Christiani tanto debent esse justitiæ zelo accensi, ut quamvis scirent se Dei misericordiam finaliter consecuturos, non tamen vellent peccare, B propter fœditatem injustitiamque peccati? Præterea, quum quotidie tot et tanta peccata fiant in mundo, et Deus altissimus tam enormiter ac multipliciter et frequentissime offendatur, animæ quoque tam graviter spiritualiter vulnerentur, imo quotidie tot animæ æternaliter condemnentur : quis poterit satis contristari in Domino, et satis deflere mala quæ fiunt sub sole? Certe non est jam locus in sæculo isto vani risus, intimoratæ dissolutionis, jocandi, ludendi seque inaniter recreandi. Propter quod loquitur Christus : Væ vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis et flebitis; itemque, Væ vobis divitibus qui habetis consolationem vestram. Unde Salomon ait : Cor sapientium ubi tristitia, et cor stultorum ubi lætitia. Et Psalmista fatetur : Quasi lugens et contristatus sic humiliabar. Abjiciamus itaque omnem inanem lætitiam, omnem voluptatem impuram ac bestialem; simusque coram Judice summo omnia intuente, timorati semper et custoditi.

Eccle. IX, 18. — Plato. — *Luc.* VI, 25. — *Ibid.* 24. — *Eccle.* VII, 5. — *Ps.* XXXIV, 14.

D Tertia justorum tribulatio in hoc mundo, est continuus eorum conflictus contra triplicem aciem, utpote contra malignorum spirituum turbam, contra vitiorum et passionum universitatem, contra mundum in maligno positum et fallacem, hoc est contra sæculares carnalesque homines, qui verbo ac facto debitorumque omissione bonorum nituntur justos ad peccata allicere : quibus semper resistere est nonnunquam satis difficile. Nam inter perversos in virtutibus permanere, est specialiter

1 Joann. V, 19.

laudabile. Hinc vita hominis super terram dicitur esse militia sive tentatio. *Job* VII, 1. Denique maligni spiritus quosdam justos acerrime ac visibiliter tribulaverunt, imo Domino permittente crudeliter vulneraverunt, et quasi usque ad mortem percusserunt eosdem, ut constat de S. Antonio et aliis multis.

Quarta justorum (potissime beatissimorum martyrum) tribulatio, fuit laboriosum et pœnale martyrium quod sponte ac prompto animo toleraverunt pro Christo. Ipsi equidem martyres gloriosi specialiter conformaverunt se suo Salvatori pro eis passo, sequentes vestigia ejus usque ad sanguinis effusionem. Unde et præceptum de caritate Dei præ ceteris excellentius impleverunt : quia in tantum dilexerunt super omnia Deum, et etiam amplius quam se ipsos, quod se ipsos pro Deo in mortem exponere non dubitaverunt ; per quod ostenderunt se esse in fide fortissimos, in spe certissimos, in caritate præfervidos, in patientia summos, in fortitudine prorsus invictos, et cunctis hominibus maxime exemplares, quoniam majus est docere factis quam verbis, et plus est pro Deo sanguinem quam lacrimas fundere. Impleverunt martyres sancti quod docuit *Matth.* X, 28. Christus : Nolite (inquiens) timere eos qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere.

Itaque studeamus sanctos martyres præamare, deprecari, laudare et sequi in omni virtute præfata. Ipsis equidem specialis et maximus honor debetur, et exhibetur in cœlo et in terra, tanquam præinclytis et invictissimis ac victoriosissimis Dei militibus, patronis Ecclesiæ, principibus patriæ. Fervorem caritatis eorum consideremus et assequamur, ut et inimicos in Deo et propter Deum amemus, nullis vincamur injuriis, constantes maneamus in cunctis eventibus. Ecce martyres isti gloriosi quos honoramus, homines fuerunt similes nobis passibiles, per naturam infirmi ac fragiles, et tamen in Dei auxilio tam virtuosissimi, tam insuperabiles exstiterunt, tam atrocissima patientissime sustinuerunt tormenta. Erubescamus ergo de impatientiis et defectuositatibus, de acediis et inordinatis timoribus nostris, qui similes sumus mulieribus et pueris, de aliorum pugna loquentibus, sed pugnare non audentibus. Hinc pœniteamus et respiremus in Domino, ejus auxilium invocantes continue, ut Sanctorum istorum sic imitemur vestigia, quod æterna evadamus supplicia atque cum eis gaudia sortiamur cœlestia. Ad laudem Altissimi.

COMMUNE

UNIUS MARTYRIS

ENARRATIO IN LECTIONEM LOCO EPISTOLÆ

BEATUS VIR QUI IN SAPIENTIA MORABITUR, ETC. Eccli. XIV, 22; XV, 3-6.

NON incongrue hæc lectio martyri applicatur : qui idcirco merito beatus dicitur, quod hac sapientia a Deo fuerit illuminatus, et pro æternis transitoria, pro spiritualibus corporalia dederit. Dicit ergo :

Beatus vir qui in sapientia morabitur, id est, actui sapientiæ, scilicet contemplationi, stabiliter immoratur. Talis quippe est nunc beatus in spe et inchoatione, ac merito seu dispositione propinqua, quum contemplatio sit futuræ beatitudinis inchoatio, secundum illud : Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum. Et quia in hac vita non solum est immorandum contemplationi testimoniorum seu credendorum, sed etiam exsecutionibus præceptorum, subjungitur : *et qui in justitia meditabitur,* id est, diligenter considerat Dei præcepta, et qualiter impleat ea : juxta illud in Psalmo, Memores sunt mandatorum ipsius ad faciendum ea. Unde dictum est in Ecclesiastico : Quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper. *Et in sensu cogitabit circumspectionem Dei,* id est, intellectualiter pensat qualiter in omnibus circumspecte se habeat, et discretionem Deo placentem observet, ut sit animal ante et retro ac undique oculatum : juxta illud Aggæi, Ponite corda vestra super vias vestras ; et sic sit rationabile obsequium suum. Vel, « cogitabit circumspectionem Dei », id est, rite perpendit qualiter Deus circumspiciat, atque perspiciat, et judicet universa, juxta illud Jeremiæ : Cujus oculi aperti sunt super omnes filios Adam, ut reddat unicuique secundum vias suas. Sicque in præsentia Judicis summi, timorate, reverenter ac pure in omnibus conversatur, dicens cum viro sancto : Oculi mei semper ad Dominum.

Cibabit Deus seu Sapientia increata, *illum,* id est animam hominis talis, *pane vitæ,* id est actu virtuoso, seu verbo Scripturæ, imo ipsomet Christo, qui ait : Ego sum panis vitæ. Qui docuit nos orare : Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie. De hujuscemodi pane allegavit Dominus tentatori illud Deuteronomii : Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod egreditur de ore Dei. *Et intellectus,* id est illuminatione interna, quæ reficit intellectum, utpote intelligentia Scripturarum, ita quod unctio docebit eum de omnibus. *Et aqua sapientiæ salutaris,* id est dulcedine, fructu et merito contemplationis, quæ est doni sapientiæ actus, *potabit,* id est, recreabit, lætificabit inebriabitque illum, juxta illud in Canticis : Comedite, amici, et bibite ; et inebriamini, carissimi. Insuper aqua sapientiæ salutaris, est abundantia divinæ illuminationis,

Joann. XVII, 3. *Ps.* CII, 18. *Eccli.* III, 22. *Apoc.* IV, 6. *Agg.* I, 7. *Rom.* XII, 1. *Jer.* XXXII, 19. *Ps.* XXIV, 15. *Joann.* VI, 35. *Matth.* VI, 11. *Ibid.* IV, 4; *Deut.* VIII, 3. I *Joann.* II, 27. *Cant.* V, 1.

gratia spiritualis, ros superni charismatis, imber internæ fecundationis, sermo divinus. Unde loquitur Christus : Qui biberit ex aqua quam ego dabo, non sitiet in æternum ; sed aqua quam ego dabo, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. *Joann.* IV, 13, 14. In Apocalypsi quoque : Qui sitit, veniat ; et qui vult, bibat aquam vitæ gratis. Et Isaias : Omnes sitientes, venite ad aquas. *Apoc.* XXII, 17. *Is.* LV, 1.

Et firmabitur in illo, id est, homo talis per hos sapientiæ effectus et refectiones stabilietur in Deo : quemadmodum scriptum est, Sapientia confortavit sapientem ; in Proverbiis quoque : Vir sapiens fortis est, et vir doctus, robustus et validus. Sapiens enim passionibus dominatur. Et sicut in libro Sapientiæ legitur, Sapientia vincit malitiam ; vel, ut alii legunt, Sapientiam non vincit malitia : quod totum de sapientia quæ est donum, intelligendum est. *Et non flectetur,* id est, sapiens a via justitiæ non recedet, juxta illud Proverbiorum : Sapiens declinat a malo. Hoc tamen non est sic accipiendum, quasi vir habens donum sapientiæ, non possit peccare mortaliter et perire ; sed quia non cadit de facili, præsertim si sit in dono isto perfectus, secundum quod dicit Ecclesiasticus : Homo sanctus in sapientia manet ut sol. *Eccle.* VII, 20. *Prov.* XXIV, 5. *Sap.* VII, 30. *Prov.* XIV, 16. *Eccli.* XXVII, 12.

Et continebit illum, id est, Deus eum gratiose conservabit, *et non confundetur,* id est, adversariorum suorum irrisionibus non patebit, nec spei suæ effectu frustrabitur ; *et exaltabit illum apud proximos suos,* id est, per gratiarum charismata faciet eum sublimem nunc inter homines, deinde inter Beatos in patria, qui sunt proximi nostri per communionem naturæ ac prædestinationem. Unde et nomine proximi designantur, quum dicitur : Diliges proximum tuum sicut te ipsum. Qui etiam nominantur proximi Dei, quia per dona gloriæ sunt ei propinqui, et gloriosi ejus inseparabilesque amici. *Matth.* XXII, 39.

In medio Ecclesiæ aperiet os ejus : id est, aliorum prælatum seu prædicatorem et doctorem constituet eum, dabitque ei efficaciam docendi quamplurimos ; atque ad loquendum salubriter movebit eum interius, ita quod ex divino loquetur instinctu, quemadmodum Paulus pro se orari petiit, dicens : Ut detur mihi sermo in apertione oris mei. *Et implebit eum spiritu sapientiæ et intellectus,* id est Spiritu Sancto, qui est Spiritus veritatis ab increata Sapientia procedens, ac totius creatæ sapientiæ magister et dator. De quo scriptum est : Invocavi, et venit in me spiritus sapientiæ ; et rursus, Est enim in illa (scilicet in increata Sapientia) spiritus intelligentiæ sanctus. De quo et loquitur Christus : Quum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Vel, « spiritu », id est dono et gratia, « sapientiæ », ad contemplandum divina cum degustatione interna, dono quoque « intellectus », ad penetrandum ea quæ fidei sunt, intelligendo rationes credendorum et pulcherrimam connexionem eorum, atque ad instruendum populum de eisdem. *Et stola gloriæ,* id est sacerdotali et pontificali amictu, seu veste beatæ immortalitatis, utpote stola glorificationis corporis et animæ, *induet eum.* *Ephes.* VI, 19. *Joann.* XV, 26. *Sap.* VII, 7. *Ibid.* 22. *Joann.* XVI, 13.

Jucunditatem et exsultationem, id est spiritualem lætitiam mentis, et redundantiam ejus in corpus, *thesaurizabit super eum,* id est, copiose atque stabiliter dabit in corde ipsius : quia non solum in futuro eum plenarie glorificabit, sed etiam in præsenti consolabitur et exhilarabit eum multipliciter ac frequenter, ex intuitu et amore sui ipsius et spe felicitatis futuræ, ex consideratione quoque spiritualis profectus Ecclesiæ, id est fidelium qui instruuntur, convertuntur et salvantur per ipsum. De quorum profectu et salute vehementissime gloriatur in Domino, ita quod propter hæc dicere potest illud in Psalmo : Cor meum et caro mea exsultaverunt in Deum vivum ; item illud Sapientis, Intrans in domum meam, conquiescam cum illa, non enim habet amaritudinem conversatio illius, sed lætitiam et gaudium ; itemque, Majorem horum gratiam

Ps. LXXXIII, 3. *Sap.* VIII, 16. III *Joann.* 4.

non habeo, quam ut audiam filios meos in veritate ambulantes. Unde et Paulus suis scripsit discipulis : Vos estis corona mea et gaudium. *Et nomine æterno hereditabit illum Dominus Deus noster,* id est, tam in militanti quam in triumphanti Ecclesia faciet eum famosum : secundum quod dicitur, Non recedet memoria ejus. Siquidem memoria justi cum laudibus, et in memoria æterna erit justus.

Philipp. IV, 1.

Eccli. XXXIX, 13. *Prov.* X, 7. *Ps.* CXI, 7.

ENARRATIO IN EVANGELIUM

SI QUIS VULT POST ME VENIRE, ABNEGET SEMETIPSUM, ETC. Luc. IX, 23-27.

POSTQUAM de sua passione locutus est Dominus, etiam sui imitationem docet in hoc evangelio, dicens :

Si quis vult post me venire, id est me spiritualiter sequi, meæ conversationi conformari, ad patriam felicitatis pertingere, ut ubi ego sum et ipse sit mecum, *abneget semetipsum,* hoc est, propriam voluntatem relinquat, pristina vitia deserat, vitam suam pro Deo et veritate morti exponat. Propria autem voluntas hominis appellatur, quæ Deo et sacræ Scripturæ præceptis ac documentis contrariatur, per quam quis propria commoda quærit, et ad se ipsum inordinate reflectitur, atque quæ Deo displicent, obtinere molitur. Hinc ait Basilius : Abnegatio sui ipsius est totalis præteritorum oblivio, et recessus a propriis voluntatibus. *Et tollat crucem suam,* id est, cruciformem seu pœnitentialem conversationem æquanimiter portet, ducat, sustineat, et omnem tribulationem, tentationem seu persecutionem et adversitatem sibi occurrentem viriliter ferat ; corpus suum castiget, domet et rationi servitutique Dei subjiciat, sicut ait Apostolus : Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis. Ad quod etiam ad Romanos nos exhortans : Obsecro (inquit) ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum. Porro, secundum Gregorium, duobus modis crux tollitur : primo, corpus (ut dictum est) per abstinentiam affligendo ; secundo, animum per compassionem circa alios afficiendo, sicut ait Apostolus : Quis infirmatur, et ego non infirmor ? Quis scandalizatur, et ego non uror ? Et iterum : Flete cum flentibus. Hæc autem agenda sunt non uno die dumtaxat, sed perseveranter usque in finem. Propter quod subdit, *quotidie.* Unde et Zacharias locutus est : Serviamus illi in sanctitate et justitia coram ipso, omnibus diebus nostris. *Et sequatur me,* id est, per prædicta mihi adhæreat, obsequatur, et per semitas vitæ, per virtutum itinera, mea sectetur vestigia.

Joann XVII, 24.

Galat. V, 24.

Rom. XII, 1.

II *Cor.* XI, 29.

Rom. XII, 15.

Matth. XXIV, 13.

Luc. I, 74, 75.

Denique, juxta præinductam expositionem, necessarium est ad salutem cunctis fidelibus, abnegare se ipsum et tollere crucem suam quotidie : ut scilicet quantum ad ea quæ divinis repugnant præceptis et ceteris quæ ad salutem exiguntur, abnegemus nos ipsos, nostramque crucem tollamus quotidie, eundo per arctam viam quæ ducit ad vitam.

Matth. VII, 14.

Alio modo hæc exponuntur, prout ad consilia supererogationisque opera pertinent, ac religiosos concernunt, ut sit sensus : « Si quis vult post me venire », id est ad perfectionem tendere atque pertingere, sicut ego in omnibus totius perfectionis formam me præbui, « abneget semetipsum », id est, propriam voluntatem omnino relinquat, illam Deo per votum obedientiæ offerendo, vicario Dei, tanquam Deo in omnibus quæ professionem respi-

ciunt obediendo, ut faciunt religiosi claustralesque : quibus diligentissime est pensandum, quid de hujusmodi voti fida ac celeri persolutione dicat Scriptura. Scriptum est equidem in Deuteronomio : Quod semel egressum est de labiis tuis, observabis, et facies sicut promisisti Domino Deo tuo. In Ecclesiaste etiam præcipitur : Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere ; displicet enim Deo stulta et infidelis promissio. Imo secundum doctores, promissio illa obligat magis quam juramentum, ut jam inveniatur perjuro deterior claustralis qui professionem suam implere non satagit. (Verumtamen ad primam horum verborum expositionem spectat quod dicit Gregorius circa hæc verba : Quia nisi quis a se ipso deficiat, ad eum qui super ipsum est, non appropinquat ; nec valet apprehendere quod super se est, si nescierit mactare quod est.) Consulit autem Christus triplicem abnegationem, in qua fundatur professio seu promissio trium virtutum quæ de cujuslibet religionis essentia esse dicuntur. Prima est abnegatio rerum exteriorum : de qua dicitur, Qui non renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. In hac fundatur paupertas. Secunda est abnegatio eorum quæ sunt partim intra nos et partim extra nos, ut sunt uxor, soboles et cognati. De qua abnegatione dicit Salvator : Si quis venit ad me, et non odit patrem suum et matrem et uxorem, non potest meus esse discipulus. In qua fundatur continentia. Tertia est abnegatio sui ipsius, de qua hic : in qua fundatur obedientia.

Deut. XXIII, 23.

Eccle. V, 3.

Luc. XIV, 33.

Ibid. 26.

« Et tollat crucem suam quotidie », id est, observantias regulares, arctas et arduas, seu statuta monastica, rite observet : quod est vere Christo configi, ejusque passionibus communicare et compati ; quod et præcipue meritorium est consolationis gratiæ in præsenti, glorificationisque patriæ in futuro, secundum illud Apostoli : Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita per Christum abundat consolatio nostra. Et iterum : Fidelis sermo : si commortui sumus, et convivemus ; si sustinemus, et conregnabimus. Itaque, qui internam consolationem jam cupit gustare, et demum æternam beatitudinem possidere, qui Christo vult conformari in gloria, modo non aspernetur pati convitia, aspera et adversa, imo glorietur in talibus, sicut nos hortatur beatissimus Petrus : Communicantes Christi passionibus gaudete, ut in revelatione gloriæ ejus gaudeatis ; et Paulus : Semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, ut et vita Jesu manifestetur in carne nostra mortali. — « Et sequatur me », qui descendi de cœlo, non ut facerem voluntatem meam, sed ejus qui misit me.

Galat. II, 19.

II *Cor.* I, 5.

II *Tim.* II, 11, 12.

I *Petr.* IV, 13.

II *Cor.* IV, 10, 11.

Joann. VI, 38.

Hæc itaque observare, est religiosorum, qui se ipsos totaliter Deo velut in holocaustum in sua professione obtulerunt, nil sibi de se ipsis proprium reservantes : qui si quod voverunt, impleverint digne, optimi sunt ; si autem implere neglexerint, pessimi comprobantur.

Quod autem abnegatio ista et propriæ crucis portatio quotidiana sint assumendæ, consequenter Christus ostendit. *Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet illam.* Verbum hoc per se sumptum, dupliciter potest intelligi ; sed quia mox subditur, Nam qui perdiderit animam suam propter me, salvam faciet illam, sensus litteralis est iste : « Qui voluerit animam suam salvam facere », id est, in præsenti voluerit eam in propriis voluntatibus desideriisque nutrire et conservare, seu carnalem salutem sortiri, vel a mortis temporalis eripere pœnis, fugiendo martyrium, « perdet illam », id est, damnationi æternæ obnoxiam faciet, perditamque in futuro comperiet : ita quod mortem temporalem pro justitia fugiens, mortem incurret æternam ; et carnalem prosperitatem amplectens, veram amittet salutem. Hinc communiter dicitur, quod impossibile sit nunc cum mundo gaudere, et postea cum Christo regnare. Econtrario autem subjungitur : *Nam qui perdiderit animam suam,* id est, in præsenti volun-

tates et concupiscentias ejus mortificave-
Galat. II, 20. rit (instar Pauli, qui dixit, Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus), seu pœnis mortis exposuerit eam, ita ut vita præsenti ac sensitiva privetur, *propter me,* id est amore mei, et finaliter propter me, ut me summæ felicitatis objectum in æternum possideat, *salvam faciet illam,* id est, ad veram perducet salutem, et per mortem seu mortificationem temporalem pertinget ad vitam gloriæ æternalem. Huic simile
Joann. XII, 25. est quod in Joanne loquitur Christus : Qui amat animam suam, perdet eam ; et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit illam.

Porro quod dictum est, « Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet illam », per se acceptum potest et ita exponi : Qui voluerit eam in futuro vere facere salvam sive beatam, perdet eam, id est, in sæculo isto afflictionibus seu pœnis mortis exponet. Per tribulationes enim pervenitur ad requiem, juxta illud Psal-
Ps. LXV, 12. mistæ : Transivimus per ignem et aquam, et eduxisti nos in refrigerium ; itemque :
Ps. LXX, 20. Quantas ostendisti mihi tribulationes multas et malas ! et conversus vivificasti me.
Judith VIII, 23-25. Unde Judith ait : Omnes qui placuerunt Deo, per multas tribulationes transierunt fideles ; illi autem qui tentationes non susceperunt in timore Domini et in patientia sua, exterminati sunt.

Insuper, quod sic temporaliter perdenda est anima ut in æternum salvetur, Christus subjungit : *Quid enim proficit homo, si lucretur universum mundum,* id est, totius hujus mundi delicias, divitias et honores acquirat, et temporalia cuncta possideat, *se ipsum autem perdat,* id est, damnationem æternam mereatur atque incurrat, *et detrimentum sui faciat,* id est, bonis gratiæ privetur in sæculo isto, et donis gloriæ in futuro, sicque se ipsum spiritualiter quasi nihilum faciat et inane, spiritualium detrimentum seu carentiam incidendo ? quasi dicat : Talis non proficit, sed ineffabiliter deficit ; et quanto videtur felicior præsentia obtinendo, tanto exstat miserior, vilior et pauperior, spiritualibus bonis carendo, æterna quoque supplicia promerendo. Unde, quanto anima corpore consistit præstantior, tanto plus eligenda ac obtinenda sunt bona ipsius, videlicet virtutes ac dona Spiritus Sancti, felicitasque æterna. Sed et omnis delectatio vana vitæ præsentis cum indicibili aspernatione vitanda est, amore cœlestium gaudiorum. Denique ista auctoritas applicari solet contra quosdam qui zelum animarum habere videntur, sed non secundum veram discre-
Rom. X, 2. tionem : qui circa aliorum conversionem seu profectum in tantum se occupant, ut negligant semetipsos. Qui contra caritatis ordinem agunt, quia tenetur homo post Deum præcipue amare se ipsum, et propriæ providere saluti, atque in primis implere quod ab ipso exigit Deus. Unde et caritas dicitur incipere a se ipsa.

Deinceps Christus per comminationem pœnæ inducit ad observantiam prædictorum. *Nam qui me erubuerit et meos sermones,* id est, ex pudore mundano et vitioso omiserit confiteri me et dogmata mea, verecundans publice confiteri coram adversariis fidei atque justitiæ, se in hominem crucifixum credere, in illo sperare, eumque adorare ; verecundans etiam confiteri ea quæ christianæ sunt fidei, ut quod Deus est unus et trinus, quod Unigenitus Dei est incarnatus ac crucifixus, quod Christus in unitate personæ est Deus et homo, quod futura sit resurrectio mortuorum : quæ interdum confiteri, fuit se irrisioni innumerabilium incredulorum atque crudelium tyrannorum exponere ; *hunc Filius hominis erubescet,* id est, per modum erubescentis se circa illum habebit, eum abjiciendo, quasi verecundaretur de ipso : sicut paterfamilias servum impium nominare dedignatur, et ad se pertinere verecundatur asserere ; *quum venerit in majestate sua,* id est in magna et summa sua potestate, virtute et gloria, *et Patris,* id est in præfata majestate divina, quæ sibi et Patri, haud dubium quin et adorando Spiritui Sancto, una est et communis,

et angelorum, id est cum potenti et maximo angelorum exercitu : quod erit in die judicii, quando Christus in majestate et gloria, omnium Beatorum vallatus agminibus, descendet ad judicandum vivos et mortuos. Tunc nempe reprobos dijudicabit, repellet, damnabit.

Vel quod ait, « in majestate sua », potest ad glorificatam suam humanitatem ejusque creatam referri potentiam, omni alii creatæ potestati prælatam. Non enim in secundo adventu venturus est in humilitate, passibilitate et infirmitate, sicut in primo adventu, dum venit ut judicaretur; sed in humanitate glorificata, impassibili, præpotenti, ut judicet. Sic itaque veniet « in majestate sua » creata, humana, « et Patris », id est etiam in majestate divina sibi ac Patri communi : et tunc Deus et homo ab omnibus esse scietur; non tamen ejus divinitas a reprobis per speciem cognoscetur; « et angelorum », quia hæc majestas illorum asseritur, in quantum ei deserviunt. — Potest quoque ita intelligi : « Quum venerit in majestate sua », id est, quum post suam passionem, resurrectionem et ascensionem apparuerit, atque resederit in regno suo cœlesti ac glorioso, quod etiam est regnum Patris ut principis, et angelorum ut civium ac servorum. Ex tunc enim Christus in natura humana perfecte glorificata cœpit particulare exercere judicium. — Insuper exponi potest hoc modo : « Quum venerit », id est, esse innotuerit, « in majestate sua », id est in vera deitate ac majestate divina, tanquam Deus verus, æternus, immensus. Christus quippe usque ad Spiritus Sancti missionem et publicam Apostolorum prædicationem, non cognoscebatur esse verus Deus a viatoribus, nisi paucissimis; sed misso Spiritu Sancto, per Apostolorum prædicationem cœpit hoc innotescere multis. Est autem consuetudo Scripturæ, ut aliquid tunc fieri, esse seu venire dicatur, dum manifestatur.

Circa hæc quæritur, utrum, et quando, ac qualiter confessio fidei necessaria sit ad salutem. Ad hoc Thomas in secunda secundæ respondet : Quum fidem confiteri sit quid affirmativum, non cadit nisi sub præcepto affirmativo. Præcepta autem affirmativa obligant semper, sed non ad semper : imo obligant solum pro loco et tempore, atque secundum alias circumstantias ad virtutum opera requisitas. Hinc fidem confiteri tunc solum est de necessitate salutis, quando per hujus actus omissionem honor Deo debitus ei subtraheretur, aut proximorum utilitas. Si autem fides videtur periclitari, tunc quilibet tenetur fidem publice confiteri; si vero ex confessione fidei oriatur major seditio, aut infidelium irrisio, et nulla proximorum utilitas, tunc non esset laudabile fidem confiteri, ne canibus sanctum detur. q. III, a. 2. *Matth.* VII, 6.

Sed quoniam ardua sunt quæ Christus de sui imitatione cruciformi, et toleratione martyrii, abnegationeque sui præmonuit seu præcepit, consequenter promissione quadam solatii et remuneratione in vita præsenti, ad illa inducit. *Dico autem vobis vere : Sunt aliqui hic stantes,* et meum sermonem hunc audientes, *qui non gustabunt,* hoc est, non experientur aut sentient, *mortem* naturalem et corporalem : quæ a Sanctis fertur gustari, quia tam cito eis pertransit, et quasi vitæ æternæ ingressum eam suscipiunt; *donec videant regnum Dei,* id est militantem Ecclesiam in sæculo isto inclyte exaltatam, innumerabiliter quantum ad supposita credentia multiplicatam, et per quatuor plagas terræ diffusam. Quod non solum ante B. Joannis evangelistæ mortem constat impletum, sed et ante Petri et Pauli occisionem : quod alibi satis monstravi. Et ipsemet Paulus ad Colossenses testatur : Evangelium pervenit ad vos, sicut et in universo mundo est; et rursus, Evangelium prædicatum est in universa creatura quæ sub cœlo est. Sic exponit Gregorius. Ambrosius vero et Theophilus sic exponunt : « Donec videant regnum Dei », id est gloriam in qua justi erunt. Hoc autem dixit de sua transfiguratione, quæ forma erat gloriæ futuræ in *Coloss.* I, 6. *Ibid.* 23.

regno cœlesti. Sunt aliqui hic stantes, videlicet Petrus, Jacobus et Joannes, qui non attingent mortem, donec tempore transfigurationis meæ videant in qua gloria erunt qui me confitentur. Glorificatio etenim illa corporis Christi, similitudo et signum fuit gloriæ quam in regno cœlesti habitura sunt corpora electorum. Itaque ex perceptione præsentium munerum, certa effecta est exspectatio futurorum.

Matth. xvii, 1 et seq.

SERMO PRIMUS

DE PURO ET SPECIALI AMORE QUO DEUM DILIGERE NOS DECET NOSQUE ODIRE.

QUI odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. Joann. xii, 25.

Quemadmodum quidam est amor virtuosus, et quidam vitiosus; sic quoddam est odium vitiosum, et quoddam virtuosum. Est enim amor spiritualis, divinus, infusus, qui caritas appellatur, quo Deum pure ac principaliter propter immensam ipsius bonitatem diligimus, et nos ipsos ac proximos in Deo et propter Deum. Hic amor est summa virtus, forma virtutum, vitaque animæ, sine quo nihil est Deo acceptum et meritorium, dicente Apostolo : Si linguis angelorum loquar et hominum, caritatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans aut cymbalum tinniens.

I Cor. xiii, 1.

Huic sancto amori opponitur odium vitiosum, quod est peccatum gravissimum, præsertim odium Dei. Et sicut diligere, est alicui bonum velle; sic odium istud, est alicui velle malum simpliciter : ut velle eum non esse, aut virtuosum seu felicem non fieri. Sic multi odiunt semetipsos, omnes videlicet qui amant iniquitatem, qui cupiunt luxuriari, immoderanter ditari, temporaliter prosperari, in deliciis vivere, adversarios suos opprimere. Hi etenim id cupiunt sibi quod maxime nocet eis, et quod eorum adversatur saluti. Propter quod ait Psalmista : Qui diligit iniquitatem, odit animam suam.

Ps. x, 6.

Porro alius est amor, carnalis, inordinatus, sæcularis, quo homo se amat aut alios sensuali affectu, propter carnalia oblectamenta vel commoda. De quo ad Timotheum scribit Apostolus : In novissimis temporibus instabunt tempora periculosa, et erunt homines amantes se ipsos, id est, sibi ipsis superflue appetentes voluptates carnales, vana solatia, transitoria bona, caducos honores, famam et laudem humanam. De quo item amore ait Christus, Qui amat animam suam, perdet eam : quia qui taliter amat eam, æternæ damnationi eam exponit.

II Tim. iii, 1, 2.

Joann. xii, 25.

Huic vitioso amori opponitur odium bonum, quo nobis ipsis ac proximis volumus et optamus corporis castigationem, propriorum desideriorum mortificationem, vilipensionem, et omnia quæ contrariantur his quæ carnalis appetit amor. De quo odio ait Propheta : Perfecto odio oderam illos; inimici facti sunt mihi. De quo et protestatur Salvator : Si quis venit ad me, et non odit patrem suum et matrem, et fratres et sorores, et uxorem et filios, adhuc autem et animam suam, non potest esse meus discipulus. Quocirca scribit Gregorius : Tunc animam nostram bene odimus, quum ejus carnalibus desideriis non acquiescimus, quum ejus appetitum frangimus, quum ejus voluptatibus reluctamur. Denique de hoc odio intelligendum est thema propositum, quo ait Salvator : « Qui odit animam suam in hoc mundo », etc.

Ps cxxxviii, 22.

Luc. xiv, 26.

Hoc hic martyr præclare implevit, quoniam animam suam, id est se ipsum, in

tantum odivit hoc odio bono, quod universa quæ corpori exstant suavia, quæ vane carnaliterque oblectant, quæ mundus reputat magna, contempsit, et sibimetipsi negavit atque subtraxit; abstinentias vero, vigilias, disciplinas et pœnitentiæ opera est amplexus; et insuper corporalem vitam suam exposuit morti, nec crudelissima tormenta, irrisiones, contumelias, dijudicationes abhorruit pati pro Deo, pro fidei veritate, pro defensione justitiæ : atque per hoc custodivit animam suam in vitam æternam, id est, a vitiis præservavit, ita quod æternam beatitudinem me-
Augustinus. ruit adipisci. Etenim amor Dei crescens usque ad contemptum sui, efficit hominem regni cœlestis heredem, Creatoris ministrum, et membrum ac filium Salvatoris : quemadmodum amor sui crescens usque ad contemptum Dei, constituit hominem civem Babylonis ac filium perditionis.

Præterea martyr iste beatus a multis commendatur. Primo, a fidei suæ firmitate, qua Christum coram tyranno ac impiis imperterrite est confessus. Ad quod eum induxit duplex eloquium Salvatoris. Primum est, promissio ejus qua in Evangelio
Matth. x, 32. ait : Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo, qui est in cœlis. Aliud, comminatio
Luc. IX, 26. est ejusdem dicentis : Qui me erubuerit coram hominibus, hunc Filius hominis erubescet, quum venerit in majestate sua et Patris et sanctorum angelorum. Hæc sunt duo generalia incitamenta ad omnia bona agenda et ad mala vitanda : promissio præmii, et comminatio supplicii, amor boni, et timor mali, desiderium felicitatis æternæ, et abominatio infernalis miseriæ. Verumtamen purissimus amor Dei et zelus sui honoris, æmulatioque justitiæ, multo plus et excellentius provocaverunt hunc martyrem ad confitendum Christum coram adversariis ejus, quam spes mercedis aut timor damnationis.

Itaque, quoniam sanctus hic martyr Dominum Jesum coram hominibus est confessus, videlicet coram tyrannis ac perfidis, qui Jesum Nazarenum spreverunt, blasphemaverunt, et seductorem ac magum atque pro suis sceleribus crucifixum esse dixerunt : coram quibus martyr hic gloriosus publice fatebatur et constantissime prædicavit, quod Christus sit unigenitus Filius Dei, verus Deus et vita æterna, salvator mundi, pro hominum salute spontanee passus; idcirco Dominus Christus hunc martyrem suum coram Deo Patre confessus est : quoniam statim dum anima ejus a corpore suo egressa est, angeli sancti eam assumentes Christoque præsentantes, optime venti * sunt, et omnium judex Christus Deo Patri testatus est, quanta anima martyris hujus sanctissimi pro ipso in corpore fecit ac pertulit; sicque eum honoravit secundum quod ipsum honorando meruit honorari. * testati

Secundo commendatur gloriosus hic martyr, a suæ sanctæ dilectionis perfectione atque ardore. Ut enim asserit Augustinus, Venenum caritatis est cupiditas, id est amor privatus seu amor sui ipsius inordinatus; profectus vero caritatis est minoratio cupiditatis; caritatis autem perfectio est cupiditatis seu privati amoris mera expulsio. Itaque martyr iste sanctissimus privatum in se amorem omnino evulsit et exstirpavit, se ipsum nullatenus diligens nisi in Deo, propter Deum et secundum Deum : quoniam omnem inordinatum ad creata affectum abjecit, et tota ejus intentio atque affectio fuerunt in Deum erectæ et fixæ. Idcirco perfectus valdeque fervidus in Dei fuit amore, ex toto corde suo, ex tota mente et tota fortitudine super omnia diligens eum. Talis est amor ad Deum omnium perfectorum. Unde loquitur Augustinus : Minus te, Domine, amat, qui aliquid tecum amat quod non propter te amat. Et iterum : Constans, inquit, et perfectus deberet exsistere amor noster, ut si necesse fuerit, amore illius moriamur qui amore nostri placide ac benigne mori dignatus est. O felix conscientia ejus in cujus corde, præter amorem
Deut. VI, 5; *Matth* XXII, 37.

Dei, qui est sapientia, caritas, justitia et puritas, alius nullus versatur amor, nec ad hominis recordationem suspirat, nec quemquam videre nisi propter Deum desiderat! Itaque in hoc sancto amore martyrem hunc beatum imitari conemur, omnem carnalem et vitiosum abjiciendo amorem, nec in terrenis et sensibilibus rebus inordinatam habendo delectationem. Nempe, ut ait Gregorius, Tanto quisque a superno amore disjungitur, quanto inferius delectatur.

Tertio commendatur gloriosus hic martyr, ab excellentia patientiæ suæ, qua non solum verba injuriosa, sed etiam verbera gravia ac pœnosa æquanimiter absque tristitia pertulit. Quemadmodum enim mansuetudo est virtus moralis impetum iræ refrenans, et illatam injuriam cum tranquillitate absque appetitu vindictæ perpeti faciens; sic patientia est virtus moralis inordinatam tristitiam reprimens, et in adversis imperturbatum animum præstans.

Denique patientia virtus est valde magna, et omni Christiano prænecessaria, *Luc.* XXI, 19. præsertim quum dicat Salvator : In patientia vestra possidebitis animas vestras. Primo, quoniam patientia est omnium aliarum probatrix virtutum. Non enim melius nec certius explorari potest ac percipi an quis vere sit virtuosus, quam per hoc, an vere sit patiens. Superbi enim et ficte devoti ac simulatorie virtuosi, quia se ipsos in se amant, contemptum atque injurias æquanimiter ferre non valent; sed sicut mala olla in igne posita crepat et exsilit, sic ipsi in adversitatibus et tribulationibus constituti, pravitatem suam effundunt, imperfectionem suam demonstrant, atque per iram et impatientiam statim exsiliunt. *Eccli.* XXVII, 6. Hinc in Ecclesiastico scriptum est : Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis. Hinc asserit Augustinus : Perfacile est vestem contemptam habere, capite inclinato incedere, velum super oculos demittere; sed vere virtuosum et humilem patientia ostendit injuriæ. Secundo, quoniam præsens vita adversitatibus et tribulationibus plena est, in quocumque statu et gradu sit homo : ideo nisi patientiam habeamus, quasi semper erimus turbulenti et perturbati. Hinc ad Hebræos dicit Apostolus : Patientia vobis *Hebr.* X, 36. necessaria est, ut voluntatem Dei faciatis. Tertio, quoniam impatientia maxime ac multipliciter homini nocet, et diversa parit peccata. Impatientia namque seu tristitia, quam patientia moderatur ac reprimit, est passio tam corpori quam animæ maxime nocens. Propter quod in Proverbiis legitur : Spiritus tristis exsiccat ossa. *Prov.* XVII, 22. Et denuo Salomon loquitur : Sicut tinea *Ibid.* XXV, vestimento, ita tristitia nocet cordi. In Ec- 20. clesiastico quoque scribitur : Tristitiam *Eccli.* XXX, longe expelle a te; multos enim occidit 24, 25. tristitia, et non est utilitas in ea. Quæ omnia intelligenda sunt de inordinata tristitia, qua homo tristatur propter temporalia damna, aut terrena incommoda sive adversa : quæ omnia propter Deum æquanimiter sunt ferenda. Impatientia quoque valde excæcat mentem, et inhonestos foris gestus demonstrat. Propter quod Salomon contestatur : Qui impatiens est, operatur *Prov.* XIV, stultitiam; qui autem patiens est, multa 17, 29. gubernatur prudentia.

Insuper sanctus hic martyr non solum verba et verbera sibi propter Christum injuste illata patientissime pertulit, sed adversarios quoque suos et occisores ex corde dilexit, et oravit pro eis, sicut et Christus in cruce pendens, pro crucifixoribus suis exorans : Pater (inquit), ignosce *Luc.* XXIII, illis, quia nesciunt quid faciunt. Unde 34. Gregorius ait : Patientia vera est, quæ et ipsum amat quem tolerat. Nam tolerare adversarios et odire, non est virtus mansuetudinis, sed velamentum furoris. Vera autem patientia est, aliena mala æquanimiter perpeti, et contra eum qui adversa irrogat, nullo dolore morderi.

Quarto laudatur hic martyr beatus, a fortitudine et constantia animi sui in ipsis periculis et suppliciis mortis, in quibus mansit intrepidus. — Verum ne sermo iste

nimium extendatur, de hoc martyris hujus præconio, et ceteris ejus laudibus, virtutibus et excellentiis in sequentibus dicetur sermonibus.

Sed nos in prætactis virtutibus ipsum condigne sequi conemur, et omnes homines quantumlibet improbos et molestos, in Deo et propter Deum sinceriter diligamus : eo quod ad Dei imaginem sint creati, et Christi sanguine liberati, beatitudinisque capaces, et nostræ naturæ consortes; et quoniam Deus præcepit hoc, nec aliter Deo placere possumus nec salvari. Frangat ergo unusquisque se ipsum, et mentem suam præceptis subjiciat Creatoris, pensetque quam enormiter ac frequenter ipsemet offenderit Deum, et tamen Deus diu sustinuit eum, et multa bona pro malis retribuit. Postremo, sicut ait Gregorius, Si mens forti intentione in Deum dirigitur, quidquid in vita ista amarum sibi occurrit, dulce æstimat, et quidquid affligit, requiem putat. Idcirco, si quis cor suum ad proprium elevet Creatorem, et causam animæ suæ quam habet cum ipso, bene advertat, qualiter scilicet ab ipso sit judicandus, et quanta Filius Dei pro hominibus, imo pro inimicis et peccatoribus sit perpessus, faciliter patientiam discet adversariosque amabit.

Matth. v, 44 et seq.

SERMO SECUNDUS

QUANTA FIDELITATE ANIMIQUE CONSTANTIA AD MORTEM USQUE PRO DEI GLORIA PRÆLIARI DEBEAMUS.

ESTO fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ. Apoc. II, 10.

Ista sunt verba Christi ad quemlibet Christianum in cursu præsentis sæculi positum ; specialiter vero hæc verba sunt exhortatio ad martyrem unumquemque in certamine fidei constitutum. Itaque in his verbis duo tanguntur. Primum est, Dei præceptum ad perseverantem fidelitatem. Secundum est, pollicitatio præmii pro adimpletione hujus præcepti. Porro quod ait, « Esto fidelis », quamvis intelligi possit de fidelitate seu fide quæ est theologica virtus (unde et Christus ait Thomæ, Noli esse incredulus, sed fidelis), nunc tamen potius dictum videtur de fidelitate quæ est pars justitiæ, per quam homo observat alteri quod ei promisit sive tenetur : sicque ille Deo fidelis est, qui ei efficaciter adhæret ac servit, ejusque adversariis prout in Baptismo se obligavit, renititur.

Joann. xx, 27.

Debet itaque omnis Christianus Deo esse fidelis usque ad mortem, multiplici ratione. Primo, quoniam ipse est Dominus noster, et nos servi ipsius, atque in ipso Baptismo adstrinximus nos ad ejus obsequium. Servus autem domino suo fidele tenetur servitium. Ait namque Apostolus ad Ephesios : Servi, obedite dominis vestris carnalibus cum timore et tremore, in simplicitate cordis vestri, facientes voluntatem Dei ex animo, scientes quoniam unusquisque quodcumque fecerit bonum, hoc recipiet a Domino. Itaque, si tam timorate et prompte atque fideliter serviendum est dominis carnalibus, id est corporalibus mortalibusque hominibus : nonne incomparabiliter timoratius, promptius et fidelius servire debemus summo, simplicissimo omnipotentique Domino, cujus excellentia nullum penitus finem habet, qui solus est Dominus secundum perfectam domini rationem et plenam dominii possessionem, ita quod ejus comparatione ac respectu omnes ceteri qui domini appellantur, sive in cœlo sive in terra, rite ser-

Ephes. VI, 5-8.

vi dicantur? Deus namque sublimis nulli prorsus subjicitur, et ei cetera cuncta sub-
Esther XIII, 9. duntur, juxta illud Esther : Domine, rex omnipotens, in ditione tua cuncta sunt posita, et non est qui tuæ possit resistere
Is. XLII, 8. voluntati. Hinc per Isaiam testatur : Ego Dominus, hoc est nomen meum; gloriam
Ps. LXVII, 5. meam alteri non dabo. Et in Psalmo : Iter facite ei qui ascendit super occasum; Dominus nomen illi. — Huic igitur summo et incomparabili Domino summe et cum incomparabili reverentia serviamus, ei fideliter et inseparabiliter adhæreamus. Ad quod in Scripturis dupliciter incitamur. Primo, per comminationem valde terribi-
Jer. XLVIII, 10. lem : quoniam Jeremias asserit, Maledictus qui facit opus Dei fraudulenter, hoc est infideliter aut negligenter. Atque in Psal-
Ps. CXVIII, 21. mo : Maledicti qui declinant a mandatis tuis. Secundo, per dulcem promissionem
Luc. XIX, 17; *Matth.* XXV, 21, 23. qua Christus in Evangelio loquitur : Euge, serve bone, quia in modico fuisti fidelis, super multa te constituam; intra in gaudium Domini tui.

Secundo, quilibet Christianus Deo constantem fidelitatem tenetur, quoniam ipse est rex noster, et nos milites ejus ac pugiles. In sacramento etenim Confirmationis, Deo consignati et consecrati sumus in milites et pugiles, quatenus in campo sæculi hujus contra adversarios Dei viriliter præliemur, videlicet contra invisibiles hostes, et contra omnium aciem vitiorum ac impetum tentamentorum. Et ad exercendum prælium istud dedit nobis Rex regum universorumque princeps necessaria ad pugnandum, puta cibaria, arma et fortalitia. Fortalitium quippe et turris fortissima est ipsa Ecclesia, seu congregatio virtuosa, et ipsemet Christus, ad quem in omni necessitate debemus confugere, quum
Prov. XVIII, 10. et Salomon fateatur : Turris fortissima nomen Domini; ad ipsum currit justus, et exaltabitur. Arma vero aliquo modo dici possunt dona naturæ, corpus et anima, membra et vires, præsertim ratio et vo-
Rom. VI, 13. luntas. Nam Apostolus cohortatur : Neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato, sed arma justitiæ Deo. Omnia etenim ista a Deo nobis collata sunt, ut per ea honorem ei atque obsequium impendamus, et per rationem ac voluntatem potissimum vitiis renitamur et malis dissentiamus. Verumtamen arma nostra magis proprie sunt virtutes et dona Spiritus Sancti nobis infusa, per quæ animæ nostræ contra tentationes ac vitia muniuntur ac roborantur, et ad bene agendum, ad fideliter Deo cohærendum ac obsequendum expeditæ redduntur. Propter quod loquitur Paulus : In carne ambulantes, non secundum carnem militamus; nam arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, id est machinarum Deo et saluti contrariarum. De his armis ait Apostolus ad Ephesios : Accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo, induti loricam justitiæ, in omnibus sumentes scutum fidei et galeam spem salutis, et gladium spiritus, quod est verbum Dei. O quam bona armatura est humilitas, qua se protegit anima ne jaculis superbiæ vulneretur, hoc est, ne tentationibus et motibus elationis consentiat! Sic et bona armatura est mansuetudo contra ignitos iracundiæ motus, et continentia contra concupiscentiæ impetus. His igitur armis quotidie fortius accingamur et vitiis reluctemur; summi Regis honorem pro posse in omnibus defendamus, augmentemus et promoveamus; hostibus Regis nostri, dæmonibus et iniquis, nunquam consentiamus in malis, quemadmodum homines vitiosi, quibus apud Isaiam loquitur Dominus : Dixistis, Percussimus fœdus cum morte, et cum inferno fecimus pactum.

II Cor. X, 3, 4.

Ephes. VI, 13, 14, 16, 17.

Is. XXVIII, 15.

Interea, consideremus quantum est impiorum infidelitas ac improbitas, imo et vitiositas condemnanda. Certe similes sunt militi cui rex terrenus dedit equum et arma ac stipendia, ut terram suam fideliter tueatur, et contra sui regni adversarios prælietur; ipse vero regi suo infidelis, rebellis et contumeliosus exsistens, adversariis ejus consentit, et cum eis regnum

sui regis impugnat ac demolitur, etiam cum equo et armis proprii regis. Nonne pravissimus et infidelissimus esset hujusmodi miles, qui et indignus esset miles vocari, sed traditor merito appellaretur? Et ecce tales sunt omnes Christiani iniqui, et multo deteriores : imo tanto pejores sunt, quanto iniquius est Regi sæculorum immortali, invisibili, tantam facere infidelitatem, quam regi mortali. Omnes equidem impii Christiani, corpus et animam et omnia sibi a Deo collata ut ei adhæreant ac ministrent, convertunt in Creatoris sui contumeliam et offensam, militantque diabolo, cui consentiunt, et Ecclesiam vastant, proximos scandalizando. Hi itaque terreantur ex his, et districtissimum Dei expavescentes judicium, impleant illud Apostoli ad Romanos : Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ et iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem. *Rom.* VI, 19.

Tertio debemus fideliter Deo servire usque ad mortem, quoniam ipse est noster creator, a quo habemus et sumus quidquid habemus et sumus, et qui ad hoc omnia contulit nobis, nosque creavit, ut ei fideliter ac incessabiliter serviamus.

Quarto debemus sic facere, quoniam ipse est Salvator noster, qui corpus suum et sanguinem pro nobis exposuit, et acerbissimam pro nobis pertulit mortem, ac per hoc jam non a terreno sed infernali patibulo, nec a temporali interitu sed morte æterna nos liberavit. Debemus igitur ei pro posse vicem rependere, atque nos totos ejus obsequio fidelissime mancipare, et (si opus fuerit) corpus nostrum pro ipso morti exponere. Ecce quam ingratus et impius esset fur aut homicida, qui patibulo aut decollationi adjudicatus, et ab homine bono amicabiliter ac misericorditer liberatus, eidem contumelias injuriasque rependeret. Certe incomparabiliter pejor probatur, qui unigenito Filio Dei salvatori suo, rebellis est et ingratus, contumeliosus et injuriosus. I *Joann.* III, 16.

Quinto, quoniam Deus est Pater noster, a quo animam immediate accepimus. Si ergo patri carnali fidelitatem tenemur, quanto magis patri spirituali, Deo omnipotenti, cui quotidie dicimus, Pater noster, qui es in cœlis? O quanta est perversitas, improbitas, ingratitudo, malitia iniquorum, ista non attendentium! Ecce quantum reprehenderetur et vituperaretur ab omnibus filius patrem carnalem bonum et pium frequenter impugnans, despiciens, inhonorans, et ejus inimicis se socians. Quam vitiosissimi ergo sunt, qui Deum altissimum, qui ex infinita sua bonitate, caritate et pietate ab hominibus Pater appellari dignatur, quotidie tam graviter multipliciterque offendunt? Siquidem peccatum mortale quod per pœnitentiam non deletur, suo mox pondere trahit ad aliud. *Malach.* I, 6. *Matth.* VI, 9.

Sexto, quoniam ipse est noster nutritor quotidianus, conservator assiduus, benefactor incomparabilissimus. Quotidie etenim alit nos, et sine ejus manutenentia nec ad momentum possemus subsistere, et maxima beneficia nobis largitus est : imo omnia nostra bona, ejus sunt dona. Quam infinita est ergo ingratitudo et perversitas nostra, quod ipsum non honoramus omni modo nobis possibili, quod eum unquam relinquimus, quod ei tam infideles consistimus? Denique, quam incomprehensibilis et immensa est bonitas et misericordia sua, quod tam perversos, ingratos et pessimos nutrire et conservare non desinit?

Septimo, quoniam æternam et plenam nobis felicitatem promisit pro parva et temporali fidelitate quam ei nunc exhibemus, puta coronam vitæ, quæ est beatifica visio Dei, gloriosa fruitio ejus, participatio contentiva gloriæ suæ, æterna possessio boni immensi, quod est ipsemet Deus sublimis et benedictus, qui est pars et hereditas ac opulentia omnium Beatorum cœlesti in patria. *Apoc.* II, 10.

Præterea omnibus modis prætactis beatissimus martyr cujus nunc festivitate gaudemus, Deo fidelis fuit usque ad mortem,

utpote tanquam fidelissimus servus ipsius, et tanquam strenuus ac imperterritus miles ejus, Creatori et Salvatori suo totis viribus gratus, subditus ac fidelis, et tanquam adoptivus filius ejus. Unde de ipso verissime dici potest quod de fortissimo Juda Machabæo legitur : Surrexit Judas Machabæus pro patre suo, et adjuvabant eum omnes fratres ejus, et præliabantur prælium Israel cum lætitia ; et dilatavit gloriam populo suo, et induit se loricam sicut gigas, et accinxit se arma bellica sua in præliis ; similis factus est leoni in operibus suis, et in sæculum memoria ejus in benedictione, et nominatus est usque ad novissimum terræ, et congregavit pereuntes.

I Mach. III, 1-4, 7, 9.

Ecce omnia ista huic præinclyto conveniunt martyri : qui primo surrexit pro patre suo, id est pro Christo, tanquam ejus vicarius et minister ac miles, et pro ejus defendendo honore, pro fide ejus tuenda, pro regno ejus (quod est Ecclesia) dilatando. Et adjuvabant eum omnes fratres ejus, videlicet devoti Christifideles qui eum verbo aut opere confortabant, seu martyres sancti cum Christo triumphantes et pro martyre isto orantes ne deficeret in tormentis : qui præliati sunt prælium Israel, id est Ecclesiæ, seu Christi, qui est vir videns Deum per speciem, cum jucunditate, quoniam contra tyrannos aut dæmones fidem Christi atrociter impugnantes, invictissime restiterunt, et prævaluerunt. Sicque martyr iste beatus dilatavit gloriam populo suo, id est, Christianis gloriam auxit in Deo, quia de ejus pretioso martyrio magnifice gloriati sunt et gloriantur in Domino. Insuper loricam se induit sicut gigas, quia justitia undique se ornavit, ita quod cum sancto Job dicere potuit : Justitia indutus sum, et vestivi me ea quasi vestimento. Et accinxit se arma bellica sua in præliis, quoniam ceteris se roboravit ac decoravit virtutibus ad pugnandum fide ac sapientia contra idololatras, contra tyrannos ac dæmones. Similis quoque factus est leoni in suis operibus, scilicet Christo : de quo in Apocalypsi habetur, Vicit leo de tribu Juda. Secutus est namque Christi vestigia, et sicut sanguinem suum Christus effudit pro martyris hujus salute, sic ipse sanguinem suum fudit pro Christi honore. Idcirco memoria ejus in sæculum erit in benedictione, id est, in perpetuum recoletur a fidelibus cum laudibus magnis, quemadmodum in Proverbiis Salomon protestatur : Memoria justi cum laudibus. Unde et Propheta in Psalmo : In memoria (inquit) æterna erit justus. Et nominatus est usque ad novissimum terræ, quia in tota Ecclesia ubique terrarum diffusa famosus celebrisque consistit. Ac suo exemplo, sua sapientia, suis orationibus ac meritis congregavit pereuntes, id est, infideles convertit, et infirmos in fide corroboravit, ita quod qui in adversis defecerant, ejus exemplo atque auxilio convaluerunt.

Job XXIX, 14.

Apoc. V, 5.

Prov. X, 7.

Ps. CXI, 7.

Ecce ex his innotescit, quam ingenti constantia, quam victoriosa fortitudine, quam magna excellentia, quamque præclara beatitudine Rex universorum, Deus omnipotens, omnium pater, hunc suum martyrem sanctum fulcivit ac sublimavit. Ideo tantum Christi athletam devotissime honoremus, fervide diligamus, viriliter imitemur, laudemus ac deprecemur.

SERMO TERTIUS

DE NUNQUAM SATIS LAUDATA FORTITUDINE, QUA MALA OMNIA PACIFICE TOLERARE POSSUMUS, ET DE PRÆMIO A DEO VINCENTIBUS PRÆPARATO.

QUI vicerit, faciam illum columnam in templo meo. Apoc. III, 12.

Hæc sunt verba Domini nostri Jesu Christi, qui in illo libro multiplex bonum copiosumque præmium vincentibus repromittit. Vincere autem dicuntur, qui universa divino honori ac suæ saluti adversantia superant, utpote invisibiles hostes diabolos, et tyrannos, passiones et vitia : quæ omnia non eodem modo vincuntur. Invisibilibus namque hostibus est fortiter resistendum, eorum tentationibus reluctando per orationes assiduas, per meditationes devotas, præsertim de Christi passione, de æterna damnatione, de divini rigore judicii, de brevitate et incertitudine vitæ hujus curriculi, ac aliis modis. Visibiles vero hostes et improbi homines, per patientiam, non per resistentiam sunt vincendi, quum ad Romanos dicat Apostolus: *Rom.* XII, 16, 17. Nolite esse prudentes apud vosmetipsos, nulli malum pro malo reddentes. Et rursus : *Ibid.* 19, 21. Non vosmetipsos defendentes, carissimi, sed date locum iræ; scriptum est enim : Mihi vindictam, et ego retribuam, dicit Dominus. Noli vinci a malo, sed vince in bono malum : hoc est, per tuam mansuetudinem, patientiam, caritatem, vince alterius iram, impatientiam et rancorem. Hinc Salomon loquitur : *Prov.* XX, 22. Ne dicas, Reddam malum pro malo; exspecta Dominum, et liberabit te. Hinc Cassiodorus protestatur : Patientia est quæ omnia vincit adversa, non colluctando sed sufferendo, non murmurando sed gratias referendo. Hæc virtus animas Deo limpidas reddit. Atque ut sanctus ait Gregorius : Non est perfecte bonus, nisi qui fuerit etiam inter malos bonus; nec bonus fuit, qui malos ferre recusavit. Verumtamen magnum est ista implere bene, Ambrosio sic dicente : Illud est magnificum, si subjectus contumeliis, judicium Dei laudes; si vexatus ægritudine, Dei judicia depreceris; si te nulla inopia, nulla adversitas a via justitiæ revocet.

Sed circa hæc quis dicere posset, Si ista ita se habent, nunquam Christiani deberent contra Sarracenos aliosque infideles pugnare, et impii juxta omne libitum suum opprimerent homines innocentes ac justos, et periret in republica disciplinæ censura et rigor justitiæ, paxque communis. Et respondendum, quod infidelibus fidem impugnantibus, et Christianos delere optantibus ac molestantibus, resistendum est publica auctoritate, etiam gladio materiali. Improbis quoque et perversis est resistendum secundum juris processum, dum ex bonorum patientia, illorum pravitas magis exsurgit, et rempublicam turbat, atque communi obviat paci.

Denique sanctus hic martyr superavit tyrannos, omnia sibi ab illis illata tormenta æquanimiter perferendo pro Dei amore et beata retributione. Nec solum per patientiam martyres gloriosi suos vicerunt persecutores, sed item per sapientiam et eloquentiam, prout Christus in Evangelio eis locutus est : Ponite (inquit) in cordibus vestris non præmeditari quemadmodum respondeatis. Ego enim dabo vobis os et sapientiam cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri. *Luc.* XXI, 14, 15. Et istud in beatissimis martyribus utriusque sexus evidentissime ac mirabilissime patuit, scilicet Stephano, Laurentio, Vincentio, Barbara, Catharina, Agatha, Agnete, et

aliis prorsus innumerabilibus Sanctis pro Christo occisis.

Insuper martyres sancti superaverunt adversarios suos et tertio modo, videlicet per gloriosa miracula quibus in suo coruscaverunt martyrio : per quæ idolorum templa ac idola destruxerunt, a leonibus ac ceteris feris manserunt intacti, in igne illæsi, in aquis non mersi, mortuos suscitaverunt, infirmos, claudos, cæcos, leprosos, paralyticos curaverunt ; per quæ interdum et ipsi tyranni fuerunt conversi.

Adhuc autem et quarto modo interdum suos superaverunt persecutores, per hoc quod ad eorum sanctitatem monstrandam Deus subinde miraculose plagavit ac interemit tyrannos. Quod aliquando contigit ante martyrum occisionem, ut in Legendis S. Silvestri et B. Christinæ narratur. Sæpius vero id contigit post beatissimorum martyrum trucidationem, ut patet in Decio et Valeriano, in Daciano et Quintiano ac Latroniano, et aliis multis.

Ex his constat, quam multiplici gratia et virtute, quam magna fortitudine ac multiformi excellentia, Deus hunc sanctum martyrem decoravit, quem tam copiose fecit victorem.

Præterea ad martyrem fortitudo præcipue pertinet, ne suppliciis mortem inducentibus terreatur aut cedat, quum dicat *Matth.* x, 28. Salvator : Nolite timere eos qui corpus occidunt. Atque ut sanctus ait Gregorius : Justorum fortitudo est carnem vincere, propriis voluntatibus contraire, dilectionem vitæ præsentis exstinguere, hujus mundi aspera pro æternis præmiis amare, prosperitatum blandimenta contemnere, adversitatis metum abjicere, ipsamque mortem et ejus supplicia, Dei intuitu ac amore, invicto animo tolerare. Porro reproborum ac impiorum fortitudo est, transitoria sine cessatione diligere nec ab eorum amore per adversa quiescere, ad honores sæculi adspirare, bonorum hominum vitam verbis et moribus aut etiam gladiis impugnare, in se ipsis confidere, vana præsumere, impotentiores opprimere, peccata peccatis adjicere, et illatam sibi injuriam auctoritate propria contra juris ordinem vindicare. Hæc est fortitudo pravissima, imo non fortitudo, sed fatuitas atque debilitas, omni veræ sapientiæ ac vigori virtutum contraria. Nam ut ait Anselmus, qui id potest quod sibi non expedit, quanto plus potest hoc, tanto infirmior comprobatur.

Amplius ad martyrem pertinet, habere fidem cum argumentis et rationibus fidei, purificatæque mentis intelligentia. Unde sacratissimus princeps Apostolorum in sua prima hortatur epistola : Dominum Christum sanctificate in cordibus vestris, parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea quæ in vobis est fide et spe. Habuit ergo hic martyr sanctus gratiam istam. Habuit quoque sapientiam illam quæ donum Spiritus Sancti est : quæ sapientia est caritati inseparabiliter juncta, ita quod eam nemo habet nisi in caritate exsistens, et omnis in caritate exsistens eam habet. Hæc sapientia dicitur quasi sapida scientia, quoniam est dulcis et affectiva cognitio Dei. Quemadmodum itaque sanctus hic martyr fuit in caritate perfectus, sic fuit et in dono sapientiæ hujus præfulgens, ita quod fuit divinorum contemplator sublimis. *I Petr.* III, 15. *Is.* XI, 2.

Sed jam postremo tangendum est, quanta Christus promittat vincentibus. Nam teste Apostolo, Non coronatur nisi qui legitime certaverit. Christus quoque : Qui perseveraverit (inquit) usque in finem, hic salvus erit. Itemque in Apocalypsi ait Filius Dei : Vincenti dabo edere de ligno vitæ quod est in paradiso Dei mei. Ubi per lignum vitæ, intelligi potest Christus, sapientia Dei Patris : de qua Salomon dixit, Lignum vitæ est omnibus apprehendentibus eam. Hujus ligni esus est beatifica Sanctorum refectio, utpote felix fruitio Dei, qua satiantur atque plenissime contentantur Beati. Iterumque ait Salvator in Apocalypsi : Qui vicerit, non lædetur a morte secunda, id est damnatione æterna ; itemque, Vincenti dabo manna absconditum. Et iterum protestatur : Qui vi- *II Tim.* II, 5. *Matth.* X, 22. *Apoc.* II, 7. *Prov.* III, 18. *Apoc.* II, 11. *Ibid.* 17. *Ibid.* III, 5.

cerit, vestietur vestimentis albis, id est A donis gratiæ in præsenti, donisque gloriæ in futuro, seu duplici stola immortalitatis ; et confitebor nomen ejus coram Patre meo. Sed et denuo : Qui vicerit (inquit), faciam illum columnam in templo meo, id est, firmiter eum collocabo, excellentemque faciam, tam in militanti quam in triumphanti Ecclesia.

Apoc. III, 12.

Ex quibus omnibus constat, quanta sit beatitudo et gloria hujus victoriosissimi martyris : quem imitari, invocare, diligere, honorare debemus, quatenus ad ejus beatitudinem ac societatem pertingere mereamur. Ad laudem Omnipotentis et gloriam. Amen.

COMMUNE
CONFESSORIS PONTIFICIS

Enarrationem epistolæ et evangelii require de S. Nicolao.

SERMO PRIMUS

DE VERA CHRISTI IMITATIONE, ET PERFIDIÁ EORUM QUI A CHRISTO NOMINARI VOLUNT NEC VITAM EJUS IMITARI.

QUI se dicit in Christo manere, debet sicut ille ambulavit et ipse ambulare. I Joann. II, 6.

Dominus noster Jesus Christus in Evan-
Luc. VI, 46. gelio ait : Quid dicitis mihi, Domine, Domine, et non facitis quæ dico? Ex quibus verbis probatur, quod indignus est Christum Dominum appellare, qui ipsius non obedit præceptis. Nam servus et dominus referuntur ad invicem. Qui ergo Christi non est servus, non vere et proprie Christum nominat Dominum suum : imo ad graviorem sui damnationem Dominum eum
Malach. I, 6. vocat. Hinc etiam per Malachiam loquitur Deus : Filius honorat patrem, et servus timet dominum suum. Si ergo pater ego sum, ubi est honor meus? et si Dominus ego sum, ubi est timor meus? Ex quibus duo eliciuntur. Primum est, quod omnes in mortali vitio exsistentes, indigni sunt Deum patrem vocare, quia non vere ipsum honorant, imo maxime inhonorant, quia præcepta ejus non advertunt nec curant implere, et ista carnalia et terrena, ista caduca, vana, fœda ac vilia præferunt ei, cujus natura est bonitas, cujus immensa est dignitas, cujus sanctitas finem non habet, qui est summum et incommutabile, infinitum et incomparabile bonum. Ecce quanta est cæcitas rationis, et quanta perversitas voluntatis omnium impiorum, Deum tam graviter inhonorantium ac vilipendentium, qui tam fatue judicant, et tam perverse ac stolide eligunt, dum istis terrenis, carnalibus atque vilissimis rebus potius quam omnipotenti et superexaltato Creatori suo adhærent, adhærendumque judicant et eligunt. Nam Deus multipliciter offert eis se ipsum, ipsi autem Deo contempto potius præeligunt, amplectuntur et diligunt carnalia, transitoria et immunda, similes eis de quibus in Threnis loquitur Jeremias : Qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora. Stercora quippe sunt transitoria et carnalia, comparatione summi infinitique boni, quod Deus est, imo et respectu spiritualium cœlestiumque bonorum. Secundum est, quod homines intimorati, vitiosi, indigni sunt Deum creatorem vocare Dominum suum, quia non timent eum, sed absque timore transgrediuntur ejus præcepta. De quibus Salomon loquitur : Quia non cito profertur contra malos judicium, absque ullo timore filii hominum perpetrant mala.

Thren. IV, 5.

Eccle. VIII, 11.

Itaque, si iniqui indigni sunt Christum

appellare Dominum suum aut patrem, multo indigniores sunt ab ipso Christo christiani vocari. Nam qui christianus vocatur, Christum se habere Dominum et Salvatorem ac patrem fatetur, et ejus se esse imitatorem designat.

Præterea de hac re loquitur valde subtiliter ac devote S. Augustinus in libro de Nomine christiano, inter cetera dicens : Christus unctus interpretatur. In veteri autem Testamento non nisi reges et pontifices ac prophetæ ungebantur : et hoc usque ad Christi adventum, quem *Ps.* XLIV, 8. Deus oleo exsultationis ac Spiritu Sancto unxit præ participibus suis. Ex quo omnes Christiani in Baptismo unguntur. Cujus unctionis exemplo monemur, quam sancte vivere teneamur, ut in quibus tam sancta est unctio, sit non minus sancta conversatio. Christiani ergo nomen frustra sortitur, qui Christum non imitatur. Quid enim tibi prodest vocari quod non es, et nomen tibi usurpare alienum? Sed si christianum te esse delectat, quæ Christi sunt gere, et merito tibi Christi nomen assume. Aut forsitan non esse, sed vocari desideras? Hoc fœdum et miserum est, te velle vocari quod non es. Qui christianus dicitur, Christum se Dominum habere profitetur, et vere habet, si ei in omnibus obsequatur; si quo minus, non jam Christi servus, sed subsannator est et irrisor, qui ejus se servum dicit cui servire dissimulat. Huic ergo geminum servatur condemnationis judicium, utpote pro subsannatione Dei, quem sine causa Dominum Deum appellat, et pro qualitate sui peccati.

Quum ergo hæc ita se habeant, sanctus iste confessor, cujus nunc solennia agimus, Christum studuit imitari, et ut dignus esset christianus vocari, curavit sicut *I Joann.* II, 6. Christus ambulavit et ipse ambulare. Secutus est equidem Dominum Salvatorem in omni virtute, præsertim in profundissima humilitate, per quam tanto plus dejecit et vilem ac defectuosum reputavit se ipsum, quanto amplius ab hominibus honorabatur. Itemque, secutus est Christum in magna et stabili patientia, quia injurias sibi illatas per verba aut facta, promptissimo sustinuit corde, gratias agens Domino in adversis, et Christi passionem ac patientiam semper præ oculis habens, atque perpendens quod princeps ait Apostolorum : Christus passus est pro nobis, *I Petr.* II, 21. vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus. Insuper, secutus est Dominum Jesum in spontanea paupertate, qui vel cuncta terrena propter Deum reliquit, vel ea pauperibus liberaliter communicavit, nec immoderanter dilexit, implens quod ait Psalmista : Divitiæ si affluant, *Ps.* LXI, 11. nolite cor apponere. Imo multi Sancti in magnis divitiis multas sponte sustinuerunt penurias, famem, sitim et frigora, per opera pœnitentiæ affligentes corpora sua, sicut ait Apostolus : Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis *Galat.* V, 24. et concupiscentiis. Adhuc autem, secutus est Dominum Christum in vera et spirituali dilectione Dei et proximi, Deum su- *Matth.* XXII, 37, 39. per omnia ardenter amando, et proximos etiam sibi adversantes ac invidentes, sicut se ipsum. Quidquid enim a Dei impedit caritate, hoc omni cum diligentia devitavit, omnem scilicet carnalem amorem, sensualem affectum, desideria inania ac mundana. Et quia se ipsum dilexit pure in Deo, idcirco eos qui sibi injurias intulerunt, qui se spreverunt ac percusserunt, reputavit suos amicos et sibi utilissimos et salubres, quoniam maximi profectus ac meriti fuerunt sibi occasio, et per eos purgari se æstimavit ac perfici : imo multo majoribus persecutionibus judicavit se dignum, eo quod omnium offendisset Creatorem et Deum ac Dominum. Item, secutus est Christum in vera, integra ac stabili obedientia, universa præcepta Dei atque Ecclesiæ cum diligentia ex caritatis fervore adimplens, ita quod cum Christo dicere potuit : Sicut mandatum dedit mihi Pater, *Joann.* XIV, 31. sic facio; et rursus, Ego non quæro gloriam meam, sed Dei. *Ibid.* VIII, 50.

Itaque diligentissime intueamur, cum quanta cordis sui custodia hic sanctus

confessor Deo jugiter deservivit, quam timorate atque sollicite coram ipso in omnibus ambulavit, semper sollicitus ne summi Patris præsentiam in aliquo inhonoraret, ne ejus sanctitatem per aliquam cogitationem inutilem, per quamcumque inordinatam affectionem, per quodcumque illicitum verbum offenderet, ne aliquid divinis præceptis contrarium operaretur, ne in exsecutione eorum quæ ad se pertinebant, negligens inveniretur, ne aliquam temporis horam sibi concessam transiret infructuose, ne aliquem scandalizaret, et ne a divini amoris teperet fervore. Denique, quia tam diligens exstitit in his omnibus coram Deo, idcirco misericordissimus Deus caritatem suam et gratiam, omnesque virtutes conservavit, auxit et perfecit in eo, et sanctum eum effecit ac honorabilem omni populo christiano, secundum quod ipse totis viribus honoravit Dominum Deum suum.

Studeamus ergo in prætactis virtutibus ac sanctis exercitiis sequi hunc Sanctum, et cum ipso ambulare sicut et Christus ambulavit, id est, vixit in sæculo isto (nam vita bonorum in hoc mundo, vocatur peregrinatio et ambulatio, quoniam ad cœlestem tendunt, propinquant ac properant patriam), ut digni simus christiani vocari, pensantes quod in libro de Nomine christiano loquitur Augustinus : Non in hoc nobis nomine tantum quod christiani dicimur, blandiamur, sed propter hoc etiam nos judicandos credamus, si nobis frustra nomen hoc vindicemus. Quis enim tam vanus et miser est qui advocatum se audeat profiteri, quum litteras nesciat? Quis tam insanus est et excors ut fateatur se militem, qui nesciat arma? Tu ergo quomodo christianus vocaris, in quo nullus Christi actus apparet? Christianus, nomen est justitiæ, bonitatis, integritatis, patientiæ, castitatis, prudentiæ, humanitatis, innocentiæ, pietatis : et tu quomodo tibi nomen hoc vindicas et defendis, qui de tam multis virtutibus nec paucas habes? Christianus est, qui bonus, pius et innocens est, nullam in pectore habens malitiam, qui nulli cupit obesse, sed cunctis prodesse, et Deo integra mente adhæret. — Tales ergo esse mentaliter cupiamus, et operabiliter studeamus. Atque ut gratiam tantam a Domino consequamur, sanctum hunc confessorem invocemus, diligamus et honoremus.

SERMO SECUNDUS

DE ARCTA VIA VITÆ, DEQUE SEX LABORIBUS FELICISSIMIS IN VITA HAC ASSUMENDIS QUIBUS VEROS DEI FILIOS OPINARI NOS POSSUMUS.

LABORA sicut bonus miles Christi Jesu. II Tim. II, 3.

Matth. VII, 14. Sicut in Evangelio ait Salvator, arcta est via quæ ducit ad vitam, et pauci incedunt per eam. Porro hæc arcta via, non est nisi virtuosa pœnitentialisque vita : quæ dicitur arcta, quia ardua est sive difficilis. Est namque difficile, cor ab omni inordinato affectu, ab omni consensu illicito, a cogitationibus pravis jugiter custodire, universis tentationibus diaboli, carnis et mundi resistere, omne mortale peccatum vitare, in via justitiæ usque ad finem manere. Et præsertim difficillima sunt ista eis qui inter sæculares et intimoratos homines conversantur, quoniam cum talibus non perverti, nec eorum exemplis aut verbis corrumpi, est rarum et valde præcipuum. Hinc quemlibet Christianum hortatur Apostolus : « Labora sicut bonus miles Christi Jesu », id est, cum omni mentis diligentia et conatu fuge peccata, men-

tem custodi, insiste virtutibus, persevera in bonis, et vince te ipsum tentationibus-
Matth. XI, 12. que resiste. Nam ut ait Salvator, Regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud : per violentos intelligens eos qui salubriter frangunt et vincunt se ipsos, passiones et concupiscentias refrenando, et propriam voluntatem Deo in omnibus subjiciendo. Hinc et Propheta loquitur Deo :
Ps. XVI, 4. Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras. Nam et Aristoteles : Ars, inquit, et virtus, sunt circa difficilia.

Præterea posset quis quærere : Si tam difficile est divinæ legis præcepta implere, et Deo sine mortali vitio deservire, quomodo intelligendum est quod ait Sal-
Matth. XI, 30. vator : Jugum meum suave est, et onus meum leve? Et respondendum, quod evangelicæ legis observantia laboriosa et arcta est homini secundum se, sed per gratiosum Dei auxilium, per caritatem ferventem, per laudabilem assuefactionem fit valde delectabilis atque perfacilis. Unde Propheta, qui (ut allegatum est) in uno ait psalmo, Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras, alio loco loqui-
Ps. CXVIII, 32. tur Deo : Viam mandatorum tuorum cucurri, quum dilatasti cor meum; itemque,
Ibid. 14. In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus divitiis.

Præterea sanctus iste confessor fortiter laboravit tanquam fidelissimus ac optimus Christi miles. Primo, proprium corpus rationis judicio subjiciendo, in refrenando concupiscentias gustus et tactus, ac evitando actus gulæ et incontinentiæ, prout
I *Cor.* IX, 27. ait Apostolus : Castigo (inquiens) corpus meum, et in servitutem redigo. Et istud indiget speciali et magno adjutorio Spiritus Sancti, discretione, sobrietate ac temperantia : siquidem in quotidianis refectionibus non excedere, et solam naturæ necessitatem, non aliquam voluptatem exquirere, magnum est valde. Et hoc fecit sanctus iste confessor, quoniam in cibis et potibus non solummodo non excessit, imo etiam quantum licuit, aliquid de necessariis naturæ suæ subtraxit, et corpus suum jejuniis, abstinentiis, vigiliis, disciplinis maceravit, afflixit, edomuit, juxta illud Apostoli ad Romanos : Obsecro vos ut *Rom.* XII, 1. exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum. Sicque excellenter implevit quod jubet Christus : Attendite *Luc.* XXI, 34. ne graventur corda vestra crapula vel ebrietate, aut curis hujus sæculi. Ista sobrietas ac castitas corporis, et edomatio ac bona gubernatio ejus, est fundamentum internæ reformationis ac sanctæ gubernationis. Ideo omnes Sancti corpus suum præfatis modis castigaverunt rationique subdiderunt, et tanquam boni milites Christi fortiter laboraverunt in hoc. Magna quippe virtus est sancta sobrietas, et vitam quoque præsentem dulciorem, saniorem ac diuturniorem efficiens. Hinc loquitur Augustinus : Sobrietas, est mentis et sensus membrorumque omnium cautela, pudicitiæ ac castitatis munimen, pacis et amicitiæ conservatrix, pudori et honestati semper conjuncta, ac vitia multa expellens; temeritatem etenim fugit, pericula multa declinat, domum atque familiam cum moderatione gubernat. Hinc et Chrysostomus protestatur : Simplicior victus et mensa mediocris, plurimum jucunditatis habet et voluptatis; divitum vero mensæ exsecrabiles sunt et horridæ, et contaminationibus plenæ. Porro quam laudabilis ac necessaria est homini sancta ista sobrietas, tam vituperabilis ac nociva ei est gula, quum dicat Gregorius : Omne quod homines fortiter egerunt, dominante gulæ vitio perdunt; et dum venter non restringitur, cunctæ virtutes pariter obruuntur. Nam epulas quasi semper comitatur voluptas, quia dum corpus in refectionis delectatione resolvitur, cor ad inane gaudium relaxatur.

Secundo laboravit sanctus iste confessor ut bonus miles Christi, circa interiorum suorum reformationem, omnes animæ suæ affectiones simplificando ac rectificando in Deo, ita quod in nulla re creata, non in auro, argento, vestibus, or-

namentis, cibis, potibus, mulieribus, habitaculis delectabatur, nisi in Deo; nec superflue appetiit talia, neque de eorum amissione immoderanter contristabatur. Et in hoc sanctum hunc confessorem imitari debemus, quatenus omnia nostra sint ordinata in Deo, nec immoderate pro temporalibus sollicitemur, neque in his terrenis atque carnalibus inaniter gloriemur, ut
II *Cor.* x, 17. impleamus quod ait Apostolus : Qui gloriatur, in Domino glorietur ; et rursus,
Philipp. iv, 4. Gaudete in Domino semper.

Tertio laboravit contra universas sæculi vanitates et impugnationes, et contra diabolicas tentationes, ita quod nulla hujus mundi vanitate seductus est; sed choreas, spectacula, ludos, jocos, cantus vanos et musica quæque contempsit, nec aliquo hujus mundi objecto inordinate est delectatus. Diabolicis quoque tentationibus viriliter restitit ; et quanto invisibiles hostes eum ad illicita fortius incitabant, tanto studiosius dedit se ad virtutes, ad omnem humilitatem, ad patientiam plenam, ad mansuetudinem inconcussam, ad caritatem perfectam, ad orationes assiduas, ad meditationes devotas, dicens cum sancto
Ps. xvii, 38. David : Persequar inimicos meos et comprehendam illos, et non convertar donec deficiant. Ecce in omnibus his sequamur hunc Sanctum, et mundum cum suis vanitatibus despiciamus, quemadmodum in prima sua Canonica sanctus ait Joannes
I *Joann.* ii, 15, 16. apostolus : Nolite diligere mundum neque ea quæ in mundo sunt, quoniam si quis diligit mundum, non est caritas Dei Patris in eo; omne enim quod in mundo est, concupiscentia carnis est, concupiscentia oculorum, et superbia vitæ. Unde et san-
Jacob. iv, 4. ctus apostolus Jacobus loquitur : Amicitia hujus mundi inimica est Deo. Quicumque ergo voluerit amicus hujus mundi fieri, inimicus Dei constituetur. Non itaque diligamus bona sæculi hujus nec ejus honores inordinate, nec mundanis hominibus placere aut per avaritiam jungi optemus in quantum mundani sunt, id est vitiosi et vani ac Deo contrarii; naturam tamen diligamus, imo et personam eorum, in quantum a Deo creata est, et beatitudinis susceptiva consistit.

Quarto laboravit tanquam fidelis Christi miles, pro communi bono et pace Ecclesiæ, pro lapsorum reformatione, pro errantium conversione, pro ædificatione proximorum suorum, pro honorificentia majestatis divinæ : ita quod cum beatissimo Elia dicere potuit, Zelo zelatus sum pro III *Reg.* xix, 10, 14. Domino exercituum ; et cum Psalmista, Zelus domus tuæ comedit me. In sanctis *Ps.* lxviii, 10. etenim viris caritas tam fervens et magna est, quod se ad omnes extendit, et Dei honorem ac gloriam super omnia et in omnibus cupit ac quærit, deinde bonum commune : quoniam bonum quanto communius, tanto divinius. Unde secundum Augustinum, tanto est quisque in Dei amore perfectior, quanto plures ad ejus amorem trahit aut trahere nititur. Unde et quilibet nostrum in isto Sanctum hunc sequi conetur, ut totis præcordiis cupiamus Deum ab omnibus congrue honorari, Ecclesiam in singulis suis gradibus atque suppositis reformari, bona ubique augeri, perturbationes et vitia exstirpari.

Quinto laboravit pro quotidiano ac jugi gratiæ incremento et perfectione virtutum. Devoti namque et fervidi, ea quæ habent pro modico arbitrantes, semper conantur proficere atque in omni virtute fieri consummati sive perfecti, ut sint ab omni privato et inordinato amore prorsus mundati et in divino amore completi, quotidie quoque humiliores, patientiores, devotiores et ferventiores, magisque puri ac stabiliti in Deo, cum Apostolo singuli profitentes : Ego me non arbitror apprehen- *Philipp.* iii, 13. disse, quæ retro sunt obliviscens, et in anteriora extendens me ipsum. Sic et nos semper in donis et gratia Spiritus Sancti crescere enitamur : præsertim quum in Dei itinere non proficere, reputetur deficere.

Postremo laboravit confessor iste sanctissimus, pro ferventi ac stabili contemplatione divinorum in vita hac, quantum

possibile est. Ad hanc etenim contemplationem virtutes ordinantur morales, et in plena contemplatione veritatis æternæ omnium electorum consistit felicitas. Sicque viri sancti in vita hac futuram beatitudinem inchoare ac prægustare nituntur, sic- *Ps.* XXXIII, 9. ut hortatur Propheta : Gustate et videte quoniam suavis est Dominus. Unde ait Sal- *Joann.* XVII, 3. vator : Hæc est vita æterna, ut cognoscant te verum Deum, et quem misisti Jesum Christum. Studeamus ergo et nos mentem nostram ab exterioribus ac terrenis abstrahere, intra se recolligere, ad Deum erigere ; ejus bonitatem, pulchritudinem, excellentiam contemplari, et si non assidue atque continue, tamen frequenter et interpolate. Nempe ut asserit Augustinus, Contemplatio est illa species quæ rapit omnem animam desiderio sui, tanto ardentiorem quanto mundiorem, et tanto mundiorem quanto ad spiritualia consurgentem, et tanto ad spiritualia consurgentem quanto carnalibus desideriis ac terrenis affectibus morientem. Propterea ait Gregorius : Mens nostra ad contemplanda interna non perducitur, nisi ab his quæ exterius implicant, studiose abstrahatur ; nec ad vim contemplationis intimæ rapitur, nisi prius a terrenorum tumultu affectuum liberetur.

SERMO TERTIUS

DE PERFECTIONE PATRIS ÆTERNI IMITANDA, AC VERA DILECTIONE, TRIPLICIQUE ENARRATIONE EVANGELICI VERBI : DILIGES DOMINUM DEUM TUUM, ETC.

ESTOTE perfecti sicut et Pater vester cœlestis perfectus est. Matth. V, 48.

Ista sunt verba Domini nostri Jesu Christi, unigeniti Filii Dei, ad imitationem et gratiosam assimilationem Patris cœlestis nos invitantis, dicendo : « Estote perfecti ». Sed quum Deus sit infinitæ perfectionis, utpote incircumscriptus, et solus absolute simpliciterque perfectus, quomodo potest homo esse aut fieri perfectus sicut Pater cœlestis, præsertim quum finiti ad infinitum nulla sit comparatio ? Et respondendum, quod duplex est similitudo. Una naturalis et perfecta, quæ est velut æqualitas, aut in æqualitate fundata ; et sic unigenitus Filius secundum quod Deus, Patri æterno est similis : propter quod dixit Philippo *Joann.* XIV, 9. apostolo, Qui videt me, videt et Patrem. Sicque nulla pura creatura similis est *Is.* XL, 18. Deo : propter quod per Isaiam dicitur, Cui similem fecistis Deum ? aut quam imaginem ponetis ei ? Alia est similitudo, imitativa et imperfecta : sicque homo dicitur similis Deo, quia ad ejus imaginem et similitudinem est plasmatus. Et quamvis per dona naturæ Deo aliqualiter assimiletur, præsertim per intellectum et voluntatem, qua liber est et suorum actuum dominus ; tamen per dona gratuita, utpote per gratiam gratum facientem, per virtutes theologicas ceterasque virtutes infusas, et per septem dona Spiritus Sancti, atque per actus harum virtutum ac donorum, excellentius et perfectius Deo assimilatur, in tantum ut perfectus et sanctus dicatur quemadmodum Deus, non per adæquationem, sed participatam imitationem. Porro per dona gloriæ, per beatificam Dei visionem et suavissimam ipsius fruitionem, multo adhuc eminentius assimilatur rationalis creatura Deo incomparabili. De qua assimilatione ait in prima sua epistola Joannes apostolus : Carissimi, *I Joann.* III, nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus ; scimus quoniam quum apparuerit, similes ei erimus, quia videbi- *Gen.* I, 26, 27.

mus eum sicuti est. Itaque tanta est bonitas, caritas atque dignatio Dei circa homines, ut eos ad sui assimilationem invitare dignetur, et appellationes sibi soli proprie convenientes ac plene, eis communicare dignetur, ita ut perfecti et sancti ac dii vocentur. Unde per Moysen dixit : Sancti estote, quia ego sanctus sum, Deus vester. Et ad ipsum Moysen ait : Ego constitui te deum Pharaonis, et Aaron frater tuus erit propheta tuus. — Sed nunc oportet advertere, qualiter effici valeamus et esse perfecti sicut Pater cœlestis, quum ille essentialiter sit perfectus, homo accidentaliter tantum.

Lev. XI, 44, 45 ; XIX, 2 ; etc. *Exod.* VII, 1.

Itaque primo pensandum, quod quum Deus sit ens simplicissimum, utpote ipsum esse, in se subsistens ac separatum, ipse solus est essentialiter virtuosus, perfectus et sanctus, ita quod sua essentia est sua virtus, sua perfectio suaque sanctitas. Angeli autem et homines fiunt et sunt virtuosi, perfecti et sancti per supernaturalia dona gratiæ seu gloriæ eis infusa, videlicet per virtutes et dona Spiritus Sancti eorumque actus præcipuos. Denique in omni multitudine ordinata, necesse est esse unum primum ac præstantissimum. Quum ergo sint valde multæ virtutes, oportet quod inter eas sit una altissima : et illa est caritas, quæ est supernaturalis quædam expressio ac similitudo Spiritus Sancti, qui est caritas increata. Per quam caritatem creatam, infusam, rationalis creatura suo Creatori supernaturaliter conformatur, grata et accepta efficitur, imo et sponsa ac filia, amica quoque et heres fit ejus. Hinc perfectio hominis essentialiter sita est in actu caritatis, sic quod actualis dilectio Dei fervida et completa, est perfectio nostra. Unde ad hanc dilectionem ordinantur universa præcepta, et ipsa quoque evangelica Christi consilia. Hinc in Evangelio Christus testatur, quod primum maximumque mandatum est : Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua, et ex tota virtute tua. Itaque quidquid boni agi-

Matth. XXII, 37 ; *Luc.* X, 27.

A mus, ad hoc finaliter ordinemus, ut per hoc ad istam tam perfectam Dei dilectionem proficiamus ac perducamur, ut per hoc simus perfecti sicut Pater cœlestis. *Matth.* V, 48.

Præterea, istud præceptum primum ac summum de Deo totaliter diligendo, tripliciter potest intelligi et exponi. Primo, ut indesinenter semperque actualiter feramur in Deum, et fixi simus plene in eo, ipsum toto corde, tota mente totisque viribus diligendo. Et istud in hac vita non possumus adimplere ; sed hoc modo B impletur præceptum istud a Sanctis in patria, qui plene et inavertibiliter stant in Deum erecti cum incessabili caritatis ardore.

Secundo, ut semper elevemur ad Deum, ipsum totaliter diligendo quantum in vita hac fieri potest, ita ut ea quæ caritatis profectum et perfectionem impediunt, evitemus. Ea vero quæ caritatis divinæ profectum et perfectionem impedire solent, sunt voluptates carnales, temporales divitiæ, sollicitudo mundana, propria quoque C voluntas, et occupatio sive distractio mentis circa diversa. Hinc Christus, sapientia Dei Patris, in Evangelio consulit omnia ista propter Deum relinqui ac despici, quatenus ad perfectam Dei dilectionem perveniatur. In primis enim consulit omnia exteriora relinqui, dicendo : Si vis perfectus esse, vade, et vende omnia quæ habes et da pauperibus, et veniens sequere me. Itemque : Qui non renuntiat (inquit) omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Secundo consulit D relinqui ea quæ partim nobis conjuncta sunt, ut uxorem, parentes ac sobolem, dicens : Si quis venit ad me, et non odit patrem suum et matrem, et uxorem, et fratres et sorores, non potest meus esse discipulus. Tertio consulit propriam voluntatem abjicere, dicens : Qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam quotidie, et sequatur me.

I Cor. I, 24. *Matth.* XIX, 21. *Luc.* XIV, 33. *Ibid.* 26. *Ibid.* IX, 23.

Tertio, præfatum præceptum exponitur ita : ut Deum toto corde totaque anima diligamus, sic ut Deo nil præponamus, nec

aliquid ejus caritati contrarium operemur, sed plus quam cetera universa ipsum amemus. Et istud est de necessitate salutis.

Itaque quod ait Salvator, « Estote perfecti sicut Pater vester cœlestis », si intelligatur de perfectione pertinente ad exsecutionem præcepti prætacti de amando Deum totaliter, juxta expositionem præcepti illius secundam jam habitam, tunc verbum hoc Christi esset consilium, non præceptum, nisi quantum ad religiosos et eos qui ad perfectionem tenentur. Si autem intelligatur de perfectione pertinente ad exsecutionem præcepti prædicti secundum tertiam expositionem, tunc verbum illud est præceptum.

Præterea sanctus iste confessor, documentorum Christi non surdus, sed diligentissimus efficacissimusque auditor, indesinenter studuit in hac vita esse perfectus sicut Pater cœlestis : propter quam perfectionem adipiscendam omnia carnalia oblectamenta contempsit, transitoria bona sprevit ut lutum et pulverem. Omnes quoque carnales propinquos deseruit et odivit, quantum ad id quo sibi in via Dei, in caritatis profectu spiritualique incremento gratiæ quotidiano obsistere poterant, ita
II *Cor.* v, 16. quod cum Apostolo dicere quivit : Nos jam neminem novimus secundum carnem.
Philipp. III, 8. Itemque : Existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam caritatis Domini nostri Jesu Christi ; propter quod omnia arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam.

Quum ergo tota nostra consistat perfectio in ferventi et puro Dei amore, studeamus quotidie in ejus sancta dilectione proficere, ipsum orando assidue et instanter ut carnales et vitiosas affectiones tollat a cordibus nostris, et suam in nobis caritatem accendat : de qua in Evan-
Luc. XII, 49. gelio ait Salvator, Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur ? Præterea, quia venenum caritatis est cupiditas, id est inordinatus amor rei creatæ, profectus vero caritatis minoratio cupiditatis, atque caritatis perfectio nulla cupiditas, seu mera cupiditatis ejectio ; idcirco cupiditatem hanc eradicare et abjicere ac semper vitare conemur, nullam rem creatam amando nisi in Deo, hoc est, quantum nobis accommoda est aut necessaria ad serviendum, vacandum et complacendum Domino Deo ; nec aliter diligamus nos ipsos nisi in Deo, ad ejus honorem et gloriam referendo nos ipsos et omnia nostra finaliter atque totaliter.

Amplius, quemadmodum beatus iste confessor ad perfectam Dei dilectionem in vita ista pervenit, sic ad plenitudinem doni sapientiæ est perductus : ita quod sapientia quæ est primum donum inter *Is.* XI, 2. septem dona Spiritus Sancti, fuit gratiosissime decoratus secundum tertium et supremum gradum ipsius in vita hac. Per quam sapientiam unitivam et affectivam fuit ad contemplationem divinorum aptissimus atque promptissimus, utpote in contactu Solis æternæ sapientiæ quoad apicem mentis suæ stans, et radios illustrationis supernæ ab ipso uberrime ac frequentissime sumens ; eratque tanquam secretarius et consiliarius Dei, qui incerta et occulta *Ps.* L, 8. sapientiæ suæ ei manifestavit, et ipsum supernaturaliter per occultos instinctus direxit. Ideo Sanctus iste toto corde fuit Deo intentus, in ipsum per contemplationem defixus, per caritatem transformatus, per raptum absorptus, inferiora et carnalia prorsus fastidiens, renuens consolari nisi *Ps.* LXXVI, 3. in Deo, cujus deliciæ erant esse in eo. Et *Prov.* VIII, 31. quia tam amantissimus ac familiarissimus exstitit Creatori, idcirco in omnibus eum piissime Deus exaudivit, et propter eum mirabilia multa et magna operari dignatus est, mirificans Sanctum suum, et sancti- *Ps.* IV, 4. tatem ejus mundo declarans, volensque eum ab hominibus honorari, atque per preces ejus ac merita hominibus suffragari.

Conemur ergo viriliter Sancti hujus sequi vestigia ; et ut mereamur ad perfectionem divinæ dilectionis pertingere, non negligamus nos ipsos in omnibus humiliare, despicere, patientiam mansuetudinem-

que servare, sobrii, justi, casti, misericordes consistere, tempus omne fructuose expendere, orationibus ac meditationibus esse intenti, et in carnalibus non delectari, quatenus mereamur cœlestia contemplari. Ait namque Chrysostomus : Nemo eorum qui delectantur præsentibus et caducis, potest cœlestia ac spiritualia contemplari ; sed qui ea contempserit, et velut umbram ac pulverem duxerit, velocius ad illa perveniet. Nam et apud homines hic mos est, ut tunc thesauros suos reconditasque divitias patefaciant filiis suis, quum eos adultos jam viderint, et puerilis lasciviæ vitia respuisse. Ad laudem Omnipotentis.

COMMUNE

CONFESSORIS NON PONTIFICIS

ET ABBATIS

ENARRATIO IN LECTIONEM LOCO EPISTOLÆ

JUSTUM DEDUXIT DOMINUS PER VIAS RECTAS, ETC. Sap. x, 10-14.

HÆC verba ad litteram de Jacob filio Isaac leguntur, sed ad virum justum (cujusmodi sanctus fuit hic N. confessor) ab Ecclesia applicantur. Igitur :

Justum deduxit Dominus per vias rectas, id est per observantiam præceptorum seu evangelicorum consiliorum, de loco hujus exsilii ad patriam Beatorum. Quemadmodum autem infantuli nequeunt ambulare nisi ducantur, seu parvo curriculo innitantur; sic fideles indigent indesinenter juvari, sustentari ac duci a Deo, ne semitas exeant æquitatis. Alioqui regiam viam cito relinquerent, declinando ad dexteram sive sinistram. Ideo orat Prophe-
Ps. LXXXV, 11. ta : Deduc me, Domine, in via tua; et,
Ps. CXVIII, 133. Gressus meos dirige secundum eloquium tuum. *Et ostendit illi regnum Dei,* dando ei gratiam contemplandi ac prægustandi gaudia regni cœlestis. *Et dedit illi scientiam sanctorum,* id est intelligentiam scripturarum Apostolorum, Evangelistarum ac Prophetarum, vel illuminationem angelorum sanctorum ; donum quoque scientiæ, quod infunditur cordibus omnium electorum. *Honestavit illum in laboribus,* id est, actibus virtuosis fecit eum studiose, fructuose ac perseveranter intentum; *et complevit labores illius,* perducendo eum ad finem beatum. *In fraude circumvenientium illum adfuit :* id est, a fraudibus invisibilium ac visibilium hostium ac tyrannorum eripuit eum ac præservavit, per illuminationem et directionem internam, per inspirationem angelicam ; *et honestum fecit illum,* id est spiritualiter locupletem, totique mundo venerabilem, canonizando eumdem, et per diversa miracula Sanctum suum mirificando.
Ps. IV, 4.

Custodivit illum ab inimicis præfatis, non ut eum non persequerentur aut trucidarent, sed ne per impatientiam aut aliam culpam corrueret; *et a seductoribus,* qui conati sunt per blandimenta et vana promissa, aut philosophica argumenta, vel comminationes et pœnarum acerbitates decipere Christi electos, *tutavit illum,* per sapientiam salutarem atque constantiam. *Et certamen forte dedit illi, ut vinceret :* quia contra diabolum, mundum et carnem jussit eum fortiter præliari ac prævalere : Nolite (inquiens) timere
Matth. x, 28. eos qui corpus occidunt. Non enim co-
II *Tim.* II, 5. ronatur nisi qui legitime certaverit. *Et sciret quoniam omnium potentior est sapientia,* id est, victoriam suam non sibi ipsi,

sed Christo adscriberet, a quo sibi promis-
Luc. XXI, 15. sum fuit : Ego dabo vobis os et sapientiam cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri.

Hæc venditum justum non dereliquit. Nam multi Sancti fuerunt perfidis venditi, sed a Sapientia summa nequaquam relicti. *Sed a peccatoribus liberavit eum* per patientiam et glorificationem in cœlis æternam. *Descenditque cum illo in foveam.* Certum est quod felicissimis martyribus in omni eorum cruciatu acerrimo gratiosissime adstitit. Vel, « descendit cum illo in foveam », id est carcerem, vel locum durum pœnitentiæ. *Et in vinculis non dereliquit illum,* id est, in captivitate et quibuscumque animæ et corporis molestiis opportuno tempore adfuit, nec deseruit illum ; *donec afferret illi sceptrum regni,* id est, donec perduceret eum ad victoriam et coronam ; *et potentiam adversus eos qui eum deprimebant,* id est, donec illum faceret superiorem omnibus his qui eum molestabant. *Et mendaces ostendit qui maculaverunt illum,* id est, qui maculare et infamare nitebantur. *Et dedit illi claritatem æternam,* id est, dedit ei perpetuam claritatem et gloriam nominis hic in Ecclesia, et æternæ beatitudinis in cœlesti gloria.

ENARRATIO IN EVANGELIUM

SINT LUMBI VESTRI PRÆCINCTI, ETC. Luc. XII, 35-40.

IN hoc evangelio Christus nos hortatur paratos esse ad horam mortis, nobis incertam. Quæ etiam illa esse debeat præparatio addit, dicens :

Sint lumbi vestri præcincti, id est, parati agilesque estote ad exsequendum opera Dei, ad ambulandum in via Domini, ad refrenandum concupiscentiam voluptatemque carnis, quæ viget in lumbis. Denique duplices sunt lumbi hominis, scilicet : carnales, ex quibus prodeunt concupiscentiæ carnis et opera impudica. De quibus
Job XL, 11. lumbis scriptum est in Job : Fortitudo ejus in lumbis ejus. Hi lumbi per disciplinæ rigorem ac temperantiam refrenantur ac præcinguntur : quod omni Christiano necessarium est ad salutem, dicente Apostolo, Qui autem sunt Christi, carnem suam
Galat. V, 24. crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis. Hoc enim est abstinere a carnalibus
1 *Petr.* II, 11. desideriis quæ militant adversus animam.
Rom. VIII, 13. Unde rursus ait Apostolus : Si secundum carnem vixeritis, moriemini ; si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.

Porro alii sunt lumbi, spirituales, videlicet intellectus atque affectus, ex quibus cogitationum et appetitionum spiritualium abundantia oritur : propter quod præcingendi sunt spirituali cinctorio, utpote assidua cordis custodia et meditatione divinæ Scripturæ continua, ne ex eis emanent inutilium cogitationum ac desideriorum proflumina, juxta illud in Psalmo : In lege *Ps.* I, 2. Domini voluntas ejus, et in lege ejus meditabitur die ac nocte. Hinc ad Ephesios hortatur Apostolus : State ergo succincti *Ephes.* VI, 14. lumbos vestros in veritate.

Et lucernæ ardentes in manibus vestris. Per lucernas intelliguntur discretio rationis in agendis, et eruditio aliorum verbo aut facto. Sint ergo lucernæ ardentes : id est, discretio dirigat opera et inflammet, juxta illud ad Romanos, Rationabile, id est *Rom.* XII, 1. discretum, sit obsequium vestrum ; et ratio hominis proximos illuminet et accendat, docendo, exemplariterque vivendo, quemadmodum apud Matthæum ait Salvator : *Matth.* V, 16. Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut

videant opera vestra bona, et glorificent A Patrem vestrum qui in cœlis est. Unde secundum Gregorium : Lumbos præcingimus, dum carnis luxuriam coarctamus ; lucernas quoque ardentes in manibus tenemus, quum proximis exempla virtutum monstramus. Itaque lucernæ non solum debent esse lucentes per veritatis notitiam, sed et ardentes per caritatis fervorem, quia cognitio veritatis absque dilectione bonitatis informis est. Rursus, per lucernas possunt intelligi divina eloquia et præcepta, quibus nostræ animæ illustrantur, B

Prov. VI, 23. juxta illud Proverbiorum : Mandatum lucerna est, et lex lux ; atque in Psalmo,

Ps. CXVIII, 105. Lucerna pedibus meis verbum tuum. Hæ autem lucernæ fiunt ardentes, quando ex caritate considerantur ac observantur.

Et vos similes sitis *hominibus exspectantibus dominum suum, quando revertatur a nuptiis : ut quum venerit et pulsaverit, confestim aperiant ei :* id est, sicut servi boni præstolantur reditum domini sui a nuptiis cum diligentia ac patientia, non audentes se interim male habere, nec C hinc inde vagari, sed domum custodientes, semperque parati ostium redeunti domino aperire ; ita et vos cum omni diligentia ac patientia exspectate meum adventum ad vos, quo venturus sum ad vos tam in judicio vestro particulari, videlicet hora mortis, quam in generali judicio, quando in forma humana descendam ad judicandum vivos et mortuos. In particulari autem judicio venit Christus per æquitatis suæ effectum, retribuendo quod anima in corpore suo promeruit. Dicitur quoque D Christus venire a nuptiis, quia in cœlo sibi univit triumphantem Ecclesiam plenissima unione, tanquam sponsam penitus illibatam, indesinenter ac intime sibi conjunctam. De quibus nuptiis in Apoca-

Apoc. XIX, 9. lypsi scribitur : Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt. A quibus dicitur Christus reverti, non quod eas relinquat, aut quia aliquando finiantur, sed quia a loco voluptatis illius purissimæ corporaliter aut spiritualiter venire asseritur.

Itaque Christum judicem præstolemur, ut quum venerit ad nos in hora mortis, vel in extremo judicio, et pulsaverit, id est, mortis debitum exegerit, seu per infirmitatem letalem tetigerit, confestim aperiamus ei, id est, parati simus ad mortem, et Christum judicem secure atque hilariter, vel saltem prompte ac obedienter, suscipiamus. Talis fuit Paulus, qui dixit : Cupio dissolvi et esse cum Christo ; *Philipp.* I, 23. Psalmista quoque, qui clamat : Heu mihi ! *Ps.* CXIX, 5. quia incolatus meus prolongatus est. Hinc in Jacobo habetur : Patientes estote usque *Jacob.* V, 7-9. ad adventum Domini, et confirmate corda vestra, quia adventus Domini appropinquabit : ecce judex ante januam adsistit.

Beati sunt nunc in spe, et per merita virtuosa, *servi illi,* similiter et ancillæ, *quos quum venerit Dominus* Jesus Christus (in judicio particulari seu universali, ut dictum est), *invenerit vigilantes,* hoc est in divino obsequio diligentes, non pigros aut somnolentos, sed mentis oculos ad supernæ lucis contemplationem apertos habentes, considerando divina, quemadmodum ad Ephesios ait Apostolus : Pater *Ephes.* I, 17, 18. gloriæ det vobis spiritum sapientiæ in agnitionem ejus, illuminatos oculos cordis vestri. Præterea, sicut lumen corporale oppositum oculis, somnolentiam pellit ; sic illuminatio lucis divinæ perfundens et clarificans mentem, negligentiam desidiamque ab ea avellit.

Amen, id est vere, *dico vobis, quod præcinget se,* hoc est, Christus judex disponet se ad dandum eis dignam felicitatis æternæ mercedem, secundum uniuscujusque capacitatem, proportionem seu meritum : ut sicut ipsi præcinxerunt se ad ejus obsequium, sic ipse præcingat se ad eorum glorificationem seu præmium, quum fuerint suo judicio præsentati ; *et faciet illos discumbere,* id est plene quiescere, et cum angelis sanctis in mensa æternæ felicitatis refici, id est Divinitatis beatifica fruitione repleri et satiari : quemadmodum ait Psalmista, Inebriabuntur ab ubertate do- *Ps.* XXXV, 9. mus tuæ, et torrente voluptatis tuæ po-

Ps. XVI, 15. tabis eos ; itemque, Satiabor quum appa- A
Luc. XXII, 29, 30. ruerit gloria tua. Unde ait Christus : Ego dispono vobis regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam. Hinc divinus Dionysius in epistola sua ad Titum scribit :
Cf. t. XVI, p. 572 D et s. Discubitum opinamur quietem a multis laboribus, et vitam sine læsione, et conversationem divinam in lumine, in regione viventium, universo sancto affectu adimpletam, copiosam donationem omnium donorum, secundum quam lætitia adimpletur. *Et transiens,* id est, singulorum corda jucundissime visitans, atque in cunctis B spiritualiter gradiens, illos convertendo, seu potius conversos tenendo in se ; vel, « transiens », id est, secundum humanitatem suam a loco judicii generalis ad cœlos revertens ; *ministrabit illis,* id est, omnia ad eorum beatitudinem pertinentia prompte ac copiosissime, amorose atque lætissime exhibebit. Hæc quippe est ministratio suffragii, non obsequii, ministratio caritatis, non subjectionis : quæ est ministratio sufficientiæ beneficiorum, sicut pater filiis ministrat expensas. Nam et angeli C sancti ac felices nobis pauperrimis, peccato et miseria plenis, ministrare dicuntur, quamvis secundum Bernardum, sint domini et principes nostri.

Sed quoniam Deus novit pronitatem nostram ad vitia, atque instabilissimam nostram fragilitatem ; idcirco longanimis est super nos, nec statim ulciscitur, sed semper durante hac vita, paratus est nostram pœnitentiam conversionemque suscipere. Ideo subditur : *Et si venerit in secunda vigilia,* id est, si Christus homi- D nem visitaverit ad judicandum eum tempore suæ juventutis, *et si in tertia vigilia venerit,* id est, diutius permiserit eum vivere, et visitaverit eum ad judicandum tempore senectutis, *et ita invenerit,* id est, hominem ad mortem paratum compererit ; *beati sunt servi illi,* qui a Christo fuerint ita parati atque in bonis operibus vigilantes inventi, quia coronabuntur gloriose ab ipso. Itaque secundum Gregorium, prima vigilia primævum tempus est vitæ nostræ, videlicet pueritia ; secunda vigilia est juventus seu adolescentia ; tertia autem, senectus ; quarta vero est illa ætas quæ decrepita nominatur. Qui ergo in pueritia male vixit, in juventute pœniteat et emendet. Quod si in juventute quoque conversatus est vitiose, saltem in senectute a malitiis resipiscat. De prima autem vigilia non fit hic mentio, quia in illa ætate non sunt homines tam apti ad ardua virtutum ; similiter nec in ætate decrepita : unde nec de ipsa fit sermo, nam et pœnitentiam quæ in ipsa fit, Deus minus acceptat, et quoniam raro est pœnitentia vera, quæ est adeo sera, ut asserit Augustinus. Verumtamen in Marco Christus omnes has quatuor tangit ætates, dicendo : Vigilate ; *Marc.* XIII, 35. nescitis enim quando Dominus veniat, sero, an media nocte, an galli cantu, an mane. Fit autem sermo de ætatibus vitæ humanæ, seu partibus vitæ hominis, metaphorice, ad similitudinem partium noctis. Sunt vero quatuor vigiliæ noctis : prima vocatur conticinium, secunda intempestum, tertia gallicinium, quarta antelucanum. Sic enim vigilantes in mœniis civitatum et castris, noctem consueverunt dividere, ut sibi invicem in vigilando succedant.

Deinde Salvator per simile in exterioribus rebus compertum, monet impleri quæ dixit ; et dicit : *Hoc autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias qua hora fur veniret, vigilaret utique, et non sineret perfodi domum suam* a fure. Hoc ad litteram ita est, quod homo tantum diligit corporalia bona sua, ut contra furis adventum vigilando se præpararet, si sciret quando venturus sit fur. Multo ergo plus custodire debet homo animam suam, et spiritualia bona sibi a Deo collata, seque per diligentem divinorum observantiam præceptorum, contra spiritualem furem parare atque armare, id est contra diabolum, qui domum mentis, id est conscientiam, indesinenter perfodere seu lædere ac maculare conatur ; seu contra mortem, ne ipsum corpus corrumpat antequam anima ad

occurrendum Christo et ad ejus suscipiendum judicium se ipsam paraverit. Porro, Theophilus per furem intelligit Christi adventum ad judicandum, eo quod instar furis venturus sit improvise, juxta illud
1 *Thess.* v, 2. Apostoli : Dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet. Itaque mentem nostram contra pessimum ac callidissimum furem, puta diabolum, indesinenter custodiamus, ne nos omni gratiarum charismate spoliet : quia si nos ad tentationis suæ consensum induxerit, omni gratia et virtute protinus nos privabit. Ideo Paulus nos hortatur : B
Ephes. IV, 27. Nolite locum dare diabolo. Et Jacobus :
Jacob. IV, 7. Resistite (inquit) diabolo, et fugiet a vobis.
1 *Petr.* V, 8, 9. Petrus quoque : Sobrii (ait) estote, et vigilate, quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret : cui resistite fortes in fide.

Deinceps Christus istud exemplum ad propositum applicat. *Et vos estote parati,* id est, semper et indesinenter in caritate et gratia esse et vivere satagite, nec mortale peccatum vobis inhæreat : imo, si (quod absit) evenerit, per pœnitentiam C mox tollatur. Sic ergo « estote parati » ad Christi adventum, ad mortem, ad divinum judicium, *quia qua hora non putatis,* id est tempore vobis incerto, *Filius hominis,* scilicet Christus, *veniet,* id est, per mortis inflictionem, seu per judicii exhibitionem, vos visitabit : quod tam de hora mortis, seu particulari cujuslibet judicio, quam de die extremi judicii potest intelligi. Unde
Matth. XXV, 13. et alibi loquitur Christus : Vigilate itaque, A quia nescitis diem neque horam ; et in Actibus Apostolorum, Non est vestrum *Act.* I, 7. nosse tempora vel momenta quæ Pater posuit in sua potestate : quod de tempore finalis dixit judicii. Porro utramque hanc horam Dominus voluit nos latere, ut tanto diligentius ac indesinentius ad mortem et ad divinum nos judicium disponamus, quanto determinatum tempus minus agnoscimus, scientes quia revera periculum est immensum, si quis inventus ac deprehensus fuerit imparatus. Hinc quoque in Apocalypsi loquitur Christus reprehensibili servo : In mente habe qualiter acceperis et audieris, et pœnitentiam age : et esto *Apoc.* III, 3. vigilans. Si ergo non vigilaveris, veniam ad te tanquam fur, et nescies qua hora veniam ad te. Sed et summus ille philosophus Plato in Phædone disseruit, quod summa philosophia sit meditatio mortis assidua. Seneca quoque testatur : Quoniam diem mortis nescimus, quilibet nostræ vitæ dies ordinandus est tanquam ultimus dies.

Postremo, prædictis Christi verbis non obviat, quod quidam Sanctorum ex singulari Dei gratia, diem mortis suæ per revelationem præcognoverunt divinam. Christus enim loquitur hæc secundum legem communem, quemadmodum Salomon in Ecclesiaste : Nescit (inquit) homo finem *Eccle.* IX, suum ; sed sicut pisces capiuntur hamo, et 12. aves laqueo, sic capiuntur homines tempore malo, quum eis extemplo supervenerit.

ENARRATIO IN EVANGELIUM

SI QUIS VENIT AD ME, ET NON ODIT PATREM SUUM, ET MATREM, ETC. Luc. XIV, 26-33.

UBIQUE in Scripturis ad se ut redeamus, invitat et vocat nos Dominus. In hoc vero evangelio dicit, quam nudi et ab omnibus abstracti sequi se debeamus. Dicit itaque : D

Si quis venit ad me, id est, me sequi voluerit per vitæ assimilationem et debitam servitutem, *et non odit patrem suum, et matrem, et uxorem, et filios, et fratres, et sorores.* Omnes istæ personæ odiendæ

sunt servis Christi, non quantum ad id quod habent a Creatore, videlicet quoad esse naturæ suæ aut gratiæ, sed quantum ad id quod habent a se ipsis, hoc est a propria inordinata voluntate, utpote quantum ad culpam et impietatem quam habent, qua etiam nobis in via Dei contrariantur, a salute nos nitendo retrahere aut a profectu virtutum. Natura autem et persona amandæ sunt. Et sic juxta prætactam distinctionem, homo conformat se Deo, qui omnia amat secundum id quod sunt per naturam, gratiam aut gloriam, prout Sa-
Sap. XI, 25. piens loquitur : Diligis omnia quæ sunt, et nihil odisti eorum quæ fecisti. Nihilo minus odit iniquos, secundum quod tales, quemadmodum in eodem libro scribitur :
Ibid. XIV, 9. Odio sunt Deo impius et impietas ejus ;
Ps. V, 7. atque in Psalmo, Odisti omnes qui operantur iniquitatem ; per Jeremiam quoque,
Jer. XV, 1. Non est anima mea ad populum istum. *Adhuc autem et animam suam,* id est se ipsum, ponendo partem pro toto. Eodem equidem modo debemus diligere et odire nos, quo et proximos. Quum enim amare sit alicui bonum velle ; odire autem, alicui malum velle : debemus nos ipsos aliosque diligere, nobis ipsis ac aliis necessaria naturæ, donaque gratiæ, et munera gloriæ sempiternæ optando ac imprecando. Porro nos ipsos ac alios debemus odire, id est impietates nostras ac alienas abhorrere et velle non esse, atque pro malis culpæ mala pœnæ nobis ac aliis affectare zelo justitiæ, imo et nos ipsos ac nobis commissos debite castigare, inordinatis affectibus et carnalibus concupiscentiis reluctari. Istud est bonum virtuosumque odium, ex spirituali procedens amore, de quo ait
Ps. CXXXVIII, 22. Psalmista : Perfecto odio oderam illos. Sicque David odivit se ipsum quum deprecatus est Deum, dicens : Vertatur, obsecro, manus tua in me, et populus tuus non percutiatur. *Non potest meus esse discipulus,* id est, veraciter christianus, utpote meæ doctrinæ obeditor seu adimpletor.
II *Reg.* XXIV, 17 ; I *Par.* XXI, 17.

Præterea quæritur, an istud, scilicet odire parentes et ceteros atque se ipsum, sit consilium vel præceptum. Et respondendum, quod secundum aliquem modum ac sensum, est præceptum, et aliquo modo, consilium. Est enim præceptum, quantum ad hoc, ut carnales affectus prædictarum personarum contrarios caritati spirituali abjiciamus, et item ut præfatas vitemus ac odiamus personas quantum ad hoc quod nos ab impletione præceptorum impedire nituntur. Sed est consilium, quoad hoc, ut carnales affectus, carnaliterque propinquos sive conjunctos, odiamus, relinquamus, vitemus, quantum ad hoc quod nos impedire nituntur aut possunt a spirituali profectu ad perfectionem tendente per actus et opera supererogationis : ut scilicet carnales præfatarum personarum affectus abjiciamus, non illos dumtaxat qui caritati divinæ contrariantur directe, sed illos quoque qui caritatis profectum, ardorem et perfectionem impediunt.

Et qui non bajulat crucem suam, id est, opera pœnitentiæ non exercet, corpus per abstinentiam non affligit, proximis suis non condolet tempore opportuno, *et venit post me,* talia bona exercendo, non vana intentione pro laude humana, sed ad laudem et gloriam Dei, ædificationemque proximi, secundum quod ego feci, prout apud Joannem protestor : Ego non quæro glo-
Joann. VIII, 50, 49. riam meam, sed honorifico Patrem meum ; *non potest meus esse discipulus.* Istud quippe, loquendo in genere, ad omnem pertinet Christianum, dicente Apostolo : Qui autem sunt Christi, carnem suam cru-
Galat. V, 24. cifixerunt cum vitiis et concupiscentiis. Istud etenim aliud prorsus non est nisi per arctam viam incedere, quæ sola ad
Matth. VII, 14. salutem perducit : sicque istud est præceptum, non consilium. Potest tamen exponi, ut sit consilium ; eritque sensus : « Qui non bajulat crucem suam », id est, se ipsum totaliter non mortificat, se et cetera hæc terrena propter Deum derelinquendo, « et venit post me », id est, me secutus non fuerit per semitas perfectionis, videlicet per spontaneam paupertatem, perpe-

tuam castitatem, plenamque obedientiam, quæ sunt substantialia omnium Ordinum, « non potest meus esse discipulus », id est imitator perfectus, non solum in præceptis, sed et in consiliis evangelicis observandis me audiens, atque efficaciter acquiescens.

Denique, quod documenta inducta observanda sint cunctis fidelibus salvari optantibus, præsertim ad perfectionem virtutum in hac vita pertingere cupientibus, Christus consequenter declarat per duas similitudines sive parabolas. Primam tangit, dicendo : *Quis enim ex vobis volens turrim ædificare, non prius sedens computat sumptus qui necessarii sunt, si habeat ad perficiendum? Ne posteaquam posuerit fundamentum et non potuerit perficere, omnes qui viderint, incipiant illudere ei, dicentes : Quia hic homo cœpit ædificare, et non potuit consummare.* Hoc in exterioribus ita est, quod homo providæ mentis, non incipit aliquid ædificare nisi ante præcogitet an habeat facultatem consummandi structuram, ne si aliter evenerit, cuncti adspicientes derideant eum quod se inconsiderate habuerit, inchoando quod complere nequivit.

Conformiter est in spiritualibus, quod si quis fidelium proposuerit seu in religione professionem fecerit, se ad apicem humilitatis, aliarumque virtutum eminentiam, seu vitæ perfectionem quotidie transiturum, antequam istud attentet seu inchoet, perpendere præmeditarique debet, an possit continuare atque perficere quod cupit incipere, utpote an sit dispositus, aptus, idoneus ad exercitia vitæ intentæ. Quod si in se ipso viribus propriis se sufficientem non invenerit ac potentem, debet in Deo confidere, ejusque implorare auxilium, et impedimenta suæ vitare salutis. Isti enim sunt sumptus necessarii sibi ad consummandum quod aggredi debet vel optat. Unde si ista non egerit, in processu deficiet, et hostes suæ salutis spiritus maligni, videntes eum in processu succumbere, irridebunt, atque de sua perditione gaudebunt. Unde Gregorius : Omne quod agimus prævenire per studium considerationis debemus. Hoc est quod in Ecclesiastico docetur : Fili, sine consilio nihil facias, et post factum non pœnitebis. Apostolus quoque ait : Sine præjudicio, id est prævio judicio, nihil facias. Hinc providentia ponitur pars prudentiæ, quia per providentiam futura caventur pericula, et de necessariis providetur.

Eccli. XXXII, 24. — *1 Tim.* V, 21.

Porro diaboli, et vasa eorum, scilicet homines impii qui bonos a via salutis retrahere moliuntur, de eorum perditione seu apostasia quos tentando suggerendoque vicerint, gloriantur, juxta illud Ecclesiastici : Si præstes animæ tuæ concupiscentias ejus, facient te in gaudium inimicis tuis; atque in Psalmo : Qui tribulant me, exsultabunt si motus fuero; ego autem in misericordia tua speravi. Idcirco in Ecclesiastico vir sapiens orat, quod et nos semper orare debemus : Domine, pater et dominator vitæ meæ, ne derelinquas me in cogitatu et consilio eorum, ne incidam in conspectu adversariorum meorum, et gaudeat inimicus meus. Itaque pessimos ac invidissimos adversarios nostros diabolos, nil aliud nisi animarum nostrarum sanguinem sitientes, non lætificemus, negligenter et viliter nos habendo, mundanas consolatiunculas exquirendo, mentis custodiam omittendo; sed in lingua cunctisque sensibus et cordis custoditione jugiter custoditi esse conemur.

Eccli. XVIII, 31. — *Ps.* XII, 5, 6. — *Eccli.* XXIII, 1, 3.

Postremo, parabola ista religiosis potissimum est pensanda, ne tempore procedente tepescant, sed quotidie ferventiores effici satagant, ne conveniat eis illud Apostoli : Sic stulti estis, ut quum spiritu cœperitis, nunc carne consummemini? Unde in Apocalypsi Christus ait cuidam : Habeo adversus te, quod caritatem tuam primam reliquisti; memor esto itaque unde excideris, et pœnitentiam age. Advertant hæc, qui sibi in claustris de annorum quibus fuerunt in Ordine multitudine blandiuntur, quum tamen adhuc leves et pas-

Galat. III, 3. — *Apoc.* II, 4, 5.

sionati monstrentur. Sed et omni Christiano consideranda ac metuenda sunt ista, præsertim quum in via Dei non progredi, sit retroire.

Deinde secunda parabola subditur. *Aut quis rex iturus committere bellum adversus alium regem, nonne* prius cogitat si possit cum decem millibus occurrere ei qui cum viginti millibus venit ad se? Alioqui adhuc illo longe agente, legationem mittens, rogat ea quæ pacis sunt.* Parabola plana est, quia rex providus contra alium regem pugnaturus, si viderit regem alium multo potentiorem, ante congressum pacem componit cum illo si potest, nec se committit periculo. Ita et nobis, si contra principem sæculi hujus diabolum prævalere optamus, necessarium est proprias vires perpendere. Quod si conspexerimus nos non posse propria virtute aciem dæmonum expugnare, ad Dei auxilium debemus confugere, et vanam securitatem abjicere. Porro, cum diabolo pacem inire ut ab impugnatione desistat, vituperabile est, quia cum illo nequaquam concordare debemus. Unde, sicut in rege se inferiorem cernente, pacem ab adversario postulare, ex infirmitate procedit, quamvis aliquo modo providentiæ adscribatur ; ita et diabolo concordare, id est malle peccare quam contra tentationes viriliter dimicare, ex infirmitate et imperfectione hominis talis causatur.

* alias *non sedens*

Quidam autem per regem contra quem homo tendit ad prælium, intelligunt Deum : contra quem quasi pugnare præsumunt, qui se ipsos excusant, justificant, et meritis suis salvandos esse de jure contendunt. *Rom.* x, 3. De qualibus dicit Apostolus, quod Dei justitiam ignorantes, et suam volentes statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti. Ili ergo redeuntes ad cor, et de suis operibus non posse secundum justitiæ rigorem salvari, nisi ad immensam Dei confugiant *Job* ix, 2, 3. pietatem, juxta illud Job : Non justificabitur homo compositus Deo ; et si voluerit contendere cum eo, non poterit respondere unum pro mille : hoc ergo pensantes, quum Christus rex adhuc longe est, id est, judicium differt, et corporaliter ac visibiliter in cœlo consistens nondum apparet, legationem mittunt, hoc est, per opera satisfactionis Deo reconciliari precantur, et pacem cum ipso adipisci nituntur, sicut hortatur Apostolus : Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo. Itaque, flendo, abstinendo, orando, offerendo, et alia opera virtuosa agendo, cum judice Christo componunt, seque in cunctis humiliant, sicut sanctus Job egit, dicendo : Si justificare me voluero, os meum condemnabit me ; etiam si habuero quidpiam justum, non respondebo ei, sed ut meum judicem deprecabor. Idem fecit beatus David, orando : Non intres in judicium cum servo tuo, Domine. *Sic ergo omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus :* id est, qui caute non habuerit se, abjiciendo cupiditatum et carnalitatum affectus, et cetera quæ profectum virtutum impediunt, non potest vere, realiter, dici discipulus meus, quia doctrinæ meæ non acquiescit, sicut non potest prudenter ædificare, qui sumptus non providet. Porro, si quod dictum est de odio parentum et propinquorum ac propriæ animæ, exponatur ut est consilium, tunc renuntiare hic sumitur pro omnimoda derelictione omnium possessionum seu propriorum : quod est religiosorum, qui cum Petro apostolo dicere possunt Christo, Ecce nos reliquimus omnia. Si vero exponatur ut est præceptum, tunc renuntiare designat abjectionem immoderatæ affectionis et curæ circa possessa. Sicque accipit Beda : Distat, inquiens, inter renuntiare omnibus, et relinquere omnia : paucorum enim, scilicet perfectorum, est relinquere omnia, id est curas mundi postponere ; cunctorum autem fidelium est renuntiare omnibus, hoc est sic tenere quæ mundi sunt, ut tamen per ea non teneantur in mundo, sed licite eis afficiantur atque utantur. Hoc est quod hortatur Psal-

II *Cor.* v, 20.

Job ix, 20, 15.

Ps. cxlii, 2.

Matth. xix, 27.

Ps. LXI, 11. mista : Divitiæ si affluant, nolite cor ap-
I *Cor.* VII, ponere ; et Apostolus : Reliquum est, ut
29, 31. qui habent uxores, sint tanquam non ha- A bentes, et qui utuntur hoc mundo, tanquam non utentes : præterit enim figura hujus mundi.

Enarrationem evangelii, Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te, etc., *require in festo Conversionis S. Pauli.*

SERMO PRIMUS

VERA HUMILITAS IN QUIBUS CONSISTAT, ET DE VARIIS CAUSIS ET INCITAMENTIS AD EAMDEM.

JUSTUM deduxit Dominus per vias rectas. Sap. x, 10.

Non sunt viæ ad patriam rectiores quam illæ quas Christus nos docuit verbo et exemplo, et quibus voluit nos se imitari.
I *Joann.* II, 6. Qui enim (sicut refert Joannes) dicit se in Christo manere, debet sicut Christus ambulavit et ipse ambulare : hoc est, qui vult Christum imitari, debet eas virtutes quas ipse Christus exemplo monstravit,
Matth. XI, 29. habere. Qui inquit : Discite a me quia mitis sum et humilis corde. Humilitas igitur est via recta per quam justi omnes C deducti sunt ad regnum cœlorum. Denique, quum secundum Augustinum, omnis peccati origo sit sui ipsius inordinatus privatusque amor, ex opposito non immerito omnium radix virtutum humilitas dicitur. Sicut enim ex hoc, quod homo se ipsum in se ipso, et non secundum ordinem ad ultimum finem amat, consequuntur amor honoris, timor adversitatis, odium persequentis, appetitus ultionis, ac alia mala ; sic ex humilitate oriuntur contemptus honoris, amor adversitatis, inimicorum dilectio, patientia, mansuetudo, atque similia.

Itaque qui proficere cupit, omniumque vitiorum a se caput evellere, discat se non in se, sed in Deo, sub Deo et propter Deum diligere. In Deo, tanquam in eo qui est omnis veri amoris causa et ratio. Tunc B quippe se homo amat in Deo, dum se eatenus diligit, in quantum divinæ bonitatis similitudo in se ipso resplendet. Sub Deo quoque se diligit, dum plus Deum quam se ipsum amat. Sed et propter Deum se diligit, quando sui ipsius amorem ad Deum refert et ordinat : utputa dum illi soli placere desiderat, nec aliis displicere veretur, nisi per hoc Deo displiceat ; dum insuper de nullo lætatur, nisi quod ad Deum se provehit, neque aliunde fit mœstus, nisi quo a Deo recedit. Qui autem aliud amat vel quærit, per quod Deo non appropinquat, jam se non in Deo et propter Deum, sed in se ipso et propter proprium commodum amat. Et revera talis se non amat, quoniam qui desiderat quod sibi non expedit, non se amat, sed odit. Porro, quum hunc amorem privatum homo a se eradicare orditur, ipsa continuo humilitas in anima oritur. Tunc enim vilescit sibi in se, omnemque honorem et gloriam Deo, ad quem se ipsum totaliter ordinat, deberi intelligit.

Advertendum præterea, quod causa humiliandi se ipsum, immediate naturaliter inest omni rationali creaturæ, eo ipso quod creata est. Nam eo ipso quod creata est, sibi in se insufficiens, alio indigens atque ab eo dependens est : in quibus ratio humiliandi se ipsum originaliter constat. Et breviter, secundum varias sui

atque aliorum considerationes, potest se homo perfectus omnibus inferiorem veraciter credere, non tamen simpliciter, scilicet omnia quæ in se sunt intuendo, ut clarius elucescet. Quum proprius humilitatis effectus sit, se ipsum vilipendere atque despicere, ipsaque humilitas in veritate fundetur, restat ut ea quorum consideratio proprium inducit despectum, humilitatis dicantur fundamenta et causæ. Veraciter enim fundatur humilitas in propriæ imperfectionis contuitu. Unde secundum diversas insufficientiæ contemplationes, variæ traduntur causæ humilitatis.

Primum igitur atque communissimum humilitatis fundamentum, est considerare se ipsum secundum id quod ex se est. Et quoniam omnis creatura ex se nihil est, et de se in nihilum tendit, et nisi a Deo conservaretur, in nihil mox caderet; ideo omnis intellectus creatus bene dispositus, tam angelicus quam humanus, dum se hoc modo perpendit, se utique profunde humiliat, et tanto profundius, quanto hanc suam nihileitatem videt subtilius. Et quoniam Beati in patria eam multo lucidius cernunt quam nos exsules in via, propterea tam angeli quam omnes Beati, secundum hanc considerationem, multo humiliores sunt in cœlo quam aliquis homo viator in mundo.

Secunda præterea veræ humilitatis fundamentalis causa, est considerare se ipsum secundum propriæ conditionem atque qualitatem naturæ, quemadmodum dum se homo considerat secundum naturales suas proprietates ac propriæ speciei imperfectiones, scilicet quod compositus est ex corpore, generatus ex spermate, valde passibilis, de necessitate mortalis, plurimis indigens, mente instabilis, ad malum proclivus, ratione debilis, affectione mutabilis, sordidissimarum superfluitatum vasculum, et item innumerabilium peregrinarum impressionum subjectum. Hæc atque similia, bene intuenti se ipsum, sunt magnæ humilitatis copiosa materia.

Insuper tertia humilitatis origo prædictisque fortior, est considerare se ipsum secundum id quod a se ipso factus est, scilicet peccator, Deo ingratus, Creatoris offensor, majestatis contemptor, servitutis divinæ torpens neglector, legis transgressor, et in mille malis prævaricator. Qui se ipsum taliter rite attenderet, se utique vehementer humiliaret, odiret et sperneret, atque sincera confessione cognosceret quod merito omnis creatura in eum insurgeret, Creatorisque sui in ipso injuriam vindicaret.

Quarta demum humilitatis occasio, est considerare se ipsum in ordine ad superiora, videlicet Sanctos, aut certe Sanctum Sanctorum, Deum altissimum. Nempe quum unum contrariorum ex speculatione alterius plenius innotescat, quo is ad cujus sanctitatem seu perfectionem vitam nostram comparamus, præstantior atque eminentior est in virtutibus, eo nostram miseriam, immunditias, negligentias efficacius intuemur. Et quoad hoc, divinæ majestatis sincera cognitio hominem summe humiliat, et se penitus nihil arbitrari compellit, quoniam divinæ sanctitatis splendor atque sublimitas, omnem perfectionem creatam incomparabiliter superexcedit. Nihilo minus, secundum aliquem modum, consideratio perfectionis humanæ in viris perfectis nos peccatores magis humiliat, quam contemplatio sanctitatis divinæ, aut certe angelicæ. Divinam namque perfectionem imitari perfecte aut adipisci nequimus, ideoque ex ejus excellentia minus nobis ipsis vilescimus, minusque intra nos de nostris negligentiis confundimur. Dum vero eorum studia, profectum, itemque puritatem attendimus, qui nobis in natura pares fuerunt, et in naturalibus interdum decliviores, præsertim autem patrum nostrorum, cum quibus in nomine, religione ac professione communicamus; tunc de nostra ignavia amplius verecundamur, nosque vilissimos opinamur, quod eatenus ab illorum perfectione distamus, ad quorum imitationem obligamur, et quibus in

gratia naturaliter conformari apti nati consistimus. Hæc (ni fallor) consideratio valde est utilis.

Denique alia sunt quorum consideratio humilitatem inducit, videlicet pensare non solum quid qualesque sumus, sed quales essemus et esse poterimus, imo et erimus, divinæ pietatis subtracto præsidio : quod utique infatigabiliter atque humillime semper nobis implorandum est, ne nos unquam relinquat; quoniam si nos in momento deseruerit, protinus deficiemus, nec sine ejus clementia reparari valebimus.

Ex præostensis lucere jam reor, quemadmodum humilitas in consideratione propriæ parvitatis atque in speculatione divinæ majestatis consistat. Licet enim propriorum defectuum pensatio hominem satis humiliare prævaleat, perfecta tamen perfectorum præsertim virorum humilitas, divinæ altitudinis considerationem eflagitat. Quomodo namque aliter omnes suas tam præclaras nobilesque virtutes
Is. LXIV, 6. velut pannum menstruatæ contemnerent, nisi comparatione atque intuitu divinæ munditiæ et sanctitatis immensæ? Constatque quoniam quo se ipsum quis clarius pleniusque intelligit secundum considerationes prætactas, et ipsam demum dignitatem divinæ naturæ, sanctitatis et gloriæ profundius noverit, eo se ipsum perfectius feliciusque intelligit. Non enim sufficit qualiscumque Dei notitia, sed exigitur eminens, sapida atque formata. Ad humilitatem equidem, prout est virtus meritoria, consideratio rationis naturalis non sufficit, sed disponit. Cognitio autem quæ est in lumine gratiæ seu per illustrationem divinam, efficacissima exstat : et hæc sapida formataque dicitur.

Desiderabilissima ergo atque saluberrima est Dei cognitio, et eo præstantior quo profundior, potissime si correspondeat vita. Ideo utique ad perfectionem adipiscendam studiosi, eam semper concupere et pro viribus ad eam sortiendam laborare deberent, non tam studio lectionis quam munditia mentis ac sinceritate orationis : quemadmodum summus noster philosophus, illustrissimus ille Joannes Cassianus, ex ore sancti anachoretæ abbatis Theodori, pulchre conscripsit. Quum etenim secundum Dionysium, divina lux, quæ immensitate sua super omnem vultum naturæ expansa est, sit pura bonitas, cui propriissimum est misereri, se ipsam effluere, bonitatem suam communicare, gratiam impertiri; ubi animam gratiæ illuminationisque capacem, ac divino radio dignam, utpote a passionibus liberam et mundam, studiosam atque sapientiæ avidam invenerit, mox bonitatem suam diffundit, gratiæ lumen immittit, sapientiam tribuit. Et sicut Christus repromisit, veniens ille Spiritus veritatis, docet nos omnem veritatem. Hinc quippe de beatissimis patribus nostris, S. Bernardo, B. Thoma, aliisque incomparabilis scientiæ viris legimus, quod sanctitate vitæ magis quam studio sapientiam suam adepti sunt: quemadmodum etiam de S. Antonio sacer ac divinus Athanasius, atque de sanctissimo Martino venerabilis Severus testati sunt.

De Cœlest. hier. c. XIII; de Divin. nom. c. IV.

Joann. XVI, 13.

Denique, nonne omnibus his mirabilius rite censemus, quod jam non diu ante nos contigit in admirabili illo viro Joanne Ruysbroeck, qui quum idiota esset, et ipsius insuper Latini ignarus eloquii, nihilo minus merito sanctitatis et simplicitatis, tam supernaturales divinitus theorias sortitus est, et in suo quoque vulgari tam subtilissimas veritates conscripsit, ut excellentissimi sacræ theologiæ professores, spiritum præ admiratione vix habeant, seque non posse sententias ejus intelligere, palam edisserant? Enimvero et ego in christiana scientia pauper, recens et modicus, hoc libere fateor, quod in nullius ecclesiasticorum atque catholicorum doctorum voluminibus tantam scientiarum altitudinem mihique tam difficilem comperi, ut in libris ipsius, solo uno Dionysio dempto : cujus tamen difficultas propter stili obscuritatem magna ex parte contingit : quod utique in libris hujus admirabilis viri locum non habet.

Porro, quod divinæ majestatis notitia hominem summe humiliet, hinc evidens est quod sanctissimi illi Prophetæ, quum ad singularem aliquam visionem raperentur divinam, subito in facies suas cadentes, se ipsos facto ac verbis humiliabant. Sed et qui gustavit, agnoscit durante illa benignissima visitatione, illustratione, inflammatione, penetratione paracleti Spiritus Sancti, quam prompte, quam profunde tunc spiritus se ipsum humiliet, quotiesque toto ignito (o Deus piissime) affectu proclamet : O Deus dulcissime, o Deus piissime, o Deus æterne, immense, adorande, quid facis ? Cur propriæ dignitati injuriam facis ? Tu mihi indignissimo ista impendis ? Indignissimus enim sum. Cur me adspicis, cur me visitas qui te toties sprevi, toties ingratissimus exstiti, et tam sordidissimus sum ? Etenim revera quo quis Deum clarius gratia radiante conspectat, eo se vehementius vilipendit atque humiliat. Unde amabilis ille Propheta, sacratissimus Isaias, in divinæ claritatis thesauros intromissus, et in divinæ lucis abyssum absorptus, divinam insuper incircumscriptibilem excellentiam intuens, non solum se ipsum, sed etiam omnes homines veraciter parvi pendens : Omnes (inquit) gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, et tanquam nihilum et inane reputatæ sunt ei. Præterea superbissimus olim ille rex regum Nabuchodonosor, dum se usque ad sidera cœli extolleret, atque a mitissimo Deo paululum correptus, quum per septem tempora fœnum ut bos comedisset, atque tandem ad pristinum gradus sui principatum reductus fuisset, non tantum se, sed et omnes gentes, reges et principes, humiles esse debere contestans : Omnes (inquit) habitatores terræ apud ipsum in nihilum reputantur ; et non est qui resistat manui ejus, et dicat, Quare sic fecisti ?

Is. XL, 17.

Dan. IV, 27 et seq.

Ibid. 32.

SERMO SECUNDUS

DE NEXU ET ORDINE TRIFARIÆ ABRENUNTIATIONIS ; ET QUALE DEBEAT ESSE FINALIS PERFECTIONIS DESIDERIUM OMNIUM, POTISSIMUM RELIGIOSORUM.

Si quis non renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Luc. XIV, 33.

Abrenuntiationem triformem esse, nemo est qui dubitet. Nam prima est exteriorum temporaliumque bonorum, dum videlicet cuncta illa pro Christo lucrando ut stercora arbitramur. Præterea secunda, earum quæ in nobis sunt concupiscentiarum et vitiorum, nobisque carnis propinquitate junctorum abscisio est, quum scilicet juxta apostolicum mandatum, abstinemus a carnalibus desideriis, quæ militant adversus spiritum, et secundum divini David consilium, obliviscimur populi nostri et domus patris nostri. Denique tertia, propriæ libertatis atque sui ipsius mera puraque relictio definitur. Hujus abrenuntiationis tripartitæ nexus, habitudo et ordo tantus talisque consistit, ut in profitentibus eam, sine secunda nil conferat prima, atque sine tertia nec prima neque secunda, sed nec simul ambæ, quidpiam prosint.

Philipp. III, 8.

I *Petr.* II, 11.

Ps. XLIV, 11.

De hoc illustrissimi patres nostri Joannes Cassianus et Eusebius Emisenus venusto sermone atque præclaro nimis eulogio effati sunt : Certissime noveris, o monachalis vitæ professor eremiticæque institutionis amator, nil utique tibi patrocinari, agros pecuniasque sprevisse, si non gulæ atque superbiæ, et omnis demum

circa transitoria affectionis superfluæ motum impetumque contemnis, si non passionum inordinationem coerces, et sensuales quosque appetitus rationis censuræ subjicere studes. Denique nec exteriora sprevisse, et carnis quoque passionumque incursus frenasse, inclytum atque sufficiens reputes, nisi intellectum insuper mentisque affectum, per fidei sinceræ constantiam et item amorosam divinorum contemplationem, divinæ voluntati et sapientiæ increati animi subdere satagas.

At vero quid penitus expedit, immobilia itemque mobilia bona jecisse, si eorumdem denuo vili ac immoderato affectu animum coinquinari non pudeat? Et rursus, quid magna multaque odisse inducit, dum parvorum atque paucorum appetitu vincĭmur atque vincīmur? Enimvero cuncta pro Christo sponte contempsimus, et tamen, heu! sic modicis, curiosis superfluisque rebus colligamur atque immergimur, ut antequam eas relinquamus, et nobis et proximo detrimentum dispendiumque afferamus salutis, prius scandalizemur et scandalizemus, prius pacem puritatemque animi (cujus cuncta sunt agenda intuitu) in propriis fratrumque mentibus et turbari et exstingui sinamus. Miserabilis prorsus eventus et dispositio misera. Nempe amplius utique confert, cum paucorum minorumque contemptu bonorum omnem temporalium affectionem odisse, quam plurima atque immensa fugisse, et minimis nihilo minus vitiose immergi indiscreteque affici. Fateor, mi dilecte, et proh dolor! quia fateri oportet imperfectum nostrum. Siquidem sic ubertim concessis atque in cellis nostris exsistentibus, et ipsis præterea cellis abutimur, ut petentibus vix ea accommodare dignemur, interdumque prælato vehementer (quod dicere pudor est) irascamur, si horum quidpiam auferat aut auferri permittat. Non est utique mens talis ab omni prorsus proprietate sincere expers veraciterque immunis.

Ps. XCIV, 8, 9; *Hebr.* III, 7 et seq.

Et nunc, fratres, hodie si vocem istam audieritis, nolite obdurare corda vestra, quemadmodum patres nostri qui prostrati sunt in deserto. Et cur utique prostrati sunt, nisi quia corde redierunt in Ægyptum, et quoniam ollas carnium esurierunt, dicentes, Anima nostra nauseat super cibo isto levissimo; et quia sederunt manducare et bibere, et surrexerunt ludere, et quoniam murmuraverunt adversus Dominum et Moysen servum ejus, et quia non crediderunt in Deo, nec speraverunt in salutari ejus, et diffidebant vero fidelique Deo, et quoniam adoraverunt vitulum aureum atque conflatilem, et quia fornicati sunt cum filiabus Madian? Hæc omnia in figura contingebant eis, scriptaque sunt propter eruditionem nostram, ne communicemus operibus ipsorum iniquis.

Exod. XVI, 3. *Num.* XXI, 5. *Exod.* XXXII, 6. *Ps.* LXXVII, 22. *Exod.* XXXII, 1-6. *Num.* XXV, 1. *I Cor.* X, 11.

Enimvero quos religionis tædet, qui vel animo tantum, aut certe corporaliter quoque apostatant : nonne ingratissimæ illi plebi, quæ post tam ineffabilia Dei dona tamque stupenda portenta, in Ægyptum denuo remeare cupivit, similes censendi sunt? Nisi quod illis insuper deteriores exsistunt, quippe qui non de Pharaonica, sed diabolica servitute educti, ad terram non typicam ac temporalem, sed veram atque æternam vocati sunt. Denique qui pristinas alimoniarum amant delicias, quibus vel cellicus vel cœlicus panis levis est, et item contemptibilis : nonne populo illi carnium desiderio flagranti, atque dicenti, Bene nobis erat in Ægypto, dum sedebamus supra ollas carnium, et comedebamus panem in saturitate; conformes veraciter perhibentur? At vero dum cibo potuque repleti, ad vaniloquos provolvimur sermones, ad detractiones, ad contentiones : nonne ad instar infidæ gentis consurgimus ludere?

Num XI, 18; *Exod.* XVI, 3.

Porro, dum rebelles sumus et inobedienter profamur indignanterque agimus, contra Dominum ejus quoque vicarium prælatum murmuramus, hoc vere gravissimum exstat. Nempe ut Augustinus disseruit : Nullo peccato eatenus, quemadmodum murmuratione, plebs illa Hebræa Deum

I *Reg.* xv, 23. offendit. Et scimus quoniam quasi peccatum ariolandi sit repugnare, et tanquam scelus idololatriæ, nolle acquiescere. Prorsus abominandum nobis sit facinus tam enorme, ne nos audire contingat quod *Matth.* xxiii, 32 ; cf. S. Aug. in Joann., tract. xxvi, 11. Dominus ad Judæos : Murmuratores (inquit), filii murmuratorum, implete mensuram patrum vestrorum ; itemque quod eisdem martyrum ait primicerius (Stephanum *Act.* vii, 51. loquor) : Vos, inquiens, semper restitistis Spiritui Sancto. Etenim optime utique patri spirituali cui non paremus et contra quem murmuramus, cum Moyse contesta- *Exod.* xvi, 8. ri incumbit : Non adversum me, sed adversus Dominum est murmur vestrum.

Præterea increduli diffidentesque ori divino, quos, nisi nimis sollicitos, nimiumque pusillanimes, et spem certam atque immobilem in Deo non habentes, figurant ? Sperandum nobis est, quia qui nos de mundo in eremum istam induxit, non utique derelinquet nos neque projiciet ; *Ps.* xlii, 3. magis autem, quoniam emittet lucem suam et veritatem suam, quatenus nos inducat atque deducat in montem sanctum suum. *Philipp.* iii, 19. Amplius autem, quorum deus venter est, nonne tibi per idololatras illos apte omnino præsignati videntur ? Et rursus, qui toto die cum inflammato corde meant, qui uruntur, et exteriorem incoinquinationem sibi sufficere putant, et nec sobrietati neque internæ castimoniæ student (quod utique fœdissimum infelicissimumque est), per fornicatores illos, ni fallor, ostensi sunt. Si horum mores gestusque assequimur, quemadmodum illi terram repromissam introire nequibant, sic nec nos cœlestem Jerusalem. Et uti illis nil contulit intrasse desertum, conformiter nil nobis proderit introisse cœnobium, cellam vel eremum. Necesse est igitur, semper in corde nostro nos intus admoneri, excitari impellique ad finem et scopum quem intendimus. Finis (uti ab Aristotele suscepimus) primum quidem est in intentione, ultimum vero in exsecutione. Ideoque infatigabiliter utique speculandum reminiscendumque nobis est, ad quod venimus, A hoc est, quod sit finis et summa ultimaque ratio atque perfectio ob quam obtinendam cuncta nos reliquisse lætamur, eremumque ingredimur et cellam incolimus. Enimvero si quo minus, quomodo utique attingemus, aut qualiter perveniemus, non attendentes quo currimus, neque quo proficiscimur contemplantes ?

De hac re in primis pater noster Joannes Cassianus eleganter atque facunde ex ore sancti anachoretæ abbatis Moysis disseruit atque conscripsit. Nempe ut fassus B est atque edocuit, omnes artes et disci- *Cf.* t. XXVII, p. 135 A'. plinæ, præsertimque omnis ordo itemque religio, scopon et telos sortitæ sunt. Denique finis hujus obtentu atque contuitu, uniuscujusque artis industrius appetitor, religionisque ardens zelator, cunctos labores et pericula atque dispendia victoriosissime suffert, et libenter æquanimiterque sustentat : quemadmodum in agricolis, in negotiatoribus quoque cernere palam est. Nos igitur, utpote altissimæ confessores theosophiæ, zelatoresque perfectionis divi- C næ, ac deiformis demum intendentes imaginem vitæ, hanc mentibus nostris indesinenter imprimere, reminisci atque infigere perfectionem oportet, si eam uspiam adipisci eveniet : quatenus jugiter quid profecerimus quantumve neglexerimus speculemur, et insuper ad eam toties mentis nostræ reducamus intuitum, aciemque et contemplationem, quoties nos ab ea deviare sentimus. Et id quoque nobis lætitiæ causa sit, huic propinquasse perfectioni ac fini, eatenusque doleamus quantum D ab ea nos deficere ac elongari intendimus. Hæc sancta lætitia, et ista tristitia vera : de profectu gloriari in Deo, de defectu autem contristari in nobis.

Nunc ergo te hortor, qui diligens es eremiticæ institutionis discipulus, scrutare quotidie et indefesso corde in te ipso rimare, quid quantumque profecisti, quousque pervenisti, et quam vehementer finali tuæ perfectioni propinquasti. Si tempore longo ac multo cellam occupasti, et nihilo minus vel parum vel nihil internæ atque

divinæ perfectionis adeptus es, contristare et luge, quia revera miser es et miserabilis, pauper, cæcus et nudus. Itaque pœnitentiam age, et vide vocationem qua te Deus vocavit; atque condignos pœnitentiæ fructus efficiens, vide unde cecideris; et id cujus venisti causa et gratia, apprehendere satage et adipisci festina. Unde Apostolus : Sic (inquit) currite, ut apprehendatis. Etenim qui ita peregerit, æquissime

Apoc. III, 17; II, 5.

I *Cor.* IX, 24.

A prorsus cum Apostolo dicere habet : Ego sic curro, non quasi in incertum; sic pugno, non quasi aerem verberans. Porro secundum præinductorum Cassiani intentionem verborum, scopos seu destinatio professionis nostræ, cordis exsistit munditia; telos vero et finis, regnum cœlorum. Sed in præhabitis, de fine intrinseco præsentisque vitæ perfectione finali sermo defluxit.

I *Cor.* IX, 26.

Cf. LXXVII, p. 136 C et s.

SERMO TERTIUS

DE CERTIS TENTATIONIBUS QUÆ SOLENT QUOSDAM GRAVIUS OCCUPARE, ET DE EARUM REMEDIIS.

CERTAMEN forte dedit illi Dominus ut vinceret, et sciret quoniam omnium potentior est sapientia. Sap. x, 12.

Non solum in carne nos tentat diabolus, sed etiam in spiritu molitur insidias : siquidem vim hominis intellectivam conatur variis modis subvertere, suggerendo hæreses, incredulitates, curiosas investigationes, stultas observationes, temeraria judicia, negligentiam debitæ inquisitionis, carnalem prudentiam. Inter quæ et consimilia quosdam sic fallit, abducit, excæcat, ut de parvis culpis grandem sibi conscientiam faciant, de gravioribus autem et de his quæ directe sunt contra præcepta Dei sive Ecclesiæ, aut contra sua vota, parvam aut nullam conscientiam habeant, nec super hoc informationem suscipiant, sed suis erroneis immorentur judiciis, ac suggerente diabolo idcirco se reputent multum devotos et justos, quia de parvis et minimis culpis tantam sibi vim scrupulumque efficiunt. Tales quidam sunt hypocritæ, religiosique aliqui superficiales et crudi, circa cærimonialium suorum observantiam vehementer intenti, qui de monasticorum suorum transgressione votorum parvum aut nullum habent remorsum, nec de passionum suarum refrenatione solliciti sunt, nec reformationi student internæ.

B

C

D

Hi si viderint alios in parvis culpabiles, protinus eos dijudicant, acriter reprehendunt, et indiscreto zelo feruntur. Sic pontifices, Scribæ ac Pharisæi Judæorum verebantur intrare Pilati prætorium, ne contaminarentur, nec audebant pecuniam pro qua emerant Christum ad occidendum, in corbonam mittere; non tamen metuebant sic Christum emere atque occidere. Tales student foris esse compositi, non autem formidant coram Judice summo esse suspiciosi, impatientes, temere judicantes, animosi et detrahentes. Quibus ait et comminatur Salvator : Væ vobis qui similes estis sepulcris dealbatis, quæ a foris apparent speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum et omni spurcitia. Nempe, si tales modica exercitatione aut quasi injuriatione quadam tanguntur, mox apparebit quid lateat intus. Mox namque erumpet pessimus fœtor iræ, impatientiæ, elationis, contentionis, obstinatio quoque propriæ voluntatis atque immansio proprii sensus tanquam durissima ossa, ita ut agnitam veritatem non pensent neque sequantur, nec incognitam velint

Joann. XVIII, 28.

Matth. XXVII, 6.

Ibid. XXIII, 27.

audire, utpote sapientes ac justi in oculis A suis, quum tamen omnino perverse se habeant : quoniam caritas incipit a suo subjecto et ordinate procedit, vera quoque sapientia sicut detestatur et odit omnem culpam, sic graviores culpas vehementius horret ac punit, præsertim in eo cui inest, ac juxta sacras Scripturas Patrumque documenta, non secundum proprium sensum aut experimentum fallax, judicat et discernit. Hinc unicuique tali summa et increata Sapientia ait : Quid vides festucam *Matth.* VII, 3, 5. in oculo fratris tui, trabem in oculo tuo B non vides? Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, et tunc videbis ut ejicias festucam de oculo fratris tui. Hinc fassi sunt sancti Patres, eum qui in eodem aut majori exsistit peccato, esse indignum reprehendere proximum de suo peccato.

Denique isti sub cujusdam discretionis velamine et colore persuadent sibi ipsis ac proximis, laxius esse agendum, lautius comedendum, diutius dormiendum, frequentius confabulandum, et consolatiunculis atque solatiis esse utendum, ne ex C vigilia cæcutiant oculi, aut ex jejuniis corpus debilitetur, vel ex interioribus exercitationibus meditationum, compunctionum, orationum, aut certe ex solitudine caput languescat. In quibus tamen veræ discretionis servandum est moderamen, atque auxilium gratiæ desuper requirendum, ac valor virium propriarum diligenter pensandus est successive. Debetque unusquisque rigorosior esse sibi ipsi quam proximis, ceteris paribus. Expertioribus quoque credere debet, quoadusque et ipse fiat D paulatim, gratia adjuvante, expertus : sicque prout se viderit posse agere, pati, continuare et consummare, prosequatur perseveranter ac fervide, ut neque in opere Dei negligens inveniatur, nec per indiscretionem incurrat quod in Jeremia habe- *Jer.* XLVIII, 36. tur : Quia plus fecit quam potuit, ideo *Ibid.* VI, 16. periit. Hinc Jeremias inducit : Interrogate quæ sit via bona, et ambulate in ea, et invenietis requiem animabus vestris. Hæc est regia via, observantia medii in quo virtus consistit. De qua rursus ait Isaias : Hæc via, ambulate in ea, et non declinetis *Is.* XXX, 21. neque ad dexteram neque ad sinistram.

Porro nonnulli sunt qui mundum corporaliter tantum relinquunt, sed mundanis affectionibus inquinantur, ad ea quæ mundi sunt et ad homines sæculares sensualiter afficiuntur, attracti his rebus, puta divitiis, ornatibus, honoribus, potestatibus, quas in illis mirantur et appretiantur, amant et appetunt. Quocirca de viro justo ait Psalmista : Ad nihilum deductus est in *Ps.* XIV, 4. conspectu ejus malignus ; timentes autem Dominum glorificat. Hi mundi vanitatibus illuduntur, quibus plus placet quod mundus adinvenit, quam quod condidit Deus ; qui plus afficiuntur ad ea quæ placent mundo, quam ad ea quæ placent Deo ; qui divitibus atque magnatibus sæculi reverentiam exhibent potius propter mundanam prosperitatem et exteriorem ornatum, quam quia Dei vicarii sunt et propter officii dignitatem. Hos concernit quod in sua Canonica ait apostolus Jacobus : Fra- *Jacob.* II, 2-4. tres, si introierit in conventum vestrum vir aureum annulum habens, et in veste candida, introierit autem et pauper in sordido habitu, et intendatis in eum qui indutus est veste præclara, et dixeritis ei, Tu sede hic bene ; pauperi autem dicatis, Tu sta illic, aut sede sub scabello pedum meorum : nonne judicatis apud vosmetipsos, et facti estis judices cogitationum iniquarum?

Advertant hæc, quorum corda aperiuntur et gaudent visis majoribus, opulentis et magnis in sæculo isto, pauperes vero, abjectos et simplices vilipendunt, vixque hospitare, adspicere et affari dignantur. Et cur hoc, nisi quia plus appretiantur bona fortunæ, hoc est temporalia et terrena, quam dona gratiæ, et ea quæ docuit Christus, videlicet paupertatem, humilitatem et abjectionem? Nonne similitudo est causa amoris? Quare itaque magis afficeris ad sæcularia, vana et curiosa, quam ad spiritualia et interna ac vere salubria, nisi quoniam illa inania sunt tuo cordi

magis conformia, et plus diligis ea? Et sicut vidit Ezechiel in pariete depictam similitudinem reptilium, et avium, et animalium, atque abominabilium idolorum carnalium Israelitarum ; sic infelix et vilis mens tua, mundialium rerum ac damnabilium vitiorum quibus renuntiasti et quæ spernere obligaris, imaginibus est depicta affectionibusque formata. Unusquisque etenim rebus quas diligit, efficitur similis et quasi unum cum eis : ideo earum imaginibus visis, mox ad eas allicitur, quemadmodum de fornicatrice anima Dominus per Ezechielem testatur : Quum vidisset (inquiens) viros depictos, imagines Chaldæorum expressas coloribus, et accinctos balteis renes, et tiaras in capitibus eorum, insanivit super eos concupiscentia oculorum suorum. His ergo applaudis quibus intus per amorem depictus es. Hoc et Dominus in Joanne insinuasse videtur, loquens ad suos nondum spirituales effectos : Non potest mundus odisse vos ; me autem odit, quia testimonium perhibeo de eo, quia * opera ejus mala sunt. Spiritualibus vero hominibus scripsit Joannes in prima sua epistola : Nolite mirari si odit vos mundus. De carnalibus autem in eadem subdit epistola : Ipsi de mundo sunt, et de mundo loquuntur, et mundus eos audit. Idcirco, non putes te vere esse spiritualem, si tibi adhuc placet mundus aut vanitas ejus. Hinc innotescit eorum carnalitas et mundana affectio, qui a mundi magnatibus cupiunt honorari, famari, agnosci, et de tali sua excellentia stolide gloriantur ac insensate se jactant, non advertentes quod in Joanne Filius Dei ait electis : Si de mundo essetis, mundus quod suum erat diligeret ; quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.

Ezech. VIII, 10.

Ibid. XXIII, 14-16.

Joann. VII, 7.

* quod

1 *Joann.* III, 13.

Ibid. IV, 5.

Joann. XV, 19.

Præterea religiosi, imo verius irreligiosi, rejecto veri et cœlestis honoris amore, neglecto spirituali profectu et desiderio altitudinis felicitatis æternæ, improbo infecti amore, proprium quærunt honorem, et ambitiosi effecti, cupiunt proximis præfici, dominari, præesse, præcipere. Hinc blandientibus sibi afficiuntur, et increpantibus indignantur, sua vitia nolunt advertere, resistentibus suæ promotioni graviter obloquuntur, talium commendationem audire non valent. Hæc vanitas, ista ambitio, hic improbus amor sui, est fomes dissensionis, tinea sanctæ religionis, mater hypocrisis, turbatio pacis, instabilitatis origo. Hinc oriuntur suspiciones perversæ, detractiones, invidiæ, iræ, susurrationes, stulta judicia, practicæ periculosæ, attractiones et subornationes simoniacæ, interpretationes sinistræ, inquietudines afflictionesque cordis. Unde recte dixit S. Bernardus : O ambitio, crux ambientium, quomodo omnes torquens, omnibus places? Et breviter, ut beatus affirmat Gregorius, numerari culpæ nequeunt quæ ex ambitione procedunt. Nonne ambitiosus miserrimus pene in omnibus ad proprium suum commodum ac honorem reflectitur, et raro aut nunquam recte in Deum dirigitur? Qui talis est, etiam bona aliorum interpretatur in pejus, et assimilatur araneæ, quæ ex flore trahit venenum, unde colligit apis mel suum. Defectus quoque aliorum observans, revolvens, exaggerans, fit similis avibus quæ ex stercoribus faciunt sibi nidos ; febricitantibus etiam, quibus ex eorum infectione dulcia videntur amara. Tali videtur quod multa patiatur ab aliis, et a nemine honoretur condigne, aliorumque infirmitates toleret copiose, non advertens in quantis toleretur ab ipsis.

Postremo, ut omnia mala hæc possis effugere, te ipsum in sancta humilitate, in Dei funda timore, privatum exstirpa amorem, et in Deo te ama veraciter. Quidquid expedit tibi ad complacendum Deo, amplectere ; quidquid a Deo et divino te impedit amore, fuge. Incipe a te ipso, miserendo in primis animæ tuæ, et zelum justitiæ in te et contra vitia tua in primis exerce ; propria vitia perpende et emenda, defle et dole assidue : sicque ad aliorum increpationem caritative ac ordinate procede, ut sic tota vita tua sit vera militia super terram. *Job* VII, 1.

COMMUNE VIRGINUM

ENARRATIO IN EPISTOLAM

QUI GLORIATUR, IN DOMINO GLORIETUR, ETC. II Cor. X, 17, 18; XI, 1, 2.

IN hac epistola Paulus contra ambitiosos et pseudoapostolos loquens, docet quomodo sit gloriandum, si quis voluerit gloriari. Dicit igitur :

I *Cor.* I, 31; *Jer.* IX, 23, 24. *Qui gloriatur, in Domino,* id est secundum doctrinam et voluntatem Domini, *glorietur,* omnia bona ad Deum referendo finaliter. Vel, « in Domino », id est in contemplatione ac dilectione divina : imo in omni actu virtuoso lætandum est. Hoc modo gloriabatur Virgo benedicta, dicendo : Exsultavit spiritus meus in Deo salu- *Luc.* I, 47. tari meo. Et Habacuc : Ego (inquit) in Do- *Habac.* III, 18. mino gaudebo, et exsultabo in Deo Jesu meo. Debemus quoque gloriari in Domino, congratulando totis præcordiis divinæ beatitudini ac perfectioni. *Non enim qui se ipsum commendat* ob propriam laudem, *ille probatus* (id est justus vel approbatus) *est* coram Deo et discretis personis, sed reprobatus : quoniam Salomon ait, Laudet *Prov.* XXVII, 2. te alienus, et non os tuum ; *sed* probatus est *quem Deus commendat,* id est, laude dignum judicat, seu commendabilem facit per virtutes et signa.

Utinam sustineretis modicum quid insipientiæ meæ, id est, utinam æquanimiter audiretis paululum verba mea quibus laudo me ipsum : quod esse videtur insipientis, et ab aliquibus fatuum reputatur, *Ibidem.* quum dicat Scriptura, Laudet te alienus, et non os tuum. Quocirca sciendum, quod moralia, quum versentur circa particularia, mutabilia sunt, atque mutanda secundum diversitatem locorum, causarum, temporum et personarum. Idcirco de eis tam certæ regulæ dari non possunt, quin sæpe patiantur instantiam propter rationabilem causam : quod viri eruditi attendunt, non autem indocti. Unde quum aliquid fit a justo vel sapiente, quod contrariari videtur verbis regularum moralium, quamvis intentioni earum non repugnet, indiscreti ac stolidi judicant illud illicitum. Quum ergo Scriptura prohibeat laudare se ipsum, insipientiæ est semper secundum opinionem stultorum, ut quisquam laudet se ipsum. Ideo dicit Apostolus, se optare ut sustineant modicum insipientiæ suæ secundum æstimationem indiscretorum : quod tamen, secundum veritatem, erat magnum quid sapientiæ. Salomonis enim verbum intelligendum est, quando occultatio propriæ laudis non vergit in præjudicium veritatis, nec in detrimentum salutis proximorum, nec in honoris divini dispendium : et ob has causas Paulus commendavit se ipsum. Simili modo solvitur, quod Apostolus in suis epistolis toties suos laudat discipulos, quum tamen in Ecclesiastico scriptum sit : Ante mortem ne laudes ho- *Eccli.* XI, 30. minem quemquam.

Sed et supportate me, id est, patienter auscultate quæ dico, et ferte me sicut decet prælatum supportari a subditis suis. Et merito me supportare debetis : *Æmulor enim vos,* id est, ardenter diligo, non qualitercumque, seu carnali affectione, sed *Dei æmulatione,* id est sincero ac deiformi amore, videlicet ad hunc finem ad quem vos amat Deus, ut consequamini vitam æternam. — Denique, Æmulari, multis modis accipitur. Primo, pro indignatione, juxta illud Ezechielis : Erat idolum zeli ad provocandum æmulationem. Secundo, pro rancore, ut ad Romanos Paulus : Non in contentione et æmulatione. Tertio, pro desiderio boni nondum adepti, sicut dictum est alibi : Æmulamini charismata meliora. Quarto, pro dilectione, ut ibi : Fortis est ut mors dilectio, dura sicut inferus æmulatio. Quinto, pro inordinato amore, ut est illud Apostoli : Æmulantur vos non bene. Sexto, pro imitatione, juxta illud : Bonum in bono æmulamini semper.

Ezech. VIII, 3. *Rom.* XIII, 13. I *Cor.* XII, 31. *Cant.* VIII, 6. *Galat.* IV, 17. *Galat.* IV, 18.

Quod autem æmuler vos, patet : *Desponsavi enim* fidei annulo, id est, spirituali matrimonio junxi, *vos* omnes fideles, *uni viro,* videlicet Christo, *virginem castam exhibere Christo,* id est ad hoc ut exhibeam vos Christo sponsam ac virginem illibatam. Omnes enim fideles caritate connexi, sunt una sponsa Christi unaque virgo spiritualiter, propter integræ fidei unitatem. Carnis namque virginitas, est integritas corporis a contagione carnali; virginitas cordis, est fides incorrupta. Unde apud Osee Dominus loquitur : Sponsabo te mihi in fide. Ideo singulariter dixit, «virginem», propter unitatem catholicæ fidei, solidæ spei, atque amoris divini. Hujus conjunctionis internæ ac matrimonialis inter Christum et Ecclesiam paranymphus erat Apostolus, tanquam Sponsi secretarius et amicus.

Osee II, 20.

ENARRATIO IN EVANGELIUM

SIMILE EST REGNUM CŒLORUM DECEM VIRGINIBUS, ETC. Matth. XXV, 1-13.

IN hujus parabolæ expositione de decem virginibus, sancti catholicique doctores non parum diversificantur. Quidam enim exponunt eam de solis virginibus; alii, de contemplativis, per virgines significatis; alii, de popularibus omnibus non idololatris ; alii, de popularibus christianis dumtaxat. Sed propter prolixitatem vitandam, prosequar unum quem æstimo convenientiorem intellectum, videlicet, ut intelligatur de omnibus Christianis.

Simile est regnum cœlorum, id est Ecclesia militans et negotium ejus, *decem virginibus quæ accipientes lampades suas, exierunt obviam sponso et sponsæ.* Nam, sicut virgines illæ acceptis lampadibus occurrerunt sponso et sponsæ, sic omnes Christiani in die judicii occurrent Christo. Itaque per decem virgines, universitas fidelium denotatur. Denarius enim est numerus perfectus, et primus terminus numerorum, ita quod ultra non proceditur numerando, nisi redeundo ad caput seu unitatem et denarium. Totum ergo quod subditur in ista parabola, de hac re per decem virgines designata, est exponendum.

Per hoc autem quod virgines dicuntur accepisse lampades suas, insinuatur quod universi fideles, quum ad judicium venerint, secum ferent fidem et opera sua, quæ nomine lampadum exprimuntur. Opera quippe illorum sequuntur illos. Et quamvis multorum mala sint opera, vix tamen vel non invenitur aliquis Christianus ita

Apoc. XIV, 13.

perversus, quin habeat aliqua opera ex suo genere bona, quamvis non sint meritoria : præsertim quum ipse interior fidei actus de genere bonus sit. In die autem judicii obviabunt Christo sponso, et Ecclesiæ triumphanti cum ipso de cœlo venienti, quæ est sponsa Christi, vel sponsæ Christi singulari, quæ est Virgo beatissima, Mater Deifera; vel, secundum Augustinum, ita dicuntur obviare sponsæ, velut si omnibus in Ecclesiam concurrentibus, filii ad matrem concurrere dicantur, quum ipsis filiis congregatis constet ea quæ dicitur mater : sicque obviatio ista esset ejusdem ad se ipsum, secundum statum vel modum diversum. Secundum primum modum, est obviatio partis ad partem, quia in die judicii ex hominibus seu Ecclesia militanti, et angelis atque Ecclesia triumphanti, fiet una Ecclesia et una sponsa Christi, qui tunc sibi perfecte ac indissolubiliter copulabit totam Ecclesiam seu electorum universitatem, ut omnes sint unum in ipso, et Deus sit omnia in omnibus.

I *Cor.* xv, 28 ; *Coloss.* III, 11.

Quinque autem ex eis erant fatuæ, et quinque prudentes. Una pars Christianorum insipiens est, et in die judicii stulta probabitur, eo quod divinis ac spiritualibus præposuit terrena et corporalia, fidemque catholicam non adornavit operibus, nec opera de genere bona retulit ad debitum seu ultimum finem. Prudentia namque dirigit actus humanos in debitum finem. Qui ergo non ob Dei honorem vitamque æternam bona agit, sed propter laudes humanas seu temporale emolumentum, merito imprudens et stultus censetur. Alia vero pars Christianorum per oppositum prudens est, et in die judicii sapiens invenietur. Per hæc itaque, bonorum et malorum discretio explicatur.

Sed quinque fatuæ, acceptis lampadibus, non sumpserunt oleum secum : hoc est, stulti et vani Christiani fidei suæ et operibus non conjunxerunt spiritualem delectationem lætitiamque internam, et conscientiæ sinceritatem, faciendo quod monet Apostolus : Qui gloriatur, in Domino glorietur; et rursus, Gaudete in Domino semper; et illud Psalmistæ, Servite Domino in lætitia. Unde nec dicere possunt cum Apostolo : Gaudium nostrum est testimonium conscientiæ nostræ. Itaque per oleum, spiritualis et pura delectatio sinceritasque conscientiæ designantur, juxta illud : Unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ. Mali autem, dum aliquid boni agere videntur, in se, non in Domino, gloriantur, et hominibus cupiunt complacere magis quam Deo, et ita non satagunt conscientiam bonam habere, nec redeunt ad interiora, sed inaniter diffunduntur, quemadmodum scriptum est : In circuitu impii ambulant. *Prudentes vero acceperunt oleum in vasis suis,* hoc est, spiritualem delectationem et bonæ conscientiæ testimonium in cordibus suis posuerunt, *cum lampadibus,* id est fide et operibus virtuosis. Hæc enim electi deferunt secum ad judicium.

I *Cor.* I, 31; II *Cor.* X, 17. *Philipp.* IV, 4. *Ps.* XCIX, 2. II *Cor.* I, 12. *Ps.* XLIV, 8. *Ps.* XI, 9.

Moram autem faciente sponso, id est, Christo futurum judicium differente, videlicet ab ascensione usque ad terminum mundi, *dormitaverunt omnes,* id est, tam boni quam mali defuncti sunt, *et dormierunt* somno mortis, atque in tumulis velut in lecto quieverunt, denuo suscitandi a Christo. De qua dormitione ait Salvator apud Joannem : Lazarus amicus noster dormit, sed vado ut a somno suscitem eum. Mortui itaque dormiunt Christo, qui multo facilius excitat defunctum a morte, quam homo dormientem a somno.

Joann. XI, 11.

Media autem nocte clamor factus est : Ecce sponsus venit. Ex hoc aliqui asserunt, quod finale judicium erit in medio noctis. Unde refert Hieronymus traditionem esse Judæorum, quod sicut Deus per angelum vastavit Ægyptios media nocte, ita per Christum judicabit mundum in medio noctis. Alii dicunt, quod erit in die, secundum quod dicit Apostolus : In die quo judicabit Dominus abscondita tenebrarum. Et dicunt, quod ideo tempus judicii vocatur nox, quia incertum. Propter

Exod. XII, 29. *Rom.* II, 16; I *Cor.* IV, 5.

quod dicit Augustinus : Media nocte, id est nullo sciente aut sperante. Clamor autem qui tunc fiet, est sonus tubæ, et vox magna, de quibus alibi plenius dictum est. *Exite obviam ei,* id est, de sepulcris resurgite, seu corpore resumpto occurrite Christo ad judicium venienti.

Matth. XXIV, 31.

Tunc surrexerunt omnes virgines illæ: id est, boni et mali a mortuis surgent simul in die novissimo; *et ornaverunt lampades suas,* id est, opera sua decoraverunt quantum potuerunt testimonio conscientiæ, et præmeditatione rationum districto Judici reddendarum, secundum quod dicit Apostolus : Probet se homo, et sic in semetipso habebit gloriam, et non in altero. Quilibet enim causam suam, quantum poterit adornabit. *Fatuæ autem sapientibus dixerunt : Date nobis de oleo vestro,* id est, de merito vestræ spiritualis lætitiæ et bonæ conscientiæ succurrite nobis, *quia lampades nostræ exstinguuntur,* id est, fides et opera nostra reprobantur tanquam a lumine gratiæ aliena. Per hoc innuitur, quod in die judicii mali undique sibi auxiliari optabunt, illi saltem qui nondum judicati et incerti sunt quid de eis Dominus judicabit, qui etiam ante prolationem sententiæ verebuntur damnari tanquam male sibi conscii.

Galat. VI, 4.

Responderunt prudentes fatuis, *dicentes : Ne forte non sufficiat nobis et vobis:* id est, facere non valemus neque audemus quod petitis, timentes ne opera nostra nobismetipsis vix sufficiant ad salutem, præsertim quum tantus sit judicii hujus rigor, ut justus vix salvetur; nec alius alium tunc potest juvare, quoniam unusquisque tunc maxime onus suum portabit, et pro se ipso rationem præstabit; *ite potius ad vendentes,* id est ad eos quorum est regnum cœlorum, puta ad pauperes, vel ad sacerdotes, quibus commissæ sunt claves regni cœlestis, qui dominica sacramenta gratiæ contentiva dispensant, atque pro nummo confessionis ac pœnitentiæ quodammodo vendunt, *et emite vobis* oleum salutis, pauperibus succurrendo, vel sacerdotibus obediendo. Sic enim Daniel ait: Peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum. Hæc dicunt virgines sapientes, non quod tunc tempus erit merendi seu ista agendi, sed quia aliud consilium dari non potest. Vel, secundum Augustinum, hæc dicunt, non consulendo, sed crimen fatuarum commemorando, eisque insultando zelo justitiæ : tanquam dicant, Ite ad vendentes, id est, adulatores et vanos vestros laudatores accedite, et emite vobis ab eis fomentum salutis et gratiæ.

I Petr. IV, 18. *Galat.* VI, 5. *Rom.* XIV, 12. *Matth.* V, 3. *Dan.* IV, 24.

Dum autem irent emere, id est, gratiam recuperare vellent vel pœnitere, *venit sponsus,* id est Christus, ad præmiandum; *et quæ paratæ erant,* tanquam ornatæ veste nuptiali et actibus meritoriis, atque ab omni labe peccati purgatæ, *intraverunt cum eo ad nuptias,* id est ad cœlestem refectionem seu beatitudinem sempiternam, ubi sanctæ animæ Deo intime uniuntur, eoque fruuntur, et ab eo feliciter fecundantur, *et clausa est janua,* id est, finitum est tempus promerendi, et aditus regni cœlestis nulli de cetero patet. *Novissime autem,* id est nimium tarde, et post aliarum præparationem ac salvationem, *veniunt et reliquæ virgines* stultæ. Non est per hoc intelligendum, quod aliud sit tempus judicii bonorum, aliudque malorum, sed quod ordine dignitatis boni primo remunerentur. Veniunt ergo quando tempus miserationis exspiravit. *Dicentes : Domine, Domine.* Ingeminant Dominum, non caritate, sed necessitate; non vero amore, sed naturali affectione atque timore : ideo nil merentur. *Aperi nobis* januam regni cœlestis. *At ille respondens, ait : Amen dico vobis, nescio vos* scientia approbationis, de qua dicit Apostolus : Si quis diligit Deum, hic cognitus est ab eo; et iterum, Si quis ignorat, ignorabitur. Hinc alibi Christus dicit : Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem Patris mei. *Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam,* id est, tempore vobis incognito Filius hominis veniet, ideo vigilate.

I Cor. VIII, 3. *Ibid.* XIV, 38. *Matth.* VII, 21.

SERMO PRIMUS

QUÆ SIT VERA AC SPECIALIS CHRISTI SPONSA, ET QUOMODO EAM PLURIMIS VIRTUTIBUS ORNATAM ESSE OPORTEAT.

APERI mihi, soror mea, amica mea, columba mea. Cant. v, 2.

Quamvis omnis anima christiana vere devota, sponsa sit Christi; specialiter tamen omnis puella virginea, spiritualiter amorosa et in virginitatis proposito constans, Christi sponsa vocatur. Specialius vero omnis femina religiosa, Deo in claustro consecrata et solenni professione Christo adstricta, religioseque vivens, sponsa est Salvatoris Creatorisque sui. Specialissime autem omnis virgo sancta, quæ cœlestis Sponsi amore pro fidei veritate aut virtutum et castitatis tenore sanguinem fundit mortemque patitur, sponsa Jesu Christi vocatur : quales fuerunt virgines sacræ et martyrizatæ. Denique, sicut communiter dicitur, triplex est sponsa Christi, videlicet : universalis, quæ est Ecclesia sancta catholica; et specialis, quæ est quælibet anima devota, in caritate exsistens et gratia; itemque singularis, videlicet beatissima virgo Maria. De qua triplici sponsa exprimitur liber Cantici canticorum. Sed hoc sciendum, quod sponsa Christi specialis est duplex. Una est, determinata quævis persona seu anima virtuosa; alia est, quæcumque particularis Ecclesia Deo per fidem et caritatem unita. Similiter sponsa singularis videtur esse duplex, utpote : virgo Maria, ut tactum est; et item humanitas Christi Verbo æterno hypostatice copulata. Unde secundum Gregorium, tunc Deus Pater Deo Filio nuptias fecit, quando ei in utero Virginis humanam naturam conjunxit. Non enim ambiguum est quin Christi humanitas gratiosius, gloriosius, familiarius atque intimius sit Deo conjuncta, quam quæcumque alia intellectualis seu rationalis creatura. Ideo dici potest singularissima Dei sponsa. Universalis quoque Dei sponsa est duplex, videlicet : Ecclesia militans, et Ecclesia summa triumphans.

Præterea nunc videndum, cur rationalis seu intellectualis creatura vocetur sponsa Dei. Ad quod congrue respondetur, quod ideo, quia per caritatem conjuncta est Deo, et brachiis sancti amoris amplexatur ab eo, cœlestique lumine, scilicet gratia et virtute, fecundatur ab ipso, atque per consensum voluntatis ei spiritualiter commiscetur, ac fructus virtutum producit. Et quamvis spirituale istud connubium seu desponsatio hæc specialiter ac principaliter fiat per caritatem, nihilo minus per fidem aliasque virtutes fieri perhibetur, quum in Osee Dominus dicat : Sponsabo te mihi in judicio et justitia, et in misericordia et miserationibus; et sponsabo te mihi in fide. Insuper, quamvis Ecclesia seu omnis christifidelis persona, Dei qui unus ac trinus est, et cujuslibet divinæ personæ sponsa vocetur, tamen magis proprie dicitur sponsa Christi, quam Patris aut Spiritus Sancti, seu trini ac simplicis Dei, propter communionem naturæ cum Christo, qui est verus Deus et verus homo in una persona. Sicque Ecclesia et omnis Christifidelis, cum ipso in humana communicat convenitque persona. Propter quod ratio sponsi magis proprie videtur Christo competere, quum sponsus et sponsa soleant ejusdem esse naturæ. Hinc etiam ratio capitis respectu Ecclesiæ magis competit proprie Christo, Dei Filio incarnato.

Osee II, 19, 20.

Itaque virgo hæc sancta cujus nunc celebramus solennia, merito dicitur sponsa

Christi. Primo, quia per fidem et caritatem fuit ei conjuncta. Secundo, quoniam ratione sexus devotione ornati, specialius ei competit nomen sponsæ. Tertio, quia amore Sponsi cœlestis, omnem carnalem contempsit sponsum et omnes voluptates. Quarto, quia pro Sponso cœlesti sanguinem suum fudit, vel ei solenniter exstitit in religione consecrata.

Est ergo sacra hæc virgo multipliciter commendabilis et a multis laudanda. Primo, ratione spiritualis fortitudinis suæ, quia cum sexu vicit naturam. Quum enim feminæ naturaliter atque communiter fragiles instabilesque consistant, utpote debiles in ratione et nimium molles, flexibiles ac formidolosæ; tamen beata hæc virgo per dona gratiæ ac virtutes, auxiliante ei in omnibus Spiritu Sancto, constans fuit et fortis, prudens ac sapiens vehementer, imperterrita, inflexibilisque a bono et a cœlestis Sponsi amore, in tantum quod nec dæmonum tentationibus nec hominum impiorum suggestionibus, nec comminationibus nec adulationibus, nec prosperis nec adversis, nec pravorum exemplis, nec exquisitis crudelissimisque suppliciis, nec diuturnis persecutionibus potuit superari. Unde non fuit cum perversis perversa, nec a quoquam seducta, sed cum Apostolo dicere quivit : Quis me separabit a caritate Christi ?

Rom. VIII, 35.

Secundo laudanda et inclyte extollenda est ratione præclaræ ac victoriosæ temperantiæ suæ, qua proprium corpus virgineum optime rexit ac fortiter refrenavit, ab omni voluptate gulæ et incontinentiæ illud compescens, rationi subjiciens, et in actibus virtuosis ipsum servire Deo compellens. Magna est virtus atque victoria ista, præsertim in fragili sexu, quum et in viris virtuosis ac sapientissimis reputetur præcipua. Ait namque Gregorius : Nos gestamus laqueum nostrum nobiscum, et proprium circumferimus inimicum. Carnem nostram loquor, de peccato natam, in peccato nutritam, corruptam valde ipsa origine, sed multo amplius prava consuetudine vitiatam. Potest ergo de sancta hac virgine dici illud Proverbiorum : Accinxit fortitudine lumbos suos, manum suam misit ad fortia, fortitudo et decor indumentum ejus, et panem otiosa non comedit.

Prov. XXXI, 17, 19, 25, 27.

Tertio excellenter commendabilis est a sua virginea castitate, qua semper continuit, et in virginitatis proposito mansit ac manere usque in finem decrevit. Solent enim virgines quandoque ex quadam curiositate tentari, experiri cupientes quid sit quod audiunt seu cogitant, et majus illud esse putantes quam est, nec adjuncta incommoda ponderantes. Insuper a naturali calore, a dæmonum suggestione, ab hominum persuasione frequenter tentantur. Sed felix hæc virgo omnia ista fortiter superavit, et oratione assidua humilique in Deo fiducia vicit. Præclara ergo et grandis omnino est laus ista ac virtus, quum sancti patres Hieronymus et Bernardus affirment : Differunt inter se homo pudicus et angelus, sed felicitate, non virtute. Etsi angeli castitas exsistat felicior, hominis est tamen castitas fortior. Imo, ut abbas Cassianus, doctor illustris, testatur, Majus miraculum est, de propria carne fomitem eradicare luxuriæ, quam immundos spiritus de corporibus alienis expellere; atque ut sanctus ait Hieronymus, In carne sine carne vivere, angelicum est, non humanum. Hinc B. Cyprianus præsul, martyr et doctor : Virginitas, inquit, soror est angelorum, victoria libidinum, regina virtutum, et omnium possessio quædam bonorum. Denique virgines Christo virgini specialiter conformantur, et sequuntur Agnum quocumque ierit, cantantque canticum quod alius cantare non valet. Propter quod Ecclesiasticus asserit : Omnis ponderatio non est digna continentis animæ. Contestantibus quippe sanctis doctoribus Hieronymo atque Ambrosio, virginitas supergreditur conditionem naturæ humanæ : per quam homines angelis assimilantur. Major tamen est victoria virginum quam angelorum. Angeli enim sine carne vivunt, virgines vero in carne triumphant.

Apoc. XIV, 4, 3.

Eccli. XXVI, 20.

Quarto commendatur hæc sacra virgo a sua præcipua dignitate, quoniam Filii Dei, cœlestis Sponsi, est sponsa, et ei fidelissime mansit cohærens, sciens Sponsum illum in omni nobilitate, pulchritudine, sapientia, amabilitate, opulentia, fortitudine incomparabiliter præfulgentem : cui quo quis magis conjungitur, eo purior redditur. Idcirco dicere potuit illud in Canticis:

Cant. VII, 10. Ego dilecto meo, et ad me conversio ejus;

Ibid. V, 10, 16. dilectus meus candidus et rubicundus, electus ex millibus, et ipse est amicus meus, filiæ Jerusalem. Hinc Sponsus cœlestis delectabatur commorari in mente purissima hujus virginis sanctæ, et dixit ad

Ibid. 2. eam : Aperi mihi cordis tui cubiculum, soror mea, cujus amore humanam assumpsi naturam ; amica mea, per specialem et familiarem dilectionem ; columba mea, per puram et simplicem intentionem.

Quinto laudatur hæc virgo a sua constantia, fortitudine et patientia in passione, quia ob Sponsum cœlestem tam exquisita tulit supplicia, non absque grandi miraculo et gratia copiosa : quia omnipotens Deus inter cetera potentiæ suæ miracula, etiam in fragili sexu victoriam dedit martyrii. Imo tenerrimis illustrissimisque puellis admirabilissimam dedit fortitudinem atque constantiam inter horrenda tormenta.

Sexto laudatur ab excellentia et multitudine miraculorum quæ Deus fecit per eam, ipsam mirificans et exaltans, et sibi carissimam, nobisque honorandam, et subvenire potentem protestans et monstrans, sicut ex ejus patet Legenda.

Septimo commendatur a præclara et supernaturali sapientia sibi collata, per quam inter adversitates et pœnas tam sapientissime respondebat, adversarios confundebat, Christi defendit fidem, et viros quoque animavit ad martyrii susceptionem.

Luc. XXI, 15. Dedit etenim ei Christus os et sapientiam cui nec tyranni, nec prudentes sæculi valebant resistere.

Octavo commendatur ab excellenti felicitate quam pro præmio est adepta et æternaliter possessura. Estque modo cœlesti Sponso perfecte conjuncta, in ejus ulnis dulcissime requiescens, ejus purissimis amplexibus incessabiliter fruens, ejus vultum inavertibiliter intuens, ipsum deliciosissime ac securissime possidens, tanto utique plenius quanto eum in vita hac dilexit ardentius, concupivit frequentius, honoravit perfectius, et plura ac graviora pro ipso perpessa est. Nam duplici decoratur aureola, utpote martyrum ac virginum. Et si alios instruxit in fide atque ad Christum convertit, etiam doctorum aureolam est sortita.

Honoremus ergo, laudemus, deprecemur ac diligamus hanc virginem sanctam, et ejus sequamur virtutes, concupiscentias refrenando, corpora nostra pœnitentialiter castigando, passiones nostras et vitia fortiter superando. Vanitates sæculi despiciamus; in Dei timore et gratia concrescamus. Imo de nostra imperfectione, de nostris miserrimis defectuositatibus et fragilitatibus miserandis vehementissime erubescamus, eo quod sacra hæc virgo sexu et corpore fragilis, per gratiam exstitit tam sublimis, tam perfecta et fortis, tam patiens in adversis, tam victoriosa in pœnis gravissimis, tam sapiens in responsis. Nos vero a propriis motibus quotidie vincimur, ira et impatientia inflammamur, concupiscentiis instar brutorum exagitamur, pro modico verbo turbamur. Ubi nos barbati latebimus, ubi manebimus, quum Judex altissimus cœperit exercere judicium, discutere omnia, pandere universa? Verecundemur itaque et revertamur a pessimis viis nostris, pœnitentiamque agamus, atque in omnibus nos incessabiliter emendemus. Ad laudem Omnipotentis.

SERMO SECUNDUS

QUOD ALIUD QUAM DEUM COGITARE, VIRGINEM NON DECEAT.

VIRGO cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore et spiritu. I Cor. VII, 34.

Finis propter quem Creator bonus, sapiens atque omnipotens condidit hominem, est Deum sincere cognoscere ac ferventer diligere, eique mente quieta, pura ac stabili adhærere. Ad istud ordinatur tota sacra Scriptura, et ad hoc tendunt et data sunt omnia Dei præcepta, evangelica quoque consilia. Idcirco, quod ad hunc finem plus confert et expedit homini, hoc ei utilius salubriusque consistit. Constat autem et experientia docet certa, quod status conjugalis, propter occupationes et sollicitudines sibi adjunctas, et per carnales voluptates actui suo admixtas, frequenter ac vehementer impedit conjugatos a fine prætacto, a puritate interna, a mentis quiete in Deo, a spirituali affectu, ab exercitiis virtuosis, a contemplatione Altissimi. Hinc secundum cœlestem Christi doctrinam, virginitas in novo Testamento præfertur statui conjugali castitatique matrimoniali : virgines namque Deo liberius ac purius possunt vacare. Hinc docet Apostolus, quod mulier nupta cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro, et mente divisa est, quia non toto corde intenta est Deo, sed variis curis occupationibusque gravatur, distrahitur, impeditur; virgo autem cogitat quæ sunt Dei, quomodo placeat ei, ut sit sancta, id est immaculata, corpore et spiritu.

I *Cor.* VII, 34, 33.

Porro hæc intelligenda sunt de virginibus in proposito virginitatis consistentibus Dei intuitu et amore, non ob laudem humanam, aut ex virorum contemptu, vel propter terrena ac temporalia commoda. Non enim virginitas per se placet ; sed ut placeat Deo, humilitati, caritati, ceterisque virtutibus sit conjuncta. Ideo ait Hieronymus : Ornetur morum sanctitate virginitas, et gradum profecto subsequetur perfectum. Isidorus quoque : Virgo (inquit) carne, non mente, nullum præmium habet in professione. Quum ergo virginitas per se ipsam non placeat Deo, sed ex interiori mentis devotione et sancto proposito, atque aliarum adjunctione virtutum ; advertere debent virgines, præsertim in virginitate manere statuentes, quid ad earum pertineat statum, ut juxta suam vocationem ambulent digne Deo. Hinc loquitur Augustinus : Dominica virgo (id est virgo Deo devota) debet cognoscere quibus præceptis instituatur, et a quibus debeat vitiis abstinere.

Ephes. IV, 1.

Consequenter beatissimus doctor Augustinus multa scribit pro virginum instructione, quæ ad earum pertinent statum : Dominica (inquiens) virgo primitus debet vitare strepitus, hominum tumultus ac platearum frequentiam fugere, atque in domo posita, operi lanifico vel lectioni divinæ insistere. Hoc est unum documentum : ex quo patescit quod virginum est non discurrere, nec hinc inde vagari, sed quantum fieri potest, domi sedere, nisi quum ad ecclesiam est pergendum. Et quod ait Augustinus, quod debeat lanifico insistere operi, intelligendum est quod debeat aliquam manualem occupationem utilem et honestam habere, non otio aut loquacitati vacare. Conformiter quod ait, aut lectioni divinæ intendere, intelligendum est quod debeat aliquam spiritualem exercitationem peragere, vacando videlicet lectioni devotorum librorum, vel orationi aut meditationi salubri. Hinc et sanctus

ait Ambrosius : Discite, virgines, non alienas circumcursare ædes seu domos, non demorari in plateis, nec aliquos in publico miscere sermones.

Secundum Augustini documentum est : Dominica virgo nec ornatu capitis, nec habitu comæ, nec oculis erectis aut lætis, sed vultu ad terram deposito sit incedens, ne juveniles inducat amores, ne etsi ipsa non pereat, aliis causa perditionis exsistat. Ecce hoc documento prohibentur virgines se pompose et curiose ornare, præsertim in vultu et capite, et erectis oculis ac jucundis incedere, sed facie inclinata, ne juvenum seu virorum in se accendant affectum, ac per hoc aliis sint perditionis occasio : dato quod ipsæ non afficiantur libidinose ad alios, nec illos scandalizare intendant. Hinc quoque Hieronymus terribiliter protestatur : Si vir aut mulier se ornaverit, et vultus hominum ad se provocaverit; etsi nullum inde sequatur damnum, judicium tamen patietur æternum, quia venenum attulit, si fuisset qui biberet. Hinc dicunt doctores, quod quicumque ita se vestit vel ornat quod aliis vitiosæ concupiscentiæ exhibet incentivum, peccat mortaliter, etiam dato quod nemo scandalizetur in eo. Nam quantum in se est, præbet aliis poculum mortis. O quam pauci ista perpendunt! Ideo miseri pereunt sine numero et mensura.

Denique sancta hæc virgo cujus nunc agimus festum, hæc omnia adimplevit, et mala vitavit, sollicita fuit ne quis virorum aut juvenum scandalizaretur in ejus specie vel adspectu, ornatu, vestitu sive incessu : idcirco dilexit secretum. O quam fatuæ sunt nunc virgines et feminæ multæ, quæ ex capillis suis faciunt sibi cornua, quæ interdum deponunt, interdum resumunt, instar testudinis! Quædam etiam omni stultitia plenæ, vultum suum adulterino ornant colore ac liniunt. Contra quas ait S. Hieronymus : Quanta amentia est, effigiem mutare naturæ, picturamque quærere? Tolerabiliora pene in adulterio crimina sunt : ibi enim pudicitia, hic natura adulteratur. Et Ambrosius : Deles, inquit, picturam Dei, o mulier, si vultum tuum materiali candore oblinias, si exquisito rubore perfundas. Considerate, o virgines ac feminæ, sanctam hanc virginem quam veneramur, quæ soli cœlesti cupiens Sponso placere, interiorem suæ animæ vultum, videlicet rationem et voluntatem, fide, sapientia, caritate, justitia ac ceteris decoravit virtutibus. Et vos ergo similiter agite, ne dæmonum sitis adulteræ.

Tertium Augustini documentum est : Dominica virgo ab omni inverecundo sermone et cachinno debet se penitus cohibere, et cum silentio et disciplina omnem suam vitam ornare. — Et ad istud pertinet quartum documentum, quo ait : Dominica virgo, ut de viduis ait Apostolus, sermone garrula aut loquacitate verbosa, vel curiositate superflua, casta judicari non potest, sed potius prostituta, et ad luxuriam magis accendere et accendi. Ex his ostenditur, quod virgines a femineis levitatibus, loquacitatibus et curiositatibus debent se omnino reprimere, et tanto plus, quanto ad talia proniores exsistunt. Imo unusquisque cupiens Deo placere atque salvari, illis se vitiis magis debet opponere ac reniti ad quæ ex naturali dispositione vel consuetudine, aut aliorum societate seu suggestione amplius inclinatur. I *Tim.* v, 13.

Quintum documentum est : Dominica virgo nec sermonis jactantia, nec divitiis, nec generis nobilitate se debet extollere, sed in humilitate et paupertate spiritus, Christo quamdiu vixerit accepta manere. Istud etiam ad omnem pertinet Christianum. Quid enim sunt divitiæ et nobilitas, pulchritudo, potentia et eloquentia, nisi quædam dona naturæ sive fortunæ, quibus omnibus dona gratiæ ac virtutes sunt incomparabiliter digniora? Itaque, si quis sit filius regis pulcherrimus corpore ut Absalon et Adonis ac Paris, ingeniosissimus ut Aristoteles, eloquentissimus ut Cicero, potentissimus ut Octavianus, ditissimus ut Crœsus, nobilissimus tanquam Francus, a quo et nobilis Francia nomen sortita II *Reg.* XIV, 25.

est; alter vero sit corpore turpissimus, pauperrimus, balbus, obtusus, impotens, pauper, et tamen in caritate et gratia Dei exsistens, vere humilis et devotus : uter horum duorum sublimior, amabilior, honorabilior est atque beatior? Nonne iste secundus, ab hominibus cunctis despectus? Quum itaque ignoremus qualis sit alter in mente sua aut in prædestinatione divina, nequaquam debet se aliquis propter eminentiam in donis naturæ aut fortunæ extollere aliisve præferre. Quæ dona etsi majoris elegantiæ essent, tamen de eis debet qui ea sortitus est, Deo gratias agere, subdi et humiliari, et eum qui Deo per dona gratiæ est unitus ac placens, sibi in corde suo præferre : quemadmodum et hæc sacra virgo cujus nunc festus agitur dies, fecit. Quæ quanto major fuit in donis gratiæ ac naturæ atque fortunæ, tanto plus se ipsam humiliavit in omnibus, adver-
1 *Cor.* IV, 7. tens quod ait Apostolus : Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?

At vero secundum Hieronymum, sex ista virginitatem conservant : Sobrietas, operatio (id est occupatio) bona, asperitas vestium, coercitio sensuum, raritas loquendi, et evitatio opportunitatis peccandi, videlicet loci et temporis ac personæ. Verumtamen his sex possunt addi et alia multa, utpote : oratio ad Deum assidua pro virginitate servanda, consideratio dominicæ passionis, imo et molestiarum matrimonio adjunctarum, attentio præmiorum virginitatis, evitatio munusculorum, amplexuum, attactuum et osculorum.

Postremo, ad castitatem valde inducit quod S. Ambrosius historialiter refert, dicendo : Non fallit veritas, non circumscribit justitia, non decipit virtus; quod si non creditis oraculo, credatis saltem exemplo. Dudum puella nobilis sæculo, nunc nobilior Christo, quum a parentibus et propinquis ad nuptias urgeretur, ad sacrosanctum confugit altare. Quo enim melius fugeret virgo, quam ubi sacrificium virginitatis offertur, et caput omnium Christus quotidie consecratur? Stabat ad aram Dei pudoris hostia, victima castitatis, capiti suo dexteram sacerdotis imponens, precemque poscens, et ait : Quid agitis, o propinqui? Quid exquirendis nuptiis meum animum sollicitatis? Sponsum mihi offertis terrenum, mortalem, sed ego reperi meliorem. Quaslibet exagitate divitias, nobilitatem jactate, potentiam prædicate. Habeo enim sponsum cui nemo se comparet, divitem mundo, potentem imperio, nobilem cœlo. Si talem habetis, non refuto optionem; si autem talem non reperitis, non mihi providetis tanquam parentes, sed invidetis ut peremptores.

Itaque et nos sanctæ virginis hujus provocemur exemplis, instruamur virtutibus, roboremur fortissimis gestis; spernamus carnalia et terrena, ut adipisci mereamur cœlestia et æterna. Ad laudem Altissimi.

SERMO TERTIUS

QUID BONÆ VIRGINIS SIT, UT FIRMIOR DEO ADHÆREAT.

AUDI, filia, et vide, et inclina aurem tuam. Ps. XLIV, 11.

Ea quæ in præcedenti sermone dicta sunt pertinere ad virgines, pene etiam omnia ad viduas pertinent. Unde de illa venerabili vidua Judith habetur : In superioribus domus suæ fecit cubiculum secretum sibi, in quo cum puellis suis clausa morabatur; et habens super lumbos suos cilicium, jejunabat omnibus diebus *Judith* VIII, 5, 6.

vitæ suæ, præter sabbata et Neomenias et festa domus Israel. Denique in Luca habetur de sanctissima illa vidua Anna, quod
Luc. II, 37. non discedebat de templo, orationibus et jejuniis serviens Deo die ac nocte. Apostolus quoque Timotheum hortatur, di-
I Tim. V, 3, 5-7. cens : Viduas honora quæ vere viduæ sunt. Quæ autem vere vidua est et desolata, speret in Deum, et instet orationibus et obsecrationibus nocte ac die. Nam quæ in deliciis vivit, vivens mortua est. Et hoc præcipe, ut irreprehensibiles sint. Ex quibus probatur, quod ad viduas spectet, non evagari, sed domi sedere, utiliter occupari, spiritualibus exercitiis exerceri, loquacitates, pompas, vanitates, levitates vitare; jejuniis, orationibus asperoque vestitui operam dare : quæ omnia, ut in sermone patuit præcedenti, ad virgines spectant. Denique, omnis anima christiana vere devota, Dei filia et amica, sponsa et heres rite vocatur. Deus enim creator est omnium, pater, amator atque remunera-
Matth. VI, 9. tor : cui quotidie dicimus, Pater noster qui es in cœlis. Unde in Deuteronomio
Deut. XXXII, 6. legitur : Numquid non ipse est Pater tuus, qui possedit te, et fecit et creavit te?

Itaque in themate præassumpto, Propheta in persona Ecclesiæ hortatur virginem ac viduam quamcumque vere devotam, imo omnem animam efficaciter christifidelem, ad multa. Primum est, ut audiat, id est, non solum corporalibus auribus, sed mentis quoque diligentia advertat, quid velit Deus, quid jubeat, quid consulat,
Luc. XI, 28. quid promittat, quid comminetur. Beati enim qui audiunt verbum Dei. Et Christus
Matth. XI, 15; XIII, 9, 43; etc. frequenter in Evangelio cohortatur : Qui habet aures audiendi, audiat. Debemus ergo mente advertere, quid Deus loquatur in nobis per occultum instinctum, juxta illud
Ps. LXXXIV, 9. Psalmistæ : Audiam quid loquatur in me
Job XXXIII, 15, 16. Dominus Deus. Unde et in Job fertur : Per somnium in visione nocturna aperit Deus aures virorum, et instruit disciplina. Item advertere sic debemus, quid loquatur in nobis angelus sanctus, animæ nostræ custos, per inspirationes internas : ipse enim quotidie nos intus alloquitur, ad bona instigat, a malis avertit, a periculis protegit. Tertio sic debemus advertere, quid in nobis loquatur propria ratio, quid conscientia dictet, ad quid inclinet synderesis, ut rectæ rationis sequamur judicium, et ratione regatur voluntas, ac appetitus inferior non passionibus et concupiscentiis seducatur. Item, exterioribus ac interioribus auribus debemus advertere, quid superiores nostri et boni devotique proximi nostri nobis loquantur, præcipiendo, instruendo, hortando aut corripiendo, juxta illud Ecclesiastici : Audi tacens, et pro re-
Eccli. XXXII, 9. verentia accedet tibi bona gratia. Unde et
Prov. I, 8. Salomon ait : Audi, fili mi, disciplinam patris tui. — Omnibus his modis sancta hæc cujus nunc celebramus solennia, audivit exteriori et interiori auditu, quod sibi salubriter dicebatur, sive intus de cœlo a Deo et angelo, sive extra ab hominibus; eratque vera sapientiæ discipula, obedientiæ filia, et docilis dirigibilisque per omnia. Superbi autem et impatientes, ac magni et sapientes in propriis oculis, corripientibus ac corrigentibus indignantur, nec informationibus acquiescunt, dicentes illud Job : Quid nosti quod ignoremus? *Job* XV, 9.
Quid scis* quod nesciamus? * intelligis

Secundo, in themate præassumpto, Propheta hortatur virginem ac viduam quamcumque devotam, ut videat, id est, corde intelligat et digne perpendat pertinentia ad salutem, juxta illud Ecclesiastici : In
Eccli. VII, 40. omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in æternum non peccabis. Hæc quippe novissima sunt : mors corporalis, metuendum Dei judicium, infernale supplicium, beatitudo æterna. Quicumque ergo mente sagaci rite perpenderit incertitudinem ac amaritudinem mortis sibi imminentis atque indesinenter appropinquantis, infinitumque divini rigorem ac horrorem judicii; quam metuendum sit
Hebr. X, 31. incidere in manus Dei viventis, corpus et
Matth. X, 28. animam in æternum ignem projicientis, cujus iræ nemo potest resistere, a quo
Job IX, 13. *Ps* CXXXVIII, 7. non est appellare neque latere nec fugere,

Ps. LXV, 5. quique terribilis est in consiliis super filios hominum; itemque, quam acerbissima ac intolerabilia sint inferni tormenta, quæ nunquam propinquant ad finem; quam item deliciosissima sint supercœlestis gaudia paradisi, Deum pulchritudinis infinitæ in se ipso clare et immediate conspicere, ejus immensa dulcedine ad satietatem ac libitum æternaliter cum plena securitate sine omni fastidio frui : hic talis salubriter videt et vere intelligit, ac sapiens judicatur; ideo vitat Dei offensam, *Eccli.* XXI, 2. juxta illud Ecclesiastici : Quasi a facie colubri fuge peccata. Denique huic salubri visioni opponitur excæcatio mentis, quam causat mortale peccatum, quæ in omnibus mortali peccato subjectis exsistit, juxta *Sap.* II, 21. illud Sapientiæ : Excæcavit eos malitia eorum. De quibus conqueritur sanctus Moy- *Deut.* XXXII, 28, 29. ses, dicens : Gens absque consilio est et sine prudentia; utinam saperent et intelligerent, ac novissima providerent. — Hoc modo beata hæc virgo seu vidua vidit, et ideo cuncta terrena et prospera omnia sæculi hujus reputavit pro nihilo, quatenus et æternas evaderet pœnas, et ineffabilia cœlestis beatitudinis gaudia obtineret. Non *Matth.* X, 28. timuit eos qui corpus occidunt, ne ejus incideret manus qui potestatem habet et corpus et animam mittere in gehennam. Vidit quod omnia bona sæculi hujus, nullius momenti sunt, ut propter ea quis incidat æternalia Acherontis supplicia, vel perpetua amittat gaudia felicitatis supernæ.

Tertio, hortatur ut aurem suam inclinet per efficacem consensum et caritativam affectionem. Quarto, ut obliviscatur populum suum et domum patris sui : non utique ea penitus tradendo oblivioni, quia hoc caritati esset contrarium, quum tempore opportuno pro illis orandum sit; sed ne carnali et sæculari affectione illis adhæreat, et ipsos, in quantum sibi in via obsistunt salutis, ignoret atque pertranseat. Unde ita agentibus Christus copiosum *Ibid.* XIX, 29. pollicetur præmium, dicens : Omnis qui reliquerit patrem, aut matrem, aut uxorem, aut fratres, aut sorores, centuplum accipiet, id est, in præsenti abundantiam spiritualium sortietur charismatum, et vitam æternam possidebit. Hinc et Propheta, post verba inducta, præmium hoc ipsum tangit ac spondet, dicendo : Concupiscet *Ps.* XLIV, 12. rex decorem tuum, quoniam ipse est Dominus Deus tuus. Hic etenim decor est pulchritudo interior, gratiæ splendor, sapientiæ lumen, caritatis perfectio, ceterarumque ornatus virtutum, abundantia meritorum, puritas mentis, sinceritas intentionis, fervor devotionis, desiderium Dei, contemplatioque ipsius. Hæc omnia animæ ornamenta complacent Deo, ita quod animæ tam decoræ appetit speciem, paratus cœnare et epulari cum ea, et com- *Apoc.* III, 20. morari in medio ejus per gratiam ampliorem : imo deliciæ ejus sunt, esse cum ea. *Prov.* VIII, Idcirco in Canticis loquitur ei : Ostende 31. *Cant.* II, 14. mihi faciem tuam; sonet vox tua in auribus meis : vox enim tua dulcis, et facies tua decora.

Porro tunc anima amorosa ac virtuosa, Deo suo ac Sponso cœlesti faciem suam ostendit, quando per contemplationem sinceram fervidumque amorem se illi actualiter repræsentat, Deo intendens, et se ad ipsum convertens, quemadmodum per Joelem hortatur : Convertimini (inquiens) ad *Joel* II, 12. me in toto corde vestro. Tunc quoque anima virtuosa faciem suam Deo ostendit, quando se ipsam vere considerat et imperfectum suum coram illo fatetur, nec aliquid boni in se habere nisi ab ipso testatur. Insuper tunc vox animæ sanctæ sonat in auribus Dei, dum ipsum devote orat, jucunde collaudat, aut aliis fervide prædicat : in quibus omnibus non clamor, sed amor insonat auri Altissimi. Idcirco vox ista dulcis est Deo, quoniam ipse est I *Joann.* IV, caritas, et nil ei tantum placet ut spiritua- 16. lis dilectio, sine qua nil Deo acceptum censetur. — Denique hoc modo sancta hæc virgo seu vidua, faciem mentis suæ cœlesti Sponso monstravit assidue, dicens cum magno Elia, Vivit Dominus, in cujus III *Reg.* XVII, conspectu sto hodie; faciensque quod san- 1.

Thren. III, 41. ctus admonet Jeremias, Levemus corda nostra cum manibus ad Deum in cœlum. Sonuit quoque vox ejus dulcissime in auribus Creatoris, cujus laudibus jugiter fuit *Ps.* CXLV, 2. intenta, juxta illud Psalmistæ : Psallam *I Thess.* V, 17. Deo meo quamdiu fuero. Sed et sine in- *Ps.* CXL, 2. termissione oravit eumdem, ascenditque ejus oratio tanquam incensum coram Altissimo.

Itaque invocemus hanc Sanctam, et in Domino eam laudemus; veneremur eamdem, ut intercedere pro nobis dignetur, et gratiam impetrare per quam ejus vestigia digne sectemur. De ea etenim verissime *Eccli.* XXVI, 19, 18. dici potest illud Ecclesiastici : Gratia super gratiam, mulier sancta et pudorata et

A tacita. Nam et pudor castus ac taciturnitas moderata, potissime condecent sexum femineum. Verumtamen pudor castus ex sapientia fluens, quia est erubescentia de fœditate peccati et inhonestate ac turpitudine vitæ coram infinita sanctitate ac sapientia Dei, ad omnem pertinet Christianum. Qui pudor nobis semper inesse debet, et ad delenda peccata præterita ac præcavenda futura non parum confert : quatenus in præsentia et conspectu Judicis summi omnia intuentis, semper reverenter et pure ac fructuose conversemur et incedamus. Ad laudem, honorem gloriamque ipsius, qui est super omnia Deus sublimis et benedictus. Amen.

IN SOLENNITATE
DEDICATIONIS TEMPLI

ENARRATIO IN EPISTOLAM

VIDI CIVITATEM SANCTAM JERUSALEM, ETC. Apoc. XXI, 2-5.

HÆC lectio recte nunc loco epistolæ legitur, quia in ea de Ecclesia et de gratiosa habitatione Dei cum hominibus agitur. Itaque in Apocalypsi ait sanctus evangelista Joannes :

Vidi in spiritu *civitatem sanctam Jerusalem,* id est militantem Ecclesiam : quæ dicitur civitas, quia in ea est unio fidelium per fidem et caritatem. De qua ait
Ps. LXXXVI, 3. Propheta : Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei. Vocatur quoque « Jerusalem », quæ interpretatur visio pacis : quoniam pacem internam contemplatur, et nunc pacem pectoris habet, et pacem æternitatis intuetur adipiscique nititur. De qua ait Apo-
Galat. IV, 26. stolus : Illa quæ sursum est Jerusalem, libera est, quæ est mater nostra. *Descendentem de cœlo,* id est, a Rege cœlorum procedentem, atque ab illo quidquid boni habet et est, obtinentem, juxta illud Apo-
I *Cor.* IV, 7. stoli : Quid habes quod non accepisti? Vel dicitur Ecclesia militans de cœlo descendere, quoniam triumphantem Ecclesiam imitatur, et juxta illius ordinem ac dispositionem a Deo disposita est. Nam sicut in triumphanti Ecclesia est unus omnium præsidens, ita in militanti Ecclesia est unus Pontifex summus, cunctis fidelibus præexsistens. Et sicut in triumphanti Ecclesia sunt varii ordines angelorum, ita in militanti Ecclesia diversi sunt ordines hominum, scilicet prælatorum ac principum, et officiorum, statuum ac graduum, et subditorum. *A Deo paratam,* id est diversis gratiis atque virtutibus decoratam, per quas ad beatificam Dei visionem aptatur, *sicut sponsam ornatam viro suo:* nam sicut sponsa suo sponso ornatur, ita Ecclesia Christo fulcitur. Christus namque est sponsus Ecclesiæ et ornamentum, honor ac gloria ejus. Unde de Christo et Ecclesia dicit Joannes Baptista : Qui habet spon-
Joann. III, 29. sam, sponsus est.

Et audivi vocem magnam de throno dicentem. Hanc vocem angelus in interiori sensu et vi imaginativa S. Joannis formavit; et in visione imaginaria videbatur sibi « de throno » majestatis divinæ procedere, quia et angelus eam proferens, civis fuit cœli empyrei. *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus.* Per tabernaculum Dei, quidam intelligunt Christi humanitatem, quæ fuit et est templum divinitatis, ut sit sensus : « Ecce tabernaculum Dei », videlicet Christi humanitas, nunc est et æterna-
liter erit « cum hominibus » fidelibus, virtuosis. Alii per tabernaculum Dei intelligunt Ecclesiam, quæ est cum hominibus sicut mater cum filiis suis; quum tamen ex filiis congregatis constet ipsa Ecclesia, quæ dicitur mater. Potest et ita exponi : « Ecce tabernaculum », id est habitaculum,

« Dei », est « cum hominibus », quoniam ipsa ecclesia materialis, quæ consecrata est Deo, vocatur et est habitaculum ejus. Vel tabernaculum istud est cor humanum, in quo per gratiam habitat Deus ; estque « cum hominibus », quia in eis est sicut pars cum toto.

Et habitabit cum eis, in præsenti per gratiam, et in futuro per gloriam. Unde apud Joannem loquitur Christus de Patre
Joann. XIV, 23. et de se : Ad eum (qui scilicet præcepta mea observat) veniemus, et mansionem apud eum faciemus. Hinc per Zachariam
Zach. II, 10. promittit Deus Ecclesiæ : Ecce ego venio, et habitabo in medio tui. *Et ipsi populus ejus erunt,* id est, fideles Deo per caritatem familiariter adhærebunt, atque per cultum et gratiam pertinebunt ad ipsum sicut servi et filii ac amici. *Et ipse Deus erit eorum Deus,* id est, Deus omnium per creationem et generalem providentiam, erit specialiter eorum Deus per gratiosam provisionem atque custodiam, qua eis de necessariis ad salutem providebit, eosque proteget et ad salutem perducet.

Et absterget Deus omnem lacrimam ab oculis eorum. Hoc erit in regno cœlesti, ad quod quum pervenerint, omni gaudio implebuntur. *Et mors non erit ultra,* id est, in istis electis et sanctis in regno cœlorum non erit mors naturæ nec mors culpæ, *neque luctus,* pro quacumque causa, *neque clamor* ex dolore proveniens. Erit tamen ibi clamor laudis divinæ, ex gaudio nascens. *Neque dolor. Quæ prima abierunt,* id est, omnia mala hæc finem accipient in electis ante ingressum regni cœlestis.

Et dixit qui sedebat in throno, id est Deus omnipotens in empyreo residens cœlo : *Ecce nova facio omnia,* id est, omnium fidelium corda per gratiam spiritualiter innovo. Potest quoque intelligi de innovatione mundi, qua in fine cœlestia corpora et elementa innovabuntur ; sed et omnium electorum mentes Deus per dona gloriæ maxime et immutabiliter seu inveterascibiliter innovabit, et partim jam innovavit. Unde orat vir sanctus : Spiritum rectum *Ps.* L, 12. innova in visceribus meis.

SERMO PRIMUS

OB SEX GLORIOSAM DICI ECCLESIAM MILITANTEM, QUIBUS CHRISTIANI UT MEMBRA CONGAUDERE DEBENT.

GLORIOSA *dicta sunt de te, civitas Dei.* Ps. LXXXVI, 3.

Vere gloriosa dicuntur de civitate Dei, id est de Ecclesia militanti, in lectione quæ hodie loco epistolæ legitur. Primum
Apoc. XXI, 2. est, quod ipsa est civitas Dei : quoniam in Ecclesia est unio atque concordia Christianorum per fidem et caritatem, ita quod omnes idem credunt ac sentiunt de pertinentibus ad salutem, et uni Domino Jesu Christo, ac ejus summo vicario, Romano Pontifici, rite obediunt, atque se invicem diligunt. Hinc hæretici et schismatici ab Ecclesia sequestrantur, et ab ejus unitate damnabiliter dividunt semetipsos. Quicumque etiam spirituali carent amore, aut in aliqua mortali culpa sunt, non sunt perfecte filii ac membra Ecclesiæ, sed sunt corrupta et putrida, imo potius mortua membra : idcirco vere sunt filii ac ministri et membra diaboli, a quo diriguntur et cui obediunt. Quemadmodum enim omnia membra corporis naturalis ab uno spiritu vivificantur, moventur atque reguntur, sicut omnia membra hominis ab una anima rationali ; sic omnes filii

Ecclesiæ qui vere sunt viva membra ipsius, spiritualiter vivificantur, ad opera bona moventur, ad æternam quoque salutem diriguntur a Spiritu Sancto, qui est principalis vivificator, rector et motor Ecclesiæ. In primis ergo, maxime necessarium est omnibus Christianis ut fide et caritate uniantur in Christo et inter se, sicque ab omni peccato mortali immunes sint, et se invicem diligant spiritualiter et sincere, nec unus alium sponte et scienter offendat in verbo aut facto ; imo alteri faciat unusquisque prout sibi ipsi vult rationabiliter fieri. Hinc ad Philippenses hortatur Apostolus : Idem sapiatis, unanimes, id ipsum sentientes ; nihil agatis per contentionem, neque per inanem gloriam. Sed, proh dolor ! hujus contrarium agunt multi, præsertim in Dedicatione, in qua se ipsos inebriant, jurant ac litigant, per quod filios diaboli se esse demonstrant : idcirco cum ipso æternaliter punientur.

Matth. VII, 12.

Philipp. II, 2, 3.

Secundum quod de Ecclesia in hac lectione dicitur, est quod ipsa est sancta. Nam Spiritus Sanctus ab universis eam purificat peccatis mortalibus, splendoreque gratiæ et decore virtutum eam perornat. Unde in symbolo Apostolorum fatemur, dicentes : Credo in Spiritum Sanctum, sanctam Ecclesiam catholicam. Hinc ait Apostolus : Christus dilexit Ecclesiam, et tradidit semetipsum pro ea, ut illam sanctificaret, mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam neque rugam. Rogemus ergo indesinenter infinitam bonitatem et pietatem Spiritus Sancti, quatenus corda nostra purificare atque sanctificare dignetur, ut sint munda et placita habitacula Dei. Studeamus ergo semper et singulariter in hoc festo devoti ac sobrii esse, et divina Officia reverenter ac timorate audire. — Denique materialis ecclesia in qua sedemus, sancta vocatur, quia consecrata est Deo, et deputata ad hoc ut in ea celebrentur divina Officia, conficiantur ac suscipiantur ecclesiastica sacramenta, orationibus et meditationibus insistatur, et verbum Dei prædicetur in ea. Idcirco qui in ecclesia confabulantur, rident, vage et lascive circumspiciunt, intimorate et indevote se habent, valde graviter peccant. Nemo itaque aliud in ecclesia agat nisi ad quod instituta est ; sed in ea devote Deum laudemus, ferventer oremus, veniam peccatorum nostrorum petamus, passionem Christi, Filii Dei, intueamur, atque a Deo semper protegi ac juvari precemur. Ob hæc enim agenda, est in ecclesiam convenidum.

Apoc. XXI, 2.

Ephes. V, 25-27.

Tertium quod in lectione hac de Ecclesia dicitur, est quod ipsa est Jerusalem, id est, pacem cœlestis patriæ speculans, et ad eam suspirans ac tendens. Est autem triplex pax quam omnis Christifidelis debet appetere. Prima est, pax exterior, quæ vocatur pax temporis, et est quies ab exterioribus inimicis et litibus ac perturbationibus. Unde ad Romanos dicitur : Si fieri potest, cum omnibus hominibus pacem habete. Et Christus in Evangelio : Pacem (inquit) habete inter vos. Studeat ergo unusquisque pro posse cum omnibus hominibus exteriorem hanc pacem habere ; nec aliquem turbet, ut moris est superborum. De quibus Salomon protestatur : Inter superbos sunt semper jurgia. Et Isaias propheta fatetur : Impii sunt quasi mare fervens, quod quiescere non potest. Tales sunt multi, qui provocant contentiones et pugnas : quorum aliqui improvise occiduntur, et in suis sceleribus morientes, æternaliter atque gravissime condemnantur ; vel alios occidunt, qui improvise moriendo in suis peccatis, æternam mortem miseriæ infernalis incurrunt. O quam graviter peccant hi bellatores et homicidæ, non solum quoniam corpora lædunt ac perimunt, sed ideo etiam, quoniam tam propriam quam proximi animam æternæ damnationis exponunt periculo ! Imo primo omnium se ipsos spiritualiter necant tam dire peccando. — Secunda est, pax interior, quæ vocatur pax pectoris, et est quies mentis in Deo. Hæc est pax consci-

Apoc. XXI, 2.

Rom. XII, 18.

Marc. IX, 49.

Prov. XIII, 10.

Is. LVII, 20.

entiæ bonæ, quæ remorsum non habet de mortali peccato : idcirco adhæret Deo, suaviterque quiescit in eo. Unde ait Apo-
II *Cor.* I,12. stolus : Gloria nostra est testimonium conscientiæ nostræ. Hanc pacem semper habere debemus, quantumcumque forinsecus impugnemur aut provocemur, ita ut omnia sustineamus adversa, mente tranquilla, nec vindicemus nos ipsos. Hinc sanctus David
Ps. CXIX, 7. rex loquitur : Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus. — Tertia est, pax superior, quæ vocatur pax æternitatis. Est quoque pax Beatorum in patria : qui suavissima atque plenissima pace fruuntur, ac gloriantur in æternum in Deo, quia eorum mentes absque omni turbatione et interruptione quiescunt et gaudent in ipso. De
Philipp. IV, 7. qua pace ait apostolus Paulus : Pax Christi, quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra. Unde de Sanctis dicit
Ps. XXXV, 9. Propheta ad Dominum : Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos. Ad hanc beatificam pacem pertingere enitamur, quia in hac vita pacem continuam ac perfectam adipisci non possumus.

Quartum quod in lectione hac de Eccle-
Apoc. XXI, 2. sia dicitur, est quod ipsa est a Deo parata : quoniam per supernaturalia dona Spiritus Sancti, per diversa gratiarum charismata, per opera virtuosa decoratur a Creatore. Gratia quippe et virtutes, ac dona Spiritus Sancti, virtuosique actus, sunt animæ ornamenta, et vestes ac arma, per quæ Deo placet, a peccatis se protegit, et hostibus suæ salutis resistit. Hinc in Apoca-
Ibid. III, 4. lypsi loquitur Christus : Qui non inquinaverunt vestimenta sua, ambulabunt mecum in albis, id est, qui per peccata mortalia præfatas virtutes non maculant nec expellunt, stolam gloriæ consequentur. Studeamus ergo animas nostras per sanctas cogitationes, virtuosas affectiones, verba salubria et opera bona ornare, cogitationes vanas ac frivolas, pravas affectiones, verba illicita vitiosaque opera devitantes.

Quintum est, quod ipsa est sponsa Dei. *Apoc.* XXI, 2.
O quanta est dignitas ista ! Nec sola Ecclesia, sed et quælibet anima virtuosa sponsa est Creatoris Salvatorisque sui. Christus etenim triplicem habet sponsam, videlicet : universalem, quæ est Ecclesia ; specialem, quæ est anima justi ; singularem, quæ est beatissima virgo Maria. Et sicut anima virtuosa sponsa est Dei, sic anima hominis vitiosi adultera exstat diaboli : qui miscetur cum ea per pravas suggestiones, et ipsa cum diabolo per consensum iniquum. Itaque Christum rogemus ut animæ nostræ semper sint sponsæ suæ, et brachiis caritatis spiritualiter amplectantur ab eo, ac lumine Spiritus Sancti fecundentur ab ipso, ut sint fructuosæ in bonis operibus.

Sextum est, quod ipsa est habitaculum *Ibid.* 3.
Dei habitantis in ea per gratiam copiosam, et quod Deus est specialiter Deus ipsius, videlicet populi veraciter christiani. Impii vero sunt a Deo extranei, suntque domus diaboli; qui in eorum cordibus demoratur. Ecce quanta est differentia inter hominem virtuosum ac vitiosum : et sicut nunc multum distant in merito, sic paulo post, multum distabunt in præmio, quoniam unus ponetur post vitam hanc brevem in regno cœlorum, alter in carcere inferorum.

Postremo in lectione hac edocemur, quanta erit in cœlis felicitas electorum : quia absterget Deus ab eis omnem lu- *Ibid.* 4.
ctum, et erunt penitus alieni ac liberi ab omni dolore, timore et pœnalitate ; imo Deum altissimum cum incomprehensibili jucunditate adspicient in æternum. Ad quam nos dignetur perducere Deus omnipotens, super omnia benedictus.

ENARRATIO IN EVANGELIUM

INGRESSUS JESUS, PERAMBULABAT JERICHO ; ET ECCE VIR NOMINE ZACHÆUS, ETC.
Luc. XIX, 1-10.

APTE evangelium præsens in Dedicatione ecclesiæ legitur, quia in eo historialiter describitur qualiter vir quidam Dominum nostrum Jesum Christum in domo sua cum ingenti devotione, ardenti affectu gaudioque cordiali suscepit ; et qualiter Christus Dominus ad virum illum et ad domum ejus valde dignanter divertit, et salutem fecit ibidem. Per quæ spiritualiter edocetur ac designatur, qualiter debeamus et nos Christum suscipere, et ad ejus susceptionem nos præparare in ipsa, cujus nunc dedicatio celebratur, ecclesia ; quomodo etiam hodie facta est salus domui huic, puta ecclesiæ, in sua consecratione, et plebi in ea congregatæ hodie specialis gratia datur, et indulgentia multa confertur, nisi per vitia sua obicem ponat, se ipsam reddendo indignam gratia Dei. Itaque Lucas ita ait :

Ingressus Jesus viam versus Jerusalem : nam ista res accidit circa festum Palmarum, Christi passione instante ; *perambulabat Jericho,* id est, per urbem sic dictam transivit, quia fuit in via sua. *Et ecce vir nomine Zachæus* inter alios aderat ibi : qui nominatim exprimitur, quoniam virtuosum et exemplare est quod de eo hic recitatur. *Et hic erat princeps publicanorum,* id est eorum qui publicis negotiis intendebant, videlicet exactionibus tributorum et teloniis, vectigalibusque levandis : quæ negotia animam involvere solent peccatis ; unde tales homines communiter erant magni peccatores. Idcirco per publicanos, quidam intelligunt publicos peccatores. *Et ipse dives* erat. Ista de eo narrantur, ut conversio ejus gratiosior mirabiliorque appareat, et ne peccatores desperent, nec divites contemnantur, sed hujus Zachæi sectentur exempla.

Et quærebat videre Jesum quis esset, id est, Jesum corporaliter intueri optavit, quia de ejus sanctitate, sapientia, eloquentia, miraculis, multa audivit : estque hominibus naturale, tales personas libenter adspicere, sicut et alia magna, rara et nova. Nam et Herodes multo tempore fuit cupiens videre Jesum, eo quod multa audisset de eo, et ipso viso gavisus est valde, ut alibi Lucas ait. *Et non poterat præturba* quæ ivit cum Christo, et ex omni parte longe ac late circumdedit eum, *quia statura pusillus erat,* id est corpore parvus ac brevis, sicut econtra Saul et alii quidam magni statura fuisse scribuntur. Ita et nunc a spirituali intuitu (id est contemplatione dilectioneque) Christi, multos impedit turba hominum mundanorum, et prava societas, multitudoque terrenarum curarum inutiliumque phantasmatum : idcirco pro posse vitanda sunt ista.

Luc. XXIII, 8.

I Reg. IX, 2.

Et præcurrens, ascendit in arborem sycomorum. Sycomorus est arbor in foliis moro consimilis, et in aliis ficui, sed stipite distans et altior : per quam significatur crux Christi, propter mori rubiginem et ficus dulcedinem. Si itaque Christum spiritualiter cernere cupimus, ascendamus crucem ipsius, id est, quid ipse pro nobis sustinuit perpendamus, sicque ipsius sequamur vestigia. *Ut videret illum.* Beati enim oculi qui Christum fideliter adspexerunt. *Quia inde,* id est per viam illam, *erat transiturus* Dominus Jesus. In hoc patet vehemens fervor Zachæi ad Christi adspectum, et quod non erubuit in arborem scandere, quum esset princeps tam opulentus.

Luc. X, 23.

Et quum venisset ad locum illum, *suspiciens,* id est, sursum ad arborem illam adspiciens, *Jesus vidit illum,* corporali intuitu, magis autem interno pietatis adspectu, quo et mentem Zachæi misericorditer prævenit, tetigit, emollivit, illuminavit, accendit. Et quidquid Zachæus foras fecit, Christus intra se vidit : ideo non fortuitu suspexit ad arborem, sed quia scivit quis propter quid esset in ea. *Et dixit ad illum : Zachæe.* Forsan Christus corporaliter ante non vidit Zachæum, nec nominari audivit; et tamen cognovit et nominatim expressit eum, quia in luce sapientiæ suæ omnia novit. *Festinans descende :* quoniam opera bona celeri et ardenti affectu sunt peragenda ; *quia hodie in domo tua oportet me manere,* id est, devotione tua hoc meruisti, ut die hoc in materiali domo tua permaneam per corporalem præsentiam, atque in spirituali domo tua (id est mente tua) permaneam per gratiosam inhabitationem. In hoc apparuit ineffabilis pietas Salvatoris, quod nondum invitatus, se ipsum invitavit et obtulit ad manendum in domo Zachæi. Vidit enim affectum ipsius, et plus ei exhibuit quam ipse optavit. Zachæus quippe non optavit nisi videre, Christus autem obtulit se ad intrandum domum ipsius, atque ad manendum et manducandum cum ipso. Siquidem Christus abundantia pietatis suæ merita supplicum excedit et vota ; et quanto ardentius petitur, tanto se ipsum suaque dona copiosius impertitur, quoniam fervor amoris apertam et patulam facit mentem amantis ad susceptionem amati.

Et ille *festinans descendit,* tanquam perfecte obediens. Teste quippe Bernardo, Verus obediens nescit moras, nec mandatum procrastinat. Et istud Deo gratissimum est, quia nil ei acceptabilius offerre valemus, quam propriam voluntatem. *Et excepit illum* in domo sua *gaudens,* et gratias agens quod talis ac tantus ad se peccatorem divertere dignaretur. *Et quum viderent homines* * imperfecti et rudes, quod Jesus domum intrasset Zachæi, *murmurabant, dicentes quod ad hominem peccatorem divertisset :* quasi dicant, Hoc indecens fuit. Isti murmuratores fuerunt Pharisæi, et alii quidam in propriis oculis justi, sed multipliciter indiscreti ac fatui : Primo, temerarie judicando tam de Christo quam de Zachæo. Nam Christus animarum medicus peccatores debuit accedere, non vitare, quatenus eos converteret. Zachæus quoque jam per veram pœnitentiam fuit justificatus, et per suam devotionem meruit visitari a Christo. Potissime autem præsumptuosum est, facta sapientiorum et meliorum ac superiorum faciliter dijudicare.

Stans autem Zachæus, ut cum debita reverentia loqueretur ad Christum, et bonum propositum suum publice protestando, ostenderet quod Christus non indecenter divertisset ad ipsum, et per hoc murmurantium verba reprimeret, *dixit ad Dominum* Jesum, qui in quantum Deus verus, est omnium Dominus summus : *Act.* x, 36. *Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus,* propter Deum, ut et mihi mea dimittantur peccata, et gratiam consequar ampliorem : quoniam teste Scriptura, Sicut aqua exstinguit ignem, *Eccli.* III, ita eleemosyna exstinguit peccatum. In his 33. verbis patet mira et magna Zachæi conversio, de qua dici potest : Hæc mutatio *Ps.* LXXVI, dexteræ Excelsi, id est piæ virtutis sublimis Dei. Nempe qui paulo ante tam avarus fuit in acquirendo ac retinendo terrena, subito factus est tam promptus et liberalis in dando. Non enim dixit, Dabo, sed, Do, tanquam nunc paratus ad hoc.

Et si quid aliquem defraudavi, id est, per fraudem seu alio modo contra justitiam alicui quid subtraxi, *reddo quadruplum,* paratus plus reddere, si tu jubes. Non dixit, Reddam, vel, Restitui faciam : quia, secundum Augustinum, tenetur homo statim restituere bona injusta, si potest ; et semper judicandus est in mora, quousque restituatur res quæ reddi debet et potest, nec redditur ; nec ante talem restitutionem agitur pœnitentia vera, sed simu-

* *omnes*

latur ; nec dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum. Verum sunt quidam qui quamdiu vivunt aut quamdiu vivere posse confidunt, restituere differunt ; letaliter vero infirmantes aut senectute confecti, de restitutione disponunt : quorum vita et mors periculosissima exstat. Imo tales damnum quod creditor ex dilatione illa invite incurrit, ei tenentur refundere secundum judicium bonorum ac discretorum virorum. Denique lex Moysis in aliquibus jussit reddi duplum, in aliquibus quadruplum, in aliis quintuplum : et Salomon quoque ait de fure, Deprehensus reddet septuplum. Hinc Zachæus videtur loqui de restitutione per erogationem, ita quod scivit se talem defraudationem non commisisse in qua plus quam duplum reddi jubetur ; vel per unam hanc mediam quam expressit, aliæ subintelliguntur extremæ. Sed et pœna furti, secundum temporum varietatem et causæ exigentiam, potuit apud Judæos esse diversa.

Exod. XXII, 1, 4, 7, 9.

Prov. VI, 31.

Ait autem Jesus ad eum : Quia hodie salus domui huic facta est : id est, in hoc die gratia conversionis et meritum veræ salutis, desuper data sunt patrifamilias hujus domus, et ejus domesticis, qui illius pœnituerunt exemplo, *eo quod et ipse* Zachæus *filius sit Abrahæ* per fidei ac virtutum imitationem. An vero carnali propagatione filius fuerit Abrahæ, diversæ sunt opiniones, prout plenius scripsi super Lucam : de quo modo pertranseo. *Venit enim Filius hominis quærere,* per diversa loca eundo ac prædicando, *et salvum facere,* id est ad gratiam et salutem reducere, *quod perierat,* id est genus humanum, quod in primo parente fuit originaliter vitiatum, et per originale peccatum gratia gloriaque privatum, multis quoque et gravibus posterorum peccatis personalibus et actualibus infectum et perditum. Propter quod ait Apostolus : Eramus natura filii iræ ; itemque, Venit Jesus in hunc mundum peccatores salvos facere. De quo in Isaia scriptum est : Deus posuit in eo iniquitatem omnium nostrum.

Cf. t. XII, p. 159 B et s.

Ephes. II, 3.

I *Tim.* I, 15.

Is. LIII, 6.

SERMO SECUNDUS

DE SANCTIFICATIONE CUSTODIAQUE TEMPLI CORPORIS NOSTRI, UT ILLUD GRATIA SUA SUAVISSIMA POSSIDEAT SPIRITUS SANCTUS.

SANCTIFICAVI mihi domum hanc, et erunt oculi mei et cor meum ibi cunctis diebus. III Reg. IX, 3.

Ista ad litteram sunt verba Dei ad Salomonem, de templo a Salomone ædificato ; sed ut ait Apostolus : Omnia in figura contingebant eis qui erant in veteri Testamento. Si ergo sanctificavit sibi templum illud a Salomone constructum, in quo templo non fuerunt nisi ea quæ erant figura eorum quæ sunt in Ecclesia, videlicet arca Dei, aurea urna habens manna, tabulæ Testamenti, et alia quædam : quanto magis est credendum quod sanctificavit sibi ecclesiam quamcumque Christianorum, sibi legitime dedicatam seu consecratam, in qua ipsemet Christus Deus et homo in Sacramento veraciter continetur, consecratur, offertur, sumitur, reservatur ? Magna ergo est dignitas etiam materialis ecclesiæ, quam sibi tam sublimiter Deus sanctificavit, ut tam divini et admirabiles ac saluberrimi actus fiant in ea : in qua et Deus oratur, laudatur, prædicatur, ac variis modis honoratur et colitur. Verum quum secundo libro Machabæorum dicatur, Non propter locum gentem, sed propter gentem Dominus locum elegit ; sanctificatio ista ecclesiæ materialis ordinatur ad sanctificationem ecclesiæ spiri-

I *Cor.* X, 11.

Hebr. IX, 4.

II *Mach.* V, 19.

tualis, quæ est congregatio ipsa fidelium : A
I *Cor.* III, 17. de qua ait Apostolus, Templum Dei sanctum est, quod estis vos.

Præterea, sicut materialis ecclesia intus et extra et in diversis partibus suis consecratur, sic spirituale templum præfatum et quilibet Christianus debet intus et extra et in diversis membris ac viribus suis sanctificari. Primo itaque sanctificandus est homo quantum ad exteriores suos sensus, ne per eos incurrat peccatum : et primo omnium, quantum ad visum, quem nisi homo diligenter custodiat ac refrenet, B magna et multa per ipsum illabitur vitia. Propter quod in Ecclesiastico scriptum
Eccli. XXXI, 15. est : Oculo quid nequius creatum est? Nam per irrefrenatum et incautum visum incidit homo innumerabilia vitia, scilicet : concupiscentias carnis, et peccata ex concupiscentiis procedentia (quæ numerare quis poterit?); desideria quoque injusta, quibus aliorum quis appetit bona, et scelera ex tali orientia appetitu, quæ sunt furta, rapinæ, fraudes, mendacia, perjuria; item vanæ complacentiæ in vanitatibus oculorum, sci- C licet in choreis, spectaculis, hastiludiis; risus etiam, et variæ dissolutiones distractionesque cordis. Ecce tot et tanta incidit homo peccata per incustodiam sui visus.
II *Reg.* XI, 2 et seq. Unde et David rex, incaute inspiciendo Uriæ uxorem, in adulterium et homicidium lapsus est. Qui ergo vult Deo placere, peccata vitare, salutem acquirere, sanctificet suum visum, ne hauriat vanitates; non illum defigat in feminas, nec vana et illicita libenter adspiciat, et præsertim in divino Officio visum refrenet. Hinc orat D
Ps. CXVIII, 37. Propheta : Averte, Domine, oculos meos, ne videant vanitatem. Et in Ecclesiastico ha-
Eccli. IX, 5, 7, 8. betur : Virginem ne conspicias, ne scandalizeris in decore ejus; noli circumspicere in vicis civitatis; averte oculos tuos a muliere compta. Sed hæc observare modicum curant multi, de quibus Salomon protesta-
Eccle. II, 14; *Prov.* XVII, 24. tur : Oculi sapientis in capite ejus, oculi vero stultorum in finibus terræ. Oculi quippe sapientis dicuntur esse in capite ejus, quia per rationem visum suum gubernat; oculi autem stultorum in finibus terræ, quoniam undique discurrunt et evagantur.

Insuper sanctificandæ sunt aures : Primo, ne audiant verba detractoria, scurrilia, mendosa seu modis aliis vitiosa, nec carmina amorosa, vana et fatua, neque in musicis inaniter delectentur. Hinc Ecclesiasticus docet : Sepi aures tuas spinis, et *Eccli.* XXVIII, 28. noli audire linguam nequam, et seras fac auribus tuis. Etenim qui male loquenti aut detrahenti dat audientiam seu arridet, et se illum libenter audire ostendit, communicat ei in culpa : imo increpandus est loquens inique; et si quis aures suas nequit avertere, nec illum audet corripere, mente dissentiat, et per vultus sui mœrorem pandat se verba prava invite audire, quia ut in Ecclesiaste legitur : Per *Eccle.* VII, 4. tristitiam vultus corripitur animus delinquentis. Secundo sanctificare debet quilibet aures suas, applicando eas ad audiendum diligenter verbum Dei, sermones salubres, fraternas et paternas correptiones, laudem Dei, divinum Officium, quum dicat Salvator : Beati qui audiunt verbum *Luc.* XI, 28. Dei et custodiunt illud. Et Sapiens loquitur : Qui declinat aurem suam ne audiat *Prov.* XXVIII, 9. legem, oratio ejus erit exsecrabilis. Ideo Salomon exhortatur : Audi, fili mi, disci- *Ibid.* I, 8. plinam patris tui. Et in Ecclesiastico scriptum est : Auris bona cum omni concupi- *Eccli.* III, 31. scentia audiet sapientiam. Sed heu! hujus oppositum faciunt multi, qui prædicationes audire non curant, et si audire incipiunt, ante finem recedunt. Hi audiendo verba salubria mox fatigantur, sed audiendo verba levia, inutilia et jocosa vix satiantur. Quibus timendum est valde quod asserit Filius Dei : Qui ex Deo est, verba *Joann.* VIII, 47. Dei audit; propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.

Consequenter quilibet sanctificare debet proprium tactum, a libidinosis attactibus palpationibusque cavendo, potissime dum inde sentit in se inordinatum consurgere motum. In osculis namque et tactibus atque amplexibus libidinosis consistit mortale peccatum. Hinc et vestimentorum ac

lectorum mollities est vitanda, et per asperas vestes, ut per cilicium, castigandum est corpus. Unde ait Salvator : Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt. — Conformiter gustum nostrum sanctificare debemus, ut in cibis et potibus non voluptatem sensualem, sed naturæ necessitatem quæramus. Contra quod agunt gulosi et homines delicati, qui exquisita quærunt alimenta ac pocula : ideo formidandum quod de numero servorum Christi non sint, quum dicat Apostolus, Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifigunt cum vitiis et concupiscentiis. Isti autem carnem suam non crucifigunt, ejus concupiscentias refrenando, sed laute enutriunt. — Denique et olfactum nostrum sanctificare debemus, a voluptate odorum immoderata eum frenando.

Matth. xi, 8.

Galat. v, 24.

Exteriora quoque membra nostra sanctificare debemus, a pravis operibus ea penitus compescendo atque opera virtuosa per ea agendo. Non ergo chorizando saltare debent Christiani quasi cameli, nec composito gradu incedere, neque per manus suas taxillare aut alios ludos illicitos exercere, præsertim in festis hora qua ad divina Officia habent transire et illa audire. Hinc ait Apostolus : Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus ; neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato, sed arma justitiæ Deo. — Insuper interiores sensus nostros sanctificare debemus, ab inutilibus phantasiis, a stultis imaginationibus, a turpibus phantasmatibus præcavendo ; utilia quoque et salubria imaginando ac memorando : sicut de mortis horrore, de judicii extremi rigore, de pœnis inferni passioneque Christi. Similiter et appetitum sensitivum tam concupiscibilem quam irascibilem sanctificare debemus, ut de sensibilibus rebus nil desideremus ac formidemus, nisi secundum rectæ rationis dictamen, omnesque affectiones seu passiones appetitus sensitivi habeamus rationi subjectas.

Rom. vi, 12, 13.

Denique intellectum nostrum sanctificare debemus ab omni errore et falsitate christianæ fidei et determinationi Ecclesiæ seu sacris Scripturis contrariis ; ea quoque quæ fidei sunt firmissime continendo, et ea in primis discendo, sciendo ac cogitando, quæ Deus requirit a nobis et necessaria sunt ad salutem. Item per dona sapientiæ et intellectus, consilii atque scientiæ, et per prudentiam ac sacræ Scripturæ notitiam, per contemplationes divinorum, per meditationes cœlestium, sanctificare debemus nostrum intellectum seu rationem. — Voluntatem quoque sanctificare debemus, ab omni cavendo malitia, ab omni inordinato amore, a consensu iniquo ; caritatem vero et spem ceterasque virtutes et dona ad voluntatem spectantia semper habendo, atque in Dei amore fervendo, ad æternam beatitudinem adspirando, zelo justitiæ æstuando, proximos spiritualiter ac fervide diligendo.

Qui ita se ipsum sanctificat, consecrat seu dedicat Creatori, vere est pulchrum templum Spiritus Sancti, habitaculum Dei, thronus Altissimi. Et istud ad quemlibet pertinet Christianum. Quemadmodum enim totum quod habemus et sumus, a Deo accepimus, sic totum ad ejus honorem, cultum, amorem, obsequium debemus convertere. Legitur secundo libro Machabæorum, quod quum Heliodorus dux missus a rege Asiæ, intrasset templum Jerusalem ut illud spoliaret, et sacerdotes Dominum invocarent ut templum custodiret inviolatum, statim apparuit ibi equus terribilem habens sessorem, qui Heliodorum calce equi elisit. Apparuerunt etiam ibi duo juvenes speciosissimi, qui Heliodorum ex utraque parte durissime flagellabant ac vulnerabant, ita quod quasi mortuus efferebatur de templo. Tunc sacerdotes gratias Deo agebant, qui locum suum servavit inviolatum. Nec dubium quin ille equester et duo juvenes illi fuerint angeli Dei. Ex quo patet, quanta sit dignitas sacri loci, et quam enorme peccatum sit violare aut inhonorare ecclesiam, quæ semper est honoranda.

II *Mach.* III, 7 et seq.

SERMO TERTIUS

DE UTRAQUE ECCLESIA, MATERIALI VIDELICET ET SPIRITUALI, ET QUAM SINT DÆMONIBUS TERRIBILES PIISQUE AMABILES ; ET DE INTELLECTU VISIONIS SANCTI JACOB.

TERRIBILIS est locus iste; non est hic aliud nisi domus Dei, et porta cœli. Gen. XXVIII, 17.

Hæc ad litteram sunt verba beatissimi Jacob patriarchæ, qui quum de voluntate sanctorum parentum suorum proficisceretur a terra Chanaan (quæ vocatur terra promissionis) ad Laban avunculum suum in Mesopotamia commorantem, venit ad quemdam locum, qui secundum doctores Hebræorum ac Christianorum, fuit mons Moria, in quo postmodum a Salomone ædificatum est templum Dei, prout secundo Paralipomenon legitur; in quo etiam monte Abraham offerre voluit Isaac filium suum : propter quod Jacob reputavit illum locum sanctum, atque ob id divertit ad eum, ut ibi de nocte orationi insisteret. Quumque post orationem obdormivisset, vidit in somnis scalam stantem super terram, cujus cacumen tangebat cœlum ; angelos quoque Dei ascendentes et descendentes per eam, et Dominum innixum scalæ, dicentem sibi : Ego sum Deus Abrahæ patris tui, et ero custos tuus quocumque perrexeris. Quumque evigilasset Jacob de somno, ait : Vere Dominus est in loco isto. Quibus verbis adjecit quod in themate dictum est, utpote : « Terribilis est locus iste », etc.

Gen. XXVIII, 1 et seq.

II *Par.* III, 1.

Gen. XXII, 2.

Circa horum intellectum verborum sciendum, quod visio illa sancti Jacob fuit visio imaginaria, in somno per angelum ei exhibita seu ostensa, sicut communiter propheticæ visiones fuerunt, prout divinus Dionysius protestatur. Idcirco putandum non est, quod scala illa fuit realis aut materialis, sed similitudines rerum istarum formatæ fuerunt in interiori sensu beati Jacob. — Denique per scalam illam intelligi potest gradus et ordo virtutum, quibus a terra in cœlum ascendunt fideles; et etiam gradus et ordo generationum per quas Christus secundum carnalem originem descendit ab Abraham, prout Matthæus describit evangelista, imo ab Adam, prout Lucas evangelista testatur, usque ad Virginem gloriosam quæ genuit eum. Per hoc autem quod inferior pars scalæ tetigit terram, et vertex ipsius cœlum, significatur quod volens in via virtutum proficere, debet ab inferiori et imperfecto incipere, et paulatim ascendere, quia ut ait Apostolus : Non prius quod spirituale, sed quod animale. Per idem quoque designatur, quod Filius Dei, Dominus noster Jesus Christus, mediator Dei et hominum, secundum formam servi, id est secundum suam humanitatem, communicat cum hominibus, tanquam vere similis eis in natura specifica, et ex eis sumpsit humanæ generationis originem ; secundum deitatem vero æqualis est Deo Patri, secundum quod ait Apostolus : Qui quum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens.

Matth. I, 1 et seq.

Luc. III, 23 et seq.

I *Cor.* XV, 46.

I *Tim.* II, 5.

Philipp. II, 6, 7.

De Cœlest. hier. c. IV.

Porro per hoc quod Jacob vidit angelos per scalam ascendentes et descendentes, figurabatur, quod omnes (sicut Apostolus loquitur) sunt administratorii spiritus, in ministerium missi a Deo propter electos, et quod ipsi sancti angeli ab hominibus ascendunt ad Deum, ut orationes et vota ac merita eorum offerant Domino et orent pro sibi commissis, atque eisdem repor-

Hebr. I, 14.

tent charismata gratiarum a Deo : sicque a Deo missi descendunt ad homines, ut eos custodiant, adjuvent ac defendant. Un-
Tob. XII, 12. de angelus Raphael ait Tobiæ : Quando orabas cum lacrimis, et sepeliebas mortuos, ego obtuli orationem tuam Domino. Rursus per ascensum illum descensumque angelorum signatum est, quod angelorum ministerio revelata est incarnatio Filii Dei Patriarchis atque Prophetis.

Insuper, per hoc quod vidit Jacob Deum innixum scalæ loquentemque sibi, datur intelligi, quod Deus omnipotens habeat providentiam actuum humanorum, et facta hominum intueatur atque remuneret,
Jer. XXXII, 18, 19. juxta illud Jeremiæ : Fortissime Deus, cujus oculi aperti sunt super omnes filios Adam, ut reddas unicuique juxta vias suas.
Dan. X, 1. Et quoniam Danieli Gabriel angelus ait, Intelligentia est opus in visione, id est principale in cœlesti revelatione et ostensione ; credendum est quod Jacob in visione præfata, angelo revelante, intellexit hæc omnia. Idcirco, quum evigilasset a somno, dixit : Vere Dominus est in loco isto. Deus enim incircumscriptibilis et immensus, dicitur specialiter esse ubi specialiter operatur. Et quia in omnibus operatur, quoniam omnia conservat in esse et omnium prima principalisque causa est ; idcirco in omnibus rebus generaliter est per essentiam, præsentiam et potentiam. In loco autem quo Jacob hæc vidit, Deus specialiter operabatur, ostendendo ei hanc visionem alloquendoque eum : ideo specialiter fuit ibi. Idcirco etiam dixit Jacob, Vere Dominus est in loco isto : quoniam Deo revelante cognovit, quod illo in loco ædificandum fuit templum Dei, ut dictum est ; quod item promissiones Dei factæ sanctis Patriarchis et Prophetis de Christo, essent ibidem circiterque complendæ. Propterea dixit : « Terribilis est locus iste ; non est hic aliud nisi domus Dei ». Fuit ergo locus ille terribilis, id est venerabilis, ut quidam exponunt : est enim quidam timor reverentialis. Fuit quoque terribilis invisibilibus hostibus humanæ salutis, puta dæmonibus, propter divina mysteria ibi ostensa, et sancta opera ibi fienda et facta. Fuit « et porta cœli », quia per talia homines cœlum ingredi promerentur. — Hæc itaque est litteralis expositio horum verborum : nunc de spirituali eorum intelligentia aliquid est tangendum.

Est autem duplex ecclesia in hoc mundo, videlicet : materialis, ex lignis lapidibusque constructa, et Deo per manus episcopi consecrata. Alia est ecclesia, spiritualis, ex fidelibus personis collecta, juxta illud Apostoli : In Christo Jesu omnis ædificatio *Ephes.* II, 21, 22. constructa crescit in templum sanctum in Domino, in quo et vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu Sancto. Unde et sacratissimus princeps Apostolorum in prima sua Canonica : Ad Christum (inquit) I *Petr.* II, 4, 5. accedentes lapidem vivum, et ipsi tanquam lapides vivi, superædificamini domos spirituales.

Itaque verba hæc de hac utraque possunt exponi ecclesia. Materialis quippe ecclesia dæmonibus est terribilis. Primo, ratione consecrationis, per quam diabolus ab ea expellitur, et potestas ipsius in ea debilitatur. Unde refert in libro Dialogorum Gregorius, quod dum quædam Arianorum ecclesia reddita esset Christianis catholicis, atque ad Dei honorem legitime consecraretur, fideles in ecclesia exsistentes senserunt sub pedibus suis quasi porcum fœtidum discurrentem, qui tandem excurrens, de cetero nusquam comparuit : per quod figurabatur, quod diabolus ab illo loco, in quo ante inter hæreticos mansit, expellebatur. Secundo, ratione vexilli Christi, quod est crux sancta, cujus præsentiam timet diabolus tanquam ensem et baculum quo cæsus et victus est. Campanæ quoque sunt quasi tubæ Regis æterni, quarum sonum timet diabolus. Hinc in Legenda S. Christophori recitatur, quod diabolus cum ipso nondum converso pergens, divertit a via, quum signum crucis vidisset in ea. Tertio et maxime, propter veram præsentiam Christi in Sacramento altaris, quod in ecclesia conficitur, immo-

latur et reservatur. Quarto, propter divina mysteria et sancta Officia ac opera virtuosa quæ in ecclesia peraguntur, quibus et sancti angeli copiosissime ac frequentissime adsunt. Denique ecclesia materialis non est nisi domus Dei : propterea non nisi divina sunt exercenda in ea. Idcirco Christus ejecit de templo ementes et vendentes in eo, dixitque : Nolite domum Patris mei facere domum negotiationis. Et rursus : Domus (inquit) mea, domus orationis vocabitur ; vos autem fecistis illam speluncam latronum. Sic et homines vitiosi, qui in ecclesia hinc inde lascive adspiciunt, libidinose desiderant, impie et lubrice confabulantur : quid aliud de ecclesia Dei nisi speluncam latronum efficiunt ? Nam ipsi latrones sunt, qui et proprias et aliorum spiritualiter interficiunt animas. Hæc quoque ecclesia bene vocatur porta cœli, quia qui eam devote ingreditur, cœlestem beatitudinem intrare meretur, et ea quæ in ecclesia fiunt, ad cœlestem gloriam homines introducunt.

Joann. II, 16.

Matth. XXI, 13.

Præterea verba hæc de spirituali Ecclesia, quæ est congregatio fidelium, congruentius exponuntur. Ipsi namque fideles diversis virtutibus decorati, ecclesiasticis sacramentis muniti, angelorum custodia circumvallati, terribiles sunt malignis spiritibus, et superant ipsos atque expellunt. Amplius, ipsa Ecclesia est exercitus Dei contra malignos spiritus pugnans : qui se mutuo per caritatem et orationes ac participationem bonorum operum juvans, invisibilibus hostibus est valde terribilis. Propter quod de Ecclesia in Canticis dicitur : Terribilis est ut castrorum acies ordinata. Imo quilibet homo perfectus, est dæmonibus formidandus. Unde de beatissimo Martino episcopo legitur, quod dum posuit pedem suum ad exeundum claustrum versus ecclesiam, obsessi qui in ecclesia servabantur, cœperunt tremere et horribiles gestus ostendere : quod dæmones, adventum S. Martini sentientes, fecerunt timore ipsius. Similiter dum quidam obsessus ad civitatem S. Ambrosii duceretur, mox ut ad portam urbis devenit, dæmon ab ipso exivit. Quumque homo ille civitatem illam egrederetur, statim diabolus reintravit in eum. Adjuratus seu interrogatus diabolus cur ita egisset, respondit : Timore Ambrosii exii circa portam. Denique Ecclesia ista spiritualis non est nisi domus Dei, loquendo de congregatione fidelium in caritate et gratia exsistentium, in quibus per dona supernæ gratiæ habitat Deus. De qua in prima ad Timotheum legitur : Scias quomodo te oporteat in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis. Unde et alibi ait Apostolus : Christus dilexit Ecclesiam, et tradidit semetipsum pro ea. Christianorum vero in mortalibus peccatis exsistentium congregatio, est ecclesia malignantium, habitaculum dæmoniorum, civitas Babylonis, urbs perditionis. Tales tamen poterunt pœnitere. Postremo, Ecclesia ista est porta cœli, quoniam filios suos in regnum perducit cœleste, et per eam quasi per portam intratur ad veram salutem. Non enim quispiam potest salvari, nisi in Ecclesia perseveret, per fidem et caritatem in ea manendo.

Cant. VI, 3, 9.

I Tim. III, 15.

Ephes. V, 25.

Studeamus itaque dæmonibus terribiles fieri, eorum tentationibus efficaciter resistendo, propriis concupiscentiis ac vitiis dominando, in profunda humilitate, forti patientia, constanti justitia, caritate ardenti ceterisque permanendo ac proficiendo virtutibus : et præsertim hunc sacrum diem in speciali expendamus devotione, lites, loquacitates, gulas, choreas ac ceteras vanitates vitando sollicite, ut et indulgentiarum quæ nunc in ecclesia ista sunt, participes simus.

SERMO QUARTUS

DE ARDENTI AFFECTU VIDENDI JESUM ; ET DE QUATUOR QUIBUS ZACHÆO SIMILES EFFICI DEBEMUS.

HODIE *salus domui huic facta est.* Luc. XIX, 9.

Deus omnipotens atque piissimus, qui nullo clauditur aut circumscribitur loco, quum sit vere immensus, non solum inter Sanctos eo in cœlis beatifice perfruentes, sed etiam inter homines fideles ac virtuosos in terris habitare dignatur. Unde in Apocalypsi ait beatus evangelista Joan-
Apoc. XXI, 3. nes : Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum illis. O quam beati sunt in quorum cordibus per caritatem et gratiam habitat Deus, dummodo usque in finem perseverent in bonis, implendo quod
Ephes. IV, 27. ait Apostolus, Nolite locum dare diabolo ! Diabolo etenim locum dat homo in corde suo, dum pravis cogitationibus præbet assensum, dum concupiscentiis acquiescit, dum tentationi succumbit. Hinc Jacobus
Jacob. IV, 7. nos hortatur apostolus : Resistite diabolo, et fugiet a vobis. Quid autem est diabolo resistere, nisi cogitationibus affectionibusque iniquis non consentire, tentationibus reluctari, Deum habere præ oculis, atque operibus insistere virtuosis ? Ad quod fa-
Prov. IV, 23. ciendum hortatur nos Salomon, Omni (inquiens) custodia custodi cor tuum ; et
Deut. IV, 9. beatissimus Moyses, dicens, Custodi temetipsum et animam tuam sollicite.

Præterea, non solum habitat Deus in Sanctis ac virtuosis hominibus, sed etiam in materiali ecclesia dicitur habitare, in qua Dominus noster Jesus Christus Deo Patri quotidie immolatur, atque in Sacramento verissime continetur ; in qua etiam Deus Trinitas preces, oblationes ac vota fidelium specialiter ac clementer exaudit, suscipit et attendit. Hinc materialis ecclesia Deo altissimo dedicatur seu consecratur : quia ad hoc deputatur ac benedicitur ut in ea Deus colatur, et divinum in ea exerceatur Officium, sicque Deus in ea specialiter adsit ac operetur, orantes et eum laudantes eique sacrificantes exaudiendo ac benedicendo. Hinc in anniversario die dedicationis seu consecrationis ecclesiæ, etiam de ipsa materiali ecclesia aliquo modo verificatur thema assumptum, in hodierno evangelio scriptum, videlicet, « Hodie salus domui huic facta est » : quod de spirituali Ecclesia, id est fidelium congregatione, seu ipsis fidelibus in materiali ecclesia congregatis, magis verificatur, quibus in die dedicationis ipsius ecclesiæ specialiter salus fit, quia tunc specialem indulgentiam consequuntur et gratiam, nisi ex parte eorum defectus sit, hoc est, nisi in mortali exsistant peccato.

Denique, ut ista plenius intelligantur, primo advertenda est historia evangelicæ lectionis festivitatis præsentis. Narrat itaque S. Lucas evangelista, quemadmodum Christus tempore suæ passionis instante, perambulabat Jericho, id est, per civitatem sic dictam perrexit versus Jerusalem. Quumque multi occurrerent ei, desiderantes eum videre atque audire propter sanctitatem, sapientiam ac miracula ejus, inter ceteros venit vir nomine Zachæus, princeps publicanorum, id est eorum qui exactionibus tributorum et teloniis, vectigalibusque levandis intenti fuerunt : quod officium raro et difficulter fit absque peccato. Ideo publicani communiter peccatores fuerunt et a Judæis contempti. Fuit quoque Zachæus hic dives : quod idcirco exprimit Evangelista, ut exemplo Zachæi divites convertantur, despiciendo carnalia
Luc. XIX, 1 et seq.

et terrena, et Deum ac spiritualia atque cœlestia bona super omnia diligendo ; itemque, ad ostendendum quod Christus etiam quosdam divites gratiose vocavit, et quod Deus non spernit ipsas divitias, sed divitiarum immoderatum amorem, abusum, avaram retentionem, superfluam consumptionem. Iste Zachæus ardentissime quærebat Jesum videre, quia de ejus sanctitate, sapientia, eloquentia, venustissimis moribus, præclarissimis innumerisque miraculis multa audivit. Est autem naturale hominibus, tales viros libenter adspicere et audire. Nam tertio Regum III *Reg.* x, 1 et seq. scriptum est, quod regina Saba venit a finibus terræ usque Jerusalem ut audiret II *Par.* ix, 23. sapientiam Salomonis. Omnes quoque reges undique cupiebant Salomonem videre, propter sapientiam ejus.

Et non poterat Zachæus ad Christi adspectum corporalem venire, præ turba eum impediente, quia statura pusillus erat, id est corpore brevis. Conformiter, a spirituali intuitu seu contemplatione dilectioneque Jesu Christi plurimos impedit turba, id est multitudo turbata, utpote : prava societas, multitudo hominum incompositorum Deum non formidantium, sæculariumque curarum. Imo vanitates mundanæ, comessationes et potationes superfluæ, loquacitates et animæ dissolutiones, a puritate atque custodia mentis in Deo, ab omni quoque virtutum profectu impediunt hominem. Quicumque igitur Deo cupit placere, in gratia permanere, in virtutibus crescere, ab inquieta hominum multitudine, ab intimorata societate se abstrahat, et locum frequenter intret secretum, ut in eo vacet Domino Deo in orationibus meditationibusque devotis.

Et præcurrens Zachæus, ascendit in arborem sycomorum ut videret Jesum, quia juxta arborem illam fuit iturus. Ita qui spiritualiter cupit Deo uniri et eum sinceriter contemplari, debet præcurrere alios, id est præ ceteris se humiliare, atque in omni mansuetudine, patientia, castitate proficere, potissime vero in vera et spirituali Dei ac proximorum caritate fervere ; in arborem quoque sycomorum ascendere, id est crucem Christi considerare, ejusque passionem recolere et sectari, adversitates, persecutiones, injurias æquanimiter sustinendo : quemadmodum jubet Salvator, Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos. Nam et Dominus noster Jesus Christus in cruce pendens, oravit pro crucifixoribus suis, a quibus tam ignominiosissimam ac amarissimam sustinuit mortem. Quum itaque non sit servus major domino suo, indignus est christianus vocari aut Christi servus censeri, qui non curat Christi vestigia sequi per patientiam in adversis atque per cetera opera caritatis ac pietatis. *Matth.* v, 44, 45. *Luc.* xxiii, 34. *Joann.* xiii, 16.

Et suspiciens, id est oculos elevans, Jesus, vidit Zachæum in arbore. Quanto enim quis ferventius quærit Deum, tanto gratiosius ac specialius ab eo adspicitur. Propter quod David rex loquitur : Prope est Dominus omnibus invocantibus eum, omnibus qui invocant eum in veritate, id est sincera intentione et debita seriositate. Dixitque Jesus : Zachæe, festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere. Magnitudo enim devotionis et fervor dilectionis Zachæi ad Christum, quasi coegit Christum ad ingrediendum domum Zachæi. Præterea est pensandum, quod Christus dixit, Zachæe, festinans descende : quoniam unusquisque debet Deum fervide quærere, omnem pigritiam negligentiamque abjicere, virtuosis quoque operibus prompto ac alacri corde insistere. *Ps.* cxliv, 18.

Et festinans Zachæus descendit, et suscepit Jesum in domo sua cum gaudio. Quumque vidissent Judæi quod Jesus domum intrasset Zachæi, murmurabant, dicendo quod Jesus indecenter egisset, divertendo et ingrediendo ad hominem peccatorem. Stans vero Zachæus coram omnibus, dixit ad Christum : Ecce dimi-

dium bonorum meorum, Domine, do pauperibus, et si in aliquo quempiam defraudavi, id est, alicui nocumentum damnumve intuli, reddo quadruplum. Tunc Christus respondit : Hodie salus domui huic facta est, id est, habitantibus in hac domo, puta Zachæo et ejus domesticis simul cum eo pœnitentibus, remissio facta est peccatorum, et gratia Dei infusa est; eo quod ipse Zachæus filius sit Abrahæ, quia virtutes et opera pietatis Abrahæ patriarchæ jam sequi incepit. Venit enim Filius hominis, scilicet Christus, quærere et salvum facere quod perierat, id est, peccatores ad pœnitentiam et salutem reducere. — Ecce ista est historia evangelicæ lectionis solennitatis præsentis.

Et recte evangelium istud in Dedicatione ecclesiæ legitur, quoniam sicut domui Zachæi salus facta est per ingressum Christi in eam, ita templo materiali quodammodo salus facta est in die suæ dedicationis. Imo ipsis christianis fidelibus hoc die in materialem ecclesiam convenientibus, specialis gratia a Deo præstatur : nam specialis indulgentia eis hoc die confertur, dummodo per mortale peccatum non ponant obicem sive obstaculum gratiæ Dei. Insuper materiali ecclesiæ die hoc salus facta asseritur, quoniam ratione suæ consecrationis saluti fidelium cooperatur. Unde quemadmodum per adspersionem aquæ benedictæ venialia dimittuntur peccata, ita et per ingressum materialis ecclesiæ, ut S. Thomas aliique doctores testantur. Hoc tamen sciendum, quod nulli in mortali culpa exsistenti venialia dimittuntur : idcirco nec indulgentiæ, nec ingressus ecclesiæ, nec aquæ adspersio benedictæ, tales a venialibus liberant culpis. Rursus, ecclesia materialis cooperatur saluti fidelium, quia in ecclesia sacramenta conferuntur fidelibus, et Deus specialiter pronus est dona gratiæ suæ in ecclesia elargiri.

Amplius, ex evangelio hodierno instruimur ad multa animabus nostris salubria, quæ et necessaria sunt ad salutem. Primum est, ut cum Christo perambulemus Jericho, id est, temporalia, carnalia et terrena pertranseamus ac relinquamus. Jericho namque interpretatur luna. Luna vero in continua variatione consistit, crescendo et decrescendo in claritate : idcirco per eam temporalium ac sensibilium rerum instabilitas vanitasque signantur. Itaque Christiani, quibus cœleste regnum paratum est ac promissum, debent terrena atque carnalia pertransire, parvi pendere, itemque relinquere, ea superflue non amando, sed bona divina, cœlestia et æterna toto corde desiderando, contemplando et exquirendo, temporalia vero non amplius appetendo quam necessaria sive utilia sunt ad acquirendum bona cœlestia et æterna.

Denique in libro Josue legitur, quod dum filii Israel per alveum Jordanis transissent in terram promissionis, primo omnium funditus destruxerunt civitatem Jericho dictam. Per quod spiritualiter designatur, quod Christiani cœlestem patriam ingredi cupientes, primo in se ipsis destruere et eradicare debent omnem carnalem et impurum mundanarum ac carnalium rerum amorem : quoniam talis amor efficit hominem dæmonum servum, diaboli membrum Babylonisque civem, nec stare potest cum spirituali ac puro Dei ac proximorum amore, per quem sanctum amorem efficitur homo filius Dei, membrum Christi, heres ac civis supernæ Jerusalem. Præterea in eodem Josue legitur libro, quod Deus omnipotens prohibuit civitatem Jericho reædificari; Josue quoque maledixit homini eam reædificanti. Per quod significatur, quod homo nequaquam debeat recidivare, rursus in se carnalem atque mundanum suscipiendo amorem, per quem præcepta Dei derelinquuntur nec observantur : imo qui facit hoc, meretur maledici a Deo. Cui loquitur sanctus in Psalmo : Maledicti qui declinant a mandatis tuis; et rursus : Odisti omnes qui operantur iniquitatem, perdes omnes qui loquuntur mendacium; virum sanguinum et dolosum abominabitur Dominus.

Josue III, VI.

Ibid. VI, 26; III *Reg.* XVI, 34.

Ps. CXVIII, 21.

Ps. V, 7.

Secundo, ex evangelio hodierno docemur, A exemplo Zachæi Christum cum fervore requirere, ad ejus contemplationem fideliter adspirare, ejus quoque vestigia efficaciter imitari. Unde ait propheta David : *Ps.* CIV, 3,4. Lætetur cor quærentium Dominum; quærite Dominum et confortamini, quærite *Is.* LV, 6. faciem ejus semper. Isaias quoque : Quærite (inquit) Dominum dum inveniri potest, invocate eum dum prope est. Porro Deum quærere, est eum desiderare, ei velle uniri ac complacere, eum per divinorum observantiam præceptorum jugiter honoB rare finaliterque ei intendere, se ipsum et omnia sua ad Dei honorem ac gloriam referendo. Insuper ad Christi contemplationem adspirare debemus ; et si nondum ejus divinitatem et excellentiam intueri valemus, ejus tamen benedictam passionem, quam pro nostra redemptione atque salute sustinuit, quotidie cum omni attentione et gratiarum actione debemus recolere, ut sic Christo propter nos passo condoleamus, vanitates mundi voluptatesque carnis despiciamus, et in continuo Dei C timore, virtutum tenore ac cordis custodia perseveremus. Sic quoque Christi vestigia imitari tenemur, ejus humilitatem, patientiam, mansuetudinem, misericordiam, caritatem pensando et assequendo. Indignus namque est christianus vocari, qui Christi virtutes non conatur sectari. Unde omnis superbus, omnis invidus, omnis avarus, omnis luxuriosus aut iracundus, non Christi sed diaboli est minister.

Tertio, ex evangelio instruimur hodierno, ut Zachæi exemplo Christum cum gaudio in cordis nostri habitaculo suscipiamus ac teneamus, ejus frequenter reminiscendo, eum fideliter contemplando, ferventer amando ac jugiter venerando. Omnes ergo cogitationes et affectiones inanes, pravas, inutiles abjiciamus, totoque corde adhærere Deo conemur, quemadmodum Isaias propheta hortatur : Derelinquat *Is.* LV, 7. impius viam suam, id est conversationem injustam, et vir iniquus cogitationes suas, et revertatur ad Dominum ; et miserebitur ejus.

Quarto, docemur ex evangelio isto ad opera misericordiæ atque justitiæ : quatenus sicut Zachæus dixit ad Christum, Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus, et si aliquem defraudavi, reddo quadruplum ; sic quilibet Christianus opera misericordiæ pro posse suo, caritativo, prompto et hilari exerceat animo, pauperibus succurrendo et benefaciendo ; bona quoque injuste adepta omnino restituat, et si non quadruplum cum Zachæo, saltem simplum : quoniam Augustino testante, Non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum. Specialiter autem in festo Dedicationis vitanda sunt vitia gulæ, loquacitates, ebrietates, ex quibus etiam frequenter bella et rixæ nascuntur ; similiter chorizationes et similes vanitates : ut omnia cum Dei timore agantur, et unusquisque particeps sit indulgentiæ quæ hodie in ecclesia ista confertur.

SERMO QUINTUS

DE QUADRUPLICI DOMO QUA RECIPITUR CHRISTUS, ET QUOMODO EUM SUMMA CUM BENEVOLENTIA IN COR NOSTRUM RECIPERE DEBEAMUS.

DOMUM tuam decet sanctitudo, Domine, in longitudinem dierum. Ps. XCII, 5.

D Videmus in sæculo isto, quod homines aliquem venerabilem hospitem in suo habitaculo suscepturi, domum suam diligen-

ter emundant et ornant, convenientia quo- A que cibaria præparant, quietis ac pacis locum suo hospiti exhibentes, et eum jucunde suscipiunt reverenterque tractant. Et istud in die hoc Dedicationis præcipue agitur, in quo habitatores et parochiani cognatos atque amicos suos cum magno suscipiunt gaudio et delicate reficiunt. Incomparabiliter magis debet unusquisque habitaculum suæ mentis seu conscientiam suam ab omni inquinamento peccati purgare, virtutibus decorare et sanctis fulcire operibus : quatenus Dominum Deum B suum in corde suo digne suscipiat, ejusque gratiosam præsentiam sollicite veneretur, atque per hoc Deus omnipotens mansionem in eo facere semper dignetur, quemadmodum Christus in Evangelio ait : *Joann.* XIV, 23. Ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. Quoniam sicut in themate præassumpto testatur Propheta, Domum Dei decet sanctitudo in longitudinem dierum, id est perseveranter usque in finem. In vitiosis etenim cordibus habitare aspernatur Altissimus, cujus sanctitatis nullus C est finis. Propter quod Salomon loquitur : *Prov.* XV, 29. Longe est Dominus ab impiis. Et Paulus *II Cor.* VI, 14. apostolus : Quæ (inquit) societas luci ad tenebras ? Imo iniquorum corda sunt dæmonum habitacula atque prostibula, quia eorum animæ dæmonum exstant adulteræ, quemadmodum animæ virtuosorum sponsæ sunt Christi regis cœlorum. Impii namque per voluntatis suæ consensum admiscentur dæmonibus, eisque communicant in actibus pravis.

Præterea habitaculum suo debet habita- D tori proportionari, sicut videmus quod reges ac principes in magnis ac speciosis morantur palatiis : quanto magis Regi regum, Creatori ac Domino universorum, præparandum et exhibendum est decorum et grande palatium in medio cordis, quatenus ipse per fidem et sapientiam inhabitet intellectum, per caritatem Dei et proximi inhabitet voluntatem ? Tunc etenim habitaculum cordis spiritualiter magnum est, dum anima veram et spiritualem habet dilectionem : quia per illam se ad universos extendit, amicos inimicosque diligendo, omnium desiderando salutem, atque pro cunctis cordialiter exorando, sicut jubet Salvator : Diligite (inquiens) inimicos ve- *Matth.* V, 44. stros, benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos. Istud ad omnem pertinet Christianum, quia necessarium est ad salutem. Insuper, ad hoc et propter hoc Filius Dei, Dominus noster Jesus Christus, venit in mundum, ut quilibet Christianus (cujus anima domus Dei esse tenetur) in sanctitate et æquitate Deo altissimo obsequatur. Propterea Zacharias effatur : Benedictus *Luc.* I, 68, 74, 75. Dominus Deus Israel, quia visitavit et fecit redemptionem plebis suæ, ut serviamus illi in sanctitate et justitia coram ipso omnibus diebus vitæ nostræ.

Denique multiplex est domus Dei quam condecet sanctitudo. Prima, est triumphans Ecclesia, utpote societas, congregatio seu universitas omnium Beatorum Deum in regno cœlesti clare cernentium : in qua felici Ecclesia nullus potest peccare, quoniam omnes in bono sunt confirmati, fontique sanctitatis Deo essentialiter sancto inseparabiliter copulati. De qua domo Propheta loquitur Deo : Beati qui habitant *Ps.* LXXXIII, 5. in domo tua, Domine ; in sæcula sæculorum laudabunt te. Christus quoque : In domo *Joann.* XIV, 2. (inquit) Patris mei mansiones multæ sunt. Unde in Apocalypsi habetur : Non intrabit *Apoc.* XXI, 27. in illam aliquid coinquinatum. In hac domo habitat Deus per sui ipsius beatificam fruitionem et gratiam consummatam. Nam ut ait Joannes apostolus, Videbimus *I Joann.* III, 2. eum sicuti est. Ad hanc domum cœlestem debemus quotidie adspirare per desideria sancta, ac jugiter festinare per opera virtuosa, cum Propheta dicentes : Quemad- *Ps.* XLI, 2. modum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus.

Secunda domus Dei, est universalis Ecclesia militans, puta congregatio fidelium : in qua domo Deus per incessabilem habitat gratiam. Unde sub persona Apostolorum Christus promisit Ecclesiæ : Ecce *Matth.* XXVIII, 20.

ego vobiscum sum cunctis diebus usque ad consummationem sæculi. Hinc in symbolo Apostolorum asseritur : Credo in Spiritum Sanctum, sanctam Ecclesiam catholicam. Semper namque sunt in Ecclesia militanti aliqui boni et virtuosi, quorum meritis et precibus mundus stat, secundum Hieronymum.

Tertia domus Dei, fuit uterus Virginis gloriosæ, quæ fuit thronus veri summique Salomonis, templum Dei, sacrarium Spiritus Sancti, ac præclarissimum supergloriosissimum triclinium : in cujus mundissimo utero Jesus Christus, Unigenitus Patris æterni, novem mensibus requievit.

Ps XVIII, 6. Unde Propheta prædixit : In sole posuit tabernaculum suum, et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo ; itemque, Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.

Ps. XLV, 5.

Quarta domus Dei, est cor cujuslibet Christiani vere devoti, in quo Deus per caritatem et gratiam habitat. Propter quod ait Apostolus : Vos estis templum Dei vivi.

II *Cor.* VI, 16.

Hinc teste eodem divino Apostolo, Qui fornicatur, in proprium corpus peccat : quoniam illud enormiter dehonestat, et de templo Spiritus Sancti facit domum diaboli ; tollitque membrum Christi, et facit illud membrum meretricis. Simili ratione, qui superbit, qui avarus aut invidus est, qui ab ira sive acedia superatur, aut quodcumque mortale peccatum committit aut incidit : in animam suam, quia inenarrabiliter eam dehonestat, fœdat, inficit spiritualiterque occidit, peccat. Omne enim mortale peccatum naturales potentias lædit, dona gratiæ tollit, Dei inimicum facit peccantem, et diabolo subdit eumdem. Qui ergo desiderat esse domus Christi atque a Spiritu Sancto inhabitari, ab omni inquinamento carnis et spiritus se emundet per veram contritionem, per integram confessionem, per satisfactionem condignam. Semper quoque sit timoratus, et diligens proprii custos cordis, ne pravis affectionibus aut immundis cogitationibus inquinetur, quoniam in Ecclesiastico verissime scriptum est : Si non in timore Dei tenueris te instanter, cito subvertetur domus tua ; et rursus, Qui sine timore Dei est, justificari non potest. Væ igitur his qui lætantur quum male fecerint, et exsultant in rebus pessimis. — Præterea, purgatio ista cordis specialiter facienda est et habenda in Dedicatione ecclesiæ, quatenus ingredientes ecclesiam cujus consecrationis anniversaria agitur dies, participes sint indulgentiarum quæ in ipsa conferuntur ecclesia die ista. Nullus etenim in mortali exsistens culpa, indulgentiæ capax est : idcirco communiter dicitur, quod indulgentiæ non dantur nisi vere contritis atque confessis.

Ibid. 15.

II *Cor.* VII, 1.

Eccli. XXVII, 4.

Ibid. I, 28.

Prov. II, 14.

Amplius, istud ad omnem pertinet Christianum, ut omni sero antequam vadat dormitum, vitam suam discutiat, conscientiam intueatur, et qualiter diem expenderit penset, quid boni omiserit, quid mali commiserit diligenter examinet, atque de universis suis peccatis tam die illo quam ante commissis aut per omissionem admissis, cordialiter dolens, veniam deprecetur a Deo, et confiteri ac satisfacere proponat tempore opportuno. In lecto quoque decenter se habeat, et salubria cogitando obdormiat. Et quandocumque evigilat, statim cor suum levet ad Deum, orando, aut meditando de beneficiis Dei, de pœnis inferni, de gaudiis regni cœlorum, de bonitate, excellentia et infinita beatitudine Dei, creatoris universorum. Mane vero consurgens, primo quærat regnum Dei et justitiam ejus, id est, aliqua opera virtuosa exerceat, orando, et Missam (si potest) audiendo, et cuncta quæ die illo acturus est, ad Dei honorem et gloriam ordinando ; verba quoque illicita vitet, et in exterioribus occupationibus mentem suam levet ad eum frequenter.

Matth. VI, 33.

Ecce sic quilibet Christianus vivere obligatur, juxta doctrinam sacræ Scripturæ et exigentiam legis divinæ. Sed, proh dolor ! multi vivunt ut bestiæ, et totum diem expendunt, vix semel aut raro cogitando de Deo, atque in suis perseverant sceleri-

bus, absque timore peccantes, pleni superbia, avaritia, incontinentia ac aliis vitiis. Hi indesinenter propinquant, imo et currunt ad inferos, et nisi vere pœniteant, cito damnationem incident infernalem ac æternalem. Præterea tales sunt, qui diebus Dedicationis, quando cum speciali devotione serviendum est Deo, potationibus et ebrietatibus vacant, ex quibus oriuntur contentiones, loquacitates, pugnæ et homicidia ; item qui choreis et ceteris vanitatibus carnalitatibusque intenti sunt. Isti non gradiuntur per viam arctam, quæ sola ducit ad vitam gloriæ sempiternæ, sed per viam perditionis perpetuæ, mente obtenebrati, nec animarum suarum pericula contemplati. In quibus impletur quod Salomon loquitur : Via impiorum tenebrosa ; nesciunt ubi corruunt. Excæcavit enim eos malitia eorum, prout in libro Sapientiæ legitur.

Matth. VII, 13, 14.

Prov. IV, 19.

Sap. II, 21.

Consideret ergo unusquisque brevitatem, incertitudinem atque fallaciam vitæ præsentis, perpetuitatem quoque vitæ sequentis, in qua quilibet erit vel in felicitate et gloria æternali, aut certe in pœna ac miseria gehennali. Caveamus a vana lætitia, a vita intimorata, atque (ut docet Apostolus) sobrie, juste ac pie vivamus in hoc sæculo, exspectantes beatam spem et adventum gloriæ magni Dei ; devotisque precibus Deum fervide invocemus, quatenus die isto et semper nos a vitiis præservare ac totam vitam nostram gubernare dignetur. Singulariter quippe paratus est Deus die hoc Dedicationis preces exaudire fidelium in ecclesia cujus dedicatio celebratur orantium. Unde legitur tertio Regum, quod quum Salomon rex Deo altissimo templum ædificasset, illudque dedicasset seu consecrasset, nebula et (ut secundo Paralipomenon scribitur) nubes implevit domum Domini, et non poterant sacerdotes stare et ministrare propter nubem illam et nebulam : impleverat enim gloria Domini templum. Quumque Salomon Deum rogasset ut preces in templo orantium exaudiret, statim nocte sequenti Deus apparuit Salomoni, dixitque ei quod orantes in templo clementer audiret.

Tit. II, 12, 13.

III *Reg.* VI, VIII. *Ibid.* VIII, 10, 11. II *Par.* V, 13, 14.

Ibid. VI, 20 et seq. *Ibid.* VII, 12 et seq.

AD RELIGIOSOS

SERMO SEXTUS

QUIBUS POTISSIMUM ORNARE SE DEBEANT RELIGIOSI VIRTUTIBUS, UT SPIRITUS SANCTI TEMPLUM REPRÆSENTENT.

LÆTATUS sum in his quæ dicta sunt mihi : In domum Domini ibimus. Ps. CXXI, 1.

Illocalis et intemporalis Deus, qui nullo clauditur loco, quum incircumscriptibilis et immensus consistat, multiplicem dicitur domum habere. Primo enim cœlum empyreum dicitur habitaculum Dei et domus ipsius. De quo in Deuteronomio legitur : Habitaculum ejus sursum ; et in Psalmis, Dominus in cœlo paravit sedem suam ; itemque, A summo cœlo egressio ejus. De quo et uno modo accipitur illud : Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te ; et quod ait Salvator, In domo Patris mei mansiones multæ sunt. Secundo, domus Dei est triumphans Ecclesia seu congregatio Beatorum in patria, in qua habitat Deus per gratiam consummatam seu gloriam,

Deut. XXXIII, 27.

Ps. CII, 19. *Ps.* XVIII, 7. *Ps.* LXXXIII, 5. *Joann.* XIV, 2.

atque per speciem seu sui ipsius claram et facialem ostensionem. Tertio, domus Dei dicitur materialis ecclesia. Quarto, universalis Ecclesia militans seu universa collectio populi christiani. Unde ait Apostolus : Christus in domo sua, quæ domus sumus nos. Quinto, quæcumque particularis congregatio christiana : in qua per fidem habitat Deus. Sexto, quæcumque persona fidelis devota seu quælibet anima christiana : in qua per fidem et caritatem Deus moratur.

Hebr. III, 6.

Quemadmodum ergo in solennitate Dedicationis ecclesiæ, ipsa materialis ecclesia non solum a magnis et notabilibus immunditiis expurgatur, sed a minoribus quoque immunditiis pulveribusque scopatur et emundatur, deinde viridibus ac virentibus adspergitur et ornatur graminibus, ramis ac floribus, insuper pretiosiora clenodia atque reliquiæ cum repositoriis suis ponuntur in publico, altaria quoque specialiter decorantur, jucundiusque pulsatur, et dulcius canitur, ac plurima luminaria accenduntur, vasa item sacri ministerii reserantur, et plures ad divina conveniunt ; sic omnia ista spiritualiter in nostris debent fieri animabus, præsertim hoc die, imo et semper. Ut ergo uniuscujusque nostrum anima sit domus pura, placens ac splendida Creatoris ac Salvatoris, oportet ea quæ dicta sunt, in ea spiritualiter agi.

Primo igitur emundanda est anima non a majoribus immunditiis tantum, id est peccatis mortalibus, sed a minoribus quoque seu venialibus, ut nihil prorsus in ea appareat quod oculos offendat Omnipotentis, maxime ne per venialia, si parvi pendantur, negligantur et accumulentur, in mortalia delabatur. Purgatio ista fit per contritionem, confessionem et satisfactionem. Multa demum disponunt hominem ad istam purgationem, videlicet : discussio propriæ conscientiæ, timor Dei, consideratio novissimorum, contemplatio majestatis, honorabilitatis bonitatisque Dei, et recognitio beneficiorum ipsius. Nempe dum homo profunde considerat quod Deus, qui per peccata offenditur ac hominem deserit, est tam infinitæ bonitatis et amabilitatis, tamque immensæ majestatis et honorabilitatis ; quod item tot et tanta beneficia contulit nobis, et tam indicibilem nobis beatitudinem præparavit : tunc incipimus valde dolere quod tam superoptimum ac amabilissimum Deum et Creatorem nostrum offendimus, quod ejus beneficiis tam ingrati exstitimus, quod coram tam superdignissimo ac honorabilissimo Domino habuimus nos tam impudenter et irreverenter, tam culpabiliter et indigne ; tuncque implemus illud propheticum : Exercitabar, et scopebam spiritum meum. Cordialem ergo et valde intensam habeamus de nostris peccatis contritionem, potissime ex Dei amore et zelo justitiæ, et confessionem faciamus quotidie dolorosam, distinctam, maturam, non aridam ex consuetudine superficialiter prodeuntem ; sed et confessione peracta, habeamus nos tam custodite, tam irreprehensibiliter et compuncte, ut veraciter opere demonstremus cordialiter nos dolere de peccatis præteritis. Insuper, per frequentem et ardentem mentis ad Deum elevationem, per caritatis ardorem, per fœditatis peccati pudorem, per orationes et meditationes assiduas, et varia opera supererogationis, purgemus nos a quotidianis peccatis et ab omni reatu eorum, a reliquiis quoque præteritorum malorum.

Ps. LXXVI, 7.

Secundo, sicut materialis ecclesia jam scopata, adspergitur et ornatur graminibus virentibus et floribus ; sic animam modo præfato purgatam, oportet virtutibus infusis ac donis Spiritus Sancti, actionibus sanctis contemplationibusque fulciri et expoliri. Unde in Canticis loquitur sponsa : Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo. Porro per flores intelligi possunt pulcherrimæ ac fervidæ contemplationes Altissimi, quæ instar florum virent, fulgent, fragrant in mente. Per virentia gramina designantur bona opera exteriora, aut ceteri actus virtutum, quæ

Cant. II, 5.

ornant animam sicut gramina virescentia A terram. Et sicut terra sine graminibus est nuda, informis, non decorata ; sic anima sine actibus istis. Rursus, quemadmodum sole materiali in zodiaco accedente, terra virescit graminibus ornaturque floribus ; recedenteque sole in circulo illo obliquo, terra fit sterilis, gramina quoque arescunt, floresque decidunt : sic plane spirituali Sole justitiæ, Spiritu Sancto accedente, anima gratiose præfatis contemplationibus et actionibus virtuosis fecundatur, vestitur et expolitur ; recedenteque Sole illo B intelligentiæ, anima incipit fieri infructuosa, deformis et nuda. Propter quod dixit
Ps. CXLII, 6. Propheta : Anima mea sicut terra sine
Ps. XXIX, 8. aqua tibi ; itemque : Domine, in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem ; avertisti faciem tuam a me, et factus sum conturbatus. Jugiter ergo invocemus gratiosam præsentiam hujus intellectualis su-
Ps. XXX, 17. persplendidissimi Solis, dicentes : Illustra, Domine, faciem tuam super servum tuum ; salvum me fac in misericordia tua.

Tertio, sicut tempore Dedicationis in C materiali ecclesia pretiosiora clenodia atque reliquiæ cum repositoriis suis ponuntur in publico, ad Dei honorem et ad fidelium provocandam devotionem ; sic animam virtuosam quam Spiritus Sanctus inhabitat, oportet interiora gratiarum charismata sibi desuper contributa, aliis communicare, bonaque opera et exercitia religiosa, ea potissime ad quæ tenetur, publice agere ad gloriam Creatoris ac ædificationem plebis fidelis seu congregationis.
Prov. V, 16. Propter quod Salomon dixit : Deriventur D
Matth. V, 16. fontes tui foras. Et Salvator : Luceat (inquit) lux vestra coram hominibus, ut videant bona facta vestra, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est. In Ecclesiastico
Eccli. XLI, 17. quoque fertur : Sapientia abscondita et thesaurus invisus, quæ utilitas in utris-
1 *Petr.* IV, 10. que ? Sed et princeps Apostolorum : Unusquisque (ait) sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes. Unusquisque igitur alium, quantum valet, dirigat, exhortetur, instruat, corripiat, consoletur, et omni modo sibi possibili ædificet ac juvet in via salutis. Verumtamen opera supererogationis, et quæ specialem videntur devotionem prætendere, abscondenda sunt potius quam pandenda, nisi efficax ratio postulet aliud.

Quarto, sicut in Dedicatione altaria magis ornantur, ita in anima superiores potentiæ, quæ in actibus suis Deum directe attingunt tanquam actuum suorum objectum, videlicet intellectus, memoria et voluntas, in quibus superbenedictæ Trinitatis consistit imago, sunt singulariter decorandæ actibus sapientiæ, ardoribus caritatis, meditationibus sanctis, actionibus fidei et spei atque justitiæ, præsertimque latriæ, cujus actus sunt oratio, adoratio, immolatio divinæ majestati exhibita : quibus omnibus animam religiosi oportet semper cum omni attentione insistere.

Quinto, sicut in Dedicatione solennius pulsatur et canitur, ita in anima Deo dicata, hymnis, psalmis et canticis spiritualibus intentissime est vacandum, præsertim hoc die, Deoque jubilandum ; et per linguam tanquam per campanam admonendi sunt alii ad honorificentiam Dei. Unde hortatur Apostolus : Pax Christi exsultet *Coloss.* III, semper in cordibus vestris, docentes et 15, 16. commonentes vosmetipsos in hymnis et psalmis.

Sexto, in Dedicatione plura luminaria accenduntur : ita in anima lumen gratiæ, virtus discretionis, lux sapientiæ, claritas fidei, splendor salutaris scientiæ, fulgor consilii, donumque intellectus, et candor rectæ intentionis, nunc specialiter, imo et omni hora sunt accendenda, illustranda, perficienda a Spiritu Sancto, ut in anima splendeant, et eam suo Creatori placitam faciant et acceptam, in tantum ut ipsa alios quoque donis sibi collatis perfundat. — Verum de his in sequentibus magis dicetur, Deo præstante, sermonibus.

SERMO SEPTIMUS

DE VIRTUTIBUS RELIGIOSOS QUAM MAXIME DECENTIBUS, ET DE MULTIPLICI ORNATU QUO EXORNANDI SUNT.

DOMINE, dilexi decorem domus tuæ, et locum habitationis gloriæ tuæ. Ps. xxv, 8.

Sicut diversæ sunt domus Dei, prout præcedenti tangebatur sermone, ita diversi sunt earum decores. Nunc autem de domo Dei quæ est anima justi, dicendum est. Hujus itaque domus duplex est decor, videlicet naturalis, et supernaturalis. Porro naturalis decor animæ duplex est : unus innatus, alius acquisitus. Decor innatus, est etiam duplex, puta substantialis, et accidentalis. Naturalis animæ decor, est pulchritudo sive perfectio sibi ex sua natura conveniens. Decor vero animæ naturalis et substantialis, est perfectio sua specifica, quæ realiter idem est quod anima ipsa rationalis. Pulchrum namque et ens (ut divinus docet Dionysius) convertuntur, quemadmodum bonum et ens. Decor vero animæ naturalis et accidentalis, est duplex, utpote separabilis, et inseparabilis. Decor ejus inseparabilis, est ornatus naturalium potentiarum ipsius, potissime virium ejus superiorum, in quibus summæ ac adorandæ Trinitatis resplendet imago. Decor vero separabilis, est ipsarum virium actuatio seu expolitio per virtutes atque scientias et actus ipsarum.

De Divin. nom. c. IV.

At vero supernaturalis decor animæ, est perornatio ejus per dona gratiæ, et in primis per ipsam gratiam gratum facientem, quæ essentiam animæ perficit, atque in esse supernaturali, deiformi, ad promerendum vitam æternam idoneo, ponit. Et hic animæ decor est valde præcipuus, imo tam altus, ut nullius rei creatæ decor naturalis quantumlibet magnus, possit ejus attingere dignitatem. Est namque supernaturalis similitudo divinæ essentiæ, et alterius superiorisque ordinis quam quæcumque naturalis perfectio rei creatæ. Præterea, per naturalem suum decorem non consecratur anima rationalis in domum Dei, quia per pura naturalia non fit ei accepta nec ejus inhabitatione condigna, sed primo consecratur in domum ac templum Dei sui per gratiam gratum facientem.

Deinde supernaturalis decor animæ, est perornatio ejus per virtutes infusas ac dona Spiritus Sancti, et per actus horum habituum, et præsertim per fidem et spem et caritatem earumque actus : per quas anima specialiter Christo desponsatur, et thalamus ejus efficitur, et spiritualiter integratur seu virgo efficitur eo modo quo Ecclesia virgo asseritur. Spiritualis namque virginitas, secundum Augustinum, potest recuperari, quum sit integra cordis adhæsio cum Christo, cœlesti Sponso. Magnus est decor hic animæ, et naturalem angelorum decorem vehementer transcendens. Siquidem fides est supernaturalis radius primæ et increatæ veritatis, habitusque infusus Deum sub ratione primæ veritatis habens pro objecto, intellectum inclinans ad consentiendum credendis secundum Scripturas, et eum illuminans ad cognoscendum aliqualiter veritatem eorum quæ cadunt sub fide. Spes vero est certa exspectatio futuræ beatitudinis, ex gratia Dei meritisque proveniens. Et datur ista spei descriptio de actu spei, non de ipsa spe, quæ essentialiter habitus est supernaturalis infusus Deum sub ratione summæ felicitatis pro objecto habens, animamque inclinans ut adipisci

confidat ac præstoletur beatitudinem æternalem, atque bene agendo tendat in eam. Caritas vero est summa et nobilissima animæ virtus, per quam ipsa efficitur sui Creatoris sponsa ac filia, heres atque amica. Et caritas ista est supernaturalis participatio ac similitudo increati amoris, præsertim Spiritus Sancti. Estque caritas theologica virtus Deum sub ratione summi boni habens pro objecto, et animæ voluntatem inclinans ad diligendum Deum pure et principaliter ac meritorie propter propriam bonitatem ipsius. Verumtamen, quia beatitudo sive perfectio non consistit principaliter in ipsis virtutum ac donorum habitibus, sed in actionibus eorumdem, præcipue in actibus sapientiæ et caritatis (nam habitus ordinatur ad actum tanquam ad finem, et beatitudo est optima operatio optimæ virtutis secundum statum perfectum in vita perfecta); idcirco supernaturalis hic decor animæ summe consistit in contemplatione Deitatis sincera, et in dilectione ejus intensa, deinde in aliarum actionibus exercitiisque virtutum.

Hunc igitur domus Dei decorem debemus diligere, appetere, adipisci, conservare, complere, ita ut in primis studeamus eum habere in anima nostra, seu unusquisque in anima sua, deinde in aliis. *Luc.* IX, 25. Nempe quid proficit homo, si lucretur universum mundum, se ipsumque perdat? Quidquid ergo caritati contrarium est, tanquam infernale virus vitemus, puta seminationem discordiæ, detractionem, contentionem, aversionem, rancorem, invidiam *Matth.* VII, 12. ac scandala; et faciat unusquisque alteri prout rationabiliter vult fieri sibi. Sit omnis religiosus circumspectus, imo cautissimus in loquendo, ne in secreto accepta revelet, et ne ultra dicat quæ non expediunt divulgari, et maxime ne quis alicui dicat verba per quæ caritas ejus ad proximum lædi potest, seu odium sive aversio provocari. Nec sufficit dicere, Ego non habui intentionem lædendi caritatem in ipso; sed oportet advertere quid ex verbis prolatis verisimiliter possit sequi. Si autem talia interdum dici oportet, tam caute dicenda sunt sicut possibile est, et admonendus est is cui dicuntur, ne inde tentetur. Ex incustodia linguæ et incircumspectione loquendi enormia mala proveniunt. Merito Sapiens ait : Detestatur anima mea eum qui seminat inter fratres discordiam. Deus quoque per Sapientem testatus est : Os bilingue detestor; et iterum, Qui inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala. Audiamus verba Scripturæ. In Ecclesiastico enim legitur : Qui denudat arcana amici, fidem perdit; denudare amici mysteria, desperatio est animæ infelicis. Unde secundum doctores, mortale peccatum est, ea promulgare quæ in secreto sub fide accepta sunt. Nec expedit, faciliter aliqua capere in secreto, propter periculum imminens si pandantur. Iterum ait Scriptura : Si mordeat serpens in secreto, nihil eo minus habet qui occulte detrahit. Ideo labia detrahentia sint procul a nobis, ita ut nec labia nostra alicui obloquantur, nec aliorum detrahentia labia libenter audiamus, approbemus seu admittamus, sed detestemur ac fugiamus, vel saltem mœstum ostendamus vultum oblocutori, ut quantum nobis displiceat detractio ejus, advertat. Etenim per tristitiam vultus corrigitur animus delinquentis. Et rursus Salomon fatur Proverbiorum vicesimo quinto : Ventus aquilo dissipat pluvias, et facies tristis linguam detrahentem. Nemo in hoc mollis exsistat ex timore humano, applaudendo aut non dissentiendo detrahenti aut prave loquenti : imo detrahentem et vitiose loquentem, caritative ac fervide increpemus, ne et de cetero audeat nobis taliter loqui. *Prov.* VI, 16, 19. *Ibid.* VIII, 13. *Ibid.* XIII, 3. *Eccli.* XXVII, 17, 24. *Eccle.* X, 11. *Ibid.* VII, 4. *Prov.* XXV, 23.

Præterea magnum consequitur anima nostra decorem ex quatuor virtutibus cardinalibus earumque actibus. Imo quum in vitiis gulæ atque libidinis et in delectationibus gustus et tactus sit maxima turpitudo ac fœditas, ne anima nostra inquinetur aliqua hujuscemodi fœditate in cibo et potu, in tactu, osculo aut amplexu, in cogitatu vel affectu, indigemus in pri-

mis temperantia, quæ voluptates tales coerceat : imo quum et corpora nostra templa sint Spiritus Sancti, conservanda sunt valde in puritate, et præservanda a gulæ et immunditiæ fœditate. Itaque sobrie et juste ac pie vivamus in hoc sæculo, corpusque nostrum ita regamus ut sit expeditum, idoneum atque obediens nostræ animæ instrumentum in omni opere virtuoso.

I Cor. III, 16 ; VI, 19.

Tit. II, 12.

Insuper fortitudo in nobis sit magna, ut aggrediamur viriliter ardua, nec propter quæcumque mundi adversa seu mortis pericula relinquamus viam justitiæ, honorificentiam Dei, opera caritatis, quum dicat Salvator : Nolite timere eos qui corpus occidunt. Et rursus : In mundo (inquit) pressuram habebitis, sed confidite, quia ego vici mundum. Non sit in aliquo nostrum cor effeminatum, formidolosum, pigrum aut tepidum, sed cor bonæ spei, divino innitens auxilio, fortiter vincens ac frangens se ipsum, et quæ agenda sunt, magnanimiter inchoans, constanter continuans, perseveranter adimplens.

Matth. X, 28.

Joann. XVI, 33.

Amplius prudentiam habeamus, et discretione in omnibus dirigamur, ut decenter et ordinate unumquodque agamus. Quæ enim a Deo sunt, ordinata sunt. Itaque per prudentiam ordinemus taliter media nostra, ut ad finem pertingamus intentum, ut sit in universis rationabile obsequium nostrum, et ita curramus ad tempus ut ante finem non deficiamus. Ideo corpus cum discretionis moderamine castigetur. Fervorque caritatis in se semper fovendus et augmentandus, in suis refrenetur operibus, ne homo fervorem sequendo, se ipsum præcipitet. Hinc fervori ratio est miscenda.

I Cor. XIV, 40.

Rom. XIII, 1.

Ibid. XII, 1.

Postremo, justitia (quæ est præclarissima virtus) cor nostrum omnino possideat, sic tamen ut pietatem et scientiam * non excludat. Reddamus unicuique quod ei debemus. Et sicut esuriens appetit cibum, ac sitiens potum, sic esuriamus et sitiamus justitiam, nec injuste aliquid operemur, nulli injuriemur, nemini faciamus quod nobis fieri abhorremus ; omnem detestemur impietatem, et universam deiformiter aversemur iniquitatem, discreto justitiæ zelo jugiter ferveamus. Et sicut totum quod sumus et habemus, a Creatore accepimus, sic totum in ejus obsequium convertamus ; superioribus nostris reverentiam, obedientiam, caritatem præcipuam impendamus. Corpus nostrum subjectum sit animæ nostræ tanquam dominæ suæ, imo et benefactrici præcipuæ, a qua vitam et motum, sensum et vegetationem sortitur, a qua etiam in his conservatur ac regitur, et cui saluberrime tandem conglorificabitur, si interim ei fideliter ministraverit atque paruerit. Anima quoque in cunctis quæ agit sive omittit, consulat ac audiat rationem, tanquam in regno virium præsidentem. Ratio vero subjecta sit Deo, ut juxta ejus legem et fidem, præcepta et consilia, doctrinam et inspirationem, in omnibus se aliasque vires gubernet, moveatur, conversetur, procedat.

* misericordiam

Matth. V, 6.

Tob. IV, 16.

SERMO OCTAVUS

DE PROVIDA FERVENTIQUE MENTIS NOSTRÆ UNIONE CUM DEO, ET QUA VIA FACILIUS ID ASSEQUI POSSIT.

FACIAMUS ei cœnaculum parvum, et ponamus in eo lectulum et mensam et sellam et candelabrum, ut quum venerit ad nos, maneat ibi. IV Reg. IV, 10.

Ista sunt verba venerabilis ac prudentis matronæ Sunamitis ad suum maritum, de beatissimo Eliseo propheta. Per feminam istam intelligitur ratio, quæ alias animæ

vires, præsertim appetitum intellectivum seu voluntatem memoriamque hortatur, ut Christo per Eliseum designato, præparent in se aptum cœnaculum, et ponant in eo lectulum, mensam, sellam, candelabrum, ut quum venerit Christus, maneat in eodem. Christus etenim in Apocalypsi
Apoc. III, 20. fatetur : Ego sto ad ostium et pulso ; si quis aperuerit mihi, intrabo ad illum, et cœnabo cum illo, et ipse mecum. Istud cœnaculum est cor, quod præparandum est Domino, sicut paratur domus sive hospitium habitatori et hospiti, et sicut paratur sponsa sponso, et sicut paratur servus regi ac domino suo. Propter quod
I *Reg.* VII, 3. Samuel dixit : Præparate corda vestra Domino. Porro cor jam a Deo creatum et factum, fit cœnaculum Salvatori, quando purgatur ab omnibus quæ displicent oculis ejus, atque ad devotionem disponitur et Domino applicatur, sicut per Je-
Jer. XXX, 21. remiam loquitur Deus : Quis est iste qui applicet cor suum ut appropinquet mihi ? Applicat autem se homo Deo, quod in se est faciendo, et invocando auxilium gratiæ Creatoris. Cor quoque ad devotionem disponitur, dum ab exterioribus illicitisque abstrahitur, atque ad Dominum elevatur orando, meditando seu contemplando. Sic ergo faciamus Deo cor nostrum cœnaculum parvum et humile, quia cor nostrum multis defectuositatibus plenum est ; nec solum respectu mentis divinæ, imo et comparatione mentis angelicæ, magnæ est imperfectionis et parvæ reputabilitatis.

Sed quia in domo utensilia esse oportet, ne vacua exsistat inhabitabilis, debemus in corde nostro ponere Christo lectulum, id est pectoris pacem, in qua Christus cum anima dulciter conquiescit. Cui in Canticis
Cant. I, 15. loquitur sponsa : Lectulus noster floridus. Hæc pax est gaudium spirituale imperturbatum et quies mentis in Deo, in quo anima convenientissime ac naturalissime requiescit, quemadmodum gravia deorsum et levia sursum, secundum quod loquitur :
Ps. IV, 9. In pace in id ipsum dormiam et requiescam. Unde hortatur Apostolus : Pax Chri- *Coloss.* III, 15. sti exsultet semper in cordibus vestris. Si volumus pacem istam habere, oportet nos passionibus et vitiis dominari, quia ut Spiritus Sanctus per Isaiam testatur : Non *Is.* XLVIII, 22. est pax impiis. Oportet et corpus in ani- I *Cor.* IX, 27. mæ servitutem redigere, et esse reformatos in anima. Oportet item diligenti cordis custodiæ invigilare, ne per distractiones, passiones et inquietudines perturbetur. Et quamvis in vita præsenti non possit quis pacem istam continuam habere, quia frequenter interrumpitur, et etiam per bonas tristitias variosque eventus intercipitur atque suspenditur ; nihilo minus quanto quis fuerit magis radicatus in caritate, et exercitatus in contemplatione, ac reformatus in passionibus animæ, tanto potest hanc pacem stabilius ac diuturnius possidere sæpiusque habere, imo et facilius recuperare ac obtinere. Est namque hæc pax caritatis effectus, et actuali dilectioni Dei annectitur.

Præterea lectulus iste, juxta Isaiæ oraculum, vere est angustatus, ita ut utrum- *Is.* XXVIII, 20. que, videlicet Christum et mundum, in se capere nequeat. Si ergo, o religiose, vis in te Christum habere et ei pacis lectulum exhibere, necesse est ut inquietudines mundi, rumores affectionesque sæculi detesteris ac fugias, et in claustro te a talibus claudas ; et in sepulcro religionis, in secreto cellæ, in abscondito vultus di- *Ps.* XXX, 21. vini a cunctis perturbationibus, evagationibus, inquinationibus te occultes, nec in-
eas fœdus cum Amorrhæo. Quid tibi, fili *Deut.* VII, 2. Israel, cum Chananæis ? Non ergo dispergas cor tuum in multis, quum unum sit *Luc.* X, 42. necessarium, in quo solo pacem reperies. O quam dulce est, mente tranquilla, conscientia serenata, corde puro in illo quiescere ac deficere, nec aliquid appetere hujus mundi, atque in lectulo isto Christum æternam et increatam sapientiam deosculari, amplecti, constringere, ei uniri et fecundari ab eo, necnon subinde deosculari et amplexari ab eo ! Unde in Canticis
sponsa hinc multa effatur : Osculetur me *Cant.* I, 1.

Cant. I, 12. (inquiens) osculo oris sui. Et rursus : Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi ; inter
Ibid. III, 4. ubera mea commorabitur. Itemque : Tenui
Ibid. VIII, 2. illum, nec dimittam ; et, Apprehendam
Ibid. VII, 10. te ; et, Ego dilecto meo, et ad me conversio ejus. Studeamus igitur semper hanc pacem habere ; et ne eam perdamus, habeamus etiam inter nos veram et spiritualem concordiam. Quidquid impeditivum est pacis, evitemus : lites, contentiones, animositates et provocationes ad malum, tanquam diabolica abhorreamus venena.
Matth. V, 9. Etenim beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur ; miseri vero turbulenti, quia
I *Cor.* XIV, 33. filii diaboli nominabuntur. Non enim est
Ps. LXXV, 3. Deus dissensionis, sed pacis, et in pace factus est locus ejus. Ideo Christus præce-
Marc. IX, 49. pit : Pacem habete inter vos.

Secundo, in domo atque cœnaculo cordis ponenda est Christo mensa. Per quam designatur sacra Scriptura, quæ est sapientiæ mensa, in qua tot sunt spiritualia fercula, quot sunt expositiones seu intelligentiæ Scripturarum : quæ in genere quatuor esse dicuntur, utpote intelligentia litteralis, allegorica, tropologica et anagogica. In specie vero et in individuo, sunt innumerabilia hujuscemodi pabula. Nam et quælibet pars Scripturæ reficit mentem, et multi sunt passus paginæ sacræ qui multipliciter exponuntur. Ejusdem quoque scripturæ sensus litteralis interdum est multiplex, similiter sensus allegoricus, et ceteri sensus prætacti. Rursus mensa ista est fides, in qua omnia exhibentur ac Domino offeruntur ; in qua et ecclesiastica sacramenta sumuntur ac sumenda fidelibus proponuntur, potissime Eucharistiæ sacramentum, quod fide formata spiritualiter sumitur atque comeditur, juxta illud Augustini : Crede, et manducasti. Sed et pœnitentia mensa est, in qua panis editur lacrimarum. Unde secundum Gregorium, apud pœnitentem mulierem Christus reficiebatur interius : delectatur namque in actibus et lacrimis pœnitentiæ nostræ.

Tertio, ponenda est Christo sella, id est
Sap. VII, 27. sedes seu thronus. Quumque anima justi sedes sapientiæ asseratur, constat quod justitia spiritualiter sit solium, in quantum per justitiam anima dijudicat et castigat se ipsam, atque per hoc Christo in se exhibet thronum. Propter quod loquitur ei Propheta : Justitia et judicium præparatio sedis tuæ. Sedes autem excellentium personarum multipliciter solet ornari : ideo sedes ista est pulchre ac multiformiter decoranda, ut in primis per justitiam nihil peccati relinquamus in nobis inultum, nec quidquam repugnans æquitati agamus. Prudentia quoque justitiam dirigat in agendo. Atque inordinata omnia devitemus judicia, utpote temeraria, usurpata, injusta, suspiciosa, incerta, præsertim ne de interioribus et ignotis seu indifferentibus judicare quis audeat. Et istud est unum de pravissimis in multorum religiosorum corde vigentibus, quod proni, audaces et stolidi sunt judicando de aliis. Quo patescit, quod nec vere sunt timorati, neque prudenter nec rite intuentur nec ponderant proprias calamitates, culpas et transgressiones : qui etsi ceteris carerent peccatis, tamen hoc solum tam detestabile malum redderet eos nimis obnoxios. Consideret ergo, dinumeretque et ponderet unusquisque propria peccata tam perspicaciter et distincte, tam dolorose et morose, tam intime ac compuncte, ut sibi non vacet alios temerarie judicare, præsertim quum et Jacobus fateatur apostolus : Qui detrahit fratri, aut qui judicat fratrem suum, detrahit legi et judicat legem ; si autem judicas legem, non es factor legis, sed judex. Qui autem contra alium faciliter passionatur, et nihilo minus pronus est eum temere judicare, ex vitiosa communiter movetur radice, et peccat gravissime. Quod tamen in religioso præcipue vituperabile exsistit, quia ex sua professione debet esse custos et judex sui ipsius dumtaxat.

Ps. LXXXVIII, 15.

Jacob. IV, 11.

Quarto, in cœnaculo cordis est ponendum candelabrum seu luminare, quo cœnaculum illustretur. Hoc candelabrum multipliciter potest intelligi. Primo, sincera

et recta cordis intentio, ex qua totum opus bonitatem sortitur ac lucidum redditur, quia intentio operi imprimit speciem. Un-
Matth. VI, 22, 23. de ait Salvator : Lucerna corporis tui est oculus tuus : si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit; si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit, id est, si intentio tua perversa exstiterit, tota operum tuorum congeries vitiosa consistet.
Ibid. X, 16. Hinc alibi ait Salvator : Estote simplices sicut columbæ. Vitanda ergo, odienda atque in infinitum detestanda est omnis duplicitas, omnis simulatio, universa cal-
Job XXXVI, 13. liditas. Simulatores namque et callidi provocant iram Dei. Salomone quoque testan-
Prov. XIV, 17. te, Vir versutus odibilis est. Sed et frater
Jacob. I, 8. Domini Jacobus loquitur : Vir duplex animo, inconstans est in omnibus viis suis.
Eccli. II, 14. Et Ecclesiasticus asserit : Væ duplici corde et labiis scelestis. Porro intentio simplex, recta, sincera, est ut in omnibus Deo complacere, appropinquare, uniri, honorem gloriamque impendere, proximos ædificare, nobis ipsis incrementum gratiæ in præsenti et beatitudinis complementum in futuro adipisci optemus. Iste est saluberrimus finis. Qui autem propter humanam laudem aut commoditatem caducam agunt bona ex genere, non solum nil promerentur, sed stolide operantur, et damnationem sibi mercantur. — Secundo, candelabrum istud intelligi potest prudentia sive discretio, quæ docente divino Antonio, summe omni est necessaria monacho. Quam qui habuerit, magis celeriusque proficiet cum mediocri labore, quam qui ea caruerit, tempore diuturno et labore permaximo. Ipsa docet modum agendi, et congruentiam loci temporisque observat : et sicut currum ducit dirigitque auriga, ita in omni actu bono ducit ac dirigit hominem sancta discretio, quæ est magna lux cordis. — Tertio, candelabrum istud intelligi potest sapientiæ donum, seu contemplatio divinorum, quæ totam mentem splendidissime ornat ac luce cœlesti perfundit, facitque recte sentire de Deo et temporalia atque carnalia aspernari : per quod impletur illud Sapientiæ, Sentite de *Sap.* I, 1. Domino in bonitate, et in simplicitate cordis quærite illum. — Quarto, candelabrum istud est sui ipsius salubris cognitio, qua propriam infirmitatem, defectuositatem, culpam, periculositatem intelligit homo : sicque despiciens semetipsum, confugit ad Dominum et tantum confidit in eo, omneque bonum adscribit eidem, et timoratus jugiter perseverat.

Præterea in cœnaculo oportet esse et alia multa, utpote : ignem, aquam, caminum, amphoras, promptuarium, et multa similia; de quibus nunc prosequi esset nimis prolixum. Breviter tamen tangendo, ignis iste est caritas; aqua, sapientia salutaris; caminus, voluntas; amphoræ, ceteræ vires quæ replentur virtutibus; promptuarium conservatio est diligens gratiæ ac virtutum et meritorum in Dei timore et humilitate. Postremo, necesse est custodire cœnaculi hujus fenestras, utpote sensus exteriores, ne mors ingrediatur per *Jer.* IX, 21. eas, ne interiori oculo ingerant contemplationis obstacula, ne cordi infundant spiritualium profectuum impedimenta, ne distractam et vagam efficiant mentem, potissime in divinis. Elaboremus ergo indesinenter quantum fieri potest, ad puram, ferventem et actualem mentis unionem cum Deo, ut sint oculi nostri interiores *Ps.* XXIV, 15. semper erecti ad Dominum, meditando, orando, contemplando, diligendo, psallendo et incessabiliter boni aliquid exercendo. Ad laudem et gloriam Omnipotentis, qui est super omnia Deus sublimis et benedictus. Amen.

FINIS SERMONUM DE SANCTIS

INDICES

LOCA S. SCRIPTURÆ PRÆCIPUA

GENESIS.

I, 16. Fecitque Deus duo luminaria magna : luminare majus ut præesset diei, et luminare minus ut præesset nocti, 216B.

III, 15. Inimicitias ponam inter te et mulierem, 378B.

XXVII, 36. Juste vocatum est nomen ejus Jacob : supplantavit enim me en altera vice, 278D.

XXVIII, 17. Terribilis est... locus iste ; non est hic aliud nisi domus Dei et porta cœli, 677A.

XXXII, 27, 28. Quod nomen est tibi ? Respondit : Jacob. At ille : Nequaquam... Jacob appellabitur nomen tuum, sed Israel, 53C.

XLIX, 24. Dissoluta sunt vincula... illius per manus potentis Jacob, 290A.

EXODI.

XX, 8. Memento ut diem sabbati sanctifices, 11C'.

LEVITICI.

XIX, 18. Non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum, 444A'.

XXIII, 7. Omne opus servile non facietis in eo, 11C'.

NUMERORUM.

XVIII, 20. Ego pars et hereditas tua, 383B.

DEUTERONOMII.

IV, 7. Nec est alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris, 178B'.

— 8. Quæ est... alia gens sic inclyta ? 503A.

— 29. Quumque quæsieris... Dominum Deum tuum, invenies eum, si tamen toto corde quæsieris et tota tribulatione animæ tuæ, 504D.

V, 29. Quis det talem eos habere mentem ut timeant me et custodiant universa mandata mea..., ut bene sit eis... in sempiternum ? 138D.

VI, 5. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, 463D.

XVIII, 13. Perfectus eris et absque macula cum Domino Deo tuo, 54B'.

XXXII, 8. Constituit terminos populorum juxta numerum filiorum Israel, 158D'.

XXXIII, 12. Amantissimus Domini habitabit confidenter ; in eo quasi in thalamo tota die morabitur, et inter humeros illius requiescet, 479D.

JUDICUM.

III, 4. Dimisitque eos (Chananæos) ut in ipsis experiretur Israelem utrum audiret mandata Domini..., an non, 342B.

VI, 12. Dominus tecum, virorum fortissime, 2C, 283A.

XVI, 12. Ita rupit vincula, quasi fila telarum, 287D.

RUTH.

III, 11. Scit... omnis populus... mulierem te esse virtutis, 596A.

I REGUM.

II, 30. Quicumque glorificaverit me, glorificabo eum ; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles, 281A, 549A.

VII, 3. Præparate corda vestra Domino, 406B'.

XIV, 52. Quemcumque viderat Saul virum fortem et aptum ad prælium, sociabat eum sibi, 572B.

XXV, 3. Eratque mulier illa prudentissima et speciosa, 593C.

III REGUM.

II, 19. Positus... est thronus matri regis, quæ sedit ad dexteram ejus, 321A.

IX, 3. Sanctificavi domum hanc..., et erunt oculi mei et cor meum ibi cunctis diebus, 674C.

IV REGUM.

IV, 10. Faciamus... ei cœnaculum parvum, et ponamus ei in eo lectulum et mensam et sellam et candelabrum, ut quum venerit ad nos, maneat ibi, 691D.

II PARALIPOMENON.

XIX, 7. Sit timor Domini vobiscum, et cum diligentia cuncta facite, 465B.

XXV, 8. Si putas in robore exercitus bella consistere, superari te faciet Deus ab hostibus ; Dei quippe est et adjuvare et in fugam convertere, 19D.

TOBIÆ.

III, 22. Quia post tempestatem tranquillum facis, et post... fletum, exsultationem infundis, 569C'.

IV, 19. Consilium semper a sapiente perquire, 165C.

XII, 13. Quia acceptus eras Deo, necesse fuit ut tentatio probaret te, 308D.

JUDITH.

VIII, 23. Omnes qui placuerunt Deo, per multas tribulationes transierunt fideles, 342A.

XI, 18, 19. Mirabantur sapientiam ejus, et dicebant... : Non est talis mulier super terram, in adspectu, in pulchritudine et in sensu verborum, 590C.

XIII, 22. Benedixit te Dominus in virtute sua, quia per te ad nihilum redegit inimicos nostros, 375A.

— 23. Benedicta es... a Domino Deo excelso præ omnibus mulieribus super terram, 378A.

ESTHER.

II, 17. Adamavit eam rex plus quam omnes mulieres, 323C.

JOB.

I, 1. Erat vir... simplex, et rectus, ac timens Deum, et recedens a malo, 48B.

VII, 1. Militia est vita hominis super terram, 17B.

— 17. Quid est homo, quia magnificas eum ? Aut quid apponis erga eum cor tuum ? 241C'.

IX, 2, 3, 15, 20, 21. Scio... quod non justificetur homo compositus Deo ; si voluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere unum pro mille... Etiam si habuero quidpiam justum, non respondebo, sed meum judicem deprecabor... Si justificare me voluero, os meum condemnabit me... Etiam si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea, 34A.

XIII, 15. Etiam si occiderit me, in ipso sperabo, 266B'.

XXIV, 12. Deus inultum abire non patitur, 305A.

XXV, 3. Numquid est numerus militum ejus ? 433D.

XXVIII, 12. Sapientia... ubi invenitur, et quis est locus intelligentiæ ? 416B.

XXXI, 18. Ab infantia mea crevit mecum miseratio, et de utero matris meæ egressa est mecum, 298B.

XXXIV, 30. Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi, 509B.

XL, 18. Absorbebit fluvium, et non mirabitur, 586A'.

PSALMORUM.

XIV, 4. Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus, 370A'.

XVI, 15. Satiabor quum apparuerit gloria tua, 602A'.

XVIII, 5. In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum, 218C.

— 7. A summo cœlo egressio ejus, et occursus ejus usque ad summum ejus, 94C'.

— 13. Delicta quis intelligit ? Ab occultis meis munda me, 180C'.

XXV, 8. Domine, dilexi decorem domus tuæ et locum habitationis gloriæ tuæ, 689A.

XXX, 20. Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine ! 353C.

— 21. Abscondes eos in abscondito faciei tuæ, a conturbatione hominum ; proteges eos in tabernaculo tuo, a contradictione linguarum, 562B.

XXXIII, 3. In Domino laudabitur anima mea, 539 B.
— 20. Multæ tribulationes justorum, et de omnibus his liberabit eos Dominus, 347 B.
XXXV, 9, 10. Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos; quoniam apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen, 51 B'.
XXXVI, 40. Salvabit eos, quia speraverunt in eo, 136 D.
XLIV, 10. Adstitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate, 233 C'.
— 11. Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam, 664 D.
— 15. Adducentur regi virgines post eam, 500 D.
XLV, 5. Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus, 376 C.
XLVI, 10. Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham, quoniam dii fortes terræ vehementer elevati sunt, 511 C.
LI, 10. Ego autem sicut oliva fructifera in domo Dei, 215 C', 339 B.
LII, 6. Quoniam Deus dissipavit ossa eorum qui hominibus placent; confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos, 24 B'.
LXIII, 10. Annuntiaverunt opera Dei, et facta ejus intellexerunt, 55 D.
LXVII, 4. Justi epulentur et exsultent in conspectu Dei, et delectentur in lætitia, 524 C.
— 24. Intingatur pes tuus in sanguine, 401 A.
— — Lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso, 337 A.
— 26. Prævenerunt principes conjuncti psallentibus in medio juvencularum tympanistriarum, 498 A.
— 32. Æthiopia præveniet manus ejus Deo, 411 D.
— 36. Mirabilis Deus in Sanctis suis, 345 B, 576 A.
LXXI, 16. Erit firmamentum in terra in summis montium, 170 D'.
LXXVI, 3. Deum exquisivi manibus meis nocte contra eum, 35 C'.
LXXXIII, 12. Gratiam et gloriam dabit Dominus, 162 B.
LXXXVI, 3. Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei, 544 B, 669 D.
XC, 11. Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis, 442 D.
XCII, 5. Domum tuam decet sanctitudo, Domine, in longitudinem dierum, 683 D.
XCIII, 19. Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam, 306 C'.
CIII, 30. Emittes Spiritum tuum, et creabuntur, 115 C'.
— 31. Sit gloria Domini in sæculum, lætabitur Dominus in operibus suis, 501 C.
CIV, 21. Constituit eum dominum domus suæ, et principem omnis possessionis suæ, 210 D, 221 C.
CXV, 12. Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? 177 D.
— 16, 17. Dirupisti vincula mea; tibi sacrificabo hostiam laudis, 292 D.
CXVIII, 1. Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini, 531 C.
— 18. Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua, 56 B.
— 63. Particeps ego sum omnium timentium te, et custodientium mandata tua, 19 D'.
CXXI, 1. Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi : In domum Domini ibimus, 686 D.
CXXXVIII, 16. Imperfectum meum viderunt oculi tui, 330 C'.
CXLI, 8. Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo, 288 D'.
CXLIV, 18. Prope est Dominus omnibus invocantibus eum, omnibus invocantibus eum in veritate, 681 C'.
CL, 1. Laudate Dominum in Sanctis ejus, 539 B.

PROVERBIORUM.

IV, 23. Omni custodia serva cor tuum, 535 D.
V, 22. Iniquitates suæ capiunt impium, et funibus peccatorum suorum constringitur, 287 A'.
IX, 9. Da sapienti occasionem, et addetur ei sapientia, 461 B'.
XI, 17. Benefacit animæ suæ vir misericors, 556 C.
XIII, 3. Qui... inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala, 208 A.
— 20. Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit, 31 A.
XVII, 6. Gloria filiorum patres eorum, 376 A.
XVIII, 19. Frater qui adjuvatur a fratre, quasi civitas firma, 513 D.
XXII, 9. Qui pronus est ad misericordiam, benedicetur, 297 D.
— 28. Ne transgrediaris terminos antiquos quos posuerunt patres tui, 373 D'.
XXVII, 4. Ira non habet misericordiam, nec

erumpens furor ; et impetum concitati ferre quis poterit ? 545 C'.
XXXI, 10. Mulierem fortem quis inveniet ? 253 A.
— 23. Nobilis in portis vir ejus, quando sederit cum senatoribus terræ, 349 A.
— 29. Multæ filiæ congregaverunt divitias ; tu supergressa es universas, 385 C.

ECCLESIASTÆ.

I, 15. Stultorum infinitus est numerus, 102 C'.
II, 14. Sapientis oculi in capite ejus, 675 D.
III, 14. Omnia opera... fecit Deus ut timeatur, 345 B.
IV, 9, 10. Melius est... duos esse simul quam unum : habent enim emolumentum societatis suæ. Si unus ceciderit, ab altero fulcietur, 516 B, B'.
— 12. Funiculus triplex difficile rumpitur, 294 C.
VII, 3. Melius est ire ad domum luctus quam ad domum convivii, 533 C.
— 29. Virum de mille unum reperi, 274 B'.
XI, 10. Adolescentia... et voluptas vana sunt, 302 B.

CANTICI CANTICORUM.

I, 3. Trahe me post te, 69 B.
II, 2. Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias, 574 A.
— 3. Sub umbra illius quem desideraveram, sedi, et fructus ejus dulcis gutturi meo, 258 A.
— 4. Introduxit me in cellam vinariam, ordinavit in me caritatem, 260 A.
— 5. Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo, 265 B, 687 D'.
— 16. Dilectus meus mihi, et ego illi, 141 C'.
III, 1. In lectulo meo per noctes quæsivi quem diligit anima mea, 326 A.
V, 2. Ego dormio, et cor meum vigilat, 195 A.
— — Aperi mihi, soror mea, amica mea, columba mea, 659 A, 661 B.
— 3. Exspoliavi me tunica mea, quomodo induar illa ? Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos ? 262 D.

SAPIENTIÆ.

III, 6. Tanquam aurum in fornace probavit illos, et quasi holocausti hostiam accepit illos, 306 C.
III, 15. Bonorum... laborum gloriosus est fructus, 446 A.
VII, 7. Invocavi, et venit in me spiritus sapientiæ, 362 A.
— 29. Est... hæc speciosior sole, et super omnem dispositionem stellarum luci comparata, invenitur prior, 313 D.
VIII, 1. Attingit... a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter, 579 B.
— 19. Puer... eram ingeniosus, et sortitus sum animam bonam, 359 C.
X, 10. Justum deduxit per vias rectas, 646 B.
— 12. Certamen forte dedit illi ut vinceret, et sciret quoniam omnium potentior est sapientia, 652 B.
XII, 16. Virtus... tua justitiæ initium est, 102 B.
XIV, 11. Creaturæ Dei... factæ sunt et in tentationem... hominum, et in muscipulam pedibus insipientium, 608 C.

ECCLESIASTICI.

III, 20. Quanto magnus es, humilia te in omnibus, 236 A, 350 C', 440 B.
— 22, 23. Quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper, et in pluribus operibus ejus ne fueris curiosus : non est enim tibi necessarium ea quæ abscondita sunt videre oculis tuis, 362 B'.
IV, 36. Non sit porrecta manus tua ad accipiendum, et ad dandum collecta, 357 A'.
VII, 40. In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in æternum non peccabis, 18 A, 665 C'.
X, 9. Avaro... nihil est scelestius, 14 B'.
XIX, 1. Qui spernit modica, paulatim decidet, 331 D.
— 13. Corripe amicum, ne forte non intellexerit, et dicat : Non feci ; aut si fecerit, ne iterum addat facere, 92 D.
XXI, 30. Dum maledicit impius diabolum, maledicit ipse animam suam, 87 B'.
XXIV, 29. Qui edunt me, adhuc esurient, 327 D'.
XXVI, 21. Sicut sol oriens mundo in altissimis Dei, sic mulieris bonæ species in ornamentum domus suæ, 247 A.
XXVII, 6. Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis, 621 D.
XXXVIII, 25. Qui minoratur actu, sapientiam percipiet, 203 D.
XLII, 17. Nonne Dominus fecit Sanctos enarrare omnia mirabilia sua, quæ confirmavit

Dominus omnipotens stabiliri in gloria sua? 488 C.

XLIII, 2, 4, 5. Sol in adspectu... vas admirabile, opus Excelsi,... radios igneos exsufflans...; magnus Dominus qui fecit illum, et in sermonibus ejus festinavit iter, 482 C, 486 A.

XLIV, 15. Sapientiam ipsorum narrent populi, et laudem eorum nuntiet Ecclesia, 537 A.

— 20. Non est inventus similis illi... qui conservavit legem Excelsi, 70 A.

— 25. Benedictionem omnium gentium dedit illi Dominus, 555 A.

XLV, 4. Elegit eum ex omni carne, 560 C.

XLVIII, 11. Beati... qui te viderunt et in amicitia tua decorati sunt, 31 B.

— 13-15. In diebus suis non pertimuit principem..., et mortuum prophetavit corpus ejus; in vita sua fecit monstra et in morte mirabilia operatus est, 276 D, 557 D.

XLIX, 9. Male tractaverunt illum, qui a ventre matris consecratus est propheta, 370 A.

LI, 8. Laudabit usque ad mortem anima mea Dominum, 584 B.

ISAIÆ.

XI, 12. Levabit signum in nationes et congregabit profugos Israel, 388 A.

XXI, 8. Clamavit leo : Super speculam Domini ego sum, stans jugiter per diem; et super custodiam meam ego sum, stans totis noctibus, 35 B.

XXVII, 9. Iste omnis fructus, ut auferatur peccatum, 279 D'.

XXX, 21. Hæc est via; ambulate in ea, et non declinetis neque ad dexteram neque ad sinistram, 460 C.

XXXII, 18. Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, et in tabernaculis fiduciæ, et in requie opulenta, 481 A.

XXXV, 5, 6. Tunc aperientur oculi cæcorum, et aures surdorum patebunt; tunc saliet sicut cervus claudus, et aperta erit lingua mutorum, 200 A'.

XL, 17. Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, et quasi nihilum et inane reputatæ sunt ei, 649 A'.

XLII, 8. Ego Dominus, hoc est nomen meum; gloriam meam alteri non dabo, 244 B.

LIII, 4, 5. Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit;... disciplina pacis nostræ super eum, 66 B'.

LIII, 5. Vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, 394 B.

— 7. Sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se obmutescet, 392 D.

— 10. Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum, et voluntas Domini in manu ejus dirigetur, 61 A.

— 11. In scientia sua justificabit ipse... servus meus multos, 449 A.

LVI, 10, 11. Canes muti, non valentes latrare,... et canes impudentissimi nescierunt saturitatem, 337 B.

LVIII, 1. Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, et annuntia populo meo scelera eorum, 471 D'.

LXVI, 2. Ad quem... respiciam, nisi ad pauperculum et contritum spiritu? 352 D.

JEREMIÆ.

I, 10. Ecce constitui te... super gentes et super regna, ut evellas... et dissipes, et ædifices et plantes, 476 D.

XV, 19. Si separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris, 164 A'.

XLVIII, 36. Quia plus fecit quam potuit, idcirco perierunt, 653 D.

THRENORUM.

III, 4. Vetustam fecit pellem meam, 354 A.

— 20. Memoria memor ero, et tabescet in me anima mea, 328 D, 391 A.

— 21. Hæc recolens in corde meo, ideo sperabo, 391 A, 399 A.

— 27. Bonum est viro quum portaverit jugum ab adolescentia sua, 566 A.

— 28. Sedebit solitarius et tacebit, quia levavit super se, 239 B', 569 A.

— 41. Levemus corda nostra cum manibus ad Dominum in cœlos, 319 D', 564 B.

BARUCH.

III, 14. Disce ubi sit prudentia, ubi sit virtus, ubi sit intellectus, ut scias simul ubi sit longiturnitas vitæ..., ubi sit lumen oculorum et pax, 417 D.

— 24, 25. O Israel, quam magna est domus Dei et ingens locus possessionis ejus! magnus est et non habet finem, excelsus et immensus, 525 C'.

EZECHIELIS.

XIII, 22. Mœrere fecistis cor justi mendaciter, 99A'.
XVIII, 4. Ut anima patris, ita et anima filii mea est, 126B.
—21, 22. Si... impius egerit pœnitentiam, omnium iniquitatum ejus... non recordabor, 149C'.
XLIV, 2. Porta hæc clausa erit, non aperietur,... quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam, 318A.

DANIELIS.

II, 22. Ipse revelat profunda et abscondita, et novit in tenebris constituta, 450C'.
IX, 27. In dimidio hebdomadis deficiet hostia et sacrificium, 171B'.
X, 21. Nemo est adjutor meus... nisi Michael princeps vester, 434D.
XII, 1. Michael princeps magnus... stat pro filiis populi tui, 432A, 437C.
— 3. Qui... docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti; et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates, 413C.

OSEE.

II, 6. Sepiam viam tuam spinis, 260B.
— 14. Ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor ejus, 27A, 203C.
VI, 6. Misericordiam volui et non sacrificium, et scientiam Dei plus quam holocausta, 407B', 414D.
XIII, 9. Perditio tua, Israel; tantummodo in me auxilium tuum, 543A'.

MICHÆÆ.

III, 3. Pellem... desuper excoriaverunt, 351C.

HABACUC.

I, 13. Quare respicis super iniqua agentes, et taces devorante impio justiorem se? 367C.
II, 1. Super custodiam meam stabo, et figam gradum super munitionem, 514B'.

AGGÆI.

I, 6. Qui mercedes congregavit, misit eas in sacculum pertusum, 387D.
II, 24. Assumam te,... et ponam et quasi signaculum, quia te elegi, dicit Dominus, 336C.

MALACHIÆ.

I, 2. Dilexi Jacob, 274B.
— 6. Filius honorat patrem et servus dominum suum. Si ergo pater ego sum, ubi est honor meus? et si Dominus ego sum, ubi est timor meus? 629B.
II, 10. Numquid non pater unus omnium nostrum? Numquid non Deus unus creavit nos? Quare ergo despicit unusquisque nostrum fratrem suum, violans pactum patrum nostrorum? 431C.
III, 1. Ecce ego mitto angelum meum, et præparabit viam ante faciem meam, 194D, 206B.
— 18; IV, 1, 2. Convertemini et videbitis quid sit inter justum et impium, et inter servientem Deo et non servientem ei. Ecce enim dies veniet succensa quasi caminus; et erunt... superbi, et omnes facientes impietatem, stipula; et inflammabit eos dies veniens... Et orietur vobis timentibus nomen meum Sol justitiæ;... et salietis sicut vituli de armento, 39C'.

I MACHABÆORUM.

III, 1-4, 7, 9. Surrexit Judas... Machabæus... pro eo, et adjuvabant eum omnes fratres ejus..., et præliabantur prælium Israel cum lætitia; et dilatavit gloriam populo suo, et induit se loricam sicut gigas, et succinxit se arma bellica sua in præliis... ; similis factus est leoni in operibus suis... et in sæculum memoria ejus in benedictione,... et nominatus est usque ad novissimum terræ, et congregavit pereuntes, 625A.

II MACHABÆORUM.

XII, 46. Sancta... et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur, 547A.

MATTHÆI.

V, 10. Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum, 304C.
— 14. Vos estis lux mundi, 491A.

V, 44. Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos, 494 A'.
— 48. Estote... perfecti sicut et Pater vester cœlestis perfectus est, 634 C.
VI, 21. Ubi... est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum, 568 A'.
IX, 9. Surgens, secutus est eum, 408 C.
— 15. Numquid possunt filii sponsi lugere quamdiu cum illis est sponsus ? 418 D.
X, 16. Estote... prudentes sicut serpentes, 164 A.
— 28. Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere ; sed potius timete eum qui potest et animam et corpus perdere in gehennam, 225 A', 301 D.
XI, 11. Non surrexit inter natos mulierum major Joanne Baptista, 197 D.
— 12. Regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud, 272 B'.
XII, 18. Ecce puer meus quem elegi ; dilectus meus, in quo bene complacuit animæ meæ, 334 A.
— 32. Quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei ; qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo neque in futuro, 159 C.
XIII, 46. Inventa... una pretiosa margarita, abiit, et vendidit omnia quæ habuit, et emit eam, 588 C.
XVI, 18. Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, 224 A.
— 22. Absit a te, Domine, non erit tibi hoc, 222 B.
XVIII, 3. Nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum, 428 D.
XIX, 28. Vos qui secuti estis me,... sedebitis... super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel, 39 B.
XX, 22. Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum ? 272 B.
XXIV, 30. Tunc parebit signum Filii hominis in cœlo, 65 A.
— 45. Fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus... super familiam suam, 571 D.

MARCI.

VI, 20. Herodes... metuebat Joannem, sciens eum virum justum et sanctum, 372 C.
IX, 22. Omnia possibilia sunt credenti, 475 B.
XVI, 17, 18. Signa... eos qui crediderint, hæc sequentur : In nomine meo dæmonia ejicient, etc., 91 C.
XVI, 19. Dominus... Jesus... assumptus est in cœlum, et sedet a dextris Dei, 94 A.

LUCÆ.

I, 39. Exsurgens... Maria..., abiit in montana cum festinatione, 238 C.
— 42. Benedicta tu inter mulieres, 233 A.
— 43. Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me ? 241 B.
— 46, 47. Magnificat anima mea Dominum, et exsultavit spiritus meus in Deo salutari meo, 243 C.
— 48. Respexit humilitatem ancillæ suæ ; ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes, 235 D, 380 D, 381 C.
— 49. Quia fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen ejus, 381 D.
II, 21. Vocatum est nomen ejus... ab angelo priusquam in utero conciperetur, 455 A.
VI, 30. Omni... petenti te, tribue, 495 C'.
IX, 23. Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam quotidie, et sequatur me, 66 C'.
X, 2. Rogate... dominum messis, ut mittat operarios in messem suam, 508 D.
— 38. Intravit (Jesus) in quoddam castellum, 331 B.
— 42. Porro unum est necessarium, 256 A.
— — Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea, 255 D, 383 B.
XI, 10. Omnis... qui petit accipit, et qui quærit invenit, et pulsanti aperietur, 81 A.
XIV, 33. Qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus, 649 C.
XIX, 9. Hodie salus domui huic facta est, 680 A.

JOANNIS.

I, 5. Lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt, 492 D.
— 29. Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi, 67 C.
— 43. Invenit Philippum, et dicit ei Jesus : Sequere me, 45 D.
III, 16. Sic... Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam, 110 C.
— 29. Qui habet sponsam, sponsus est; amicus

autem sponsi, qui stat et audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi, 200C.
V, 35. (Joannes) erat lucerna ardens et lucens, 190A.
— 36. Opera... quæ dedit mihi Pater ut perficiam ea,... testimonium perhibent de me, 360B'.
— 44. Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis, et gloriam quæ a solo Deo est, non quæritis? 286B.
VI, 44. Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum, 155A.
— 59. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum, 183D.
X, 9. Ego sum ostium; per me si quis introierit, salvabitur, 132B.
XI, 5. Diligebat... Jesus Martham et sororem ejus Mariam et Lazarum, 281A.
XII, 25. Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam, 619B.
XIV, 9. Philippe, qui videt me, videt et Patrem, 50D.
XV, 1. Ego sum vitis vera, et Pater meus agricola est, 8C.
— 8. In hoc clarificatus est Pater meus, ut fructum plurimum afferatis, et efficiamini mei discipuli, 13D.
— 10. Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea, 10C.
— 26. Quum... venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me, 113C.
XVI, 7. Si... non abiero, Paracletus non veniet ad vos, 202A'.
XXI, 17. Pasce oves meas, 293A'.

ACTUUM.

I, 9. Videntibus illis elevatus est, et nubes suscepit eum ab oculis eorum, 86D.
II, 14. Stans... Petrus cum undecim, levavit vocem suam et locutus est, 145C.
— 42. Erant perseverantes in doctrina Apostolorum et communicatione fractionis panis, 175A'.
VIII, 15, 16. Oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum: nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu, 123C.
IX, 15. Vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus et regibus, 334A.
XI, 24. (Barnabas) erat vir bonus et plenus Spiritu Sancto et fide, 97A.
XII, 1, 2. Herodes... occidit... Jacobum, fratrem Joannis, gladio, 269C.
— 5. Oratio autem fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum prò eo, 290C.
— 7. Ceciderunt catenæ de manibus ejus, 285A.
XIII, 1. Erant... in Ecclesia... Antiochiæ Prophetæ et doctores, in quibus Barnabas et Simon... et Saulus, 98D.

AD ROMANOS.

V, 20. Ubi... abundavit delictum, superabundavit gratia, 27B.
VI, 19. Sicut... exhibuistis membra vestra servire immunditiæ et iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem, 254B'.
VIII, 24. Spe... salvi facti sumus, 134D.
XII, 1. Rationabile obsequium vestrum, 314D.

I AD CORINTHIOS.

VII, 34. Virgo cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore et spiritu, 662A.
XI, 23, 24. Dominus Jesus in qua nocte tradebatur, accepit panem, et gratias agens fregit, et dixit: Accipite et manducate; hoc est corpus meum... Hoc facite in meam commemorationem, 169D, 174D.
— 27. Quicumque manducaverit... vel biberit... indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini, 180A.

II AD CORINTHIOS.

IV, 17. Id... quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, 368A.
VIII, 18. Cujus laus est in Evangelio per omnes Ecclesias, 495C.

AD GALATAS.

II, 19, 20. Christo confixus sum cruci; vivo autem, jam non ego, vivit vero in me Christus, 310B.
VI, 14. Mihi... absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, 60C, 398B.
— 16. Quicumque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos, 452A.

VI, 17. Ego... stigmata Domini Jesu in corpore meo porto, 457 A.

AD EPHESIOS.

I, 4. Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, 156 A.
IV, 11. Dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem pastores et doctores, 404 D.
V, 1, 2. Estote... imitatores Dei sicut filii carissimi, et ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos, 137 C, 228 B, 397 A.
— 29. Nemo... unquam carnem suam odio habuit, 552 A.

AD PHILIPPENSES.

I, 9, 10. Caritas vestra magis ac magis abundet..., ut probetis potiora, 119 C.
— 23. Desiderium habens dissolvi et esse cum Christo, 121 A.
— 29. Vobis donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini, 604 D.

AD COLOSSENSES.

I, 22. Exhibete vos sanctos et immaculatos et irreprehensibiles coram ipso, 541 D.

I AD TIMOTHEUM.

I, 5. Finis... præcepti est caritas de corde puro et conscientia bona et fide non ficta, 116 D.
II, 8. Volo... viros orare in omni loco, levantes puras manus sine ira et disceptatione, 563 A.
III, 15. Scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi, 211 C.
IV, 13. Attende lectioni, exhortationi et doctrinæ, 24 A.

II AD TIMOTHEUM.

II, 3. Labora sicut bonus miles Christi Jesu, 631 D.
— 12. Si sustinebimus, et conregnabimus, 325 A.
IV, 5. Opus fac Evangelistæ, 32 D.
IV, 7. Bonum certamen certavi, 226 D.
— 17. Liberatus sum de ore leonis, 190 C'.

AD HEBRÆOS.

I, 14. Omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos qui hereditatem capient salutis, 440 B.
XI, 1. Est... fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium, 132 C.
XII, 3. Recogitate... eum qui talem sustinuit a peccatoribus adversum semetipsum contradictionem, ut ne fatigemini animis vestris, 470 A.

JACOBI.

I, 2. Omne gaudium existimate, fratres mei, quum in tentationes varias incideritis, 607 B.
V, 16. Confitemini... alterutrum peccata vestra, et orate pro invicem ut salvemini : multum enim valet deprecatio justi assidua, 75 C, D'.

I PETRI.

IV, 10. Unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei, 357 A.

I JOANNIS.

II, 6. Qui dicit se in ipso manere, debet sicut ille ambulavit et ipse ambulare, 629 A.
IV, 16. Deus caritas est, et qui manet in caritate, in Deo manet, 139 B.
— 19. Nos... diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos, 480 B'.
— 21. Hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligat et fratrem suum, 116 C.

JUDÆ.

17. Memores estote verborum quæ prædicta sunt ab Apostolis Domini nostri Jesu Christi, 518 C.
23. Odientes... eam quæ carnalis est maculatam tunicam, 263 A.

APOCALYPSIS.

I, 4. Gratia vobis et pax ab eo qui est,... et a septem spiritibus qui in conspectu throni ejus sunt, 423 C.

II, 10. Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ, 425A', 622C.
III, 4. Qui non inquinaverunt vestimenta sua,... ambulabunt mecum in albis, 671D.
— 12. Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei, 626A.
— 20. Sto ad ostium et pulso ; si quis audierit vocem meam et aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, et cœnabo cum illo, et ipse mecum, 186B, 410B, 692A.
VII, 14. Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna, et laverunt stolas suas... in sanguine Agni, 610B.
VIII, 1. Factum est silentium in cœlo quasi media hora, 183C.
XI, 4. Hi sunt duæ olivæ et duo candelabra, in conspectu Domini terræ stantes, 215C.
XXII, 4, 5. Videbunt faciem ejus..., et regnabunt in sæcula sæculorum, 534C.

INDEX

NOMINUM ET RERUM NOTABILIUM

A

ABAGARUS, rex Edessæ. Ejus epistola ad Christum, 510 B'. — Ejus curatio, 511 A.

ABIATHAR, pontifex Judæorum, 271 B.

ABNEGATIO, 615 B, 642 D et s., 645 B', 666 D. — Abnegatio religiosorum, 464 A', 615 D'.

ABRENUNTIATIO triplex, 649 C.

ABSALON, 663 D'.

ABSTINENTIA, 602 A. — Exempla abstinentiæ, 25 B, 70 C. — *Cf.* Cibus, Potus, Sobrietas, Temperantia.

ACEDIA, 291 C'.

ACHERON, 666 C. *Cf.* Infernus.

ADAM utrum contra Spiritum Sanctum peccaverit, 161 C'.

ADONIS, 663 D'.

ÆDIFICATIO proximi, 239 C, 430 A', 688 C.

ÆGIDIUS Romanus, 171 D.

ÆGIDIUS (Frater), socius S. Francisci, 466 D'.

AFFECTIONES spirituales, 294 B. — Affectiones emundandæ, 56 D, 632 D'.

AGAPITUS (S.), 302 C'.

AGATHA (S.), 289 D, 474 B, 626 D'.

AGATHON abbas, 34 A.

AGNES (S.), 299 C', 559 A, 626 D'.

ALBERTUS (B.) Magnus, 103 B, 171 D, 184 C', 463 D.

ALCORANUS, 198 D'.

ALEA. Ludus aleæ, 9 C.

ALEXANDER de Hales, 463 D.

ALEXANDER (S.) Papa I. Ejus miracula, 286 A'.

ALGAZEL, 103 A'.

ALMACHIUS, præfectus Romæ, 575 A.

ALPHÆUS, pater SS. Simon et Judæ, 512 A.

AMATOR (S.), episcopus Antisiodorensis, 283 B.

AMBITIO vitanda, 24 A, 273 D, præsertim religiosis, 277 D et s., 518 C', 654 D.

AMBROSIUS (S.), 20 A, 94 A', 102 B', 230 C, etc. — Ejus gesta et virtutes, 24 A et s., 358 D, 679 A', altissima contemplatio, 186 D'. — Quid locutus sit de conversione S. Augustini, 358 A', 362 C.

AMOR, 114 B. — Amor privatus, 34 C', 458 C', sensualis, 202 A', vel carnalis, 292 A', 619 D. — Amor ecstaticus, 141 A'. — Amor Dei, 105 A', 110 C' et s., 117 A, 121 C, 137 D, 139 B et s., 140 A', 458 A', 463 D', 619 A, 620 B', 635 D et s., quomodo animam transformet, 186 C. — Exempla amoris spiritualis, 202 C, 598 A. — *Cf.* Caritas.

ANACLETUS (S.) Papa, 49 B.

ANASTASIA (S.), 304 C', 536 B.

ANDREAS (S.) apostolus, 389 C.

ANGELI. Eorum natura, 432 A, 437 C', et numerus, 288 C, 433 D, 437 B. — Ipsorum hierarchiæ et ordines, 432 A', 437 D', dignitas et perfectio, 438 A, 538 C, beatitudo, 436 B, 438 A', 523 C', honorabilitas, 436 D, amabilitas, 436 B', caritas, 438 C', officia erga homines, 423 C', 425 C', 431 C', 434 D', 440 C, 442 D. — Angeli custodes, 288 B, 428 B', 431 A', 433 C', 442 A. — Variæ angelorum apparitiones, 288 A', 435 D et s., 456 C', 469 C, 489 A', 513 B, 521 C, 557 C, B', 558 C, 559 A, 592 C, C', 676 D', 677 B et s. — De angelorum cultu, 351 A, et festo, 434 D, 435 D, 437 A. — Quo sensu homo creatus fuerit ad supplendum angelorum casum, 157 D et s., et prædestinati pertingant ad angelicos ordines, 443 A'. — Vita angelica, 438 B' et s., 441 A, in virginibus, 660 B'. — Angeli mali utrum contra Spiritum Sanctum peccaverint, 161 C'.

ANIMA quomodo salvanda, 616 C' et s., et per amorem Dei transformanda, 186 C. — Quo sensu digna fiat Domini domus, 684 A, 685 B, 687 C et s., 691 D et s. — Ejus decor, 666 A', 671 C, 689 A et s., divitiæ, 385 C et s., refectiones, 515 A'. — *Cf.* Christianus, Cor, Homo, Mens.

ANNA (S.), mater B. V. Mariæ, 379 A et s.

ANSELMUS (S.), 103B', 126C', 158A, A', 222A.
ANTIOCHUS rex. Ejus infructuosa pœnitentia, 40C.
ANTONIUS (S.). Ejus gesta, 21A, 33C, 469B, sapientia, 648B', doctrina, 165D, 386C', 466D', 694C.
ANTONIUS, maritus Cleopatræ reginæ, 287A.
APOLLOPHANES, consocius S. Dionysii, 483D', 484C.
APOSTOLI. Eorum dignitas, 349A, 351C, 511C, missio, 55D, 85C', 89D', symbolum, 145C et s., prædicatio, 91B, 395D', tribulationes, 478D.
APPARITIO S. Michaelis in monte Gargano, 435D et s. — Variæ angelorum apparitiones. *Vide* Angeli.
AQUILA, frater S. Clementis, 271A. *Cf.* Faustus.
ARISTOTELES, 52A', 94B', 102B, 105B, 117A, 125D', 126B, 130B, 133A, 134C', 137C, 157D', 159C', 160A, 164A, 165A, 170B, 193D', 314A, 349C, 416B, 417A, 446A', 463D', 542C', 632A, 663D'.
ARIUS, 123B. — Ariani, 25B', 556D', 559C, 678C'.
ARMATURA Dei, 515C', 600A', 623D. *Cf.* Certamen.
ARSENIUS (S.) abbas, 563A'.
ARTICULI fidei, 150C. *Cf.* Fides.
ASCENSUS laudabilis, 96B, vitiosus, 96B'. *Cf.* Profectus.
ASTAROTH idolum, 344A, 345C'.
ATHANASIUS (S.), 648B'.
AUDITUS sanctificandus, 665C, 675A'.
AUGUSTINUS (S.), 11A', 12A', 13A', C', 44D, 63A, etc. — Ejus conversio, 358A, 359C, 362B, gesta et virtutes, 357B', 359A, C', 362C et s., 448B', altissima contemplatio, 186D', 358D', 360B et s., 362A, institutum religiosum, 358B', 363B, obitus, 359B.
AUREA (S.), filia S. Gerasinæ, 499D', 503A'.
AVARITIA, 13D et s., 413A. *Cf.* Cupiditas.
AVERROES, 125D', 170B, 187A.
AVICENNA, 52A', 103A'.
AVITIANUS comes, 558B.

B

BABILA (S.), filia S. Gerasinæ, 499D', 503A'.
BALDACH idolum, 348D.
BAPTISMUS. Ejus effectus, 124B. — Pueri sine Baptismo defuncti, 127B.
BARBARA (S.), 474B, 626D'.
BARNABAS (S.) apostolus. Ejus paupertas, 97A, prædicatio, 97B, 576D', spiritus propheticus, 97A', martyrium, 97C', 99B.
BARTHOLOMÆUS (S.) apostolus. Ejus nobilitas, 349A et s., gesta et virtutes, 342A' et s., 354A et s., sapientia, 347C, prædicatio, 343A, miracula, 343D', 345B', 351D', martyrium, 348B, 353C', 356A.
BARTHOLOMÆUS (Pisanus), 16A.
BASILIUS (S.), 80A', 82B, 615C.
BASILIUS, prior Cartusiæ, 570A'.
BEATITUDO cœlestis, 42A, 51A, 417A', 526D, 599A', 604A', 627C', 640D', 661A', 671B. — Beatitudines evangelicæ, 528B et s., 544C' et s., 601A et s. — *Cf.* Cœlum, Ecclesia, Visio.
BEDA (S.) Venerabilis, 73B, 74B, 171A', 198A', 210B, 224C', 232A, 249B, 484B', 506B, 645D'.
BELETH (Joannes), 269D'.
BENEDICTUS (S.), 291C. — Ejus Regula, 354C'.
BENEFICIA Dei, 111B, 121D', 140C', 275B, 624B'. — Beneficia Christi, 178B.
BERITH idolum, 344A, 345C'.
BERNARDUS (S.), 12C', 20A', 94D', 136A, etc. — Ejus gesta et virtutes, 252B, 334A et s., 336C et s., sapientia, 335C, 648B', prædicatio, 335D, 341C, miracula, 335B', 341A', obitus, 336B.
BOETIUS (B.), 374B.
BONAVENTURA (S.), 12C', 136B, 163D, 171D, 293C, 391A', 431B, 463D, 470C.
BONIFACIUS Papa IV, 537A'.
BRICCIUS (S.), *alias* Britius, episcopus Turonensis, 557A et s.
BRIGITTA (S.). Ejus Revelationes, 437B, 485C'.

C

CÆCILIA (S.), virgo et martyr. Ejus gesta et virtutes, 574A et s., supplicia, 575B.
CÆSARIUS (S.) miles, 500A.
CAIUS monachus, ad quem scripsit S. Dionysius, 484D'.
CANES. Illis quinam assimilentur, 337B.
CARITAS, 116C et s., 162C', 227B', 357A, 384C', 480B, 598A. — Ejus effectus, 265C' et s., signa, 361B', gradus, 119C et s., profectus, 137C et s., 636D, perfectio, 265C, 463C et s. — Caritas fraterna, 99A', 118D, 397A, 452A, 464C, 622A, 670A, erga inimicos, 494A'. — Præceptum caritatis, 635D et s. — Caritas angelica, 438C'. — Exempla

caritatis fraternæ, 228 B, 555 B'. — *Cf.* Amor, Dilectio.
CARO. Vitia carnis quomodo expugnanda, 22 B. *Cf.* Corpus.
CAROLUS Magnus, 473 B, 485 B'.
CARTUSIA. Laudantur antiqui Cartusiæ monachi, 570 D. — Cartusiensis Ordo, 462 B', 568 B, 573 C', ejusque Statuta, 203 C, 562 D. — *Cf.* Religiosi.
CASSIANUS (S.) episcopus, 284 B.
CASSIANUS (Joannes), 16 C', 21 B', 165 D, 210 C, 469 C, 648 A', 649 C', 651 A', 652 A'.
CASSIODORUS, 626 C.
CASTELLUM figurat B. V. Mariam, 318 B, unumquemque fidelem, 319 D', et cœnobium, 331 B et s.
CASTITAS, 493 A, 596 D. — Exempla castitatis virginalis, 574 A, 596 A', 609 C', 664 A'.
CATHARINA (S.), virgo et martyr, 474 B. — Ejus conversio, 591 A, visio, 591 D, gesta et virtutes, 585 B' et s., 588 C et s., 590 C et s., 593 C, 596 A et s., prædicatio, 591 D', miracula, 592 B', martyrium, 592 B', sepultura, 593 B, 596 C.
CATHARINA (S.) de Senis, 353 A.
CATO, 483 C.
CELLA quomodo custodienda, 239 A', 240 D, 561 D', ut consolationibus divinis repleatur, 562 B. — Cella vinaria multiplici sensu intelligitur, 260 B' et s. — *Cf.* Religiosi, Solitudo.
CELSUS, 270 C'.
CERTAMEN bonum, 228 A', 451 B, 611 D', 623 C, 633 B. — Exempla boni certaminis, 228 B'. — *Cf.* Armatura, Militia, Victoria.
CHRISTIANUS debet Christum imitari, 629 A et s., templum fieri Dei, 675 A et s., 684 A, 685 B, ipsique fidelem se præbere, 622 C et s. — Ejus quotidiana exercitia, 685 B'. — Mali Christiani, 685 D'. — *Cf.* Anima.
CHRISTINA (B.), 627 B.
CHRISTOPHORUS (S.), 678 D'.
CHRISTUS, Filius Dei, 147 A, natus ex Virgine, 147 B', Salvator, 624 C, Redemptor, 394 B' et s., 525 B, via, veritas et vita, 43 C, lux, 108 C, panis vitæ, 153 B, vitis vera, 3 C et s., ostium, 130 D'. — Ejus prædestinatio, 156 D, humanitas, 95 A, 539 B', corpus, 172 D, potestas, 147 D, innocentia, 67 C, sapientia, 405 D', misericordia, 410 D, 673 B, liberalitas, 405 C', beneficia, 178 B, medicina, 410 C', 420 B'. — Ejus miracula, 144 A', eloquentia, 409 A, passio, 60 B et s., 62 A, 63 D', 66 C, 67 A', 391 A et s., 396 C, 399 A et s., descensio ad inferos, 148 B, resurrectio, 148 A', apparitiones post resurrectionem, 84 B, ascensio, 86 A, 88 C', 90 D', 94 C et s., 148 B', secundus adventus, 617 D'. — Quomodo a Patre datus, 104 C. — Christus quærendus, 328 A', 683 A, diligendus, 598 A, imitandus, 86 D, 629 A et s. — Illi adhærendum, 69 B, et præparandum cor quasi cœnaculum, 692 A et s. — Quantum nos diligat, 7 C, 94 A, 397 A', 425 D. — Sponsa ejus multiplex, 659 A, 661 A, 671 A'. — Illi specialiter conformantur martyres, 606 A'. — Convivium spirituale cum Christo, 410 A. — *Cf.* Deus, Incarnatio, Passio, Verbum.
CHROMATIUS episcopus, 537 B'.
CHRYSOSTOMUS (S.), 129 B, 207 A, 224 C', 290 C', 291 A, etc.
CIBUS moderate accipiendus, 363 D. *Cf.* Abstinentia.
CICERO, 164 C, 446 B', 465 C', 483 C, 663 D'.
CILINIA, mater S. Remigii, 455 B.
CIRCUMSPECTIO, 514 A'.
CLAUDIUS imperator, 217 B.
CLAVES. Potestas clavium, 214 D.
CLEMENS (S.) Papa et martyr, 49 D, 97 C, 211 D', 217 B, 220 B', 226 A, 293 A', 294 D, 476 C, 484 B'. — Ejus gesta et virtutes, 576 A et s., 579 C' et s., consortium cum S. Petro, 577 A et s., pontificatus, 577 C', 580 D, scripta, 576 B, 577 D, 578 C, miracula, 578 D, martyrium, 578 A'. — Ejus fratres, 271 A.
CLEMENS (S.) episcopus, de quo in Legenda S. Ursulæ, 499 C', 503 A'.
CLEOPATRA regina, 287 A.
CLETUS (S.), 217 B.
CLIMACUS (S. Joannes), 136 D', 165 D', 166 A.
CLODOVÆUS, rex Francorum. Ejus conversio, 455 A', baptismus, 455 C', liberalitas, 456 B, pœnitentia, 485 B'.
COELUM empyreum, 525 B'. — Cœli diversi numerantur, 403 A. — *Cf.* Beatitudo.
COENOBIUM castello assimilatum, 331 B et s. — Vita cœnobitica utrum anachoreticæ præferenda, 516 B. — *Cf.* Religiosi.
COLLOQUIA religiosorum, 338 C.
COLUMBANUS (S.), 526 B.
COMESTOR (Petrus), auctor Scholasticæ historiæ, 101 B', 210 B.
COMMEMORATIO omnium fidelium defunctorum quomodo instituta, 547 A.
COMMUNIO eucharistica, 168 C, 173 B et s., 242 A. — An quotidie communicandum,

169B'. — Communio indigna, 168A'. — Narratur miraculum post communionem, 237D'. — Communio sanctorum, 149D. — *Cf.* Ecclesia, Eucharistia.
CONCILIUM Lugdunense, 10C', Toletanum, 11A.
CONCORDIA, 439C', religiosorum, 520A'. *Cf.* Caritas.
CONCORDIA (S.), 305A'.
CONCUPISCENTIA, 124B et s. *Cf.* Caro.
CONFESSIO triplex, 585D'. — Confessio fidei, 618D, 620C. — Confessio sacramentalis, 73A.
CONFESSOR sanctus quibus virtutibus ornetur, 630D et s., 632C et s., 636B et s.
CONFIDENTIA in Deo, 136D, 275A'. *Cf.* Spes.
CONSCIENTIA. Examen conscientiæ, 262A'.
CONSIDERATIO multiplex ad profectum inducens, 504D'.
CONSILIA evangelica, 492D et s., 495C et s., 635C'.
CONSOLATIO divina, 242A', quomodo concedatur, 418D', 562B, et auferatur, 419B, C'.
CONSTANTIA. Exempla constantiæ in tentatione, 20C, 21B', 22C', 28D, 569B.
CONSTANTIA (S.) regina, 500A, 503A'.
CONSTANTINUS imperator, 65B, 389C'.
CONTEMPLATIO, 454B, 595B, 636B'. — Præparatio ad contemplationem, 56C. — Mysteria contemplanda, 364A', 416B'. — Contemplatio Dei secundum philosophos, 52D. — Exempla contemplationis, 28C', 186A', 258D, 360B et s., 454D, 459D', 461C, C'. — *Cf.* Ecstasis, Oratio, Theologia.
CONTENTIONES vitandæ, 54B.
CONTRITIO, 68D, 687A'.
CONVERSIO, 409A'. — Quantum mereatur qui alium convertit, 74D. — Exempla conversionis, 27C, 249A et s., 270C, 271B, C', 358A, 406D, 483D, 591A.
CONVIVIUM spirituale cum Christo, 410A.
COR. Ejus custodia, 352C', munditia, 530B, 535C, 553A, 554A, præparatio ad charismata Spiritus Sancti, 406A'. — Quo sensu fiat Christi cœnaculum, 692A et s. — *Cf.* Anima.
CORDULA (S.), 500A.
CORPUS castigandum, 205D'. — Carcer corporis, 288D'. — Corporalia exercitia quo spiritu facienda, 91C. — *Cf.* Caro.
CORRECTIO et Correptio fraterna, 74D', 87D, 92C, qualiter facienda, 202D', 497A', et accipienda, 36C, 92C', 212B', 429B. — Utrum inferior possit superiorem corripere, 441D. — Religiosus correctionem fugiens, 307B.
COSDROE (*alias* Chosroes), rex Persarum, 389D'.
COSMAS (S.), 322B.
COSTIS rex, pater S. Catharinæ, 590C'.
CREATIO cœli et terræ, 146C. — Creatura rationalis quo sensu sit sponsa Dei, 659A'. — Creaturæ manifestant Creatorem, 595A', cujus respectu sunt despiciendæ, 383C', 647B. — Illis utendum, non fruendum, 112B'. — Ordo creaturarum, 423C, 437C.
CROESUS, 663D'.
CRUX Christi quomodo inventa a S. Helena, 65B, et ab Heraclio imperatore recuperata, 389D', atque honorata, 390A. — Ejus multiplex exaltatio, 388A et s., et miracula, 390A', 393A'. — Devotio erga crucem, 60B, 66C', 391A et s., 396C, 399A et s. — Qualiter crucem ferre debeamus, 643B', et in illa gloriari, 398B. — *Cf.* Passio.
CUPIDITAS, 519B. *Cf.* Avaritia.
CURIOSITAS vitanda, 88D.
CUSTODIA cordis, 352C'.
CYPRIANUS (S.) præsul, 660C'.
CYRIACUS (S.), de quo in Legenda S. Ursulæ, 499B, A', 502B', 503C.
CYRILLA, filia Decii Cæsaris, 305D'.
CYRILLUS (S.), Alexandrinus episcopus, 224D, 293C, 448B'.
CYRILLUS (de Guidone), auctor Proverbiorum, 166A'.

D

DACIANUS tyrannus, 2D', 627B. — Ejus uxor pro Christo occisa, 3B.
DÆMON vel Diabolus quam malignus, 586A', 644B'. — Quomodo a Christo victus, 347C, et a Maria, 378B. — Dæmonum insidiæ, 18A', 288B'. — Dæmonibus resistendum, 20B', 279A et s., 287A', 346C', 476C'. — Illis terribilis est ecclesia materialis, 678B', sed magis Ecclesia spiritualis, 679C.
DAGOBERTUS rex, 485C'.
DAMARIS, uxor S. Dionysii, 484A'.
DAMASCENUS (S. Joannes), 44A', 80D, 132D, 147B', D', 149D', 403A, 485A, 550C.
DARIA (S.), mater S. Ursulæ, 499C', 503C, A'.
DAVID a pueritia contemplativus, 361C. — Ejus juramentum de Nabal occidendo, 369A.
DECIUS Cæsar, 303B et s., 305C, A', C', 306A', 627B.
DECRETUM (Gratiani), 10C', 11A, 49B, D, 92D, 218C, 290A', 578D.

DEDICATIO ecclesiæ, 680 D, 682 B, 686 A', 687 B.
DEFUNCTI. Pro illis orandum, 320 A', quare, 547 B et s. — Opera quænam pro illis offerenda, 548 B. — Institutio commemorationis omnium fidelium defunctorum, 547 A.
DEMETRIA (S.) regina, 503 D.
DEMOPHILUS monachus, 484 D'.
DETRACTIO non audienda, 690 C'.
DEUS, bonum infinitum, 383 C, Creator cœli et terræ, 146 C, Pater noster, 624 A', Dominus noster, 622 C', Rex noster, 623 C. — Ejus perfectio, 102 B, 110 D, 121 A', majestas, 524 D', omnipotentia, 145 D', 540 A', 595 A', sapientia, 88 A, justitia, 600 A', misericordia, 112 A, 315 A', 328 D, 539 C, liberalitas, 204 C, erga orantes, 81 A. — Ejus opera, 345 B, beneficia, 111 B, 121 D', 140 C', 275 B, 624 B', visitationes, 241 D' et s., consolationes, 418 D. — Quomodo nos diligat, 104 C et s., 111 A', 150 D, 480 A et s., tentet, 608 C, tentatos adjuvet, 21 D. — Deus, finis et objectum virtutum theologicarum, 135 B', est colendus, 34 D, fideliter serviendus, 622 C et s., audiendus, 665 C, amandus, 105 A', 110 C' et s., 117 A, 121 C, 137 D, 139 B et s., 140 A', 458 A', 463 D', 619 A, 620 B', 635 D et s., contemplandus, 595 B, 647 B', 648 B, 649 A, magnificandus, 237 A', 243 C et s., laudandus, 584 B, 585 D, in Sanctis suis, 539 B et s. — Qualiter electos protegat, 191 B', variis modis alliciat, 260 A, et glorificet, 549 A. — Quanto odio habeat peccatum, 180 A. — Illi conformemur, 349 C', 634 C et s., et tanquam parti optimæ adhæreamus, 383 C' et s.; in illo confidamus, 136 D, 275 A', et gloriemur, 655 A; illo fruamur, 112 B'; in ipso nosmetipsos diligamus, 646 D. — Familiaritas cum illo habenda, 274 B et s. — Domus ejus multiplex, 684 B', 686 D. — Visio Dei in cœlo, 50 D et s., 152 B'. — *Cf.* Christus, Pater, Spiritus, Trinitas.
DEVOTIO in celebratione Missæ, 26 B. — Devotio erga crucem, 60 B, 66 C', 391 A et s., 396 C, 399 A et s., et passionem Christi, 457 A, 459 D', 470 B.
DIACONATUS, 309 B'.
DILECTIO Dei, 275 A, 585 C, 602 C'. *Cf.* Amor, Caritas.
DIONYSIUS (S.) Areopagita, 4 C', 74 D', 82 A', 103 A, 108 B', 132 D, B', 157 D', 172 C', 214 D', 219 A, D, B', 266 D, 288 C, 309 C', 322 D, 347 D', 357 A, 377 A, 403 A', 432 D, 437 A', 438 D', 441 B, 468 A, 588 B', 641 A, 648 A', 689 B. — Ejus gesta et virtutes, 380 B, 475 D' et s., 479 D et s., 486 A et s., 489 A, 577 D', ingenium naturale, 483 B, conversio, 483 D et s., contemplatio, 482 A, doctrina, 482 C, 648 D', prædicatio, 476 B, 488 A, scripta, 484 C', 487 D', 488 D, martyrium prodigiis illustratum, 476 C', 477 A, A', 485 A, 489 D.
DIONYSIUS (S.) Papa, 305 D'.
DISCRETIO, 165 C, 653 C, 691 C. — Discretio spirituum, 288 B', per exempla docetur, 21 A, 559 A. — *Cf.* Prudentia.
DIVITIÆ animæ, 385 C et s.
DOCILITAS, 46 D. *Cf.* Obedientia.
DOMINICA dies quomodo sanctificanda, 10 C et s.
DOMITIANUS imperator, 485 A, 577 D'.
DOMITILLA (S.) virgo, 577 D'.
DOMUS Dei multiplex, 684 B', 686 D.
DONUM sapientiæ, 182 D', 384 C', scientiæ et consilii, 386 C'. — Dona naturæ donis gratiæ quam inferiora, 663 C'.
DOROTHEUS (S.), episcopus Tyri, 97 A', 100 C'.
DOROTHEUS diaconus, 484 D'.
DOROTHEUS rex, 500 A.
DURANDUS (Campanus, O. M.), 8 D', 10 B, 16 A.

E

EBIONITÆ, 47 A'.
ECCLESIA catholica, 149 B, militans, 214 A, 587 B, 656 C et s., 668 A et s., 669 D et s., 679 C, triumphans, 523 C, 544 B, 684 B'. — Potestas ecclesiastica, 292 D. — Pro Ecclesia orandum, 471 A', et laborandum, 471 D'.
ECLIPSIS tempore passionis Christi peracta, 483 D'.
ECSTASIS, 183 A. *Cf.* Contemplatio.
EGIPPUS, rex Æthiopiæ, 412 C.
ELECTI quomodo a Deo variis modis alliciantur, 260 A, protegantur, 191 B', et glorificentur, 549 A. — Eorum numerus, 157 D et s., 524 C' et s., tentationes, 607 C', tribulationes, 40 C', 304 C, 306 C, 342 A, 367 C, 370 A, 371 A', 373 B, 551 B, 607 B, 610 C' et s. — *Cf.* Sancti.
ELEEMOSYNA, 98 B, 296 A et s.
ELEUTHERIUS (S.), diaconus et martyr, 476 D, 482 A', 484 B', 485 B, A', 488 A'.
ELIAS propheta. Ejus potens oratio, 74 B, 76 B.
ELISABETH (S.), mater S. Joannis Baptistæ, 192 C et s., 231 B et s., 236 B', 239 A, 241 B.
ELISABETH (S.) de Spalbeeck, 98 B', 460 A.

ELIUD, frater S. Elisabeth, matris S. Joannis Baptistæ, 70 B.
EMIN, pater S. Servatii, 70 B.
EPHIGENIA (S.), 412 D, 420 A.
EPISTOLA ad Fratres de Monte Dei, 341 B, 462 B', 469 C.
EQUITIUS (S.), 393 C'.
ESMERIA, soror S. Annæ, 70 B.
ETHEREUS (*alias* Ætherius) rex, sponsus S. Ursulæ, 499 D', 502 B', 503 D.
EUCHARISTIA, 153 B, 154 B, 168 A, 178 A' et s., prænuntiata, 170 C', 171 B', et firma fide adoranda, 179 A'. — Ejus institutio, 167 A et s., 169 D, et mirabiles effectus, 184 C' et s. — Eucharistiæ sacramentum, 171 A, 172 B, 184 A', et sacrificium, 168 D'. — Quando post Christum consecrari cœperit, 175 D. — Origo festi in ejus honorem, 175 B et s. — *Cf.* Communio, Missa.
EUDOXIA, filia Theodosii imperatoris, 287 A.
EUSEBIUS (S.), discipulus S. Hieronymi, 447 C, 448 B', D', 449 A'.
EUSTOCHIUM (S.), 446 B.
EVA, reclusa in Leodio, 175 B.
EXAMEN conscientiæ, 262 A'.
EXEMPLA Sanctorum imitanda, 220 B. — Exemplis proximus erudiendus, 414 C'. — Narrantur exempla abstinentiæ, 25 B, 70 D, amoris spiritualis, 202 C, 598 A, caritatis fraternæ, 228 B, 555 B', castitatis virginalis, 574 A, 596 A', 609 C', 664 A', certaminis boni, 228 B', constantiæ in tentatione, 20 C, 21 B', 22 C', 28 D, 569 B, contemplationis, 28 C', 186 A', 258 D, 360 B et s., 454 D, 459 D', 461 C, C', conversionis, 27 C, 249 A et s., 270 C, 271 B, C', 358 A, 406 D, 483 D, 591 A, devotionis erga passionem Christi, 457 A, 459 D', 470 B, devotionis in celebratione Missæ, 26 B, 570 D', 573 A, discretionis spirituum, 21 A, 559 A, fervoris monastici, 558 B', 561 C', 562 C', fidei, 473 A et s., fortitudinis, 2 C et s., 25 B', 219 A et s., 247 A', 303 B, 348 B, 356 A, 485 B, 498 A et s., 513 B, 557 D, 561 D, 575 B, 593 A', hospitalitatis, 281 A, humilitatis, 24 A, 26 B', 36 D', 226 A, 556 D, 581 B', innocentiæ, 458 A', 459 D, 566 A, misericordiæ erga pauperes, 302 D', erga peccatores, 25 C, mortificationis, 283 A', 339 C et s., 458 C, 567 A, obedientiæ, 46 B, 409 C', 567 C, orationis, 74 B, 354 C', 564 B, patientiæ, 71 A', 336 A, 447 B, 556 C', perfectionis religiosæ, 33 B, pœnitentiæ, 28 A, 359 B, 363 B, 456 B', sapientiæ, 47 A, 347 C, 591 D', 593 C, 648 C', vitæ eremiticæ, 199 A, 258 B, 447 B', 449 A', 451 A', zeli apostolici, 31 A', 46 A', 47 A', 97 B, 143 A et s., 216 A et s., 218 C, 256 D' et s., 269 C', 277 B, 335 D, 341 C, 343 A, 405 D, 455 A', 460 B, 476 B, 510 A', 559 C, 574 B et s., 577 D'. — *Adde* Christus, Maria.
EXERCITIA corporalia, 91 C.

F

FAMILIARITAS cum Deo habenda, 274 B et s. *Cf.* Caritas.
FAUSTINIANUS, pater S. Clementis, 576 B, B', 577 C.
FAUSTINUS, frater S. Clementis, 576 B, vocatur etiam Nicetas, 271 A, 577 B.
FAUSTUS, frater S. Clementis, 576 B, vocatur etiam Aquila, 271 A, 577 B.
FELICISSIMUS (S.), 302 B'.
FELICITAS (S.), 478 D'.
FEMINÆ non diu extra domum maneant, 236 C.
FERVOR monasticus exemplis commendatur, 558 B', 561 C', 562 C'.
FESCENNIUS præfectus, 477 A', 485 A.
FESTA quomodo observanda, 10 C et s.
FIDELITAS Deo debita, 622 C et s.
FIDES, 106 D, 107 D', 132 B et s., 225 D, 252 C', 386 D, 605 A. — Ejus argumenta, 87 B', 133 A', 170 A', 185 D', 270 C', 360 B et s., 424 B, et efficacia, 475 B et s. — Fidei mysteria, 394 B, symbolum, 145 C et s., articuli, 150 C, confessio, 618 D, 620 C. — Fides martyrum, 473 A et s., 605 A' et s., 627 A'.
FIDUCIA sanctorum, 481 B.
FILII utrum pro peccatis parentum juste puniantur, 125 D'.
FLORENTINA (S.), 500 A, 503 A'.
FOLLIANUS (S.) *alias* Foilanus, præsul Lucensis, 499 C', 503 C.
FOMES. *Vide* Concupiscentia.
FONS spiritualis, 581 C.
FORTITUDO spiritualis, 516 A, 597 B, 660 A, 691 A. — Alia fortitudo martyrum, 627 C, alia reproborum, 627 D. — Exempla fortitudinis, 2 C et s., 25 B', 219 A et s., 247 A', 303 B, 348 B, 356 A, 485 B, 498 A et s., 513 B, 557 D, 561 D, 575 B, 593 A'.
FRANCISCUS (S.) Assisiensis. Ejus gesta et virtutes, 457 B et s., 464 C', 470 A, innocentia, 458 A', 459 D, lætitia perfecta, 459 B, 462 C, contemplatio, 459 D', 461 C, C', prædicatio, 460 B, Ordo, 462 A', 465 C et s., Regula, 460 C

et s., miracula, 459 A', 460 A', stigmata, 457 A, 459 D', verba, 459 B, B', 461 D', 462 D, 465 A, D, 467 A, 468 D, 469 D, 470 B.
FRANCUS, 663 D'.
FURTUM, 15 C'.

G

GABRIEL (S.) Archangelus, 195 B' et s.
GENEBALDUS (S.), episcopus Laudunensis, 456 A'. — Ejus lapsus, 456 B', et pœnitentia, 456 C'.
GENTILES utrum veras habuerint virtutes, 133 A.
GEORGIUS (S.) martyr. Ejus gesta, miracula et supplicia, 2 C et s., 8 D, 14 B.
GERARDUS, frater S. Bernardi, 334 A'.
GERASINA (S.), regina Siciliæ, 499 D', 503 A'.
GERMANUS (S.), episcopus Antisiodorensis. Ejus gesta, virtutes et miracula, 283 A et s.
GERMANUS (S.), episcopus Constantinopolitanus, 322 C.
GERSON (Joannes), 472 A.
GLOSSA, 14 B', 15 A, 491 B'.
GODEFRIDUS de Bolonia, 473 B, B'.
GORRA (Nicolaus de), 232 A.
GRÆCUS expositor, 491 B, A'.
GRATIA, 162 B et s.
GRATITUDO, 177 D.
GREGORIUS (S.) Magnus, 39 C', 78 A, 90 B', 126 A', 129 B', 134 B, etc. — Ejus altissima contemplatio, 186 D'. — Qua occasione litaniam majorem instituerit, 76 D.
GREGORIUS (S.) Nazianzenus, 447 A', 451 A'.
GREGORIUS (S.) Nyssenus, 79 B.
GREGORIUS Papa IV, 537 B'.
GUIDO, frater S. Bernardi, 334 A'.
GUILLELMUS (S.) dux, a S. Bernardo conversus, 335 A', C'.
GUILLELMUS Antisiodorensis, 30 A', 117 B', 135 D, 136 C, B', 163 C', 164 B.
GUILLELMUS Parisiensis, 120 B, 171 D.
GULA refrenanda, 519 D'.

H

HADRIANUS rex, 499 D', 503 A'.
HALES (Alexander de), 117 B', 136 B', 164 C', 171 D.
HAYMO, Halberstatensis episcopus, 134 D, 521 B'.
HECTOR, 483 C.
HEGESIPPUS (S.), 48 C, 53 C'.
HELENA (S.), mater Constantini imperatoris, 65 B, crucem Christi quomodo invenerit, 65 C, 389 C'.
HELIODORUS episcopus, 537 B'.
HELIODORUS, de profanatione templi punitus, 676 C'.
HENRICUS de Gandavo, 171 D.
HENRICUS, card. Ostiensis, 9 D'.
HERMES (S.), 286 A'.
HERMOGENES magus, 270 C, a S. Jacobo Majore conversus, 270 A', 279 B.
HERODES Agrippa, 209 B, 212 C, 285 A et s.
HERODES Antipas, 213 B, 365 A et s., 368 A et s., 370 B, 372 D, 373 B'.
HERODES Ascalonita, 213 B, 365 A.
HERODIAS, 365 A et s., 368 A et s., 370 B.
HIERONYMUS (S.), 11 A', 15 B', 17 B, 22 A', 31 B', etc. — Ejus gesta et virtutes, 446 A et s., scientia multiplex, 449 A et s., altissima contemplatio, 186 D', 454 D, scripta, 447 C', 450 D et s., 451 C', Regula, 222 A, 342 C', 349 B, 446 B, A', 449 A', 450 C, D', 451 A, D', 452 A et s., miracula, 448 B', obitus, 448 B.
HILARION (S.), 526 C.
HILARIUS (S.), 44 A', 556 B', 561 B.
HINCMARUS, episcopus Remensis, 485 C'.
HIPPOLYTUS (S.) martyr, 300 B', 303 C, C', 305 B, D.
HISTORIA Ecclesiastica (Eusebii), 510 A'. — Historia Scholastica. *Vide* Comestor.
HOLOPHERNES diabolum figurans, 378 B.
HOMICIDIUM, 670 C'.
HOMO, arbori assimilatus, 215 C, quo sensu creatus fuerit ad supplendum angelorum casum, 157 D et s. — *Cf.* Anima.
HOSPITALITAS, 281 A.
HUGO (S.), Lincolniensis episcopus. Ejus innocentia, 566 A, mortificatio, 567 A, obedientia, 567 C, vocatio cartusiana, 568 B, constantia in tentatione, 569 B, consolationes in contemplatione, 570 A, ordinatio sacerdotalis, 570 C', gesta in episcopatu, 570 D', 571 D et s., devotio erga Eucharistiam, 570 D', 573 A, D, obitus, 573 A'.
HUGO de S. Victore, 461 A', 482 C'.
HUGOLINUS, cardinalis episcopus Ostiensis (postea Gregorius Papa IX), 466 B.
HUMILITAS, 273 B', 352 C, 354 A, 382 C', 440 B, 444 C, 528 D, 531 D, 544 D', 646 B et s. — Ejus motiva, 237 A, 243 D', 330 C', 646 D' et s., et merces, 430 A, 443 D'. — Humilitas Sanctorum, 567 C'. — Humilitatis exempla, 24 A, 26 B', 36 D', 226 A, 556 D, 581 B'.
HUNNI, 71 D, C', 72 C.
HYPOCRISIS, 410 B'.

I

IDOLOLATRIA. Quare sic nuncupetur avaritia, 15C. *Cf.* Avaritia.
IGNATIUS (S.), episcopus et martyr, 50B, 609B'. — Ejus epistolæ ad S. Joannem apostolum, 379B', 380A, A'.
IMMANSIO proprii sensus, 292B.
IMPATIENTIA seu tristitia, 621A'.
IMPII, 40C', 610B, 623D', 629A'. — Eorum punitio, 600D.
INCARNATIO Verbi, 184C. *Cf.* Christus.
INDULGENTIÆ, 176A. — Indulgentiæ in festo Corporis Christi lucrandæ, 175C', 176A'.
INFERNUS, 148B, 587C', 590A.
INGRATITUDO erga Deum, 177D.
INIMICI quomodo diligendi, 118C', 415D, et vincendi, 626B. *Cf.* Caritas.
INJURIÆ dimittendæ, 118D', 681A'. *Cf.* Patientia.
INNOCENTIA. Ejus gradus, 68A. — Exempla innocentiæ, 458A', 459D, 566A.
INNOCENTIUS Papa, 413B.
INOBEDIENTIA, 291C, 509C', 519A', 650D'.
INSTABILITAS cordis, 387D.
INTENTIO recta, 496B', 694A.
IRA, 57A, 532B'. — Ira per zelum, 533A.
ISAAC, philosophus Israelita, 122A'.
ISIDORUS (S.), Hispalensis episcopus, 82B, 369A, 662A'.
ISIDORUS (S.) abbas, 20D.

J

JACOB patriarcha. Ejus visio de scala explanatur, 677A et s.
JACOBUS (S.) Major, diaboli supplantator, 279A. Ejus familiaritas cum Christo, 269C, 274B, prædicatio, 85D', 269C', 277B, miracula, 270C et s., 271C, 273D', 277A, martyrium, 271A.
JACOBUS (S.) Minor. Ejus ortus, 48B, similitudo cum Christo, 50A, sanctitas, 48C, 53D, episcopatus in Jerusalem, 49A, 175A', 288B, epistola, 49C, martyrium, 49D.
JACOBUS (S.), episcopus Antiochenus, 499B', 502B', 503C.
JEREMIAS. Ejus tribulationes, 370C.
JERICHO quid figuret, 682A'.
JERUSALEM prædicitur evertenda, 477C et s.
JOACHIM (S.), pater B. V. Mariæ, 379A et s.
JOANNES (S.) apostolus, 90B'.
JOANNES (S.) Baptista. Ejus nativitas, 192C et s., excellentia multiplex, 188A et s., 190A et s., 197D et s., 206B et s., vita eremitica, 204B, contemplatio, 207C, virtutes, 191D, 194D, 196A, 199D', 204B' et s., 207A, prædicatio, 191A, 196B, amicitia cum Christo, 200C et s., decollatio, 365A et s., 368A et s., 370B, 373B, sepultura, 368C'.
JOANNES (Frater), O. M., minister Bononiæ, 464D'.
JOANNES Sarracenus, 485C'.
JOANNES (Teutonicus), 16A.
JOSEPH, filius Jacob, 210D', typus Christi, 211B, et S. Petri, 211C.
JOSEPHUS historiographus, 48C', 478A, C.
JOSIAS Scriba, 271B.
JUDÆI per miracula crucis ad fidem conversi, 390A', 393A', C'.
JUDAS (S.) apostolus. Ejus virtutes, 513D et s., 517B, prædicatio, 510A', 511B, 514B, epistola, 518C et s., miracula, 512B, martyrium, 513B.
JUDICIUM generale, 38A, 39B et s., 587B', 590A, 617D', 656D et s. — Judicium discretionis, 63B, 68D', 107B. — Judicium temerarium, 237C, 264A', 564C, 652B', 693B'.
JUDITH præfigurat B. V. Mariam, 378A.
JULIANA (S.), filia S. Gerasinæ, 499D', 503A'.
JULIANUS imperator, 235B et s.
JULIUS (Cæsar), 483C.
JULIUS, dux Europæ, 609A'.
JUPITER, 304C'.
JURAMENTUM, 368C' et s., 496B. *Cf.* Perjurium.
JUSTINA imperatrix, 25B'.
JUSTINUS presbyter, 303C'.
JUSTITIA, 110A, 273B, 373D, 529A', 533D', 546A, 602D, 691A', 693A'. — Persecutiones propter justitiam, 530A', 536A.
JUSTUS qualiter a Deo regatur, 638A et s. — Justorum tribulationes, 603A', et merces, 599A. — *Cf.* Electi, Sancti.

L

LABOR spiritualis, 631D et s. — Labor manualis, 92A, 469B.
LACRIMÆ multiplicis speciei, 419A', 529D, 533C, 545D', 603A.
LÆTITIA perfecta, juxta S. Franciscum, 459B.
LATRO, episcopus Laudunensis, 456B', D'.
LATRONIANUS præses, 627B.
LAURENTIUS (S.) martyr. Ejus gesta et virtutes, 296A, 298B, 299D, 300B', 301B, 302B

et s., 307 D, 308 A', D', 309 B', 626 D', miracula, 299 A', 305 B, supplicia, 303 B.
LAZARUS (S.), episcopus Massiliensis, 256 C', 257 A'.
LECTULUS diversa designat, 326 A.
LEMOBIA (S.), pedisequa Sertis regis, 219 D.
LEO (S.) Papa, 94 A', 414 C', 528 A', 605 D', 606 B.
LEO (Frater), discipulus S. Francisci, 462 C.
LEX evangelica, 461 A.
LIBERTAS vera, 289 C. — Libertas perversa, 289 D.
LIBRI varii allegati : Liber de Causis (David Judæi), 52 A' ; Liber Justorum (Evangelium Nazaræorum), 197 B ; Historia Ecclesiastica (Eusebii), 510 A' ; Liber Historiæ nativitatis Virginis sacræ (Evangelium Nativitatis B. M.), 378 D' ; Martyrologium Sanctorum, 217 D ; Passionale Sanctorum, 97 B', 359 A', 360 A ; Profectus religiosorum (David Augustani), 16 B', 120 B' ; De requie mentis, 164 C ; Speculum historiale (Vincentii Bellovacensis), 485 C' ; Summa confessariorum (Joannis, Bossinensis episcopi), 10 B ; Summa virtutum et vitiorum (G. Peraldi), 10 B, 162 C' ; De Verbis et actibus S. Francisci, 465 D', 467 A, 469 D, 470 A ; De Viris illustribus Ordinis Cisterciensis (id est Exordium magnum Ordinis Cisterciensis), 341 B' ; Liber Vitaspatrum, 22 C', 33 B, 288 B', 431 C', 451 A, A'.
LIMBUS, 148 C.
LINGUA refrenanda, 54 A, 280 D, 453 D, 690 C.
LINUS (S.), 217 B.
LITANIA major, quæ fit in festo S. Marci, 76 C. — Litania minor, in diebus Rogationum, 75 C, 76 D, B'.
LUCAS (S.). Ejus gesta, scripta et virtutes, 491 A et s., 492 D, 495 C, B', 497 C'.
LUCILLUS, qui a S. Laurentio visum recepit, 305 B.
LUDI quinam prohibeantur, 8 C' et s.
LUDOVICUS, rex Francorum, filius Caroli Magni, 485 B'.
LUMBI quo sensu præcingendi, 639 C.
LUPA regina, 271 C, ad fidem conversa, 271 C'.

M

MACARIUS (S.), episcopus Jerosolymitanus, 65 A'.
MAGISTER Sententiarum. *Vide* Petrus Lombardus.
MAHOMETUS, 198 D'.
MAMERTUS (S.), episcopus Viennensis, qua occasione Rogationes instituerit, 76 B'.
MANICHÆI, 358 C.
MANSUETUDO, 529 B, 532 A', 545 C', perfecta, 494 D'.
MARCULUS, Græciæ pontifex, 499 C', 503 A'.
MARCUS (S.) evangelista, discipulus S. Petri, 31 A. — Ejus humilitas, 36 D', prædicatio, 31 A', 33 A, 35 D, evangelium, 35 B, martyrium, 32 A, miracula, 32 C. — Litania in ejusdem festo instituta, 76 C.
MARDOCHÆUS, 233 A'.
MARGARETA (S.) virgo et martyr. Ejus virtutes, 247 A, martyrium, 247 A', miracula, 248 B, potens intercessio, 248 A'.
MARIA, Mater Dei, 234 C, 381 A', per Judith figurata, 378 A, designatur per portam, 318 A, et per castellum, 318 B et s., 333 B'. — Ejus dignitas, 315 C', 318 C, 323 C', 329 C, 381 A' et s., 540 A, perfectio in vita activa et contemplativa, 319 B', 329 D, 379 C', 383 B, 385 D, gratia supereminens, 375 A', 382 C, pulchritudo, 313 D et s., fides, 232 C, humilitas, 235 D, 318 C', 430 B, discretio, 236 A, misericordia, 315 B, mediatio, 378 A', beatitudo, 324 D, 330 A', 380 D, 382 D, canticum, 232 A', 243 C et s., miracula, 238 A', 316 A', 325 B', 559 A. — Ipsius sanctificatio, 375 B, nativitas, 376 D, 377 C', 379 A, oblatio et habitatio in templo, 376 C', 379 D, visitatio, 230 A et s., 239 A, per solennitatem celebrata, 233 A, assumptio in cœlum, 321 A et s., 330 A, etiam quoad corpus, 322 A', sepulcrum, 322 B. — Quomodo Christum dilexerit, 326 B' et s. — Illam adhuc in terra viventem multi exoptabant videre, 379 B', 380 A. — Quid agat in Ecclesia, 311 A et s., 315 D', et in purgatorio, 320 B'. — Qualiter colenda sit, 233 A et s., 323 A', 377 D, 382 A', 538 A, et imitanda, 234 D', 239 C et s., 380 A', 382 B'.
MARIA (S.) Ægyptiaca. Ejus conversio, 27 C, pœnitentia, 28 A, fortitudo, 28 D, contemplatio, 28 C', manifestatio, 29 A, obitus, 29 C'.
MARIA (S.) Cleophæ, mater SS. Simonis et Judæ, 512 A.
MARIA (S.) Magdalene. Ejus conversio, 249 A et s., 253 A' et s., 260 A', 263 D, familiaritas cum Christo, 255 B, 256 C, 316 D', optima pars, 255 D, transitus in Massiliam, 256 C', miracula, 256 D' et s., 259 C', 261 C', eremitica vita, 258 A, 261 C', contemplatio, 258 D, obitus, 258 D'. — Imitanda religiosis proponitur, 263 A' et s.

MARS. Ejus statua in Scythia, 47B'.
MARTHA (S.) Christi hospita. Ejus gesta et virtutes, 281A et s., 316D et s., miracula, 282A, obitus, 282B.
MARTHILLA (S.), pedisequa S. Marthæ, 317A'.
MARTINUS (S.). Ejus gesta et virtutes, 21A, 555A et s., 557D et s., 560C et s., 563A et s., 648C', spiritus propheticus, 557B, prædicatio, 559C, miracula, 559A', 679D, obitus, 559C'.
MARTYR quibus virtutibus ornetur, 619D' et s., 624D', 626C'. — Martyres, Christo conformati, 606A', quomodo sint imitandi, 609C', 612A'. — Eorum tentationes, 609B, tribulationes, 612A, miracula, 605B', 627A. — Triumphus martyrii, 306A, 606A et s.
MARTYROLOGIUM Sanctorum, 217D.
MATERNUS (S.), 71C'.
MATTHÆUS (S.) apostolus et evangelista. Ejus excellentia multiplex, 404D et s., conversio, 406D, 408C, obedientia, 409C', convivium, 407B, 409D', prædicatio, 405D, 411D, 414D', miracula, 412A, evangelium, 405C, 410A, 415A, 417B, martyrium, 412D, 420C.
MAURITIUS, episcopus Levicanæ urbis, 499C', 503C.
MAURUS rex, pater S. Ursulæ, 498A', 499A.
MAXENTIUS imperator, 590C', 591A.
MAXIMINUS (S.), episcopus Aquensis, 256C', 257B', 259B, 281C'.
MAXIMUS (S.), episcopus Taurinensis, 198A'.
MAXIMUS imperator, 557A', D'.
MEMELIA, mater S. Servatii, 70B.
MENS. Ejus nobilitas, 349C. *Cf.* Anima.
MERCURIUS (S.) martyr, 235A'.
MERCURIUS, 15B'.
MICHAEL (S.) archangelus, princeps Ecclesiæ, 425B'. — Ejus apparitio in monte Gargano, 435D et s.
MICHAEL, imperator Græcorum, 485B'.
MILITIA christiana, 1A, 17B. *Cf.* Certamen, Victoria.
MIRACULA fidem probantia, 90B, quomodo spiritualiter renoventur, 93B. — Miracula Christi, 144A', et martyrum, 605B', 627A. — Miracula varia narrantur, 2D', 29C', 30B, 32C, 45B', 47B', 51C, 71C, 96A, 217D, C', 218A, 237D', 238A', 248B, 256D' et s., 259C', 270C et s., 273D', 282A, 283B', 286A' et s., 299A', 305B, 316A', 325B', 335B', 341A', 343D', 390A', 393A', 412A, 435D et s., 448B', 455C' et s., 484D, 485B et s., 512B, 559A, A', 575B, 578D, 592B'.
MISERICORDIA, 534C. — Opera misericordiæ, 296A et s., 297D et s., 350C, 411B, 430C, 495C', 529D'. — Exempla misericordiæ erga pauperes, 302D', erga peccatores, 25C.
MISSA, 168D', devote celebranda, 26B, 37B, et audienda, 176D'. — Sacerdos se præparet ad Missæ sacrificium, 180A et s., assidue offerendum, 276A'. — Missa pro defunctis, 548B. — Exempla fervoris in celebratione Missæ, 570D', 573A.
MODESTIA virginibus commendatur, 663A.
MONACHI quam multi fuerint, 526B, et quo ordine ponendi, 489C'. — Quo ritu instituti fuerint in primitiva Ecclesia, 489A' et s.
MONICA (S.), 358C.
MORS desideranda, 288D'. — Ad illam oportet nos præparare, 639C et s.
MORTIFICATIO religiosorum, 310A, 339B et s., 363C, 444B'. — Exempla mortificationis, 283A', 339C, 458C, 567A.
MOYSES (S.) abbas, 20C, 165D, 651A'.
MULIERES christianæ laudantur, 253B.
MUNDITIA cordis, 530B, 535C, 553A, 554A. *Cf.* Cor.
MUNDUS multipliciter intelligitur, 105D'. — Mundus despiciendus, 370A', et abhorrendus, 371A, qualiter electos tentet, 608B. — Religiosi mundani, 653A'. — *Cf.* Terra.
MYSTERIA contemplanda, 364A'.

N

NATHANAEL, frater S. Philippi, 46A'.
NATIVITAS B. V. Mariæ quomodo per festum celebrari cœperit, 377C'. *Cf.* Maria.
NEGLIGENTIA, 387D, 425B, 504B'.
NERO imperator, 190C', 211B', 217B' et s., 286B', 287B, 484B'.
NERVA imperator, 578A.
NICETAS, frater S. Clementis, 271A. *Cf.* Faustinus.
NICOLAUS (S.) episcopus, 70C.
NOBILITAS mentis, 349C. *Cf.* Anima.
NOVISSIMA quatuor meditanda, 665C'.
NOX diversa designat, 326B.

O

OBEDIENTIA, 99C, 291A', 354B', 452C', 493B', 517C'. — Exempla obedientiæ, 46B, 409B', 567C. — *Cf.* Docilitas.
OCCASIONES peccati vitandæ, 431A, 496D.
OCTAVIANUS imperator, 287A, 304C', 663D'.

OCULUS quam mirabiliter creatus, 595B'. — Oculi mortificandi, 428A, 675B.
ODILO (S.), 547A.
ODIUM vitiosum, 619C. — Odium bonum, 619C', 642D'.
OFFICIUM divinum quibus defectibus deturpetur, 264B, 352D', 363D', 594C.
OPUS manuale religiosorum, 469B. — Opera Dei, 345B. — Opera servilia, 11C'. — Opera misericordiæ, 296A et s., 297D et s., 350C, 411B, 430C, 495C', 529D'.
ORATIO, 585A, D. Ejus necessitas, 344C', conditiones, 75C, 79B et s., 81C', efficacia, 81A et s. — Orandum pro Ecclesia, 471A', pro proximis, 73C, pro defunctis, 320A', 547B et s. — Quare non statim exaudiatur oratio, 78D'. — Oratio justi, 73C'. — Quomodo ad orationem se disponat religiosus, 355D. — Exempla orationis, 74B, 354C', 564B.
ORDO creaturarum, 423C, 437C. — Sacramentum Ordinis, 215B. — Ordo Cartusiensis, 462B', 568D, 570D, 573C', ejusque Statuta, 203C, 562D. — Ordo Fratrum Minorum, 462A', 465C et s.
ORIGENES, 11D, 92A', 152C, 343C.
ORNATUS culpandus, 663B.
OSTIENSIS. *Vide* Henricus, Hugolinus.
OTIOSITAS, 469B. — Verba otiosa, 469B'.
OTTO imperator, 286D'.

P

PACOMIUS (S.), 352D', 526C.
PANTULUS, episcopus Basileensis, 499C'.
PAPA. Quanta ejus potestas, 224A', 292D'. *Cf.* Petrus.
PARENTES. Utrum pro peccatis parentum suorum filii juste puniantur, 125D'.
PARIS, 663D'.
PASSIO Christi recolenda, 60B, 62A et s., 65B' et s., 69C', 391A et s., 396C, 399A et s., 470A et s., et prædicanda, 471C. — De illa multipliciter dolendum, 61B', et gaudendum, 60C et s., 398B. — Eclipsis tempore passionis peracta, 483D'. — *Cf.* Christus.
PASSIONALE Sanctorum, 97B', 359A', 360A.
PASSIONES refrenandæ, 56C'. — Earum effectus, 372C.
PASTOR (S.) abbas, 307C.
PATER æternus, 113C et s., 145D. *Cf.* Deus.
PATIENTIA, 32B', 303D', 348C', 529B, 621B, 626B, perfecta, 494D'. — Exempla patientiæ, 71A', 336A, 447B, 556C'. — *Cf.* Tribulationes.
PATROCLUS, pincerna Neronis, a S. Paulo suscitatus, 217C'.
PAULUS (S.) apostolus. Ejus sanctitas, 220A', 361D, caritas, 215D', prædicatio, 85D', 216A et s., 218C', epistolæ, 227C, tribulationes et certamina, 217A', 226D et s., martyrium, 218A', 219A et s.
PAULUS (S.), primus eremita, 169C'.
PAUPERTAS duplex, 298C. — Paupertas voluntaria, 13D', 528B', 531D, 532C, 601B, et evangelica, 493D, 494B, 544D'.
PAX vera, 510C. — Pax temporis, 670B', pectoris, 439C', 670D', 692D, æternitatis, 671A. — Pacifici, 530C, 535C'.
PECCATUM Deo odiosum, 180A. — Peccatum originale, 65C', 123C' et s., 161C', a quonam reparandum fuerit, 183D, et quosnam habeat effectus, 610C'. — Peccatum mortale, 102B et s., 110D' et s., ejusque consequentiæ, 424C'. — Peccata venialia vitanda, 68B', 138B, 543B, 594B, et abluenda, 54C', 594A'. — Peccata quotidiana non parvi pendenda, 264A. — Peccata reiterata, 263A. — Fuga peccati quantum prosit, 279D'. — Vitandæ peccandi occasiones, 431A. — Remissio peccatorum, 149C', 252B, 687C. — Tristitia de peccatis habenda, 611B. — Pœnitentia pro peccato mortali debita, 176B. — Peccatum contra Spiritum Sanctum, 159C et s., quo sensu irremissibile, 161B. — Peccatores quam stulti, 289B', et quantum eis compatiendum, 350C.
PELAGIUS Papa I (S. Sixtus III), 287B.
PELAGIUS hæresiarcha, 5A'.
PERFECTIO christiana, 634C et s., religiosa, 33B et s., 54B', 541D et s. *Cf.* Sanctitas, Virtus.
PERIPATETICI, 170D.
PERJURIUM, 369B. *Cf.* Juramentum.
PERSECUTIONES, 603A', quam fructuosæ, 530A', 536A, 604B.
PETRUS (S.). Ejus fides, 213A', lapsus, 223B, sanctitas, 220A', 225A, caritas, 211C', 215C', 226A, 257C, 577A et s., humilitas, 226A, doctrina, 225C, prædicatio, 143A et s., 216A et s., 218C, verba diversa, 222B et s., persecutiones, 211A' et s., liberatio e carcere, 209A et s., 285A et s., 287D, 290B, 293B', Romanum pontificium, 217B, potestas universalis, 210D et s., 213D', 221C, 224A et s., 290A', 292D, miracula, 45B', 217D, 218A, 286B' et s., martyrium, 218A', 219A et s. — Cur celebretur festum S. Petri ad vincula, 286D et s.

PETRUS (S.) Damianus, 547A.
PETRUS de Alliaco, 472A.
PETRUS Lombardus, 21B, 125B, B', 134D, 163B, 214B'.
PETRUS de Palude, patriarcha Jerosolymitanus, 292D'.
PETRUS de Tarantasia (B. Innocentius Papa V), 293B.
PHILETUS, discipulus Hermogenis, et postea S. Jacobi Majoris, 270D.
PHILIPPUS (S.) apostolus. Ejus vocatio, 46A, virtutes, 46B, prædicatio, 47A', miracula, 47B', martyrium, 47D'.
PHILIPPUS (Grevius), cancellarius Parisiensis, 392C', 400D.
PHILIPPUS, filius Herodis Ascalonitæ, 213B.
PHILO, 31C', 33B.
PHILOSOPHI gentiles. De illorum virtutibus quid sentiendum, 133B.
PHOCAS imperator, 537A'.
PINNOSA (S.) virgo, 500A.
PLACIDA regina, 283B'.
PLATO, 158A, A', 446A', 501C, 611A', 642B'.
POENITENTIA, 223B', 411A', 631D, non differenda, 69D. — Pœnitentiæ sacramentum, 214D. — Pœnitentia pro peccato mortali debita, 176B. — Pœnitentia infructuosa, 40B. — Exempla pœnitentiæ, 28A, 358B', 363B, 456B'.
POLIMIUS, rex Indorum, 343B, 345C', 347C.
POLYCARPUS (S.), 484D'.
PORPHYRIUS, adversarius fidei christianæ, 270C'.
PORPHYRIUS, princeps militiæ, 592A', 593A, C'.
POTESTAS ecclesiastica, 292D. — Potestas Papæ, 224A', 292D.
POTUS moderandus, 363C. *Cf.* Abstinentia.
PRÆCEPTUM caritatis, 635D et s. *Cf.* Caritas.
PRÆDESTINATIO, 155A et s.
PRÆDICATIO evangelica, 506A et s., qualiter facienda et audienda, 270B. — Prædicationi operatio concordet, 496D'. — Prædicator religiosus, 467B' et s.
PRÆLATUS quid agere debeat, 35B' et s., 92C, 128B', 129C', 510A, 588B. — Prælati religiosi officia, 467B' et s. — Prælatus malus, 128A, 509B.
PRÆSENTIA carorum haud nimis quærenda, 202A'.
PRÆSUMPTIO vitanda, 222A', 410B'.
PROFECTUS spiritualis, 517A', 518A, 633C', in religiosis, 541B'. — Liber cui titulus : Profectus religiosorum (David Augustani), 16B', 120B'. — *Cf.* Ascensus.
PROJECTUS (S.), 299D'.
PROSPERITAS reproborum, 304C'. *Cf.* Reprobi.
PROXIMUS ædificandus, 430A', 688C, erudiendus, 414A', non despiciendus, 431B. *Cf.* Caritas.
PRUDENTIA, 164A et s., 597D, 691C. — Prudentia carnis, 450A. — *Cf.* Discretio.
PUDOR castus, 667B.
PUERI seu Parvuli quo sensu imitandi, 426C, 428D et s., 444C. — Pueri sine Baptismo defuncti, 127B.
PULCHRITUDO multiplex, 314A.
PURGATORIUM defunctorum, 547B et s. *Cf.* Defuncti.

Q

QUINTIANUS præses, 627B.
QUIRINUS tribunus, 286A', ad fidem conversus, 286B'.

R

RABANUS (B.) Maurus, Moguntinus episcopus, 534D'.
RAIMUNDUS (S.) de Pennafort, 9D', 16A, B.
RAPTUS mysticus, 183A, 355B'. *Cf.* Theologia.
RATIO. Illi obediendum, 103A', et subjiciendæ passiones, 56C', 515B. *Cf.* Anima.
RECTITUDO intentionis et finis, 496B'.
REDEMPTIO generis humani, 394B' et s. *Cf.* Christus, Passio.
REFECTORIUM. Quomodo in illo legendum, 332A'.
REGNUM cœlorum, 528D', 545A, 586C et s., 589A'. — Regnum Dei, 618C'. — *Cf.* Beatitudo, Cœlum.
REGULA religiosis observanda, 373C'.
REGULA S. Benedicti, 354C', S. Francisci, 461C et s., S. Hieronymi, 222A, 342C', 349B, 446B, A', 449A', 450C, D', 451A, D', 452A et s.
REGULUS (S.), 485A'.
RELIGIOSI. Eorum officia, 34D', 100C, 243B, 245C, 262B, 279D, 295A, 308B', 309A, 331B et s., 339B', 350C', 352A, 353A', 354A et s., 370A' et s., 415B', 441C, 465B et s., 486B', 490B', 505A'. — Religiosorum finis, 384C, 651D, vota, 420A, 462C', 493A et s., 615D', profectus, 517A', 543B', 644D', perfectio, 33B et s., 463D, 541D et s., humilitas, 278A,

543 D, 545 A', 561 A', mortificatio, 310 A, 332 D, 339 B et s., 363 C, 444 B', 519 D', abnegatio, 464 A', 649 D' et s., holocaustum, 397 B', 551 A', paupertas, 493 D, 494 B, 544 D', castitas, 493 A, obedientia, 99 C, 354 B', 452 C', 493 B', 517 C', justitia, 373 D, caritas fraterna, 99 A', 397 A, 452 A, concordia, 520 A', sapientia, 593 C' et s., prudentia, 597 D, lectio et scientia, 362 A', 413 C et s., 466 A et s., solitudo, 561 D', silentium, 207 D', 239 D', 332 B, consideratio, 504 D', contemplatio, 454 B, examen proprium, 262 A', psalmodia, 441 C', opus manuale, 469 B, prandia, 545 C, colloquia, 338 C, 431 D', 453 D. — Eorum illusiones, 277 D, et defectus, 16 C', 24 B, 99 D', 291 B et s., 307 B, B', 372 C', 442 A', 504 B, 517 C, 518 D et s., 561 B, 563 B', 564 D, 596 B' et s., 652 C et s. — Prælatus et prædicator religiosus, 467 B' et s. — Sacerdos religiosus ad quantam perfectionem vocetur, 182 B et s. — Religiosi apostatæ, 650 B'. — *Cf.* Cœnobium, Monachi.

RELIQUIÆ Sanctorum quare honorandæ, 549 A' et s., 552 A.

REMIGIUS (S.) episcopus Remensis. Ejus gesta et virtutes, 455 A et s., miracula, 456 D'.

REMISSIO peccatorum, 149 C', 252 B, 687 C.

REPROBI, 589 C', 610 B. Eorum prosperitas, 304 C', 370 A, 371 D.

RESTITUTIO prompte facienda, 673 D'.

RICHARDUS de Mediavilla, 135 D'.

RICHARDUS de S. Victore, 461 A'.

ROGATIONES, 75 C, 76 D. — Cur in his diebus fiant litania, processio atque jejunium, 76 B'.

ROMA. Ejus conversio ad fidem, 579 B.

ROMANUS (S.), miles et martyr, 306 A'.

RUSTICUS monachus, 15 B'.

RUSTICUS (S.), presbyter et martyr, 476 D, 482 A', 484 B', 485 B, A', 488 A'.

RUYSBROECK, 648 C'.

S

SABBATUM. De ejus observatione, 10 C et s.

SACERDOS ad celebrandum quomodo se præparet, 180 A et s.

SACERDOTIUM, 309 C'.

SACRAMENTA Ecclesiæ, 171 A, 184 A'.

SALOME, filia Annæ, 379 C'.

SALUS animæ, 616 C' et s. — Arcta ejus via, 298 C'.

SANCTI considerandi, 647 B', venerandi, 552 C, imitandi, 551 B, 552 C', in Domino laudandi, 539 B, 541 C. — Eorum exempla, 220 B, fiducia, 481 B, humilitas, 567 C', potestas, 219 D'. — Quanta fuerit erga illos misericordia Dei, 539 C. — Quænam sint in eorum festis meditanda, 219 D' et s. — Quare et quando institutum fuerit festum omnium Sanctorum, 537 A et s. — Eorum reliquiæ honorandæ, 549 A' et s. — Communio Sanctorum, 149 D. — *Cf.* Electi, Justus.

SANCTITAS, 374 A, acquirenda, 541 D et s., 542 D' et s. *Cf.* Perfectio.

SANTULUS, vir sanctus, 299 B'.

SAPIENTIA, 593 C' et s., 613 A et s. — Sapientia naturalis, 416 B. — Sapientia evangelica, 394 B. — Donum sapientiæ, 182 D', 384 C', 416 D, 636 B'. — Exempla sapientiæ, 47 A, 347 C, 591 D', 593 C, 648 C'.

SAPPHIRUS castitatem figurat, 493 B.

SARRACENI, 198 D', 536 B, 626 A'.

SCALA Jacob, 677 A et s.

SCANDALUM, 100 A, 430 A', 442 A.

SCIENTIA multiplex, 413 C et s. — Scientia religiosorum, 362 A', 413 C et s., 466 A et s.

SCOTUS (Duns), 171 D.

SECRETA non divulganda, 690 D.

SENECA, 11 D', 127 B', 165 C', 642 B'.

SENSUS sanctificandi, 675 A et s.

SERTIS rex, 219 D.

SERVATIUS (S.) episcopus. Ejus gesta et virtutes, 70 B, 71 B', electio ad episcopatum, 70 B', miracula, 71 C, obitus, 72 A'.

SEVERINUS (S.), episcopus Coloniensis, 71 D, 560 B.

SEVERUS Sulpitius, 448 B', 557 B, 558 D'.

SIGNUM crucis quam efficax, 393 A'. *Cf.* Crux.

SILENTIUM virginibus commendatur, 663 B'. — Silentium religiosorum, 207 D', 239 D', 332 B.

SILVESTER (S.) Papa, 65 B, 627 B.

SIMON (S.) apostolus. Ejus virtutes, 513 D et s., 517 B, prædicatio, 510 A', 511 A', 514 B, miracula, 512 B, martyrium, 513 B.

SIMON magus, 211 B', 212 C, 216 D', 217 D' et s., 224 C, 270 D', 576 A'.

SIMON Pharisæus, 249 A et s., 264 A'.

SIMPLICIUS (S.), episcopus Ravennensis, 503 D.

SIMPLICIUS, episcopus Jerosolymitanus, 96 A.

SISINNIUS, Domitiani amicus, 578 A, A'.

SISOIS abbas, 33 C et s.

SIXTUS (S.), Papa et martyr, 302 B, B' et s., 307 A'.

SMARAGDUS paupertatem figurat, 493 A'.

SOBRIETAS, 632 D. *Cf.* Abstinentia.

SOLITUDO. Ejus emolumenta, 203C, 239A'. *Cf.* Cella, Religiosi, Vita.
SOLLICITUDO vitanda, 497B. — Sollicitudo habenda, 631A.
SOMNUS sanctificandus, 327C.
SPECULUM historiale, 485C'.
SPES, 134D et s., 227D, timore temperanda, 222B'. — Ejus motiva, 137A, et certitudo, 135D'. — *Cf.* Timor.
SPIRITUS Sanctus. Ejus divinitas, 115A', processio, 113C et s., missio, 85A', 101A', 143C', 688A. — Præparatio cordis ad charismata Spiritus Sancti, 406A'. — Peccatum contra Spiritum Sanctum, 159C et s. — *Cf.* Deus, Donum.
SPONSA Christi multiplex, 659A, 671A'.
STABILITAS mentis, 565B.
STEPHANUS (S.) protomartyr, 626D'.
STEPHANUS clericus, 259B', per apparitionem S. Mariæ Magdalene conversus, 259C'.
STEPHANUS judex, 299C'.
SUBDITUS quid agere debeat, 36A'. *Cf.* Obedientia.
SUMMA confessariorum (Joannis, Bossinensis episcopi), 10B. — Summa virtutum et vitiorum (G. Peraldi), 10B, 162C'.
SUPERBIA, 286A.
SUPERIOR utrum ab inferiore possit corripi, 441D. — Superiores religiosorum quomodo diligendi, 309A.
SYMBOLUM Apostolorum, 145C et s.

T

TAXILLI. Ludus taxillorum, 9C.
TEMPERANTIA, 660C, 690D'. *Cf.* Abstinentia.
TEMPUS non inaniter consumendum, 563B'.
TENTATIO quid sit, 17C. — Tentationes multiplicis generis, 607C' et s., 652B. — Remedia tentationum, 17C' et s., 19D et s., 569A'. — *Cf.* Constantia, Tribulationes.
TERRA. Terrena bona contemnenda, 589B. *Cf.* Mundus.
THEBÆI. Legio Thebæorum, 474B'.
THECLA (S.), 559A.
THEODORICUS, mercator, 325D et s.
THEODORUS (S.) Studita, 343A et s., 347A, 348A'.
THEODORUS anachoreta, 648A'.
THEODOSIUS imperator, 25B', 287A, 473B.
THEODOSIUS, pater S. Margaretæ, 247C.
THEOLOGIA mystica, 139B, 141D, 182C'. *Cf.* Contemplatio.
THEOPHILUS, ad quem scripsit S. Lucas, 83A'.
THEOPHILUS (id est Theophylactus), 224C', 491A', 618D', 642A.
THOMAS (S.) apostolus. Ejus prædicatio, 85D', 476A'.
THOMAS (S.) Aquinas, 11B', 12C, 16A, D, 103B', 120D, 132C, 133C, 134B, 135D', 146A', 147C, 150B', 152C, 157A, 163D, 164D, 171D, 175B, 184C', 215B, 276B', 288D, 290A', 293B, 368D', 437A', 463D, 466C', 547B, 682C. — Quanta ejus sapientia, 648B'.
THOMAS de Argentina, 134D', 136B, 163B'.
TIBERIUS imperator, 213B.
TIBURTIUS (S.) martyr, 574B'.
TIMOR utrum spei jungatur, 136B, 222B'. — Timor Domini, 68B'. — *Cf.* Spes.
TIMOTHEUS (S.), 484D'.
TITUS (S.), ad quem scripsit S. Dionysius, 484D', 641A.
TITUS imperator, 66C.
TRAJANUS imperator, 578B, A', 609B'.
TRIBULATIONES quam utiles, 272B et s., 536C. — Tribulationes electorum, 40C', 304C, 306C, 342A, 367C, 370A, 371A', 373B, 551B, 607B, 610C' et s. — *Cf.* Patientia, Tentatio.
TRINITAS divina, 44A', 113C et s. *Cf.* Deus.
TRISTITIA seu impatientia, 621A'. — Tristitia bona de peccatis, 611B.
TRYPHONIA, uxor Decii Cæsaris, 305D'.

U

URBANUS (S.) Papa I, 574A', 575A et s.
URBANUS (B.) Papa II, 92D.
URBANUS Papa IV, 175B et s., 178A' et s., 233B.
URBANUS Papa VI, 233A et s.
URSULA (S.) et sociæ ejus, virgines et martyres. Earum gesta et virtutes, 498A et s., 500D et s., 503A, martyrium, 500B, beatitudo, 503B'.
USUARDUS, 348A'.

V

VALENTINIANUS I imperator, 558A.
VALENTINIANUS II imperator, 557B'.
VALENTINUS (S.), episcopus Tungrensis, 70B'.
VALERIANUS (S.) martyr, 574B et s.
VALERIANUS præfectus, 303C, C', 305A', C', 306A', 627B.

VALERIUS, episcopus Hipponensis, 358C'.
VERBA otiosa religiosis vitanda, 469B'.
VERBUM æternum quomodo generetur, 113C et s. — Incarnatio Verbi, 184C. — *Cf.* Christus.
VERENA (S.) virgo, 500A.
VESPASIANUS imperator, 66C.
VIA arcta, 631D. *Cf.* Pœnitentia.
VICTORIA (S.), filia S. Gerasinæ, 499D', 503A'.
VICTORIA spiritualis, 626A, quomodo præmianda, 627C'. *Cf.* Certamen.
VIDUA christiana, 664D.
VINCENTIUS (S.) martyr, 626D'.
VINCENTIUS, presbyter cardinalis, 499B', 503C.
VINCULA diversa, 293C' et s. — Vincula S. Petri, 286B' et s.
VIRGO sancta laudatur, 659D' et s., 663C.
VIRTUS, 162C' et s. — Virtutes theologicæ, 135B', 227C', 386C, 689C', morales, 386A, cardinales, 690D'. — Virtutum acquisitio, 385C et s., et connexio, 374C, 553C. — Vita virtuosa, 631D. — An gentiles philosophi veras habuerint virtutes, 133A. — *Cf.* Perfectio.
VISIO beatifica, 50D et s., 544D, in hoc mundo prægustata, 52C'. — Visio patriarchæ Jacob de scala, 677A et s. — *Cf.* Beatitudo.
VISITATIO B. V. Mariæ. Institutio hujus solennitatis, 233A. *Cf.* Maria.
VITA virtuosa, 631D, contemplativa, 384C, eremitica, 204B, angelica, 438B' et s. — Vita anachoretica utrum cœnobiticæ præferenda, 516B et s. — Exempla vitæ eremiticæ, 199A, 258B, 447B', 449A', 451A'. — *Cf.* Cella, Solitudo.
VITÆ Patrum, seu Liber Vitaspatrum. *Vide* Libri.
VITIA diverso modo expugnanda, 21D'. *Cf.* Certamen.
VOLUSIANUS, 283B'.
VOTA religiosa, 420A. *Cf.* Religiosi.
VULPECULA, filia Genebaldi, 456B'.

Z

ZACHÆUS, 672C et s., qualiter imitandus, 680C' et s., 683A.
ZACHARIAS, pater S. Joannis Baptistæ, 192D et s., 195D et s. — Ejus canticum, 194C.
ZELUS apostolicus, 46C', 74D, 75A', 356C, 633A'. — Ira per zelum, 533A. — *Cf.* Exempla.
ZOSIMAS abbas, 29A et s.

INDEX GENERALIS

IN FESTO S. GEORGII MILITIS ET MARTYRIS.

Enarratio in epistolam : *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus,* etc. II Tim. II, 4-10. 1

Sermo I. Quæ miles debeat regi, et quomodo S. Georgius eadem Christo exhibuerit. 2

Enarratio in evangelium : *Ego sum vitis vera, et Pater meus agricola est,* etc. Joann. XV, 1-11 3

Sermo II. De ludorum innumeris malis ; et qui ludi liciti sint honestique, quique illiciti et prohibiti 8

Sermo III. De observatione sabbati, id est diei dominicæ ac festorum novæ legis, et quid in eis potissimum agendum sit Christifidelibus 10

Sermo IV. Quam detestabile sit peccatum ac enorme avaritia, et cur idololatria et vitiorum maximum appelletur . . . 13

Ad religiosos.

Sermo V. De innumerabilibus tentationibus, fallaciis occultissimisque insidiis dæmonum, et quo pacto militi spiritualis palæstræ sit eisdem resistendum. 17

Sermo VI. De adjutoriis misericordissimi Dei, quibus nunquam deerit militibus suis spiritualibus legitime certantibus. 19

IN FESTO S. AMBROSII EPISCOPI.

Ad religiosos.

Sermo unicus. De virtutibus S. Ambrosii ; contra ambitionem, de fraterna compassione, de patientia, compunctione, et ejusmodi virtutibus 24

IN FESTO S. MARIÆ ÆGYPTIACÆ.

Sermo unicus. De virtutibus, laudibus et excellentiis B. Mariæ Ægyptiacæ. . . 27

IN FESTO S. MARCI EVANGELISTÆ.

Sermo I. De gratiis et prærogativis B. Marci 31

Ad religiosos.

Sermo II. In quibus humana consistat perfectio, et quomodo obtineatur. . . . 32

Sermo III. Quomodo prælatus sibi cavere debeat et gregi, et quomodo rursus subditi debeant obedire 35

IN FESTO SS. PHILIPPI ET JACOBI APOSTOLORUM.

Enarratio in lectionem loco epistolæ : *Stabunt justi in magna constantia,* etc. Sap. V, 1-5 38

Sermo I. De differentia retributionis justorum et impiorum, et quomodo hic justi premantur ab impiis 39

Enarratio in evangelium : *Non turbetur cor vestrum.* Joann. XIV, 1-13. . . . 41

Sermo II. Quibus est laudandus B. Philippus, et quæ in eo sunt imitanda. . . 45

Sermo III. De excellentiis S. Jacobi apostoli 48

Ad religiosos.

Sermo IV. Quam deliciosum quamque præclarum sit Deum videre. 50

Sermo V. De refrenatione linguæ ; de confessione et remediis venialium. . . . 53

Sermo VI. Quod contemplari volenti necessaria sit passionum refrenatio, et purgatio affectuum 55

IN FESTO INVENTIONIS SANCTÆ CRUCIS.

Enarratio in epistolam : *Confido in vobis in Domino,* etc. Galat. V, 10-12 ; VI, 12-14 59

Sermo I. Quomodo gaudendum dolendumve sit de Christi passione, et quomodo eadem liber exemplarque sit perfectionis atque omnium virtutum. . . 60
Enarratio in evangelium : *Nunc judicium est mundi*, etc. Joann. XII, 31-36. 63
Sermo II. De causa, fructu, efficacia et merito passionis Christi, et quomodo debeamus ei conformari. 65
Sermo III. Quot gradus sint innocentiæ ; qualis necessaria sit ad salutem ; unde etiam constet innocentia salutaris, cum exhortatione admodum pia. 67

IN FESTO S. SERVATII EPISCOPI.

Sermo unicus. De vita et excellentiis S. Servatii episcopi. 70

IN DIEBUS ROGATIONUM.

Enarratio in epistolam : *Confitemini alterutrum peccata vestra*, etc. Jacob. V, 16-20 73
Sermo I. Quanta sit virtus efficaciaque orationis ; et de institutione litaniarum atque processionum 75
Enarratio in evangelium : *Quis vestrum habebit amicum ?* etc. Luc. XI, 5-13. . 77
Sermo II. Quam pronus sit Deus ad exaudiendum, ignoscendum et largiendum ; et quæ debeant conditiones comitari efficaciter orantem. 81

IN SOLENNITATE ASCENSIONIS DOMINI.

Enarratio in lectionem loco epistolæ : *Primum quidem sermonem feci de omnibus, o Theophile*, etc. Act. I, 1-11. 83
Sermo I. Quod nostra conversatio et pia debeat esse et ædificatoria ; deque nonnullis aliis salutaris eruditio. . . . 86
Enarratio in evangelium : *Recumbentibus undecim discipulis, apparuit illis Jesus*, etc. Marc. XVI, 14-20. 89
Sermo II. Quod omnia in gloriam Dei sint referenda ; de necessitate et fructu correptionis ; quomodo etiam fide signa per nos fiant spiritualia. 91
Sermo III. Quod omnis actio Christi nobis sit fructuosa ; et quam gloriose debeat esse ejusdem ascensio nobis festiva. 94

IN FESTO S. BARNABÆ APOSTOLI.

Sermo I. De laudibus S. Barnabæ, cujus exemplo mundana debemus relinquere et adversa patienter sustinere. . . . 97

Ad religiosos.

Sermo II. Quod religiosorum conversatio nulli debeat esse onerosa, nulli scandalosa, sed pacifica atque benigna. . . 98

FERIA SECUNDA PENTECOSTES.

Enarratio in epistolam : *Aperiens Petrus os suum, dixit : Viri fratres, nobis præcepit Dominus prædicare populo, et testificari quia ipse est qui constitutus est a Deo*, etc. Act. X, 42-48. 101
Sermo I. Quid sit peccatum, et de effectibus ejusdem ac nocumentis. . . . 102
Enarratio in evangelium : *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret*, etc. Joann. III, 16-21 . . . 104
Sermo II. Quam sit desiderabilis amabilisque pulchritudo atque bonitas Dei, et quam sint stulti ac impii, qui ejus amori quidpiam ex creaturis anteponunt. . 110
Sermo III. De emanatione divina qua Spiritum Sanctum verum Deum catholica fides a Patre Filioque credit procedere 113

Ad religiosos.

Sermo IV. De excellentia ac præconio caritatis, et eadem quomodo erga Deum proximumque exhibenda sit 116
Sermo V. De gradibus caritatis, ac causis et rationibus amandi Deum. 119

FERIA TERTIA PENTECOSTES.

Enarratio in epistolam : *Quum audissent Apostoli*, etc. Act. VIII, 14-17 123
Sermo I. Quomodo per Baptismum originale tollatur peccatum ; de fomite, de æqualitate animarum, et an pueri non baptizati sensibilem patiantur de vitæ æternæ amissione dolorem 123
Enarratio in evangelium : *Amen, amen dico vobis, qui non intrat per ostium*, etc. Joann. X, 1-10 127
Sermo II. De fide et rationibus credendorum. 132

Sermo III. De spe et ejus proprietate ac operatione 134

Ad religiosos.

Sermo IV. Quo studio religiosi conatum adhibere debeant, ut in Dei amore in dies magis magisque proficiant . . . 137
Sermo V. De amore Dei castissimo ac ferventi : quam fructuosus sit, quid sit amare Deum, quæ ad Dei amorem nos monere debeant, et quæ amoris sint indicia. 139

FERIA QUARTA PENTECOSTES.

Enarratio in epistolam : *Stans Petrus cum undecim,* etc. Act. II, 14-21. . . 143
Sermo I. Elucidatio Symboli fidei a duodecim Apostolis editi. 145
Enarratio in evangelium : *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum,* etc. Joann. VI, 44-52. . 150
Sermo II. De prædestinatione, reprobatione, electione divina Christi, angelorum et hominum. 155
Sermo III. Peccatum in Spiritum quid sit, quamque enorme, et cur irremissibile dicatur 159

Ad religiosos.

Sermo IV. Quid sit gratia, et an realiter idem sit quod virtus. 162
Sermo V. De prudentia et discretione, earumque gradibus ac præconio. . . . 164

IN SOLENNITATE CORPORIS CHRISTI.

Enarratio in epistolam : *Ego accepi a Domino quod et tradidi vobis,* etc. I Cor. XI, 23-29. 167
Sermo I. De institutione et dignitate venerabilis sacramenti Eucharistiæ. . . 169
Enarratio in evangelium : *Caro mea vere est cibus,* etc. Joann. VI, 56-59. . . . 173
Sermo II. De institutione celebritatis festi sacramenti Eucharistiæ. 174
Sermo III. De gratitudine exhibenda, et quomodo ex beneficiorum magnitudine colligatur 177

Ad religiosos.

Sermo IV. De condigna debitaque ad venerabilis Sacramenti celebrationem aut sumptionem præparatione 180
Sermo V. De gratiis, fructibus atque effectibus sacramenti Eucharistiæ. . . . 183

IN FESTO S. JOANNIS BAPTISTÆ.

Enarratio in lectionem loco epistolæ : *Audite, insulæ, et attendite,* etc. Is. XLIX, 1-3, 5-7. 188
Sermo I. Quam sit justorum ac reproborum sermo diversus ; et qui sint digni fructus pœnitentiæ. 190
Enarratio in evangelium : *Elisabeth impletum est tempus pariendi,* etc. Luc. I, 57-68 192
Sermo II. De angelica vita et mirabili conceptione S. Joannis Baptistæ. . . 194
Sermo III. De præconiis excellentiisque S. Joannis Baptistæ 197

Ad religiosos.

Sermo IV. De amicitia mutua Christi et Joannis ; et quam contemnenda sit, quamque impediat a Deo amicitia mundana 200
Sermo V. De solitudine et collectione spiritus ; et quam illuminatus fuerit Joannes, utpote Spiritu Sancto plenus. . . 203
Sermo VI. Quibus præeminentiis enituit Joannes, et quomodo silentii observatione ipsum debeamus imitari. . . . 206

IN FESTO SS. PETRI ET PAULI APOSTOLORUM.

Enarratio in lectionem loco epistolæ : *Misit Herodes rex manus,* etc. Act. XII, 1-11. 209
Sermo I. De magnificentiis et persecutionibus B. Petri apostoli 210
Enarratio in evangelium : *Venit Jesus in partes Cæsareæ Philippi,* etc. Matth. XVI, 13-19 213
Sermo II. Quod Petrus et Paulus duæ olivæ duoque sint luminaria mundi ; et de vita eorumdem 215
Sermo III. De separatione apostolorum Petri et Pauli tempore martyrii ; et de tribus quæ in festis Sanctorum veniunt consideranda. 218

Ad religiosos.

Sermo IV. Quantum fervorem et reverentiam habuerit ad Christum Petrus ; et de cavenda præsumptione 221

Sermo V. Quod Petrus pastor rectorque summus fuerit Ecclesiæ, et quod octo gradibus docuerit ascendere in cœlum. 224
Sermo VI. Quod Paulus fidem, spem et caritatem ceterasque virtutes docuerit, et exemplo monstrarit 226

IN SOLENNITATE VISITATIONIS B. V. MARIÆ.

Enarratio in evangelium : *Exsurgens Maria, abiit in montana,* etc. Luc. I, 39-47 230
Sermo I. Quantus sit honor exhibendus Dei Matri, cum imitatione virtutum ejus 233
Sermo II. De humilitate ac discretione B. Mariæ, et quomodo sit imitanda. 235

Ad religiosos.

Sermo III. De visitatione B. Mariæ gaudiosa ac utili ; item de solitudinis, silentii cœlestiumque appetitionis commendatione 238
Sermo IV. Quomodo divinam erga nos dignationem admirando, debeamus humiliari in receptione venerabilis Sacramenti et hujusmodi visitationibus . . 241
Sermo V. De cavenda vanitate ; et quomodo B. Maria multifariam magnificaverit, id est, magnificentissime honoraverit, Dominum. 243

IN FESTO S. MARGARETÆ VIRGINIS ET MARTYRIS.

Sermo unicus. De vita S. Margaretæ virginis et martyris, et quam sit potens ad impetrandum a Deo. 247

IN FESTO B. MARIÆ MAGDALENE.

Enarratio in evangelium : *Rogabat Jesum quidam de Pharisæis ut manducaret cum illo,* etc. Luc. VII, 36-50. . 249
Sermo I. De conversione B. Mariæ Magdalene, de ipsius virtute et laudibus, et quæ in peccatis hominem teneant. . 253
Sermo II. De commendatione Mariæ Magdalene a magnitudine sapientiæ et eminentia sanctitatis 255
Sermo III. De eremitica conversatione B. Mariæ Magdalene, et quomodo sit imitanda 258

Ad religiosos.

Sermo IV. Quam variis ad se modis trahat Deus animas ; et quid sit in cellam vinariam introduci 260
Sermo V. Contra lapsum in peccata, et quod delicta nostra nequaquam parvi pendenda sint ; de judicio item temerario cavendo 262
Sermo VI. De perfectione caritatis ; quomodo Dei amor cum amore proprio pugnet ; et item de quatuordecim operationibus caritatis. 265

IN FESTO S. JACOBI APOSTOLI.

Enarratio in evangelium : *Accessit ad Jesum mater filiorum Zebedæi,* etc. Matth. XX, 20-23. 268
Sermo I. Quod nulla est virtus hominis sine Deo ; de laudibus quoque et vita B. Jacobi apostoli 269
Sermo II. Quam utiles sint tentationes et Sanctis optandæ, et quam cavenda ambitio. 272

Ad religiosos.

Sermo III. De familiaritatibus et gratia Dei concilianda, quam fiducia, spes, delectatio atque desideria sancta erga Deum sequuntur ; et quod Missæ sacrificium sit frequentandum 274
Sermo IV. Quod divinæ providentiæ atque ejus dispositioni omnia debeamus committere ; item contra ambitionem, quam invidia comitatur, eruditio monastica. 276
Sermo V. Quod prospiciendum sit ne supplantet nos diabolus 278

IN FESTO S. MARTHÆ VIRGINIS.

Sermo unicus. De beatissima Christi hospita S. Martha, et de vita præconiisque ejus. 281

IN FESTO S. GERMANI EPISCOPI.

Sermo unicus. De vita et miraculis S. Germani episcopi 283

IN FESTO S. PETRI AD VINCULA.

Sermo I. De cavenda vana gloria, et qualis superioribus debeatur honor. . . 285

Sermo II. De angelis ad custodiam hominum deputatis; quod liberari a corpore mortis bifariam possit desiderari; et de libertate sancta libertateque mala. 287

Ad religiosos.

Sermo III. De principatu et potestate Petri; et quod religiosorum vincula sint inobedientia, acedia, proprii sensus immansio, carnalis affectio, proprietas sive cupiditas 290
Sermo IV. De potestate ecclesiastica; quæ sint vincula bona atque mala, et qui funiculi quibus trahimur ad Deum. . 292

IN FESTO S. LAURENTII MARTYRIS.

Enarratio in epistolam : *Qui parce seminat, parce et metet,* etc. II Cor. IX, 6-10. 296
Sermo I. Quomodo Dei misericordia obtineatur; de gemina paupertate, de arcta via salutis, et quid nos ad misericordiæ opera movere debeat. 297
Enarratio in evangelium : *Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet,* etc. Joann. XII, 24-26. . 300
Sermo II. De vita, virtutibus atque præconiis gloriosissimi Laurentii martyris, cum pia exhortatione. 301
Sermo III. Quam sit gaudendum in adversitate; et de vita et præconiis S. Laurentii 304

Ad religiosos.

Sermo IV. De patientia electorum in tribulationibus, de constantia virtutis, et de periculo tepidorum monachorum. 306
Sermo V. Quanto amore fiduciaque acquiescere et adhærere subditus debeat suo prælato; et quod perfecta sui abnegatio loco martyrii Deo offeratur. . . 308

IN SOLENNITATE ASSUMPTIONIS B. V. MARIÆ.

Enarratio in lectionem loco epistolæ : *In omnibus requiem quæsivi,* etc. Eccli. XXIV, 11-13, 15-20. 311
Sermo I. De multiplici pulchritudine qua cunctis præstantior est Maria; de ejus quoque misericordia, pietate et utilitate 313
Enarratio in evangelium : *Intravit Jesus in quoddam castellum,* etc. Luc. X, 38-42 316
Sermo II. Quomodo beatissima virgo Maria sit, quomodo etiam quilibet electorum esse debeat spirituale castellum. 318
Sermo III. Quanto honore B. Maria fuerit corpore et anima in cœlum assumpta. 321
Sermo IV. Quantæ sit dignitatis esse Matrem Dei, et quanti meriti se totum offerre Deo, quanti præmii servire et compati Christo. 323

Ad religiosos.

Sermo V. Quomodo beatissima virgo Maria Filium suum in lectulo per noctes quæsierit; quid per lectulum, quid etiam per noctes Scriptura variis modis significet. 326
Sermo VI. De memoria dignationis divinæ et beneficiorum ejus erga nos, de gratitudine B. Mariæ, et unde nos debeamus humiliari 328
Sermo VII. De perfecta observantia monasticæ vitæ, quantumque regulam seu statuta sua monachus transgrediens peccet; quam sit necessaria custodia sui; et in religione proficientibus quanta divitiarum spiritualium sit copia. . . 331

IN FESTO S. BERNARDI ABBATIS.

Sermo I. De virtutibus et excellentiis S. Bernardi 334

Ad religiosos.

Sermo II. De excellentiis S. Bernardi, et quam religiosa debeant esse colloquia nostra 336
Sermo III. De continentia sensuum, de fervore devotionis, et reliquis quibus S. Bernardus sit imitandus. 339

IN FESTO S. BARTHOLOMÆI APOSTOLI.

Sermo I. Quomodo mali persequantur bonos; et de præconiis S. Bartholomæi quibus sit imitandus. 342
Sermo II. Quod omnia opera ad gloriam suam fecerit Deus; et quemadmodum S. Bartholomæi operibus roboremur in fide 345
Sermo III. Quomodo diabolum vicerit

S. Bartholomæus, et de ejus acerba passione 347

Ad religiosos.

Sermo IV. De nobilitate S. Bartholomæi ; quæ appetenda nobilitas, quid nobilem constituat, et quæ colloquia monachum deceant 349
Sermo V. De præeminentia Apostolorum ; et quod ad profectum nostrum necessariæ sint spes, humilitas, custodia cordis, jugis oratio, abdicatio delectationum, continua cum Deo mentis occupatio 351
Sermo VI. De cavenda elatione ; et quod ad gustum Dei duo sint necessaria. . 354

IN FESTO S. AUGUSTINI EPISCOPI.

Sermo I. De caritate et commendabili sanctitate S. Augustini 357

Ad religiosos.

Sermo II. De illuminatione et perfectione S. Augustini, et quid per illum Deus locutus et operatus sit ad ædificationem fidei ; item de variis modis proficiendi. 359
Sermo III. In quibus S. Augustinum imitari debeat anhelans ad perfectionem. 362

IN FESTO DECOLLATIONIS S. JOANNIS BAPTISTÆ.

Enarratio in evangelium : *Misit Herodes ac tenuit Joannem*, etc. Marc. VI, 17-29. 365
Sermo I. De beatissimi Joannis Baptistæ innocenti martyrio, de Herodis brutalitate, deque speciebus juramenti . . . 367

Ad religiosos.

Sermo II. Quod electis omnia cooperentur in bonum ; item de mundi contemptu, de diversis bonis, et de patientia in tribulationibus habenda. 370
Sermo III. Quomodo justitia et judicium obtenebrentur ; quid sit justitia vera, quid exigat ; et quid sit sanctitas, quomodove obtineatur. 372

IN SOLENNITATE NATIVITATIS B. V. MARIÆ.

Sermo I. De benedictionibus B. Mariæ, de plenitudine gratiarum ejus, et quantum debeamus illam amare et honorare. . 375
Sermo II. Quod B. Maria contriverit caput serpentis, quod sit mediatrix nostra, et de sanctitate ejus testimonia ex epistolis Ignatii martyris 378

Ad religiosos.

Sermo III. Quanta fecerit Christus suæ Matri, et de humilitate ejus imitanda. 380
Sermo IV. De activæ contemplativæque vitæ exercitiis, et quam multiplex sit profectus in dono sapientiæ 383
Sermo V. Quæ virtutum divitiæ sint congregandæ, quomodo ne veterascant neu amittantur sint servandæ 385

IN FESTO EXALTATIONIS S. CRUCIS.

Sermo I. De vexillo S. Crucis, et quam multipliciter crucem suam in mundo Christus exaltaverit 388
Sermo II. De ingratitudine nostra ; et quam variis modis circa passionem Domini meditandam debeamus occupari. 391

Ad religiosos.

Sermo III. Quæ sit summa christianæ sapientiæ ; cui pro peccatis competat satisfactio ; et quomodo fides nostra sit confirmata miraculis. 394
Sermo IV. De caritate fraterna ; de sinceritate bonorum operum ; et quomodo in Christi cruce sit gloriandum . . . 397
Sermo V. In passione Domini attendendum quis patiatur, qualis sit qui patitur et quantus, a quibus patiatur, et quid patiatur 399

IN FESTO S. MATTHÆI APOSTOLI ET EVANGELISTÆ.

Enarratio in epistolam : *Unicuique nostrum data est gratia*, etc. Ephes. IV, 7-13. 402
Sermo I. Quod S. Matthæus apostolus fuerit simul propheta, evangelista ac martyr. 404
Enarratio in evangelium : *Quum transiret Jesus, vidit hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine*, etc. Matth. IX, 9-13. 406
Sermo II. Quod singularis gratia in Matthæo emicuerit ; et quod ubi est major vis caritatis, verborum sit major efficacia. 408

Sermo III. De vita S. Matthæi evangelistæ, cum exhortatione salutari 411

Ad religiosos.

Sermo IV. De fructu atque utilitate scientiæ ; de evangelica perfectione ; de dilectione inimicorum patientiaque malorum. 413
Sermo V. De sapientiæ supernaturalis excellentia ; de pace, et vitæ beatæ perpetuitate 416
Sermo VI. De suavitate gustus divinæ præsentiæ, de subtractione ejusdem, de lacrimarum varietate, et de perfectorum devotione 418

IN FESTO S. MICHAELIS ARCHANGELI ET OMNIUM SS. ANGELORUM.

Enarratio in lectionem loco epistolæ : *Significavit Deus quæ oportet fieri cito,* etc. Apoc. I, 1-5 421
Sermo I. De ordine creaturarum, de ministerio angelorum, de providentia Dei, et de observatione caritatis. 423
Enarratio in evangelium : *Accesserunt discipuli ad Jesum,* etc. Matth. XVIII, 1-10. 426
Sermo II. De puerorum bonis conditionibus a nobis imitandis ; de humilitate misericordiaque, et de vitando scandalo. 428
Sermo III. Quid sit angelus ; de numero hierarchiarum ; de numero angelorum, et quos erga nos exerceant actus. . . 432
Sermo IV. De angelorum ministerio ac beneficiis ; de eorum beatitudine, amabilitate ; et de hujus festi institutione. 434

Ad religiosos.

Sermo V. De triplici hierarchia angelorum, de eorum perfectione, beatitudine ac dilectione, et quomodo illis sit congratulandum. 437
Sermo VI. De angelorum benevolentia erga nos, de illorum actibus ; quomodo sint a nobis imitandi, et de vitando scandalo. 440
Sermo VII. De beneficiis angelorum, et quod magnitudini caritatis respondeat præmium ; de humilitate item, puritate et caritate 442

IN FESTO S. HIERONYMI DOCTORIS ECCLESIÆ.

Sermo I. De præconiis ac virtutibus S. Hieronymi. 446

Ad religiosos.

Sermo II. De multiplici scientia S. Hieronymi, de tribus quæ mundus amat ab eodem contemptis, et quo sit fervore imitandus. 449
Sermo III. De servanda in monasteriis concordia, de obedientia, et ex dictis Hieronymi eruditiones piæ religiosis accommodæ. 452

IN FESTO S. REMIGII EPISCOPI.

Sermo unicus. De laudibus et excellentiis S. Remigii 455

IN FESTO S. FRANCISCI CONFESSORIS.

Sermo I. De excellentiis S. Francisci, de mortificatione privati amoris et de innocentia ejus columbina 457

Ad religiosos.

Sermo II. De simplici et perfecta caritate S. Francisci ; de substantialibus votis religiosorum ; deque triplici gradu perfectæ caritatis 460
Sermo III. Quibus de causis status religionis a pristinis rigore et fervore in multis defecerit. 465
Sermo IV. Qualiter Christi amarissima passio sit a religioso, præsertim divini verbi præcone, consideranda ac mentibus fidelium inculcanda 470

IN FESTO S. DIONYSII ET SOCIORUM EJUS MARTYRUM.

Enarratio in epistolam : *Sancti per fidem vicerunt regna,* etc. Hebr. XI, 33-39. . 473
Sermo I. Cujusmodi fuerit virtus et efficacia fidei qua illustris erat S. Dionysius 475
Enarratio in evangelium : *Quum audieritis prælia et seditiones,* etc. Luc. XXI, 9-19. 477
Sermo II. De commendatione S. Dionysii ; de caritate, de distantia amoris divini ab amore nostro, et de interna pace. . 479

Sermo III. Quomodo S. Dionysius sol in Ecclesia fuerit; de ejus vita et excellentiis; et de eclipsi tempore passionis dominicæ mirabili 482

Ad religiosos.

Sermo IV. Quare soli comparetur illuminatissimus doctor et martyr sanctissimus Dionysius 486
Sermo V. De libris S. Dionysii; et quomodo in primitiva Ecclesia sæculo monachi abrenuntiabant. 488

IN FESTO S. LUCÆ EVANGELISTÆ.

Sermo I. De laudibus S. Lucæ evangelistæ, et quomodo naturalia fiant virtuosa 491

Ad religiosos.

Sermo II. De duodecim consiliis evangelicis : e quibus tria præeminent, quæ religiosi vovent, paupertatis videlicet, castitatis et obedientiæ; quibus junguntur hic quartum et quintum, id est caritatis et patientiæ. 492
Sermo III. De septem reliquis consiliis Evangelii, scilicet misericordiæ, non jurandi, vitandæ occasionis peccati, rectæ intentionis, etc. 495

IN FESTO SS. UNDECIM MILLIUM VIRGINUM.

Sermo I. De historia et multiplici commendatione exercitus undecim millium virginum 498

Ad religiosos.

Sermo II. De militia nova sanctarum virginum, et quanta earum sit in Ecclesia solennitas. 500
Sermo III. De contemptu carnis, et unanimi præparatione sanctarum virginum ad martyrium 503

IN FESTO SS. SIMONIS ET JUDÆ APOSTOLORUM.

Enarratio in evangelium : *Designavit Dominus Jesus et alios septuaginta duos*, etc. Luc. x, 1-7. 506
Sermo I. De malis pastoribus; quod similitudines agnorum prædicatores debeant habere; et de vitandis contentionibus. 508
Sermo II. Quare Apostoli lux mundi, sal terræ, principes et dii vocentur; item vita apostolorum Simonis et Judæ. . . . 511

Ad religiosos.

Sermo III. Quænam ad civitatem bonam requirantur; de custodia sui ipsius, et concordia ad proximum. 513
Sermo IV. De vitæ anachoreticæ et eremiticæ differentia; quomodo religiosus quoque se habeat per humilitatem et obedientiam 516
Sermo V. Contra ambitionem, invidiam, superbiam, gulam, et de mortificatione harum aliarumque passionum. . . . 518

IN SOLENNITATE OMNIUM SANCTORUM.

Enarratio in lectionem loco epistolæ : *Ego Joannes vidi angelum*, etc. Apoc. VII, 2-12. 521
Sermo I. Magnam esse electorum multitudinem, licet reproborum numero multo sit inferior, ex quinque constat 524
Enarratio in evangelium : *Videns Jesus turbas, ascendit in montem*, etc. Matth. V, 1-12. 527
Sermo II. De paupertate spiritus, de mititate, de luctu spirituali, de zelo justitiæ, et vitiis eorum contrariis. 531
Sermo III. De misericordia et munditia cordis, de pace et persecutionum tolerantia 534
Sermo IV. De multiplici causa institutionis festi omnium Sanctorum. . . . 537

Ad religiosos.

Sermo V. De quadruplici modo laudandi Deum piissimum in Sanctis suis. . . 539
Sermo VI. Quam sancte et immaculate in conspectu divinæ majestatis ambulandum sit; et quantum in Deo et per Deum efficere possumus. 541
Sermo VII. De immensa suavitate ac gloria patriæ cœlestis, et quibus modis ad eam facilius accedatur 544

IN COMMEMORATIONE OMNIUM DEFUNCTORUM.

Sermo unicus. Quare defunctis conferenda sint suffragia unde juventur; et ubi sit purgatorii locus. 547

IN FESTO SS. RELIQUIARUM.

Ad religiosos.

Sermo I. De honore reliquiis Sanctorum exhibendo, eo quod filii et heredes Dei inventi sunt 549
Sermo II. De multiplici ratione quamobrem Sanctorum reliquiæ sint venerandæ, et de modo ad cordis munditiam pertingendi 552

IN FESTO S. MARTINI EPISCOPI.

Sermo I. De laude quintuplici aliisque virtutibus, præconiis et excellentiis S. Martini 555
Sermo II. De excellentiis atque miraculis S. Martini. 557

Ad religiosos.

Sermo III. De integritate S. Martini cuique religioso imitanda, et de duabus virtutibus ei quodammodo innatis, puta humilitate et caritate. 560
Sermo IV. De jugi oratione coram Deo effundenda, ac sex virtutibus quibus S. Martinus polluit plurimum in vita. 563

IN FESTO S. HUGONIS CARTUSIENSIS ET EPISCOPI LINCOLNIENSIS.

Ad religiosos.

Sermo I. De innocentiæ ac obedientiæ aureis virtutibus, S. Hugonis exemplo, religioso cuique imitandis. 566
Sermo II. De curis et periculis solitudini adjunctis, necnon remediis eam Deo optimo placentem efficientibus. . . . 569
Sermo III. De fidelitatis bono, quantum ubique deceat esse incorruptum ; de sacerdotii dignitate, modo fideliter administretur 571

IN FESTO S. CÆCILIÆ VIRGINIS ET MARTYRIS.

Sermo unicus. De S. Cæcilia virgine et martyre, et de gratiis quibus decorata fuit, et quanta per ejus constantiam atque magnanimitatem virtus operata sit divina. 574

IN FESTO S. CLEMENTIS PAPÆ ET MARTYRIS.

Sermo I. De vita et excellentia S. Clementis, et quantum ab illius perfectione humana distet ignavia 576

Ad religiosos.

Sermo II. De Dei benignissimo tractatu quo homines exercet, ac sex virtutibus S. Clementi familiaribus. 579

IN FESTO S. CATHARINÆ VIRGINIS ET MARTYRIS.

Enarratio in lectionem loco epistolæ : *Confitebor tibi, Domine rex,* etc. Eccli. LI, 1-8, 12 582
Sermo I. De triplicibus actibus quibus Deum potissimum colimus, et de triplici confessione christiano homini necessaria. 584
Enarratio in evangelium : *Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro,* etc. Matth. XIII, 44-52. 586
Sermo II. Quanto labore ac studio cœli gaudium quærendum sit et emendum; quamque subito submergantur complures atque perpetuo intereant ; et de pœnis inferni 588
Sermo III. De vita ac moribus S. Catharinæ, et de octo virtutibus quibus viva adhuc decorata fuerat. 590

Ad religiosos.

Sermo IV. De modo optimo quo sapientiæ donum comparare nobis possimus, et quantum virtutis sapientia ipsa humanæ vitæ adducat 593
Sermo V. De castitate, fortitudine et caritate S. Catharinæ, et qua via facilius eas virtutes consequi poterimus. . . 596

COMMUNE PLURIMORUM MARTYRUM.

Enarratio in lectionem loco epistolæ : *Justi in perpetuum vivent,* etc. Sap. V, 16-20, 22 599
Enarratio in evangelium : *Elevatis Jesus oculis in discipulos suos,* etc. Luc. VI, 20-23 601
Sermo I. De integra et firma fide Sanctorum, qua omnia tormentorum genera constantissime vicerunt ; et quod omnium virtutum principium sit et fun-

damentum validum, formata fide Deo adhærere jugiter 604
Sermo II. De innumeris Sanctorum flagellis et ærumnis in carne mortali. . 607
Sermo III. De quadruplici tentatione justorum in hoc mundo 610

COMMUNE UNIUS MARTYRIS.

Enarratio in lectionem loco epistolæ : *Beatus vir qui in sapientia morabitur,* etc. Eccli. XIV, 22 ; XV, 3-6. . . 613
Enarratio in evangelium : *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum,* . etc. Luc. IX, 23-27. 615
Sermo I. De puro et speciali amore quo Deum diligere nos decet nosque odire. 619
Sermo II. Quanta fidelitate animique constantia ad mortem usque pro Dei gloria præliari debeamus. 622
Sermo III. De nunquam satis laudata fortitudine, qua mala omnia pacifice tolerare possumus, et de præmio a Deo vincentibus præparato 626

COMMUNE CONFESSORIS PONTIFICIS.

Sermo I. De vera Christi imitatione, et perfidia eorum qui a Christo nominari volunt nec vitam ejus imitari. . . . 629
Sermo II. De arcta via vitæ, deque sex laboribus felicissimis in vita hac assumendis quibus veros Dei filios opinari nos possumus 631
Sermo III. De perfectione Patris æterni imitanda, ac vera dilectione, triplicique enarratione evangelici verbi : Diliges Dominum Deum tuum, etc. 634

COMMUNE CONFESSORIS NON PONTIFICIS ET ABBATIS.

Enarratio in lectionem loco epistolæ : *Justum deduxit Dominus per vias rectas,* etc. Sap. X, 10-14. 638
Enarratio in evangelium : *Sint lumbi vestri præcincti,* etc. Luc. XII, 35-40 . 639
Enarratio in evangelium : *Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem,* etc. Luc. XIV, 26-33. . . . 642
Sermo I. Vera humilitas in quibus consistat, et de variis causis et incitamentis ad eamdem. 646
Sermo II. De nexu et ordine trifariæ abrenuntiationis ; et quale debeat esse finalis perfectionis desiderium omnium, potissimum religiosorum 649
Sermo III. De certis tentationibus quæ solent quosdam gravius occupare, et de earum remediis. 652

COMMUNE VIRGINUM.

Enarratio in epistolam : *Qui gloriatur, in Domino glorietur,* etc. II Cor. X, 17, 18 ; XI, 1, 2. 655
Enarratio in evangelium : *Simile est regnum cœlorum decem virginibus,* etc. Matth. XXV, 1-13. 656
Sermo I. Quæ sit vera ac specialis Christi sponsa, et quomodo eam plurimis virtutibus ornatam esse oporteat. . . . 659
Sermo II. Quod aliud quam Deum cogitare, virginem non deceat. 662
Sermo III. Quid bonæ virginis sit, ut firmior Deo adhæreat 664

IN SOLENNITATE DEDICATIONIS TEMPLI.

Enarratio in epistolam : *Vidi civitatem sanctam Jerusalem,* etc. Apoc. XXI, 2-5. 668
Sermo I. Ob sex gloriosam dici Ecclesiam militantem, quibus Christiani ut membra congaudere debent 669
Enarratio in evangelium : *Ingressus Jesus, perambulabat Jericho ; et ecce vir nomine Zachæus,* etc. Luc. XIX, 1-10 672
Sermo II. De sanctificatione custodiaque templi corporis nostri, ut illud gratia sua suavissima possideat Spiritus Sanctus. 674
Sermo III. De utraque Ecclesia, materiali videlicet et spirituali, et quam sint dæmonibus terribiles piisque amabiles ; et de intellectu visionis sancti Jacob. . . 677
Sermo IV. De ardenti affectu videndi Jesum ; et de quatuor quibus Zachæo similes effici debemus. 680
Sermo V. De quadruplici domo qua recipitur Christus, et quomodo eum summa cum benevolentia in cor nostrum recipere debeamus. 683

Ad religiosos.

Sermo VI. Quibus potissimum ornare se

debeant religiosi virtutibus, ut Spiritus Sancti templum repræsentent. . . . 686
Sermo VII. De virtutibus religiosos quam maxime decentibus, et de multiplici ornatu quo exornandi sunt. 689
Sermo VIII. De provida ferventique mentis nostræ unione cum Deo, et qua via facilius id assequi possit. 691
Index locorum S. Scripturæ. 697
Index nominum et rerum notabilium. . 707

AD CLERUM

QUI ROMANO UTITUR KALENDARIO

In utroque ritu, Romano scilicet ac Cartusiano, epistolæ et evangelia, a Dionysio enarrata, concordant, diebus quibusdam exceptis.

1° Ritui Romano sunt propria, ideoque a Dionysio non enarrata :

In festo sancti Georgii, epistola ;

In festo Inventionis sanctæ Crucis, epistola et evangelium ;

In festo sancti Matthæi, epistola ;

In festo sancti Dionysii, epistola et evangelium ;

In festo sanctorum Simonis et Judæ, epistola ;

In festo sanctæ Catharinæ, epistola.

2° Iisdem festivis diebus sunt enarrationes in epistolas et evangelia ritui Cartusiano propria, quarum paginas invenies in altero indice.

Emendanda. — Pag. 98 B', lin. 7; 460 A, lin. 6 : Spalbeec, *lege* Spalbeeck; — 123, in titulo sermonis : animorum,... animarum ; — 271 A, lin. 6 : Nicetus,... Nicetas ; — 276, in titulo sermonis : quam divinæ,... quod divinæ ; — 287 A, lin. 3 ; 287 B, lin. 1 et 8 : Eudoxa,... Eudoxia ; — 478 D', lin. 1 : Perpetua,... Felicitas ; — 512 D, lin. 5 : vel improvise,... ut improvise ; — 524 A', lin. 8 : regulariter,... realiter ; — 556 B', lin. 5 : fatetur,... fatur ; — 558 C, lin. 2 : cum,... eum ; — 571 A', lin. 2 : mox ostendit,... respondit ; lin. 8 : protinus,... procul ; — 604 D, lin. 7 : adhuc,... ac docet ; — 674 B, lin. 4 : erogationem,... supererogationem.

Addenda (ex 1ª edit.) — Pag. 539 B', lin. 2 : quam tam copiose sanctificavit in utero, tam gratiose prævenit ex utero, tanta... ; — 541 A', lin. 11 : similes nobis mortales fuerunt ; — 553 C', lin. 6 : dono perfectus, nisi in suis sit passionibus reformatus. Nec in eis reformatus esse quis potest, nisi in virtutibus moralibus sit perfectus. Idcirco... ; — 578 D', lin. 3 : devotionis ac spiritualis jucunditatis ; — 589 D', lin. 3 : quum multi plus ament ; — 620 B, lin. 5 et 6 : hominem civem regni cœlestis, heredem Creatoris, ministrum... ; — 647 B, lin. 1 : diversas propriæ insufficientiæ.

Typis Cartusiæ Sanctæ Mariæ de Pratis. Tornaci.
A. Baudechon typographus.